
A XXXIII K



54032/B

VALENTINI
PRAXIS
MEDICINÆ
INFALLIBILIS.


Obturatio.
Revulsio.
derivatio.
Valentini
PRAXIS
MEDICINÆ
Evolvendo
Præſcribendo
obſer van do
Con ſul tan do.

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI
Archiatri & Prof. Giſſeni

PRAXIS MEDICINÆ INFALLIBILIS,

è principiis mechanicis diſpenſationi publicæ æque ac domeſticæ applicata & Archiatrorum Feliciſſimorum conſiliis illuſtrata.

Cum

NOSOCOMIO ACADEMICO,

ex caſibus ſelectioribus clinicis, methodo conſultatoriâ reſolutis & in Academia Giſſenâ publicè ventilatis, conſtante.

Accedunt

DISPENSATORIUM DOMESTICUM,

Animadverſiones in Machiavellum Medicum, Declamationes Panegyricæ, cum Programmatibus & Inſcriptionibus varii argumenti.

Editio Secunda, priore auctior.



FRANCOFURTI AD MOENUM.
Apud DOMINICUM à SANDE. MDCCXXI.

DEO
INFALLIBILI
T. O. M.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TITULI CONNEXIO SCULPTI.

CErnis ut hîc varii variis ex urbibus Orbis,
Comiter adveniant auxiliumque petant.
Artis Apollineæ pars dogmata vera medendi,
Praxeos & ſolidam tentat inire viam.
Pars de Morbonæ furiis conqueſta ferendam
Exigit Artis opem: Pars & utrumque petit.
Heîc opus, heîc labor eſt! Medicus *mediatur* & omnes
Volvendo libros mente revolvit idem.
Obſervata legit quondam Medicisque probata,
Caſu dum ſimili conſulit ipſe ſibi.
Arrepto tandem calamô *præſcribit* & offert.
Pharmaca quæque ſuis objicienda malis.
Sed quid *Laterna* hæc ſibi vult, quam nocte dieque
Explicat Illuſtris dextra ſuperba viri?
Fors homines quærit tales, qui fallere nunquam
Aut falli poſſunt, Diogeni ſimilis?
Scilicet ut radii Lunæ de nocte tenebras
Diſcutiunt validè, quos ope Solis habent.
Sic ferè difficiles densâ caligine morbos
Diſſipat Archiater firmus in arte ſuâ.
Ejus *conſilia* & methodum, *ſecreta* laborum
Hic liber exiguus totus & unus habet.
Hiſce *illuſtratam* placuit Tibi ſiſtere *Praxin*,
Quam fortunatam detque velitque DEUS!

Hippocrates

Lib. de locis in homine §. 125.

Proſperè ſuccedere eſt rectè facere, quod faciunt, qui ſciunt.

ELEGIDION

Ad

VIRVM ILLVSTREM

MICHAELEM BERNHARDVM VALENTINI,

Archiatrum Haſſiacum, & in Acad. Giſſena Medicinæ Profeſſorem primarium celeberrimum,

PRAXIN MEDICINÆ

Secunda vice edentem

Obſeruantiae teſtandae ergo ſcriptum

A

IO. HENR. STVSS. Scholæ Illuſt. Ilfeldenſis Con-Rectore,

XX. Nov. MDCCXX.

MAGNE VIR, *illuſtri dudum celeberrime fama,*
Et Medici celſum LVMEN, HONOSque chori:
Ingenii, cuius monumenta perennia doctus
Dudum in deliciis, quâ patet, Orbis habet:

Vtile

Vtile nam dulci miſcent, & in arte medendi
Optatam praebent per vada coeca pharon.
Ne TIBI diſpliceat, quaeſo, quod vallis opacae
Incola ſe luci ſiſtat, vt vmbra, TVAE;
Innumeroſque TVOS quod quidam Stuſſius inter
Cultores cupiat cognitus eſſe TIBI
FILIVS, inſigni qui me dignatur amore,
Qui deuincta ſibi pectora noſtra tenet:
FILIVS in cauſa eſt, magnum in quo noſſe PARENTEM,
Et colere, & docto contigit ore frui.
Quod ſtupidae paulum Northuſae indulſeris ILLVM,
Laeta TIBI grates noſtra Camoena canit.
Fructus amicitiae felix namque inde redundat
In me cultorem, diſcipulumque VIRI.
Hinc iam ſæpe TVA, multum venerande MACHAON,
Doctrina in ſcriptis perfruor eximiis;
Proque TVA facio flagrantia vota ſalute,
Vt praeſens radies LVMEN in orbe diu,
Fulgentem vt videas, cui tradis lampada, NATVM;
Vt ſit tota hilari plena nitore DOMVS.
Morborum o victor, faciens revaleſcere laſſos,
O vitae vindex, vive, valeque diu!

RESPON-

RESPONSUM METRICUM.

NOn eſt mortale quod opto!
Opto Tibi Ieſum!

Plura mihi tribuis, STUSSI, quàm fortè merebar,
Quando me Celſum Lumen in Orbe vocas.
Praebeo lucernam, quò poſſint addere lumen
Lumina quæ Sapiens Orbis in Orbe fovet.
Novi & confiteor, quàm ſit mihi curta ſupellex,
Omnia quæ novi, quà patet, Orbis habet.
Nil mihi ſervavi ſoli, ſed cuncta per Orbem
Diſperſi: Cunctos namque juvare juvat.
Pro libro Orbis erat, per quem ferè liber ab omni
Profeci usque jugo: Πεῖρα Magiſtra fuit.
Sic libros Libris junxi, quos hiſce relinquo,
Et reliquis pateant undique in Arte Viris.
Quod reliquum eſt, Gnatum dum diligis, *OPTUME STUSSI,*
Quem Tibi devincis: Diligis ipſe Patrem.
Ambo VALENTINI Tibi proſpere quæque precantur,
Dî TIBI retribuant; quæ petis ipſe! VALE.

T. T.

Giſſæ d. 28. Nov.
1720.

MICHAEL BERNHARDUS
VALENTINI,
p. t. Rector. Acad. Gieſſenæ, Archiater Principalis, Prof. P. Ord. & Inſpector Adminiſtr. Oecon.

PROLOGUS.

PLus in rubrô, quàm in nigrô contineri dixeris, dum à fronte neſcio quam infallibilitatem Praxi noſtræ tribuo. Aſt ne propera nimium, aut judicium præcipita, ERUDITE LECTOR, priusquam de ſenſu verborum, (quorum ab autore pendet explicatio) ſis certior redditus. Quamvis enim eodem, quô Antiſtites Eccleſiæ Romano-Catholicæ Pontifici Summo infallibilitatem adſcribunt, jure eandem fortè Praxi huic Medicæ vindicare poſſemus, & per communem Scholarum diſtinctionem inter Medicinam in concretô & in abſtractô conſideratam (in quâ poſteriori perpetuum eſt, quod fieri debet, licet incertum ſit, quod fieri ſolet) aliquòd inſcriptioni huic patrocinium quærere poſſem: eſt tamen & alia, quam κατ' ἄνθρωπον verè dixeris, appellationis hujus ratio, quòd Praxis hæc illorum, qui vulgò pro infallibilibus habentur, Archiatrorum ſcilicet undique Celeberrimorum, cautelis, conſiliis & ſecretis illuſtratur; & licet hæc infallibilitas haud raró magis in opinione (quâ & regitur & fallitur Mundus) quàm re ipsâ radicetur, eventum tamen ſive feliciorem, ſive certiorem plerun-

que

que conjunctum habet, quùm (ut in diverbio eſt,) is plurimos curet, cui plurimi fidunt. Adde quòd docendi methodus & ab ætatibus petita ratio Praxi huic majorem certitudinem videatur polliceri, quàm ſi à vulgari Antiquorum ordine, juxta trium C. H. regionum numerum, à capite ad calcem procedente, ſive recentiori, juxta functiones in œconomia animali occurrentes, à Platero *primùm, mox &* Sylvio *atque* Ettmüllero *inſtitutâ methodo quis expectare poſſet. Et quamvis illi, qui Praxin Medicam vel ad quatuor, vel ad plures morbos cardinales applicarunt, certiorem in curando viam, (analogiſmi ſubterverſantis intuitu) fuerint amplexi, in dignoſcendo tamen morborum dependentiam longè felicius ab ætatum ſerie deduci, & abhinc majori certitudine & infallibilitate ſive præcaveri, ſive curari poſſe nullus dubito, eoque magis, quòd methodus hæc quam facillimè per Indicem ſubjunctum in ordinem alphabeticum,* Burneto, Morono *& nuperrimè* Zvvingero *familiarem, quoque redigi poſſit. Quæ cùm ita ſint, hinc ante quatuor jam, & quod excurrit, laſtra, Naturam morborum Medicatricem imitando, practicam affectuum p. n. tractationem juxta progreſſum ætatum variarum Philiatris Giſſenſibus intra privatos aliquoties parietes expoſui; cujus inſtituti me eò minus pœnituit, quod & paulò poſt Celeberrimum Hallenſium Anteceſſorem Medicum,* Dn. D. Stahlium, *in eaſdem vel ſimiles mecum cogitationes incidiſſe & parile ſpecimen, in eleganti* de morborum ætatum fundamentis *Diſputatione, edidiſſe comperi, qui licet in eô diſcrepet à nobis, quod intrinſecam magis ætatum ſcaturiginem rimetur, non ſimul ad externas & occaſionales (quarum plenioris doctrinæ*

gratiâ ſimul rationem habemus) reſpiciendo, in ætatum tamen diviſione nobis prorſus aſſentitur, quæ alioquin variè & confusè admodum traditur ab aliis, ut è Zacch. Quæſt. Medico-Legal. Lib. I. Tit. I. qu. II. p. 3. *apparet. Quatuor nempe tempora ætatum conſtituimus, impubertatis, pubeſcentiæ, virilitatis & tandem ſenectutis: quæ omnia tamen cum ampliatione quadam ſumenda & intelligenda ſunt, ita ut tempus impubertatis ſub ambitu ſuo infantiam & pueritiam: Pubeſcentia adoleſcentiam & juventutem: Virilitas robur & conſiſtentiam: Senectus declinationem & decrepitam ætatem complectantur. Infantia VII prioribus ætatis annis includitur: Pueritia XIV: Adoleſcentia XXV: Juventus XXXV: Robur Virile XLII: Conſiſtentia L: Declinatio LX: Ætas Decrepita LXX. quarum morbos potiores ſuccinctè enumerat* Hippocrates Sect. 3. aphor. 24. & ſeqq. *Quemadmodum igitur in dogmatibus Medicinæ generalibus Venerandum Senem κατὰ πόδα, quod dicitur, ſecuti fuimus in* Medicinâ Nov-Antiquâ *olim typis evulgata: ita veſtigiis ejus in Praxi ordinandâ quoque inſiſtere, totamque hujus tractationem juxta tempora ætatum ſupradicta in IV. Partes diſtribuere volui, quarum*

I. De Morbis Puerorum,
II. De Morbis ſecundæ ætatis,
III. De Morbis tertiæ ætatis,
IV. De Morbis Senum

eſt actura. Ubivis per φαινόμενα pathognomonica accuratam morborum hiſtoriam præmittam. Abhinc, denominatô prius ſubjectô,

jectô, ætiologiam, juxta principia mechanica, ſubjungam, ut certior inde prognoſis erui, & tandem felicior curatio annecti poſſit, quam in omnem eventum & privatæ & publicæ diſpenſationi applicavi, eumque in finem Diſpenſatorium *quoddam* domeſticum *ſimul luci publicæ exponere, utriusque autem Formulas diviſis fractisque paginæ columnis diſtinguere volui. Quò verò appareat noſtram medendi methodum à Medicorum Celeberrimorum Praxi ne latum quidem unguem ſecedere, hinc* Cautelas & Conſilia *a Practicis & Archiatris Felicioribus, cumprimis adhuc viventibus, proficiſcentia & maximam ad partem inedita ſubinde ſubjungam, eorumque formulas &* Deſcriptiones medicamentorum ſecretiores, *magno ſtudio hactenus conquiſitas, Lectori Benevolo indulgebo. Tu ô Sancta Trias viribus conſtantiam, laboribus ſucceſſum, proximo ſalutem, omnibus denique gratiam Tuam & clementiam benigisſimè concedas! Amen.*

VEN-

VENTILATIO TITULI.

Nobiliſſime, Excellentiſſime, Ampliſſime, & Conſultiſſime Domine!

Profeſſor Famigeratisſime! Fautor & Amice Æſtumatisſime!

Literarum faſciculum, quem ad me transmittere voluiſti, unà cum Titulo futuri tui operis, univerſo Orbi literato acceptiſſimi, rectè me accepiſſe hæ teſtantur literæ. Gratâ mente imo & devotâ agnoſco, quod mei memoriam adhuc habeas meque iis annumeres, quos tibi in amicorum numerum adſciviſti. Utinam in meis viribus eſſet ſitum aliquo officiorum genere, quo, qui me maximè Tibi obligatum agnoſco, hunc tuum favorem demereri poſſem, hoc cumprimis mei voti nervum æſtimarem. Titulus tui operis multa egregia & eximia (imo & majora à tuo ingenio ſibi promittit eruditus Orbis) pollicetur: hocque Tuum opus inſtar Polymathiæ Medicæ cornucopiæ eſt, ex quo in dubiis caſibus ſolutionem (cumprimis ex *Pandectis & Novellis*) petere poſſunt, ſi coram foro vel tribunali ejusmodi caſus ventilandi ſint: tunc enim per has Pandectas & Novellas, tanquam ad Oraculum, reſponſum obtinere licet; ne nunc de aliis tanti operis partibus aliquid dicam. Ad unum me converto, circa quod pace tuâ, & ſalvô amicitiæ jure, dubium aliquod movebo, quod ut in bonam partem interpretari velis, obnixè rogo & contendo. Partem iſtius Tui operis quoque implebit *Praxis infallibilis*, quod nimis inſolens mihi vide-

videtur, quippe jam expertus ſum, quod homines, qui aliquid infallibile demonſtrare voluerint, fine ſuo fuerint fruſtrati. Sic olim *Ravius*, inſignis Mathematicus, *Chronologiam infallibilem* Mundo obtruſit; aſt multis fallaciis hanc Chronologiam laborare, multos hiatus habere, *Calovius*, Theologorum Presbyter, demonſtravit. *Chronologiam quoque infallibilem* promiſit noſter *Waſmuthus*, aſt ipſum & homines omnes falli & fallere demonſtravit experientia. Infallibilitas non cadit in talem artem, cujus effectus unicè à ſolius DEI benedictione dependet. Hujus reſpectu nomen hoc nimis ſuperbum eſſe arbitror. Abſit autem, Te, Virorum Excellentiſſime! tanti criminis reum faciam, ego metior Artem Medicam, prout hactenus alii magni Viri eam æſtimarunt, unà cum communi Præceptore noſtro *Hippocrate*. Me autem non latet, quantos progreſſus, DEO Duce, in hac arte feceris; ſæpius quippe accidit, quod unus aliquis hoc ipſum cognoſcat & experiatur, quod innumeri ante ipſum non agnoverunt, vel experti fuerunt, quale exemplum habemus in divino & ſupra ſortem humanam experientiſſimo *Theophraſto Paracelſo*. Nihilnunc dicam de *Hermete Trismegiſto*, Ægyptiorum Sacerdote, quem nihil fugit, & quoque de *Hippocrate* dicitur, quod fallere & falli ignoraverit. Quodſi ulterius inſtare liceat, tunc ſequentes rationes Praxeos Medicæ infallibilitatem admodum deſtruunt: in quarum rationum phalange primum locum occupet *Aphorismus Hippocratis primus Sect. I.* qui totus aphorismus, quotquot continet verba, tot habet argumenta infallibilitatem praxeos deſtruentia, ut patet, ſi verba Tecum illa expendas. *Heurnio* aphorismus hic 13. puncta habet, quæ 13. puncta revera rogum ſtruunt infallibili Arti Medicæ, & ſi ecphraſin vel commentationem *Heurnii* expendamus, tunc, quàm ficulneum ſit infallibilitatis fulcrum, patet. Provoco duntaxat ad punctum 7mum, 8tavum, 9num &c. Unicum tantùm ex puncto 8tavo reponam, quod verbis Heurnii proferam: *Eſt perpetuum in Medicina, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt, quod ſequi conveniat. Siquidem multa latent in corpore*

ignota Medico, multa intercidunt, propter peccata ægrorum & miniſtrorum. (2.) Accedit ignorantia veri & adæquati foci ægritudinis: nam ſæpius credimus in hôc & iſtô viſcere, in hâc & iſtâ cavitate corporis, in hôc & iſtô humore, vel in exceſſu, vel in defectu peccante, vel admixtione particularum heterogenearum latere focum morbi: aſt poteſt eſſe, quòd in hiſce omnibus focus adæquatus non ſit, ſed interdum ab aurâ aëri commixta, quam inſpiratione attrahimus, vel etiam quod ſeminium minimorum inſectorum, unà cum alimentis vel potulentis, aſſumſerimus: dantur enim tam parva inſecta, quæ oculis nudis, niſi microſcopio muniamur, conſpici non poſſunt. (3.) Perſuademus nobis nos habere certum numerum morborum hæreditariorum; quis potuit ſine formidine oppoſiti aſſerere, quod præter hos hæreditarios & non alii dentur, quorum ſeminium cum Parentum ſemine ſit tradux in embryone? (4.) Toto die experimur, quod interdum docti Medici, adhibiti ad curandum ægrum, metam non attingant ſuam; contra vero intervenit Empiricus, vel vagabundus Temiſonis aſſecla, qui morbum radicitus exſtirpat levis momenti remediô, vel ſuccô etiam alicujus plantulæ, quæ ne quidem officinalis eſt. Id genus exempla multa adducere poſſem, ſi contradicentem experirer. (5.) Infallibilitatem Praxeos ſubruit etiam regularum & cautionum quarundam minimè neceſſariarum copia, quibus artem curandi adſtringimus. Optima methodus curandi nobis traditur ab ægrô, mente præditô & in lecto jacente, qui vitæ ſuæ antecedentis & præſentis ſtatum commodè, unà cum omnibus circumſtantiis, commemorare poteſt; quodſi tunc illas relationes expendamus juxta normam ſanæ rationis & experientiæ, tunc nobis patet, quidnam faciendum? contra quippe (ut duntaxat hos craſſos errores notem in methodo & Practicis) quòd in dolore capitis actu vel potentiâ frigida adhibeant, aliud commodum exinde æger non reportat, quam ut quidem frigus levamen afferat doloris, ſed graviora inducat ſymptomata, defluxiones, catarrhos & id genus mala exerat. Exſtat autem tanta copia iſtorum frontalium in Practicis, ut nil ſupra. Tutiora ſuppetunt,

quæ

quæ huic malo medentur. Eandem cenſuram merentur illa decocta, quæ in ſcirrhis hepatis vel lienis, in colicis iliacisque doloribus adhibentur. Ad quisquilias quoque referimus illa ipſa humida, pannô purpureô excepta, quæ cordi actu frigida apponuntur &c. Id genus ſexcenta occurrunt apud Practicos. Tutiora habemus, tutiora docet ipſa cognitio humani corporis. (6.) Quid? vel quomodo Praxis poteſt conſcribi infallibilis, cùm nemo Medicorum, imo ne tota Medicorum ſynodus in numeratô habeat morborum diverſos, diverſoque ſchemate ludentes, genios? ſæpius quippe in morbô cognitô talia ſymptomata obvia ſunt, quæ cum ipſo morbo nullam convenientiam habent, & longe diverſam originem, longeque diverſam ſcenam ludunt, quam ipſe morbus, horumque ſymptomatum choragus imperat. Quid hic faciet Medicus, ſi methodum ſequatur, & methodi infallibilis regulis ſe adſtringat, quæ tota fallax in hiſce caſibus? (7.) Quid ſolidi? quid infallibiliter tradet hæc infallibilis methodus in morbis complicatis, ita ut interdum unus morbus ſatellitio multorum morborum ſit ſtipatus? (8.) Quis adeo Argus & Lynceus eſt, ut idioſyncraſias hominum ad hoc vel illud medicamen accuratè cognoſcat, & infallibiliter felicem ſucceſſum medicaminis promittere auſit? (9.) Praxis infallibis reſpiciet omnium gentium, ſingulorumque hominum, in qualibet gente exiſtentium, morbos vel Epidemicos, vel Endemicos, vel Sporadicos &c. profero ſolùm aurea verba, quæ magni nominis Medicus in epiſtola ad me ſcripſit: *Sic in Hollandiâ ſalibus volatilibus & aromaticis felix ſum, quibus rurſum in Gallia eſſem infelix, ubi diluentia, ſubacida & temperata longè melius conveniunt. In Pomeraniâ & Finnoniâ fortiora remedia in medium vocanda ſunt. In Auſtriâ & locis ipſi propinquis perquam lenia adhibenda. Eadem fere in Galliâ, paulo tamen fortiora; ſed multo adhuc vehementiora in Angliâ. In Livonia opiata & anodyna ad magnam ſatis doſin bene perferunt; multo autem minus hîc Holmiæ, ubi pura alcalia volatilia & aromatica nullo cum ſucceſſu adplicantur, ſed omnia ſubacidis temperanda veniunt: quod tamen ſeptem abbinc milliari-*

bus, nempe Upſaliæ, non opus eſt, ut obſervetur. (10.) Ferè obliſtus fuiſſem paſſionum animæ, quæ ſubitò evenire poſſunt, & euporiſtorum medicamentorum ſcopum & finem in obliquum trahunt; id genus ſunt mille caſus, quos humana induſtria determinare non poteſt: determinatos vero habebit Praxis, ſi aliàs nomen infallibilitatis ſuſtinere velit. (11.) Aſtralium morborum memoriam nullam injiciam, ne elenchum petitionis principii committam, quoniam inveniuntur homines, qui aſtra pro brutis habent, & nullum iis influxum tribuunt. (12.) Quodſi neque univerſalibus tanta vis inſit, L. P. Auro potabili &c. ut, ſi dentur (dari autem credimus) cunctos morbos in ſitu & figura peccantes in corruptione viſcerum conſiſtentes tollere poſſent: multo minus Praxis infallibilis talia largiri poterit remedia, quæ omnem Morbonam eradicent. (13.) Non rarò accidit, quòd remedia prorſus anomala & paradoxa, morbo contraria, regulis medicis è diametro adverſa, morbum feliciter curent, quam methodicè adminiſtrata remedia tollere non potuerunt. Id genus exempla Tibi, Virorum Excellentiſſime, ſuppeditant duæ additæ diſſertationes: plures ut ſequantur, DEO annuente, dabo operam. Hæ rationes à me, Inclute Vir! amico animo, nulli partium ſtudio addicto, Tibi autem addictiſſimo, contra infallibilitatem Praxeos opponuntur, easque benignô & benevolô animo ac incolumi amicitiâ, quâ ſalvâ contrarium ſentire licet, ſuſcipere digneris, eſt quod ſummoperè oro & rogo, meque porro Tuis amicis annumerare, Nominisque tui Celeberrimi Cultoribus accenſere velis. Te tutelæ ſummi Numinis commendo, ac ut Neſtoris annos, cornu copiæ omnigenæ beatitudinis ſupergrediaris, animitus opto.

Kiliæ, 1708. *die X. Julii.*

T. T.

NESTOR ij.

RESPON-

RESPONSIO AUTORIS.

EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. D. & P. HANNEMANNO,

S. P. D.

MICH. BERNHARDUS VALENTINI.

NEſcio, quô fatô accidat, ut ſcripta mea, tantum non omnia, in ſolô Holſatiæ Parnaſſô cenſuram ſubire teneantur, quæ alibi benigniores ferè aſpectus ſentiunt. Pandectas enim Medico-Legales aggreſſus eſt D. Lutherus, in Diſp. de Termino Partûs Legitimo. Magneſiam Illuſtris Schelhammerus, in noviſſimô de Nitro Tractatu: Praxin Med. infallibilem,

libilem, *utut ex ovô nondum excluſum*, *Tua*, VIR CELEBERRIME, *Nobilitas*, *in amiciſſimis ſuperioribus annis ad me datis literis. Aſt ſalva res eſt. Tantum enim abeſt, idem mihi inamœnum & adverſum eſſe, ut potius majorem inde lucem meis qualibuscunque auſibus acceſſuram ſperem, ſi veritas in illis recondita per amicas ejusmodi colliſiones, tanquam ſcintilla quædam, evocetur, & reſponſionibus, in ipſis jamdum theſibus latentibus, in apricum proferatur, ut ex parte jamdum publicè oſtendi. Equidem iniquas Dn. Lutheri, Prof. Med. Extraordin. explicationes in* Vindiciis *illi paulò poſt oppoſitis, & cum* Novellis Medico-legalibus *propediem recudendis, adeò clare & diſtinctè, nî fallor, confecimus, ut ne minimam ampliùs inſtanſtiam moverit. Inclyti Dn. Schelhammeri deſideratis ipſo, quo hæc ſcribo, anno quoque ſatisfactum puto. Ea verò, quæ Tua V. C. Excellentia contra rubricam Praxeos infallibilis in medium adfert argumenta, ceu tela dudum præviſa, ſtatim in limine Præfationis, quatuor abhinc annis, diſputationi primæ & è cathedrâ publicâ ventilatæ per occupationem, ut loquuntur, reſoluta ſunt. Utique fallax eſt, ut è* Coi *aphoriſmis oſtendis, experientia, fallit & opinio Mundum, nemoque Mortalium ad veram unquam infallibilitatem perveniet, quæ ipſis DEI attributis & reſervatis accenſeri meretur. Quemadmodum igitur ea me nunquam cepit dementia, ut vel Medicum quemvis Celeberrimum cum* Hippocrate ἰσόθεον, *vel hunc cum* Macrobio *nec fallere, nec falli potuiſſe unquam dixerim, quod mendacium enorme vocat* Ammannus, in Irenicô Numæ Pompilii cum Hipp. pag. 9. *ita neque talem infallibilitatem Praxi noſtræ tribuo. Putatitiam verò, & quam ad hominem voco, infallibilitatem (in Tit. præſenti intellectam) Archiatris & Practicis Celebrioribus vulgò tribui, ſumma illa Ægrorum confidentia, quâ Maxumi, Medioxumi, Minimi ſæpe ad hunc vel illum Medicum feruntur, ob oculos ponit. Horum ſanè Curas, Conſilia & horribilia Secreta noſſe, maximi profectò intereſt & tam Provectioribus ac in Arte*

jam

jam dudum verſatis, quàm Medicis Junioribus magnô eſt ſolatio: Illis quidem, ut, dum nonniſi vulgaria ſibique dudum familiaria medicamenta, ſive communi, ſive ſplendidiori titulô, ab Infallibilibus ordinari vident, & tamen duo cum faciunt idem, non ſemper idem eſſe cernunt, contemptum ſui ab infallibilitate (quâ Mundus fallitur) putatitiâ deducere poſſint: His verò, ut Praxin Medicam eò cordatius aggredi, & quod Machiavellus Medicus *iis conſulit, ſi non ſuam, aliorum tamen experientiam crepare valeant. Habes hîc cauſam,* VIR NOBILISSIME, *cur* Praxin *noſtram Archiatrorum Celeberrimorum Conſiliis (in vernaculâ utplurimùm ab Autoribus conſcriptis, ſed in gratiam Exterorum heîc Latinitate qualicunque donatis) illuſtrare eorumque intuitu* infallibilem *vocare placuerit.* (*) *Hic titulus ſi non omnibus placuerit, nil moror, ſiquidem nec mihi placent omnes. Unum hoc ſufficiet, ſi* πᾶσ ἰατρῶν παῖδες *aliquod illîc ſubſidium, conflictantes autem ægri certum inde, ut confido, commodum experturi ſint, id quod faxit alma Trias! cui Nobiliſſimam Tuam Excellentiam, cum univerſâ familiâ, quàm enixè commendo. Vale. Dabam* Giſſæ d. 13. Auguſti, An. 1710.

(*) Hæc ſi legiſſet perſonatus ille *Joh. Lætus*, neutiquam titulum hunc *Charlataneria Medicorum*, (ſcripro ſatis injurioſo) inſeruiſſet. Veriſſimus ſc. eſt rhythmus Eccleſiæ:

Sie ſprechen ſchlecht,
Es ſey nicht recht,
und habens nie geleſen!

ſpiritus plaſtici excurſionibus ſucceſſivè explicentur & formentur, non poſſunt non à qualicunque hujus turbatione (quam errorem naturæ vulgò dicunt) variis ſtatim injuriis & læſionibus affici, unde MORBI EMBRYONUM, in utero materno adhuc contentorum, deducendi ſunt. Equidem non minus arctum inter Matrem atque Fœtum commercium intercedit, ac inter mentem & corpus organicum; unde læſa aut affectibus in diverſum actâ Matre, tenerrimus & inſontiſſimus ſimul Embryo ſua patitur incommoda, cumprimis ſub primis geſtationis menſibus, ita ut ſpiritibus phantaſiâ Matris per affectus ſigillatis & in partes tenerrimas cum impetu irruentibus ſtigmata varia & NÆVI, ut audiunt, MATERNI, ſive in totô corpore, ſive in parte quâdam oriantur. Illic occurrente ex improviſo Nigrita, aut Cingaro, univerſam infantis cuticulam ſimili colore, ex fuſco nigricante, deturpatam fuiſſe, bina me exempla docuêrunt, alterum in puella Conſiliarii magni nominis, alterum in filiola amici cujusdam, è Kriegsmanniorum familia oriundi: Hic viſo à prægnante demortuo artus infantis ſimili pallore cadaveroſo, ad mortem usque indelebili, perfuſos fuiſſe, in paupercula, ſtipem oſtiatim heic petente, videre licuit. Tactis autem a perterrita Matre partibus,

aut

TAB. I. ad pag. 3.

Fig: i:




Fig: ii.



Fig: iii



Fig: IV.



aut maculæ, verrucæ, aut tubercula, res ſive deſideratas, ſive ſpectatas, ad amuſſim ſæpe exprimentia, mora v. g. ceraſa, pruna, mures &c. imprimuntur, ſive perpetua ſint, ſive certis Lunæ phaſibus, aut animi affectibus, comparentia. Cur autem ſtigmata talia faciei impreſſa ſymboliſmum quendam cum aliis C. H partibus alant, ita ut in *Fig. I. Tab. I.*

Verrucæ in	A	ſimilis in	pectore	reſpondeat utplurimùm,
	B		axillis	
	C		pedibus	
	D		pudendo	
	E		umbilico	
	F		axillis	
	G		lateribus	
	H		parte poſteriori coſtarum	
	I		ventre	
	L		podice	
	M		brachiis	
	N		natibus	
	O		lumbis	
	P		axillis	
	Q		ſub natibus	
	R		anterius ad coſtas	

id ſanè arduum & obſcurum eſt, niſi dicere velimus eandem illic ac in partibus correſpondentibus texturam cutis eſſe, adeoque ſimiles quóque im-

petus ſuſcipere. Taceo jam alias Embryonum læſiones, quando vel ob plagas Gravidis inflictas aliosque caſus fortuitos, appetitus inſolitos &c. aut monſtroſi redduntur, aut p. n. partium texturam & figuram nanciſcuntur, ut *in* ANCYLOGLOSSIS, ANO CUNNOQUE IMPERFORATIS, (quorum priores ſcalpellô frenulum ſub linguâ incidendo, in Fig. II. poſteriores verò lanceolæ acie curantur in Fig. III. TAB. I.) LABIO item LEPORINO videre licet. Quin & aliquam ſæpe partium jacturam ferunt, ita ut viſis a gravidis mutilatis artubus priventur, inſpectis verò decollatis capite ſimul plectantur embryones, ut in exemplis & figuris habet inclytus Meibomius in egregio de ACEPHALIS diſcurſu. Quemadmodum autem primis illa menſibus utplurimùm contingunt, ita ut creſcens ſucceſſivè fœtus ſub medio geſtationis tempore ſe movere incipit, eo non minus ac ultimis menſibus, ſive à cauſis externis, ſive ab internis à Matre communicatis, in MOTUS ſæpè p. n. & plus minus CONVULSIVOS agitur, ita ut ſedem ſuam mulierculis mutaſſe cenſeatur (das Kind ſeye vom Stuhl gefallen.): Et quantas non ærumnas patitur, ſi jam exitum moliatur embryo, quantis non fluctibus agitatur, quantas non anguſtias ſuperare tenetur! quibus tanquam fidiculis compreſſus vel

SUGGIL-

SUGGILLATIONE CORPORIS UNIVERSALI, vel TUMORIBUS CAPITIS hujusque diſtorſionibus, NARIUM COMPRESSIONIBUS, VERTEBRARUM LUXATIONIBUS, COSTARUM DEPRESSIONIBUS ARTUUMQUE INCURVATIONIBUS, imò, ſi Obſtetrix crudelis Chirurgusque ineptus acceſſerit, illorum MUTILATIONIBUS obnoxius redditur, ut triſtis experientia toto die loquitur. Nec tandem his laboribus extricatus ab ulterioribus Morbonæ inſultibus immunis eſt, ſed non tantúm lactationis, verúm & dentitionis tempore, dumque jam ad greſſus ſe componit, quamplurimis, ab Hippocrate in aphor: S. 3. 25. & ſeqq. deſcriptis, affectibus ſubjicitur: quos antequam in ſpecie in ſcenam producamus, Tabula inſequenti conjunctim prius ob oculos ponere non dubitavimus:

INFANTIUM MORBI obſervantur aut

- I. ANTE PARTUM, ut MORBI EMBRYONUM, qui contingunt menſibus geſtationis
  - Primis, quales ſunt
    - *Nævi*
      - Totius, ut *nigredo p. n.*
      - Partium
        - Temporarii
        - Perpetui
          - Simplices.
          - Symbolici.
    - Monſtroſitas
      - Univerſi Corporis.
      - Partium in
        - *Acephalis.*
        - *Ancylogloſſis.*
        - *Labiis Leporinis.*
        - *Anô* / *Cunnô* — *imperforatis.*
        - *Artuum defectu.*
  - Ultimis, ut *Jactatio corporis & motus convulſivi* embryonis.
- II. INTRA PARTUM, à violentiâ Obſtetricis, aut anguſtiâ viarum, ſive in
  - Toto Corpore, ut *Suggillatio* & *Rubedo* totius corpuſculi p. n.
  - Regione
    - Supremâ
      - *Caput pyramidale.*
      - *Nares compreſſa.*
      - *Tumores in capite,* ut *Hydroceph:* — ſimpl. / duplex in Fig. IV. TAB. I.
    - Mediâ ut *Luxatio*
      - *brachiorum.*
      - *coſtarum.*
      - *vertebrarum.*
    - Infimâ
      - *Scrotum intumeſcens.*
      - *Vmbilici prominentia.*
  - Artubus
    - *Diſtorſio pedum*
    - *Valgi & Planti.*
- III. POST PARTUM, ſc. Morbi puerorum
  - Lactentium, quales ſunt
    - *Aphthæ.*
    - *Vomitus.*
    - *Tormina.*
    - *Inflatio abdominis.*
    - *Singultus.*
    - *Tuſſis.*
    - *Atrophia.*
    - *Vitia cutanea.*
  - Dentientium, ut
    - *Diarrhœa*
    - *Dyſenteria*
    - *Epilepſia*
      - interna.
      - externa.
  - Gradientium
    - *Lumbrici*
      - minimi ſ. aſcarides.
      - longi.
      - lati.
    - *Hernia*
    - *Prolapſus ani.*
    - *Rhachitis.*

DE MORBIS EMBRYONUM & in SPECIE DE NÆVIS MATERNIS.

NÆVI MATERNI ſunt notæ C. H. connatæ & inſolitæ, ab humorum circulantium in fœtu diſpenſatione inæquali & ſpecificè turbatâ producti. De his E. obſerventur

- **1. PHÆNOMENA, ubi** Variant nævi, quatenus vel in totô apparent, ut Nigredo inſolita: Vel in parte quâdam, ſive è ſolâ planâquē maculâ conſtent, ſive plus minus elevati fructus quosdam, aut alia corpora naturalia, mures ſc, ceraſa, mora, fraga &c. referant: idque vel continuò, vel periodicè: ſive ſimplices ſint, ſive duplices & ſymbolici, quales ſunt verrucæ faciei aliis in partibus, juxta Fig. I. TAB. I. repullulantes, de quibus ex Antiquis *Joh. Bapt Porta in Phyſiogn. hum. Lib. 1. c. 45. p.* 400. & *Septalius Tr. de Nævis p.* 21. è Modernis *Wedel. diſp. de Næv.* & *Miſcell. Germ. Cur. Dec.* 2. *A.* 6. *p.* 24.
- **2. SUBJECTUM, ſc.**
  - Cuticula, juxta *Leuvenhoeck* ſquamata.
  - Cutis, cùm quoad ſubſtantiam fibroſam, tum glanduloſam, quam utramque elegantiſſimè in fig. æneâ ſiſtit *Dn. du Verney, in Zodiaco Medicô Gallicô Dn. du Blegny.*
- **3. CAUSA**
  - *PROXIMA FORMALIS* eſt impetus & impreſſio ſpirituum in partes, determinata ab objecto externo & ſigillata à phantaſia, indeque promanans humorum circulantium interceptio, quæ *CAUSAM PROXIMAM MATERIALEM* conſtituunt.
  - *REMOTA*, quam ſuggerunt
    - affectus animi vehementiores.
    - caſus fortuiti externi.
- **4. PROGNOSIS** Utplurimùm nihil periculi alunt, moleſti magis, quàm lethales. Facilius curantur ſtatim in embryonibus conſpicui: Difficilius aliquanto poſt: Difficilimè latiores, profundiores & in locis glanduloſis.
- **5. CURATIO**
  - *VERA*, quę diſcutit maculas, aut removet tubercula, ſive
    - *DOMESTICA*, per
      - Secundinarum recentium fotum.
      - Meconium adhuc recens.
      - Salivam Matris crebrius adhibitam.
    - *OFFICINAL.* per diſcut. coſmetica
      - Mineralia: Magiſt. Marcaſitæ, Lac. 🜍. ▽. ♆. ☿. dulc. ♎.
      - Vegetab. ⊖. & °o°. Tart. per deliq. ▽. fab. ſigilli Salom.
      - Animal: Urin. hum. ∽ ⊡.
    - *CHIRURGICA*, per
      - Attactum manus demortui.
      - Frictionem, Ligaturam.
      - Sectionem, Cauteria.
  - *PALLIATIVA* per
    - Figmenta & Pigmenta vid.
    - *Anon: Galli Nouveaux Secrets pour conſerver la beauté des Dames.*

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curandis nævis aliisque cutis affectibus ſemper mitioribus primò cura eſt tentanda, antequam ad fortiora procedamus, ſiquidem & hic valet *Hippocratis aphoriſmus*: Quæ medicamenta non ſanant, ferrum ſanat: Quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat &c.

II. Sectionem in locis glanduloſis aut fugito, aut cautisſimè adhibeto, ſiqnidem illic nævi ruditer tractati facilè cancreſcunt, ut exemplum habet *Vogelius im Curioſen Haut-Diener pag.* 471.

III. Idem in cauteriorum applicatione obſervandum, quæ cane pejus & angue fugienda, ſi humores ſint fixiores & ad acorem inclinent, cùm & hic cancer facilimè accedat, ut inclytus *Wedelius ſeq.*

CASU

in Diſſ. de Nævis p. 27. allegatô refert: Virgo, inquit, primaria, 30. circiter annorum, in dorſi dextrâ baſi, circa oſſis ilii ſupra nates confinia, leviorem à nativitate ſortita erat excreſcentiam. Apparente ſpe contrahendi matrimonii, ne menda in corpore extaret, primò ligaturâ, hinc & corroſivô ex ♈. illam abigere ſatagit, invitô licet & id diſſuadente primùm, hinc tamen conſentiente Medico. Factâ, ut fit, præ pudore & à tergô ab imperitâ famulâ applicatione, tantùm abeſt, ut deleretur & exſtirparetur nævus, nullô eousque modô moleſtus, ut potius inde tumor & ulcus ſiccum increſceret, menſibus interdum benè habentibus, cum anxietate, palpitatione cordis & debilitate. Advocati ſex menſes poſt vidimus tumorem elatum, durum, apertum, ſed ſiccum, circumcirca glandulis liventibus & duris obſitum ac ſtipatum: glandulas item ad inguen dextrum hinc inde eminentes liventemque unam: easdem in collô emergentes non paucas, anxietates, dolores ventris ſpasmodicos, vomitus crebros, pulſum ex celeri frequentem, vigilias: uno verbô, tumor erat cancroſus &c.

OBSER.

OBSERVATIONES.

I.

D. Sebaſtianus Schefferus, Archiater quondam Francofurtenſis, νῦν ἐν ἁγίοις, in *Manuali Practico Mſc.* de uxore Ludimagiſtri refert, quòd Gravida glirem pedibus ex improvisô calcando paulò poſt infantulum capite murinô deformatum abortiverit.

II.

Idem pag. 28. *c. l.* exemplum Matronæ Nobilis habet, quæ tempore graviditatis frequenti canis adſpectu nimium delectata infantem capite canino donatum in lucem ediderit, quod Selitii accidit, anno 1655.

III.

Recentiſſimus verò annis proximè elapſis 1702. & 1703. non procul abhinc, in Nobili pariter fœmina, caſus ſe truſit, quæ ab equô perterrita binâ vice fœtum labio equinô, naribus adnato, præditum eſt enixa, quorum prior operationem Chirurgicam jam expertus paulò poſt denatus eſt.

IV.

Horrendum tandem erat monſtrum humanum Oppenheimenſe, bufonem referens, quod in ſpir. vin. ſervabat mihique Heidelbergæ quondam oſtendebat *D. Wincklerus, Archiater & Prof. Prim.* paulò poſt in viciniâ noſtrâ demortuus.

V.

Curioſum quoque erat, quod Anno 1715. menſe Jun. in novellis publicis de puerpera narrabatur, quod infantem pepererit, qui in fronte ſtigma gerebat Ecclipſin Solarem inſignem, paulo ante conſpectam, exactè referens: quod à terrore & timore à viſa ecclipſi deducebant.

VI.

Sunt qui nævos maternos curant fricando in lumine Lunari: (Sie ſtreichen ſie mit dem Mond,) Aſt cum verba quædam admurmurent, hinc cura hæc monſtri quid alere videtur. Contuliſſe

id in B. *Tackii* nepote, & quidem ex conſilio Theologi, pro certo mihi relatum eſt.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

Ex apparatu domeſticô.

℞. Radic. Sigill. Salom.
caryophyllat. ana ℥j.
ir. Florent. ℥ß.
Herb. Sap. M. ij.
Coq. in s. q. ▽. ſimpl. Col.
℞. lib. ij. D. pro uſu.

* * *

℞. ▽. Coſmet. ☿rial. Williſ.
lib. j. D. ad us.

applicetur cum
pluma.

Cautelas quoad uſum ejus obvandas
vid. in Willis. Pharm. Rat. Part. 2. *Sect.* 3. *Cap. V. pag.* 244. *& Pechlin. de habitu & colore Æthiopum p.* 185.

* * *

℞. Unguent. pomati ℥ß.
Mag. marcaſ. Scrup. j.
flor. ſulph. ʒj.
C. 🝆. 🜿. per deliq.
F. linimentum.

Ex officinis Pharmaceuticis.

℞. Decoct. ♆. lib. j.
☿. dulc. ad extr. ʒiß.

vel

☿. ♎. gr. ij. M.

* * *

℞. Sapon. Venet. ℥ij.
Pulv. ir. Flor. ʒij.
flor. benz.
⊖. 🜿. ana ſcrup. ß.
🝆. deſt. lign. Rhod.
gr. iij.
c. 🝆. irin. q. f.
F. l. a. Globulj
Cutanei n. d.

* * *

Saponis Coſmetici Florentini deſcriptionem vid, in *Muſeo Muſeorum Lib.* 2. *Sect.* 1. *Cap.* 23. *pag.* 139.

Cap.

CAP. II.
De
MORBIS NASCENTIUM,
SUGGILLATIONE TOTIUS, DISTORSIONIBUS MEMBRORUM & TUMORIBUS.

MORBI NASCENTIUM ſunt affectus p. n. infantulos ſub partu, ob viarum anguſtiam, aut per Obſtetricum violentiam corripientes.

- Quoad *PHÆNOMENA*: Totum ſæpe corpuſculum Suffuſione & Suggillatione, h. e. colore cœruleo & ſubfuſco deturpatur, **ſehen braun und blau aus** / aut variæ in partibus deformationes & incurvationes occurrunt, ita ut caput oblongum pyramidale, artus diſtorti variisque tumoribus, ſive ſanguineis, ſive ichoroſis, ſive cyſticis, obſideantur, qui poſteriores, ni maturè tollantur, in magnam ſæpe molem excreſcunt, ut in Steatomatibus *Fig.* 2. 3. & 4. *Tab. I.* depictis videre licet.
- *SUBJECTUM*: Non tantum Cutis & reliqua integumenta externa, ſed & aliæ partes, tam molles, quàm oſſeæ, in tenellis adhuc flexibiles, conſtituunt.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt compreſſio & hanc inſequens extravaſatio humorum, ob vaſcula capillaria diſrupta.
    - *MATERIALIS* ſunt humores ſub cute & muſculis ſtagnantes.
  - *REMOTA* ſunt
    - Violentia Obſtetricum.
    - Anguſtia muliebrium.
    - Caſus fortuiti, lapſus, ictus &c.
- *PROGNOSIS* Tumores { Sanguineos minus periculoſos; Ichoroſos ſuſpectos } dicit.
- *CURA* Humores ſtagnantes aut diſcutiendos, aut ſuppurandos, aut ſecandos indicat, ſive ſit
  - *DOMESTICA*, quæ fit per
    - Balnea cum vinô calidô, in Suggillatione,
    - Fotus & Sacculos ex cham. fl. ſamb. in Tumoribus.
  - *PHARMACEUTICA*, per
    - Diſcutientia in Seroſis, per
      - Decoct. rad. Sig. Salom.
      - ℣. Camphor. Spir. Ceraſ. nigr. quô *Harderus* ſpatio 3. ſept. tales curavit,
      - præmittendo univerſalia in Hydrocephalo.
    - Suppurantia, in Sanguineis, empl. ſc. diach. S. & C. çitr.
  - *CHIRURGICA*, per
    - Ligatur. in prominentiâ umbilici.
    - Sectionem in ſanguineis & purulentis, *vid. Miſc. A. G. C. Dec.* 3. *A.* IX. & X.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In puerperio, edito in lucem partu, figura capitis & faciei non negligatur, in quâ non minimum formoſitatis momentum latet, blandâ Obſtetricum preſſione facilè in integrum reſtituenda.

II. Tumores ichoroſos & molles, ſive in ſpinâ dorſi, ſive in capite recens natorum conſpicua, ſero flaveſcente repletos nec exulceres, nec lanceolâ aperias, ne cum aquâ ſimul animula effluat.

III. Nec minus in reliquis tumoribus ſanguineis, ſi circa ſuturas cranii, aut fontanellam hæreant, cautè procedendum, ne in Hydrocephalum degenerent.

CASUS.

Molitor è vicinâ nobis valle Buſeccana, heic Giſſæ me conveniens, infantulum aliquot ſeptimanarum offerebat, tumorem ovi anſerini magnitudine, in ſiniſtrô capitis latere habentem, ab ipſâ ſtatim nativitate obſervatum; cùm verò non ſine ratione vereretur, ne materia inibi contenta ſuperiorem illam cranii aperturam, quæ in infantulis fontanella dicitur, ſive penetrando, ſive extus pericranium inundando, pathemata varia epileptica, aut apoplectica induceret, maturam ejus curationem expetebat, ſoſtrum ſpondens 20. florenorum, ſi puerulum hunc unicum & impenſè charum ab infauſtô hoc periculô liberarem. Subridens ego redhoſtimento tam liberali (in Haſſiâ aliâs infrequenti) non opus eſſe reſpondebam: contrectatô autem tumore, illum indolentem eſſe reperio, digitis cedentem ſubitoque redeuntem. Hydrocephali primitus initium videbatur, ſed candelâ ex adverſô locatâ nullibi transparens, ſed opacus apparebat; unde abſceſſum potius inibi latere ſtatuebam, à duriori forte Obſtetricis contrectatione, aut aliâ contuſione, ortum. Fruſtra adhibitis diſcutientibus, tentabam, an per ſuppurantia, cumprimis empl. de mucilaginibus, ad maturationem deduci poſſit, ſed irritô conatu, cum tumor antiquum ob-

tineret & in eodem ſtatu permaneret. Chirurgiâ ergò opus eſſe dixi. Renuebat Parens, ob nimiam infantuli teneritatem: Nil obſtare regero, cùm hæc ætatula, in quà tactus fere obtuſior eſſe ſolet, operationes ejusmodi facilius toleret, obſervante *Renato Moreau*, apud *Bartholin. Cent. I. Epiſt. LXXXI.* Ægrè tandem conſentiente ruſtico tumorem in paulò decliviore loco phlebotomo aperiri jubeo; unde plurimum ſanguinis, plus minus corrupti, erumpebat, quô penitus exhauſtô ipſoque vulnuſculo oleo infuſo balſaminæ, c. paucis balſam. Peruviani guttis, conſolidato, reſtitutus eſt infantulus, relictâ vix obſervabili cicatriculâ.

FORMULÆ.

Ex apparatu domeſtico.

℞. Rad. Sigill. Salom. ℥iß.
Jr. Florentin. ʒij.
Herb. anſerin.
Perſicar. ana Mj.
Flor. Fabar. p. ij.
Sem. Sinapi.
Naſturt. hort.
ana ʒj.
Calc. viv. Mj.
Coq. in s. q. ▽. ſimpl. pro balneo, ad lavandum calidè corpuſculum ſuggillatum.

Vel

℞. ▽. Sigill. Salom.
flor. fab. ana ℥iij.
∀. Camphor. ℥j.
M. F. Lotio.

Ex Officinis Pharmaceuticis.

℞. Herb. chamom. c. flor.
melilot. ana Mj.
Sterc. caprilli ℥iij.
🜍. viv. ʒiij.
Coq. in s. q. vini ad putrilag. applic. calidè tumoribus diſcutiendis.

* * *

℞. Empl. diaphor. q. ſ. malax. c. ☍. ♀. fœtid.
D. S. zertheilendes Pflaſter.

* * *

℞. Decoct. Calc. Viv. ℔ß.
∀. Camph. ℥iij.
M.
applic. linteis madefactis, calidè.

De APHTHIS.

APHTHÆ ſunt puſtulæ oris & palati, à lymphâ plus minus acri, aut aliis humoribus, partes illas erodentibus, productæ.

- **ΦΑΙΝΟ'ΜΕΝΑ.** Cum vel ſine febriculâ præcedente emergunt puſtulæ varii generis & coloris, os primum, mox & palatum, imò & œſophagum occupantes & in ulcuſcula abhinc cruſtata abeuntes, cum inflammatione & calore, quem, non ſecus ac in Anginâ, ſpirant halitu, unde & nonnullis *PRUNELLA INFANTIUM* audiunt. *Vid. Strobelbergerus de morb. inf.*
- *SUBJECTUM* non tantum labia, gingivæ & lingua, quæ primum affliguntur, ſed & palatum, gula & œſophagus conſtituunt.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt interceptio humorum circulantium in glandulis & fibris palatum ſuccingentibus, & eandem inſequens eroſio.
    - *MATERIALIS* ſunt humores acriores, in M. S. aut Ventriculo ſtabulantes, eorumque vapores.
  - *REMOTA*
    - Vitia Diætæ { Nutricum vel infantium } culpâ commiſſa.
    - Scorbutus, Lues ♀ Nutricum &c.
- *PROGNOSIS.*
  - Criticæ poſt febres, molles, anguſtæ & albicantes mitiores ſunt & ſalutares.
  - Lividæ è contra, nigricantes & latè diſperſæ periculoſæ.
  - Cruſtaceæ peſſimæ, quæ *Sylvio* & *Coſtero* lethales audiunt.
- *CURA*
  - *DOMESTICA* imper. Diætâ fit per
    - Laxantia: Magneſiam albam in lacte exhibitam
    - Demulcentia: Succ. Rapar. c. Sacch. vitell. ovi c. aq. roſarum, mucilag. cydon.
    - Detergentia: Mel com. & roſ. Decoct. ſalviæ &c.
  - *PHARMACEUTICA*
    - Laxando, per Syr. { de cich. c. rhab. pulv. jalapp.
    - Demulcendo, cum vitello ovi, alum. uſt. pauc. Succ. Veronic. Mucilag. ſem. pſyllii.
    - Mundificando, per mel roſac. c. pauc. ∼⊕. antiſcorb. ℞. laccæ Mynſ. Decoctum lign. &c.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curandis Aphthis cavendum ab omnibus acribus; corroſivis & ſalſis, qualia ſunt ſpiritus mineralium acidi: 🜂. ⊖. ⊕. cùm ulcuſcula immane quantum exaſperent, vid. *Dolaeus in Prax. Lib.* 6. *Cap.* 6. *p.* 1000.

II. Quid verò de laxantibus, an & ab illis abſtinendum? Neg. contra modò laudatum *Dolæum*, juxta *Sylvii* & aliorum Praxin.

CASUS & OBSERVATIONES.

I. De Aphthis artificialibus & fortuitis ſingularem olim caſum retuli in *Miſcellaneis S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. A. IX. Obſ. LXXIX. pag.* 192. qui ita ſe habebat: Oeconomus ſc. Academiæ Giſſenæ, B. Dn. Lyncker, Magni Lynckeri, JCti Jenenſium olim Primarii, nunc Conſil. Imp. Aulici, Parens, maſticationi tabaci noctu diúque adſuetus, aliquando ex ſomno expergefactus, in ſpondis lecti Nicotianæ folia lecturus, emplaſtrum veſicatorium, ab uxore noctu eò depoſitum, arripuit & pro Tabaci foliis maſticavit. Quid fieret? mane palatum, gingivæ & labia copioſiſſimis veſiculis & aphthis, à cantharidum ſpiculis corroſivis oriundæ, inſigni cum dolore, correpta fuerunt, quæ adhibitis demulcentibus, mucilaginibus, gargariſmatibus & aliis ægrè curatæ fuérunt.

II. Aphthas copioſiſſimas â Lue ♀reâ in puerô ſalivatione Mercuriali curatas vidi olim in Noſocomiô Venereô Argentinenſi, (im Blatter-Hauß) quales in adultis haud adeò inſolitæ ſunt.

FOR-

FORMULÆ.

Domeſticæ.

℞. Mucilag. ſem. cydon.
pſyllii ana ℥j.
mellis roſ. ʒij.
M. F. linim. aphthis
illinendum.

* * *

℞. Fol. ſalv. rec. Mj.
Auric. Jud. n. j.
Coq. in lacte caprillo
D. pro Collut.

* * *

℞. Mell. Roſ. ℥ß.
O. uſti ʒſ.
M. F. Linim.

* * *

℞. Butyr. recent.
non ſalit.
q. v.
M. c. s. q. ſacchari candi,
adde ♁. dep. parum
F. Linim.
Linguæ, palato
& gingivis applicandum.

Pharmaceuticæ.

℞. Tinct. Lacc. Mynſ. ʒj.
Eſſent. myrrh. ʒß.
M.
illin. penicillo.

* * *

℞. Succ. Veron. inſpiſſ. ʒij.
Vitel. ovor. N. iij.
O. uſti ſcrup. j. M.

* * *

℞. Herb. plantag.
veron.
ſalv. ana Mj.
Flor. malv. arbor. p. ij.
Coq. in s. q. aq. ſimpl.
Col. ℞. ℔ß.
add. mellis roſ. ℥ij.
F. Gargar.
Pro compeſcendo ardore aliquid ⊖.
prunellæ addi
poterit.

CAP.

DE VOMITU ET SINGULTU.

VOMITVS & SINGULTUS ſunt motus Ventriculi & Diaphragmatis inverſi, queîs adverſa ſibi aut eliminant, aut eliminare conantur.

- **PHÆNOMENA**: Ejiciunt vel merum Lac, tempore lactationis, vel humores viſcidos, ſub dentitione, ſubinde ſimul nidoroſa & paſtam acidam vireſcentem in Vomitu, ſubſultantibus præcordiis, cum reſpiratione ſæpe interruptâ in Singultu, qui tamen cum voce ſub ploratu emanente non confundendus. Utrobiq; autem inquieti ſunt, plorant & ſe jactitant infantuli.
- **SVBJECTVM**:
  - *CAVSÆ* fere ſemper eſt Ventriculus.
  - *SYMPTOMATIS* in ſingultu Diaphragma conſtituit, ita tamen, ut ventriculus cum oeſophagô ubique ſimul afficiatur, in vomitu quidem quoad fundum, in ſingultu quoad latera & rugas, cauſam tunc foventes.
- **CAVSA**:
  - *PROXIMA FORMALIS* utrobique eſt irritatio fibrarum in pyloro, ſtomacho & diaphragmate in conſenſum tracto.
  - *PROXIMA MATERIALIS* ſunt humores & particulæ acres, plus minus viſcidæ, ſive in rugis, ſive in fundo ventriculi hærentes.
  - *REMOTA*:
    - Lac., aut quantitate, aut qualitate peccans.
    - addiphagia.
    - nimia cunarum agitatio.
    - frigus externum.
    - recrem. inteſtin. in utero collecta.
- **PROGNOSIS**:
  - Vomitus à copiâ lactis proficuus magis, quam nocivus, (Speyꝛ Kinder/ Gedeyꝛ Kinder) niſi nimius ſit, qui atrophiam cauſatur: nec ab humoribus viſcidis ortus malus. Pejor nidoroſus. Peſſimus æruginoſus.
  - Singultus accidentalis & à frigore ortus nil monſtri alit: Habitualis ad epilepſiam diſponit: Febrilis & malignus peſſimus.
- **CVRATIO** 1. Hum. p. n. eliminat, 2. Irritationem ſiſtit, 3. Stomachum roborat: ita ut
  - *DOMESTICA & privata det*
    1. Pulv. emet. ex ipecacuanhâ, aut Pulv. Laxativ. polych.
    2. Pulv. cinnabarin; invert. c. Theriaca noſtr.
    3. o°o Nuciſt. in & ext. & in ablactatis cydoniata.
  - *OFFICINALIS publica*
    1. Syrup. emet. aut Syr. d. cich. c. rhab.
    2. Præcipit. & bland. anod. ocul. ♋, maſtich. it. ⊖ vel. Liq. CC. ſuccin. Liq. 🜃 fol. ♀ &c. moſch.
    3. Stomach.
       - intern. pulv. caryoph. Nuc. M. c. præcip. & anod.
       - Exter.
         - o°o Nuciſt.
         - Fot. c. Vin. & ▽. menth.
         - Empl. ſtom. &c.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Vomitus infantium, non ſecus ac in adultis, non ſtatim eſt ſiſtendus, ſed ſibi aliquantiſper relinquendus, donec humores plus minus viſcidi jam eliminati ſint.

II. Cavendum à nimiâ cunarum agitatione, quæ & vomitum & ſingultum alere valet, ut exemplo ναυτιλίης oſtendit *Hippocrates.*

OBSERVATIONES.

I. Singultum cogitationibus ſubitaneis & affectibus animi ſiſti poſſe & vulgus novit & Eruditi ſunt experti. Sic promiſſione doni alicujus ſingultum ſæpiſſimè in puerulis curatum fuiſſe, *D. Hünerwolf* adſtruit, in *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec.* II. *A. IX. Obſ. CIII. pag.* 174.

II. Minis autem & terrore eundem pariter abactam teſtatur *D. Albrecht, in Miſcell. cit. Dec. II. A. VI. Obſ.* 15. *p.* 42. ubi & fœtus in uterô maternô ſingultiens allegatur.

III. Novi olim Civem Francofurtenſem, potui 🜄 nimis deditum, qui ſingultu chronicô, leviſſimâ de cauſâ, cumprimis autem ab iracundiâ redeunte, detentus, nullis aliis remediis ſublevari potuit, quàm electuariô quodam laxante, à *Dn. D. Weſem* præſcripto. *D. Drelincurtius* autem, hoc in caſu, ad bilem diluendam, largum ▽ hauſtum commendat, in *Colleg. Pract. MSC.*

FOR-

FORMULÆ

Domeſticæ.

℞. Pulv. ireos Flor.
ipecacuanhæ aa. gr. iij.
cinnamom. gr. ij.
M. D. pro doſi.

* * *

℞. Pulv. epilept. (. cinnab. ʒß.
Nuc. moſch. Scrup. ß.
Ther. cœl. gr. jß.
M. D. pro 3. doſ. contra vomitum.

* * *

℞. Cret. albiſs. ʒi.
Nuc. moſch. pulv. gr. vj.
cinnamon. gr. iij. M.
D. bis de die parum, contra ſingultum.

* * *

℞. Theriac. n. camphor. ʒj.
D. quantitate piſi, pro 1. doſ.

℞. Ferm. acerr. q. v.
Herb. menth.
Flor. roſ. aa. p. ij.
pulv. Nuc. moſch. ʒß.
M. F. Cataplaſma.

* * *

℞. 🝆 Nuciſt. expr. ʒj.
macis deſt. g. ij.
M. F. Balſamum ſcrobiculo cordis illinendum.

Officinales.

℞. Syrup. emet. ʒj. ad ʒiß.
cort. aur. ʒiij.
M. D. pro doſi.

* * *

℞. Corall. rub. præp.
CC. uſt. aa. ʒß.
🝆 cinnam. g. i. M.

* * *

℞. Nucis moſchat.
Caryophill. aa. Scrup. j.
maſtich. Scrup. ij.
Coq. in s. q. Vin. Col. ℞. ℥ij.
add. Myv. cyd. ʒiij. M. D. pro aliq. doſ. in ablactatis.

* * *

℞. ▽. menth.
maſtich. aa. ℥j.
Liq. CC. ſucc. gr. vj.
Mithrid. Scrup. j.
M. D. Cochleatim.

* * *

℞. Empl. de cruſt. pan. q. ſ.
mal. c. 🝆. Omphac.
induc ſuper alut.

* * *

℞. Unguent. Stom. Crat. ℥ß.
🝆 ſtom. Crat. ʒij.
M. pro Linim.

CAP. V.
DE TORMINIBUS ET INFLATIONE ABDOMINIS.

INFLATIO ABDOMINIS eſt tumor hypochondriorum renitens, à flatibus ortus, cui ſi dolores juncti, **TORMINA** vocantur.

- *PHÆNOMENA*: Præviis aut comitantibus ventris torminibus abdomen & hypochondria, plus minus dura atque tenſa, elevantur: adeſt ſæpe cardialgia, febricula, pulſus celer, facies pallida & oculorum intumeſcentia: Semper vero inquieti ſunt infantuli, mammas recuſant (ſetzen nicht an) alvus aut adſtricta eſt, aut, ſi fluida ſit, viridia, porracea & plus minus grumoſa rejicit.
- *SUBJECTUM*
  - AFF. ſunt Hypochondria, & partes illic contentæ.
  - *CAUSÆ*: Non tam hepar aut lien (cujus tumorem inflationem eſſe putat *Sebizius in Coll. Pract. mſc.*) quam potius inteſtina craſſa, rarò tenuia.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS*: eſt tenſio & diſtenſio partium abdominis fibroſarum, earumque irritatio in dolore.
    - *MATERIALIS*: ſunt humores acidi, plus minus viſcidi indeque elevati flatus; Meconium, Vermes it. & Lumbrici.
  - *REMOTA* ſunt Vitia Diætæ, ſive in
    - Nutrice, ſi acidis utatur, extrema refrigeret, aut affectibus animi indulgeat.
    - Infantulis frigori expoſitis.
- *PROGNOSIS*: Tormina non quidem periculoſa, attamē non contemnenda dicit, quia facile in convulſiones degenerant.
- *CURA* 1. Humores p. n. eliminat. 2. Flatus diſcutit
  - *DOMESTICA*
    - *DIÆTETICA*, quæ prohibet frigus externum & cibos euchymos, c. ſem. aniſi ſuadet.
    - *MEDICA*, quæ
      1. Injicit Clyſteres domeſticos ex Decoct. chamom. aut ex fumo Tabaci.
      2. Internè Ther. noſtr. ▽ menth. ∘°∘ carui. Externè Ungu. virid. ∘°∘ carui &c. adhibet.
  - *PHARMACEUTICA*
    1. Clyſterem Carminativo-Terebinth.
    2. Carminativa anod.
       - Interna: ▽ menth. Mithrid. Decoct. angel. leviſt. Eſſ. caſt. ∾ carm. ∘°∘ anis. NM. cinnabarina.
       - Externa: Ung. Dialth. c. ∘°∘ aneth. ∘°∘ menth. c. ∘°∘ aniſi præſcribit.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In ſopiendis Infantium Torminibus cave ab opiatis in nimiâ doſi exhibitis. Sufficit Mithridatium, aut Theriaca in parcâ doſi.

II. In applicatione unguentorum & linimentorum frictiones muliercularum violentæ fugiantur, ne herniæ inteſtinali occaſio miniſtretur, infantulis tenerioribus familiari.

OBSERVATIONES CLINICÆ.

I. Poſtquam Infantes ſæpe immanibus ventris doloribus cruciati fuerunt, impoſito umbilico putamine nucis juglandis melle repleto & pulvere vitri (quidam ſabinam addunt) immixto, vermis umbilicum perforavit & contenta putaminis abſumpſit, unde dolores evanuerunt. Ter id obſervavit *D. Schefferus in Obſerv. Pract. MSC. p. 65.*

II. Subitaneam aliquoties abdominis, imò & reliquarum partium intumeſcentiam, hydropem mentientem, in pueris obſervavi, quæ exhibitâ Theriacæ noſtræ camphoratæ doſi mox evanuit.

III. Anno 1705. Filius meus natu maximus, XI. annorum, horrendis ventris doloribus, cum inflatione hypochondriorum, corripiebatur, quas nullis ferè remediis curare potuimus, niſi quod repetitis clyſteris tabacini inflationibus aliquoties ſopiti fuerint. Propinato abhinc ſemine ſantonici integrum lumbricorum faſciculum, quem truncũ (einen Stock) vocant, excluſit ſicque convaluit.

FORMULÆ

Domeſticæ.

℞. Ocul. ♋.
Magneſ. alb. aa. ℈j.
pulv. jal. gr. ii.
M. D. pro aliquot doſ. extr. Paroxyſm.

* * *

℞. Decoct. Fl. Cham. ℥iij.
Vit. ovi N. j.
☍ fœnic. g. iij.
⊖. com. parum.
M.F. Clyſter. applicetur tepidè.

Officinales.

* * *

℞. Theriac. noſt. camph. ℈j.
Sem. aniſi Scrup. ß.
M.D. quantitate piſi.

* * *

℞. ▽ menth. ℥ij.
Extr. angel. ℈j.
☍ car. g. ii.
M.d. cochleatim.

℞. De-

* * *

℞. Decoct. cham. Rom. c. fl. ℥iij.
Terebinth. Ven. in vit. ovi ſol. ʒj.
mell. roſ. ℥ß.
⊖♀ ſcrup. ß.
vol. CC. gr. iii.
M. F. Clyſt.
D. cum ſiph. pro pueris.

* * *

℞. Fol. Tab. incis. N. ij.
Succin. ſcrup. j. M.
F. Clyſt. Tabac.

* * *

℞. ▽. cham.
meliſſ. aa. ℥j.
Eſſ. cort. aurant. ʒj.
⊖ * Scrup. ß.
Ther. cœl. gr. iij.
Syr. cort. aur. ℥ß.
M. D. cochleatim.

* * *

℞. Pulv. cinnab. n. d. ʒj.
o°o carui g. ii.
Extr. opii gr. ſ.
M. D. bis de die quantum exig. cultelli cuſpide capi poteſt, in lacte materno.

* * *

℞. Unguent. cathol. vir. ℥ſ.
o°o carui Scrup. ſ.
M. pro Linimento.

* * *

℞. o°o Nuciſt. expr. ʒj.
Carui Scrup. ſ.
M. F. Balſamum abdom. illinendum.

* * *

℞. Cruſt. panis vino ebria, conſpergatur pulv. Nuc. moſchat.
p. caryoph. aa. q. v.
applicetur ſcrobiculo cordis.

* * *

℞. Pulv. Marchion. ʒj.
cinnab. nativ. præp. Scrup. ſ.
Ther. cœl. gr. ij.
M. D. aliquoties de die Scrup. præterpropter.

* * *

℞. Unguent. dialth. ℥ſ.
o°o chamomill. ʒj.
♌ cumini gr. vij.
M. pro Linimento.

* * *

℞. Balſam. rut. ʒſ.
o°o deſtill. anethi. g. ij.
M. F. balſ.

* * *

℞. Ther. Androm. ʒiſ.
o°o. deſtill. caryophyll.
anethi aa. g. v.
M. induc. ſuper. alut. & applicetur ſcrob. cordis.

CAP.

DE TVSSI ET ASTHMATE PUERORUM.

TVSSIS eſt motus convulſivus Thoracis exſpiratorius repetitus, cum ſtrepitu: cui ſi reſpiratio difficilis jungitur, *ASTHMA* dicitur.

- *PHÆNOMENA.* Præter vulgarem motum Thoracis inæqualem & ſub exſpiratione ſolito vehementiorem (qui in omni Tuſſi adeſt) ac reſpirandi difficultatem, in Aſthmate puerulis ſæpe ſuffocatio imminet, ſanguis in facie intercipitur, ut colore cœrûleo deturpentur in Tuſſi Convulſiva. Interdum poſt inſignes & fere incompeſcibiles conatus viſcida evomunt, in Tuſſi Ferina, accedente non raro calore febrili, ab *Hippocr. Epid.* 7. obſervatô.
- *SVBJECTUM* aut fauces ſunt in Tuſſi leviori, aut pulmones in Tuſſi graviori, cumprimis convulſivâ, aut ventriculus, in Tuſſi ferinâ tantùm non ſemper affectus, ut ex *Aëtio* obſervat *Primeroſius* & ex illô *Doléus*.
- *CAVSA*
  - PROXIMA
    - FORMALIS eſt irritatio faucium, pulmonum & ventriculi, hancque ſequens fibrarum ſtrictura & convulſio in Tuſſi convulſivà, quam *Helmontius* caducum pulmonum, vulgus autem noſter **den Gicht-huſten** vocant.
    - MATERIALIS
      - eſt Lympha acida, aut inſpirata aeria; aut paſta viſcida in ventriculo.
      - Lac nimis craſſum, antiquum & minus proportionatum.
  - REMOTA ſunt vitia Diætæ, cumprimis aſſumta acida, aer inclementior, qui tuſſim & aſthma epidemicum & lethale cauſari valet in puerulis.
- *PROGNOSIS.* Communis tuſſis plus moleſtiæ, quam periculi habet, pectoris tamen & capitis dolorem, hæmoptyſin, hernias & ſimilia quandoque cauſatur. Convulſivam ſuffocatio & Epilepſia ſequitur, nî ſiſtatur. In ferinâ bonum eſt ſi vomitus & ſternutatio accedant.
- *CVRA* utrobiq;
  - 1. Cauſam irritantem eliminat
  - 2. Irritationẽ ſiſtit & pituitam viſcidam incidit.
  - 3. Antiſpaſm. convulſivam curat,
  - *PRIVATIM.* dando
    1. Vomitorium ex ♀ em. in Tuſſi ſtomachali ferinâ, quæ *Ettmüllero* teſte vix ſine vomitu curatur: Vel & Magnes. alb.
    2. Pulv pector. Sulph. n. d. in tuſſi hum. aut $\overset{o}{oo}$ amygd. dulc. in tuſſi ſicca.
    3. Pulv. cinnab. n. & rad. Pœon. in convulſ.
  - IN OFFICIN. præſcribendo
    1. Vomitorium ex Syr. em. itid. Fl. &c. in Tuſſ. ſtomach. & quandoque convulſiv. Vel & Laxantia.
    2. Aq. hyſſopi, liq. CC. ſucc. Spir. pect. aniſ. in Tuſſi humida. Spec. diatrag. ſyr pap. errat. &c. in Tuſſi ſicca.
    3. Pulv. contra Tuſſ. infant M. Syr. de Pœon. in Tuſſi convulſ.
  - *EXTERNE* Axung. Capon. aut Lucii piſc. plantis. ped. illinendo.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Si Tuſsis & Aſthma variolarum aut morbillorum præcurſores, aut comites ſunt, præcipitantibus, aut expellentibus tractanda, aut planè non attingenda, cùm erumpentibus variolis ſuâ ſponte ceſſent.

II. Inter Externa fugito muliercularum cataplaſmata, aut horripilationem, ſi refrigeſcant, aut inviſcationem pororum inducentia.

OBSERVATIONES.

I. Filiolus 9. menſium Philippi Rheneri, Mercatoris Francofurtenſis, valde tuſsiebat, cum excretione pituitæ copioſæ & crebrioribus paroxyſmis epilepticis, cumprimis tempore novilunii. Crebrius hunc ſuccum illi propinabat *D. Schefferus*:

℞. Oxymel. ſ.
Syrup. flor. Pœon, ana Uncia ſem.
diaſer. Uncia j. M.

Hinc leniter materia peccans evacuabatur.

Contra inſultum verò epilepticum ſeq. Mixturam hauriebat:

℞. Aq. lil. convall.
Taraxac.
Flor. Til. ana Unc. j.
Syrup. flor. Pœon. ʒv.
~. ceraſ. ʒij.
Mixt. ſimpl. Scrup. ſ. M.

Tandem & tempore novilunii quotidiè ſeq. pulv. aſſumpſit:

℞. Pulv. Marchion.
Corvor. ana ʒj. M.

ita repetitis his remediis intra 2. menſes reſtitutus eſt. *D. Schefferus in Man. Pract. MSC.*

II Tuſſim puerorum Convulſivam hic Giſsæ & alibi ſæpiſſimè curavi ſolo Pulv. contra Tuſſim infant. *Mynſ.* qui ob rad. pœoniæ, quam continet, egregius eſt.

De

III. De Tuſſi ferinâ, vomitorio & incidentibus feliciter curatâ, elegantem caſum habet *Ettmüllerus in Coll. Pract. p.* 1201. ubi & alius de Aſthmate.

FORMULÆ.

℞. Ipecacuanh. pulveriſ.
Scrup. ſ.
pulv. ir. flor. gr. vj.
D. in Tuſſ. ſtomachali.

* * *

℞. Pulv. 🜍 pector.
n. d. ʒiſ.
ſacch. candi Scrup. ſ.
M. D. bis de die in Tuſſi communi.

* * *

℞. Pulv. n. pector. ʒj.
cinnabarin. ʒſ.
ſacch. ad pond. omnium
D. bis de die, in Tuſſi convulſivâ.

* * *

℞. ∇. veron. c. vin. ℥ij.
Extr. liquir. ʒſ.
Pulv. pect. ſcrup. j.
Syr. pap. err. ℥ſ.
M. D. cochleatim.

℞. Syrup. emet. A. S. ʒiſ.
diaſer. ʒij.
M. D. pro Doſi.

* * *

℞. Specier. diair. A. ʒiiſ.
flor. 🜍 ʒſ.
c. ſ. q. ſacch. in ∇ hyſſ. ſolut. F. rot. pro pueris tuſſientibus.

* * *

℞. Pulv. contr. Tuſ. inf. Mynſ.
ʒiſ.
fl. 🜍 ʒſ.
liq. coct. Scrup. ii.
M. D. bis de die ad Scrup. ß. l. Scrup. j.

* * *

℞. ∇ hyſſop.
Veron. aa. ℥j.
Liq. CC. ſuccin. Scrup. j.
Spec. diair. ʒſ.
Syr. pap. err. ℥ſ.
M.
D

℞. °° amygd

* * *

℞. ☉. amygd. dulc.
Sacch. ſyrupiſ. aa. ℥ß.
M. c. ſacch. cand. pro linctu.

* * *

℞. 🜍. vel
🜄. junip. ℥iv.
ſacchari albiſs. ℥ij.
M. & accende 🜍, poſt cujus deflagrationem remanebit liq. ſpiſsiuſculus, adde
croci, vel
extract. croci, parum
D. pro Linctu.
Hoc *Ettmüllerus* cumprimis contra Tuſſim ex ſqualore æſtus & ex aëre calido laudat admodum.

* * *

℞. Axung. luc. piſc. ℥ij.
D. S. per ſe, inungatur plantis pedum.

* * *

℞. ☉. amygd. dulc.
Syr. viol. aa. ℥vj.
Sacch. candi. rub. q. ſ.
M. pro linctu.

* * *

℞. Spermat. ceti Scrup. j.
Flor. Benzoin. Scrup. ß.
☉ ♌. ſuccin. g. ii.
laud. opiat. per ferm. gr. j.
M.
Sumatur Veſperi, bihoriô ante cœnam.

* * *

℞. Empl. de ſperm. ceti q. ſ.
Malax. c. ☉ irin.
ind. ſuper alut.
& imp. pectori.

CAP.

DE ATROPHIA & RHACHITIDE.

ATROPHIA eſt extenuatio totius corp. aut partium, ob fruſtratam & inæqualem nutritionem, ab obſtructione fibrarum & canalium; cui ſi tumores oſſium & caries jũgantur, **RHACHITIS** dicitur.

- **ΦΑΙΝΟ'ΜΕΝΑ.** VORACES ſunt infantuli, nec tamen nutriuntur, cum vel ſine diarrhœâ & febri lentâ. Abdomen durum & turgidum, cumprimis in rhachitide, cum totius corporis diſproportione, dum caput juſtô majus eſt, facies oculiq; floridi, inferioribus flaccidis, flexibilibus & debilibus: Pectus acutum, ſpina dorſi inflexa, artus, cumprimis pedes, incurvati, carpi tarſiq; nodoſi: Dentes nigri, qui non ſecus ac reliquorum oſſium eminentiæ catie conſumuntur & cutis vix oſſibus hæret, ut ex figurâ æneâ *Deckeri in Exercit. p.* 584. ad oculum apparet: Ætiologiam autem eleganter habet *Mayovius. in Tr. de Rhachitide.*
- **SVBJECTVM**
  - *MORBI* utrobique aut totum corpus, aut partes ſolidæ ſunt.
  - *CAVSÆ* verò tum M. S. tum Spina dorſi conſtituit.
- **CAVSA**
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt nutritio abolita in atrophiâ, aut inæqualis in Rhachitide, ob tubulorum & fibrarum obſtructionem & impeditum nutrimenti & ſpirituum influxum.
    - *MATERIALIS* eſt colluvies ſcorbutica & tartarea in glandulis meſenterii & tubulis nervorum, pus, crinones &c.
  - *REMOTA*: Scorbutica Parentum diſpoſitio, aer locique ſqualidi, errores diætæ à nutrice commiſſi: Lac nimis craſſum aut corruptum, quies nimia, faſciæ ſtrictiores, faſcinum per lippientium oculos &c.
- **PROGNOSIS**: Utrumque malum hæreditarium periculoſum: Accedente Phthiſi ferè incurabile eſt. Facilius curatur, ſi ab obſtructione tubulorum: Difficilius ſi à cachexiâ. Rhachitici, ſi tertium annum ſuperaverint, utplurimùm evadunt. Scabiem ſupervenire bonum.
- **CVRATIO** 1. humores viſcidos è primis viis eliminat, 2. Reliquorum ſuccorum circulat. promovet 3. Membrorum diſtortorum rationem habet
  - Ex APPARATV DOMESTICO per
    1. Vomitoria, aut laxantia, ☿ emet. aut Pil. ☿riales.
    2. Deobſtruentia, Pulv. antatrophum, croc. ♂. flor. ⊖. ✱. Spir. ⊖. ✱. in lactentibus: Tinct. ♂. Solatem in ablactatis.
    3. Peragitationes, motus in equis ſubſultoriis, ligaturas, frictiones, oſcellas &c.
  - Ex OFFICINIS PHARMACEVTICIS & CHIRVRGICIS per
    1. Vomitor. ex ſyrup. emet. ſyrup. domeſt. infuſ. ſennæ. ☿rialia, præmittendo & interponendo reliquis.
    2. Aperientia tam fixa, pulv. Cachect. Croc ♂. pulv. Antatr. Gmelini, ⊖. ✱. quam volatilia: Ens ♀. Helm. Balſam. Nervin. Conerdingii: ut & Mixta: Decoctum Oſmundæ Reg. & ad Rhachitid. in *Pharmacopœjâ Bateana*. Sem. Naſturt. Decoct. Chinæ pro potu.
    3. Frict. & Unguent. extern. Ung. ♂tum &c. it. Thoraces ferr. Ocreas & ſimilia.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Atrophiam (à cauſis utplurimum naturalibus oriundam) noli ſtatim faſcino adſcribere, ne cum vulgô ad ſuperſtitiones dilabendo remedia eorumque tempeſtivam adhibitionem aut inſuper habeas, aut negligas. Equidem

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore multa nocent.

II. In artubus à Rhachitide diſtortis Thoraces ferrei, Ocreæ & ſimilia violenta remedia plus ſæpe detrimenti, quàm emolumenti adferunt, cùm tubulos & nervos comprimendo nutrimento circulanti & ſpiritibus influentibus viam ita præpediant, ut ob atrophiam ſæpe diem ſuum obeant pueruli. E contra ſi Naturæ & tempori negotium committitur, partibus ſucceſſivè incrementum ſumentibus, fibræ ipſæ ſe reſtituere ſolent (wächſet alles von ſich ſelbſten aus) ut in adultis non raró vix rudera hujus mali remaneant.

CASUS & OBSERVATIONES.

I. Filiolus Dn. D. B. Prof. Theol. Pr. vix octo menſes ætatis habens, neſcio quibus remediis à ſcabie, quâ deturpabatur, ſubitò liberatus, diarrhœâ chronicâ corripitur, cùm anorexiâ & inſigni atrophiâ. Præſcripſi ſtomachica, huic ætatulæ convenientia tam interna quàm externa. Cùm verò medicamenta tantùm non omnia recuſaret, poſt ablactationem ejus dedi Tinct. ♂. ☉rem, in potu ordinariô, à cujus uſu excrementa alvi, ut in curâ acidularum, nigricantia reddebantur. Paulò poſt appetitus redit, diarrhœa ſiſtitur, corpus nutritur ſcabiesque revertitur, quam internê per Tinct. ♁. & pulverem viperinum, externè per balneum, ex herb. abſtergentibus, 🜍. & ⊖. ♀. D. B. curavi.

II. Puella aliquot annorum ventre tumidô, cruribus diſtortis, ſpinâ dorſi extrorſum incurvatâ & humero dextro prominente, corpore autem reliquô, capite exceptô, admodum extenuatô, facie tamen floridâ, ob pedum imbecillitatem difficulter incedere valuit.

TAB. II

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.





Fig. 4.



valuit. Rhachitidem ſubeſſe ratus *D. D. Nebelius. Prof. Med. Marburg.* purgatam per vices trochiſcis Hermeticis *Scretæ* & ſpecificô antatrophô ejusdem aliquamdiu exhibito cum ▽. antiphthiſicâ *Wepferi* artubusque unguento dialth. cum axungiâ caponis & ſucco ceparum, vertebris verò dorſi unguentô nervinô, ℴ℅. deſt. rorismarini guttulis aliquot exaltatô, probè perfrictis, accedente oſcellarum uſu, intra breve tempus reſtituit, referente *D. van den Velde, in Diſp. Inaug. de Rhachitide A.* 1700. Marburg. habitâ. *OSCELLARUM* in TAB. II. Fig. I. delineatarum uſum & fabricam ibidem ita deſcribit: A. Funis eſt duplex cannabinus, dimidii digiti minoris craſſitiem paululum excedens, qui ſuperius in duobus locis BB. validis nodis contortus eſt, ut locô intermediô C. ex hamo ferreô, ſuperiori & medio conclavis tabulato altius infixo, ſuſpendi queat. Hoc facto æger, leviter amictus, imponitur faſciæ intermediæ D. ex lorô duos digitos transverſos lato & panno xylinô tecto, confectæ: & ut eidem cōmodè tutoque inſideat, corpus ambobus brachiis ſub axillis firmatur tenaculis E. E. ex fune cannabe obducto corioque circumpoſitô, paratis, manibus autem geminæ anſæ F. F. ex lignô tornatæ & funibus appenſæ transverſoque ligno, itidem tornato, G. cui & reliqui funes firmiter alligati ſunt, connexæ. Hôc modô collocatus ægrotulus à miniſtro per horam unam & alteram, horis matutinis, in hypocauſto agitatur & in liberô aëre libratur: poſteà verò ſolutus, tenacula H. H. axillis firmiter ſupponi, faſciæ mediæ appendicem I. collo ſub mentô adaptari & ligulis L. loco punctis duobus notato probè firmari prehenſisque anſis M. M. ex fune cannabe & coriô veſtitô, pendulum corpus per ſemihorulam pari modô librari ſinit, ut hoc pacto corpus ſuomet pondere extendatur & partium curvaturæ ſpinæque dorſi prominentiæ ſic exporrigantur.

III. Alium Caſum de Rhachitide, à *B. D. Raumburgero* pro Gradu ventilatum, *vid.* in *Noſocomio noſtro Academico.*

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

* * *

℞. Pulv. anatroph. ʒj.
Croci ♂. ſulph. Scrup. j.
flor. ⊖*. Scrup. ſ.
M. F. Pulv. D. bis de die quantum cuſpide cultelli capitur.

* * *

℞. Tinct. ♂. ☉ris ʒi.
⊖*. Scrup. j.
M. D. gutt. vij.
bis de die.
NB.

DESCRIPTIONEM TINCT. ♂. ☉RIS vid. in Muſ. Muſ. Lib. I. Cap. I.

* * *

PULVIS ANTATROPHUS GMELINI.

℞. Sacch. candi albi ℥iv.
Fulig. ſplendent. ℥j.
Rad. ireos Flor. ℥ſ.
ari præp.
Diaphor. ♃al.
♂al.
ana ʒi.
Ocul. ♋. præp. ʒiſ.
M. F. Pulv.

* * *

℞. Entis ♀. Helm. Scrup. j.
flor. benz. Scrup. ſ.
M. D. omni mane quant. piſi, in lacte mat. aut aliô vehiculo appropriato.

℞. Balſami Nervin. Conerding. ʒj.
Tinct. ♀. ʒſ. M.
d. gutt. v. ad vij. à meridie, in ſeq. potiuncul.

℞. Decoct. ad Rhachit. Pharm. Bateanæ ℥vj.
M. D. pro potu ordin.

℞. Unguenti ♂ati ℥ſ.
reſumptivi ʒij.
☍. lumb. terr. q. ſ.
M. F. linimentum dorſo & abdomini illinendum.

DESCRIPT. ENTIS ♀ HELM. vid. ap. *Boyleum, de Util. Philoſ. Experim. Exerc. V. §. 14. p. 234.*

BALSAMUM NERVINUM D. CONERDINGII.

℞. ⊖. CC. vol.
*. ſicc. ana ʒj.
☍. mac. deſtill. Scrup. j.
🜄. Rectif. ℥j. M. Digere ſenſim in loc. tepidô, 48. hor
Doſ. à gutt. v. ad 10.

Olim hoc Giſſæ proſtabat ſub nomine ſpecifici ſtomachici D. Strauſſii.

CAP.

DE VITIIS CUTANEIS.

VITIA CUTANEA ſunt deturpationes Cutis, ab acidis aut ſalſis humoribus excitatæ.

- **PHÆNOMENA.** Efflorescentiæ, puſtulæ aut ulcuſcula apparent, ſive in toto, ſive in partibus. Illic aut cum febri, ut in VARIOLIS cum abdominis & dorſi doloribus, & in MORBILLIS cum tuſſi & aſthmate utplurimum invadentibus: aut ſine febri, ut in SCABIE & ACHORIBUS. Heîc in capite FAVUS & TINEA: In inguinibus INTERTRIGO: in calcaneô PERNIONES infantulis moleſta ſunt.
- **SUBJECTUM**
  - *MORBI* ſunt integumenta C. H. externa, Cutis & Cuticula.
  - *CAUSÆ* humores circulantes, Lympha & M. S. conſtituunt.
- **CAUSA**
  - **PROXIMA**
    - *FORMALIS* eſt eroſio aut exulceratio cutis.
    - *MATERIALIS* acidum p. n. & humores ſalſi, plus minus corroſivi.
  - **REMOTA**
    - Vitia Lactis & Diætæ.
    - Sordities Linteaminum.
    - Defectus menſtruorum per totam vitam in Matre, quod è *Toleto* annotat *Primeroſ. p.* 34.
    - Contagium & frigus externum.
- **PROGNOSIS** Exanthemata febrilia, cumprimis maligna & cum diarrhœa, periculoſa. Quæ febri deſtituta ſunt, adeò nil periculi alunt, ut ab aliis morbis præſervent. Favus tamen & tinea non negligenda, ne cranium & cerebrum erodendo convulſiones excitent. Utplurimum in ALOPECIAM abeunt.
- **CURA** 1. Humores acres, prius correctos, eliminet; 2. Læſiones Cutis in integrum reſtituat; ſive ſit
  - **DOMESTICA**, quæ in
    - Febrilibus Variolis & Morbillis tempore
      - Ebullit. præcipitantia, bez. pulv. n. bez. alcalin. cinnabarin
      - Excretion. expellent. ſem. aquil ∽ ⊖ ✱. ♂ diaph c. 🜄 Fum.
    - Scabie & Achor. 1. Pil. ☿rialibus humores peccantes eliminat. 2. 🜍 eis in & externis ulc. ſanat, illic cum fl. 🜍 & ♁ diaph. ♂. hic 🜍 & ⊖ ♀.
    - Tineâ præmiſſis laxantibus picationes,
    - Intertrigine exſiccantia, ceruſa, lap. cal. &c.
    - Pernionibus cum vel ſine nive decoct. rap. &c applicat.
  - **OFFICINALIS**
    - **INTERNE** Exanthemata
      - Febrilia in
        - Princip. per abſorb. præcipitantia, ut ocul. ♋. cor. rub. CC. uſt.
        - Augmento per expellentia, Pulv. bez. *Senn.* Anglic. Emulſ. ex ſem. aquileg. napi &c. curat.
      - Solitaria per
        - 1. Evacuantia
          - Purg. ☿ dulc.
          - Sudores.
          - Viperina.
          - Decoct. lign.
        - 2. Balſam. Sulphurea
          - 🜍 Citr.
          - fl. 🜍.
          - Rad. lapp. maj. &c. tractat.
    - **EXTERNE**
      - 🜍rea;
      - ☿ialia & Coſmetica.
      - Balnea ex herb. ſapon. fl. cham. ſamb
      - Picationes & ſimilia ſuppeditat.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In variolis & morbillis cave, ne alvum in principio obſtructam, ad ſollicitationem muliercularum, clyſteribus, aut laxantibus ſollicites, ne variolis retrocedentibus ſuffocatio, aut alii mortis prodromi ſequantur.

II. In Scabie aliisque excretionibus cutaneis non facile Topicis, cumprimis linimentis externis, utere, niſi laxantia aliaque ſanguinem depurantia præmiſeris.

CONS. & OBSERVATIONES.

I.

RESPONSUM & CONSILIUM FACULTATIS MEDICÆ GISSENÆ

deſuper quæſtione:

An graſſantibus variolis Principes Juventutis ad Academiam mittendi?

AD D. TACKIUM. PP.

E Literis Tuis, die 13. hujus Darmſtadiô ad me datis, obſervavi, quòd cùm juſſu Sereniſſimi Principes juventutis die 22. hujus ad Academiam noſtram migraturi ſint, fama autem ferat Variolas inſigniter hic graſſari, Excellentiſſimus Dn. Præſes deſideret, ut Profeſſores Medicinæ omnes & ſinguli convenirent, negotium hoc maturè penſitarent ſuumque judicium è veris principiis Medicis ocyus impertirent. Huic deſiderio ut eâ, quâ decet, ſubmiſſione ſatisfieret, cum reliquis Profeſſoribus Medicis & Collegis meis deliberavi, & quoniam ex Honoratiſſimi Dn. Affinis epiſtola eluceſcit, hoc cumprimis in quæſtionem venire:

An graſſantibus hìc variolis tutum ſit, ut Principes Juventutis huc ſe conferant?

Unanimiter judicavimus, quòd, ob rationes mox dicendas, utique vereamur, ne Illuſtriſſimi Principes Juventutis citius & facilius hìc variolis corripiantur, quàm Darmſtadii, idque 1. quoniam contagium

gium jamdum hîc oberrat & variolæ inſigniter in adultos æque ac infantulos ſævire obſervantur. 2. ſimul conſtat, quòd licet Illuſtriſſimi Principes Juventutis morbillos olim experti ſint eosque ſuperârint, attamen à variolis (quæ tamen idem individuum ſæpè iteratò corripiunt) hactenus immunes fuerint. Accedit 3. ipſa ſubjectorum conſideratio, ubi ſimilis conſtitutio plethorica (qualem in Principibus Juventutis obſervari & Honoratiſſ. DN. Collega, tanquam Archiater Ord. luculenter ſatis dignoverit) facilimè in easdem incidere poſſet, maximè, quòd 4. aëris mutatio plerumq; aliquã in corpore mutationem cauſetur, utpote quæ non tantùm in curatione, ſed & morborum productione plurimum valet eoque promptius, ſi 5. cibus & potus, cum reliquis rebus diæteticis, quodammodò immutantur, eaque de cauſâ, intuitu aquæ noſtræ aliarumque circumſtantiarum, futura invaſio non ſine cauſâ pertimeſcenda eſſet; & licet certum ſit, hâc vice notabiliorem malignitatem in variolis minus obſervari, plurimosque infantulos feliciſsimè evadere: attamen idem ſententiam noſtram, ob cauſas ſupradictas, adeò evertere nequit, ut potius rationes noſtras Honoratiſſimi Dn. Affinis, ceu Medici præſentis, ulteriori ponderationi relinquamus, utpote cui Sereniſſimorum Principum conſtitutio tenera intimius perſpecta erit ſicque (utut contingentium nulla determinata veritas) facilius proſpicere & quid hâc in re ſive conſuli, ſive ſuſtineri poſſit, decernere poterit &c. Sign. die 14. Februarii Anno 1666.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, Decan.
MICHAEL HEILAND, D.

II.

SCABIES & TINEA CURATA.

Filius DN. Johannis Jacobi Kneiffii, Mercat. Francofurtenſis, quintum ætatis annum habens, conqueri cœpit de abdominis dolore, quod durius apparebat totumque caput tineâ exulceratum erat, cujus ulcera manantia & fœtida pediculis innumeris referta

videbantur. Vocatus, ob M.S. impuram & infectam, illi præſcribo nodulum ſequentem:

℞. Rad. Oxylapath.
Enul.
Liquirit. ana ℥ſ.
Fol. Scabioſ.
Scordii.
Fumar.
Capill. ♀.
Summit. Lupul.
Flor. acac. ana. p. j.
Sem Fœnicul.
Cuſcut. ana ʒj.
Fol. Senn.
epithym. ana ʒiij.
M.

Conquaſſata excipiebantur nodulo, qui imponebatur cereviſiæ, cujus uſu manè cœpit excernere pravam materiam, cum multis aſcaridibus & ſic egregiè purgabatur. Capiti hoc linimentum applicatum:

℞. Baccarum lauri.
Lithargyr. ana ℥j.
Pulv. Nicot. ℥ß.

Terantur cum aceto & ℴ︎℗ myrtino. F. Linim. Hoc Capiti inunctum mane & reſperi abluebatur vino, in quo Agrimonia cocta erat. Abhinc iterum inungebatur, donec tandem ſcabies & ulcera intra 3. ſeptimanas exſiccabantur caputque ſanabatur, quod intra triennium ab aliis Medicis curari non potuerat. *D. Scheffer in Man. Pract. Mſc.*

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Pulv. lax. polychr. ʒj.
Fl. ♃. Scrup. ſ.
M. D. pro 2. doſib.
in ſcab. tin. &c.

α. & ω.

℞. Syrup. de fumar. comp.
de cich. c. rhab.
ana ʒiij.
pulv. jalap. gr. i. ad ij.
M. D. pro doſi, in ſcabie, aut aliis cutis affect.

℞. Croc.

℞. Croc. ♂. 🜍rati.
flor. 🜍. ana ʒſ.
ſpin. vip. pulv. Scrup. j.
M. D. in lacte mat.
contra eadem mala.

* * *

℞. Pulv. alcalin. invert.
ʒi.
Cinnabarini Scrup. j.
M. D. in Principio variol.
& morbill. bis vel 3.
de die.

* * *

℞. Pulv. bezoard. noſtr.
ʒj.
♁. diaph. Scrup. j.
myrrh. Scrup. ſ.
M. D. bis de die Scrup. j.
poſt 3. diem in variolis,
cum ▽. fumariæ.

℞. Lap. calam. præp.
Tut. præp.
Ceruſſ. pulv.
Cret. ana ʒſ.
Myrrh. Scrup. j.
M. F. Pulv. externè achoribus, cruſtæ lacteæ &c.
inſpergendus.

℞. Axung. porcin. Unc. ſ.
🜍. citrin. pulv. ʒiſ.
c. ☍♀ p. d. F. linim.
contra ſcabiem.

℞. ♁ diaphor. ♂al. ʒj.
Viperar. exſicc. ʒß.
Myrrh. Scrup. ß.
⊖. vol. CC. gr. v.
M. D. bis de die Scr. j. in ▽ fl.
acac. contra eadem.

℞. Corall. rubr. præp.
Lapid. ♋. præp.
ana ʒß.
Pulv. bez.
March. ana Scrup. j.
Ther. cœl. gr. iij.
M. D. parum, bis de die, in variolis, tempore ebullitionis.

℞. Sem. aquileg.
napi ana ʒj.
Amygd. dulc. ʒij.
C. s. q. ▽. fl. aquil. Emuls.
adde Mag. CC. ʒſ.
ſacch. perl. parum.
M. D. pro 3. l. 4. doſibus in variolis temp. excretionis.

℞. Lact. ☽.
ſuccin. præp.
ceruſſ. præp. ana ʒj.
flor. 🜍. ʒſ.
M. F. Pulv. externè
inſpergendus.

℞. Decoct ♃. lib. ß.
☍♀ per deliq. ℥ij.
M. D. pro abluendis veſtigiis à ſcabie relictis.

CAP. IX.
DE FLUXIBUS ALVI.

FLUXUS ALVI eſt frequentior dejectio, ab inteſtinorum irritatione proveniens,

- **PHÆNOMENA**
  - Fæces alvi nimium & impetuoſè ſæpe profluunt, ſub dentitione ſpumoſæ, vario colore tinctæ & viſcidæ in DIARRHOEA: Cibis indigeſtis prodeuntibus in LIENTERIA; Chylo admixto in FLUXU COELIACO: Sanguine ſimul cum torminibus expreſſo in DYSENTERIA; adſunt & rugitus abdominis, cardialgia, febricula, cephalalgia, vomitus.
- **SUBJECTUM** eſt
  - Ventriculus in Lienteria.
  - Ductus inteſtinorum in reliquis alvi fluxibus.
- **CAUSAE**
  - PROXIMA
    - FORMALIS eſt irritatio inteſtinorum.
    - MATERIAL. ſunt humores acres ſalini è
      - Faucibus, Pancreate,
      - veſica bilariâ, glandulis inteſtinalibus.
      - ∽ ⊕ Philus.
  - REMOTÆ ſunt
    - Diætæ vitia in
      - Nutrice quoad potum frigidum, refrigerat.
      - Pueris, Lacte ſeroſiori & acriori, fructib' horæis
    - Dentitio difficilis, variolæ confluentes, contagium.
- **PROGNOSIS alvi fluxû**
  - Salutarem dicit
    - in
      - Dentitione, ubi convulſiones præcavet.
      - Catarrhis & hydropis initio.
    - ſi flaveſcentia, aut albicantia criticè rejiciantur.
  - Periculoſam
    - in febribus malignis cum vomitu & cardialgiâ, variolis communibus & ubi fœtida, aut ſanguinolenta excernuntur.
  - Lethalem, ſi in febribus acutis fœtida prodeant.
- **CURATIO** remotis externis 1. Hum. p. n. per vomitum revellit, aut per ſudorem ejicit. 2. Orgaſmum illorum ſiſtit. 3. Noxam inteſt. illatam curat
  - Sub diſpenſatione
    - PRIVATA dando
      1. Rad. ipecacuanhæ Scrup. ß.
      2. ▽ menth. pulv. nuc. moſch. cum ℞. op. Ther. noſtr. camphor. croc. ♂ △.
      3. Adſtring. & vulneraria
         - Rad. tormentill. pulveriſ.
         - pulv. ♂ n. d. pulv. bez.
         - o°o nuciſt. in & externè.
    - OFFICINALI præſcribendo
      1.
         - Vomit. aut Laxativo
           - Pulv. irid. Florent.
           - ipecacuanh.
           - ☐ em. c. Torment.
         - adſtring.
           - rhabarb. toſt. myrobal. c. rad. torm. Syrup. d. cich. c. rhab.
         - Bezoard. diaphor. Ther. ℞. bez.
      2. in
         - DIARRH. Rad. Torment. Decoct. maſtich. cum Mithridatio, Ther. & ſimilia.
         - DYSENTER. Lap. hæmat. unicornu foſſil. bol. Armen. extr. opii Nuc. moſchat. Pulv. Stipt. Wedelii.
         - LIENTERIA: Pulv. Stom. Birkm. pulv. Nuc. moſch. mac.
         - FLUX. COEL. Sem. naſturt. arc. duplic. ♁ diaph. ♂ale.
      3. Adſtringentia vulneraria.
         - interna
           - Mumiam, gummi Arab. ſperma ceti.
         - externa
           - Clyſt. Terebinth.
           - Fotus ex Decoct. chamomill.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Spontaneas Scorbuticorum, aut ab errore externô natas Diarrhœas repentinâ adſtringentium exhibitione noli inhibere, ni hypochondriorum intumeſcentias, reſpirationis difficultatem aliaque, tum à *Fernelio de Corp. part. c.* 9. tum à *Williſio de ſcorb. c.* 3. obſervata mala incurrere velis. Idem de Diarrhœâ dentientium & variolarum confluentium cenſendum.

II. Purgantia interim & laxativa cautiſſimâ offeras manu, illorum potiſſimum ratione habita, quæ blandâ adſtrictione relaxatum ſtomachi & inteſtinorum tonum roborant.

CASUS.

Infans 4. annorum, tenerioris texturæ, præcedente die ſabbathi in Diarrhœam incidebat, undè ſummè debilitabatur. Adhæc nihil cibi capit, plorat ſellam petens, nil niſi pituitam excernens. Calor immodicus non eſt, unde & vinum bibit. Petitur conſilium.

RESPONSUM
D. D. Georgii Wolffgangi Wedelii,
P. P.

Literas Tuas obtinui quàm optimè, indequè percepi, Infantem Tuum per aliquot dies fluxu alvi correptum eſſe, quem ſine dubio aër æſtuoſus, ut & bilis acris & uberior induxerunt. Huic ut juvante DEO obviam eatur, ſequentia medicamenta adhibenda duco:

℞. Pulv. ſtypt. D. Wedelii
bezoard. ejusdem ana. gr. XV.
Laud. opiati gr. ſ. M. F. l. a. Pulv. Div. in 2. p. æ.
Detur mane & veſperi, in cereviſiâ calidâ.

A meridiè autem hora 3. aut 4. de ſeq. ℞. in cerev. ſumatur:

℞. Tinctur. Bezoard.
Eſſent. Theriac. ana Scrup. iß.
anod. g. vj. M.

Externè ſeq. unguentum & ſacculus umbilico applicentur:

℞. Unguent. Paregor. D. Wed.
D. in Pyxide.

Sign.
Sälblein
auf den Nabel
zureiben.

℞. Rad. Galang. ℨj.
Fol. menth.
meliſſ. ana mß.
Fl. cham.
aneth. ana p. ij.
Sem. car.
aniſ. ana Scrup. ij:
M. includ. ſacc. calefaciendo.

Abdomini etiam ſeq. oleum bis, ter vel quater inungi & ſacculus antecedens imponi poterit:

℞. ℴ℮. anethi,
carminativi Mynſ. ana Scrup. j.
ſuccini (ob metum epilepſ.)
rut. chamom. ana. g. iv.
M. F. l. a. Linimentum. Deus autem benedicat!

OBSERVATIONES.

I.

Filia mea natu ſecunda, 6. annorum, ob copioſiorem ribium eſum & vini limonati potum incidit in Dyſenteriam. Dedi illi Rad. ipecacuanhæ Scrup. ß. Inde bis vomuit & ſtatim convaluit Eadem ratione plures infantes, imò & adultos percuravi, ut ex hiſtoria ſeq. pateſiet.

2. An-

II.

Anno 1698. Conjux Dn. D. Bilefeldii, Prof. Theologi Prim. Giſſeni, t. t. Rectoris Acad. Magnifici, poſt uſum acidularum incidit in Dyſenteriam. Vocatus præſcripſi Decoctum Priapi Cervi, cum Syrup. coralliorum & Pulv. Pannonicum rubrum cum Theriaca cœleſti, imperando ſudorem. Cùm verò à Theriacalibus cephalalgiâ ſe corripi conquereretur, clyſterem Terebinthinatum, cum balſamo Peruviano injici curavi, potui infundendo Rad. Tormentill. CC. uſt. & Myrtillos exſiccatos, aſt omnia in caſſum. Augebatur fluor cruentus, inprimis tempore nocturnô, cum doloribus immanibus. Dedi ergò rad. ipecacuanhæ (quam ob metum abortus hactenus Gravidæ propinare ſubverebar) idque cum levamine, durante ſaltem diarrhœa incruenta. Repetitâ doſi ipecacuanhæ duos bolos oblongos, inſtar polyporum, è variis cibis coagulatos, evomuit & abhinc convaluit.

Aliam, per ☿ emeticum à me curatam, Dyſenteriam *vid. in Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec. II. Ann. II. Obſ.* 168. *pag.* 380.

III.

Dyſent. Epidemicam cum vomitu & cephalalg. Butisbaci atque Giſſæ A. 1709. horribiliter graſſantem, feliciter quoque curavi rad. ipecacuanh. & theriacalibus.

IV.

Diarrhœam ab abuſu ∽ ⊕. Philoſophici obortam tradit ſeq. hiſtoria:

SPE-

SPECIES FACTI
PER TESTES JURATOS CONFIRMATA.

Studioſus XVI. annorum A. 1718. medio Novembris, cum aliis duobus Studioſis Giſſâ venatum exiens & per 4. vel 5. dies ruri degens diverſos in diæta errores comittit. Domum rediens, poſt terrorem à caſu epileptici conceptum, horrore febrili, tertio quovis die redeunte, corripitur, à quo poſt vomitorii & aliquot diaphoreticorum uſum liberabatur. Juſto citius vero domo exiens & alium è comitibus ſuis, tertianâ pariter correptum, viſitans recidivam patiebatur & de ſummo calore conquerebatur. Medicus hunc brevi extincturus ſpiritum ⊕ Philoſophicum præſcribit, de quo ſingulis 4. horis XXV. guttas, vi ſignaturæ, in ſcutella potûs thée aſſumere jubebatur. Alius Doctor Medicinæ, ægrum honoris ergo viſitans, viſo & guſtato ſpiritu Ephoro Studioſi ſuadet, ut ob ſummam ejus corroſivitatem à medicamento hoc, in tam largâ cumprimis doſi, abſtinerent. Æger autem ex nimia in Medicum ordinarium confidentia uſum ſpiritûs continuat, horrendi licet & quaſi ignei, ut dicebat, ſaporis. Die ſubſequenti de ſummo gulæ & faucium ardore conquerens continuo aquam frigidam pro refrigerandis faucibus & reſtiguenda, per collutionem oris, ſiti flagitat, ſpiritum & halitum qſ. flammeum & igneum exhalans. Accedunt cardialgia immanis, vomitus continui, tormina abdominis, cumprimis circa umbilicum, diarrhœa, teneſmus & tantus urinæ ardor, ut Medico ordinario gonorrhœæ virulentæ ſuſpicionem injecerit. Tandem reſpiratio difficilis redditur, cujus ergo venæſectionem adhibent, ægerrimè tamen prodeunte ſanguine, eoque craſsiuſculo nigroque. Omnibus in pejus ruentibus Ephorus priori Medico adhuc alios duos Seniores jungit, qui pulſum jamdum caprizantem & ſæpe intermittentem obſervantes cordialia præſcribunt, ſed fruſtra, æger enim eodem adhuc die animam efflabat.

Sectio-

Sectione die 29. Novembris inſtituta 1. Omentum adeo tenerum erat, ut ad primum attactum ferè diffluerет & à ſe invicem diſcederet. 2. Ventriculus haud procul ab orificio ſtomachi ſiniſtro, quod vulgò ſuperius vocant, inflammatum ſanguineque coagulato perfuſum, tunicis quodammodo corroſis, conſpiciebatur. 3. Duodenum ſimiliter rubore p.n. inſignitum. 4. Bilis in folliculo felleo fuſco & quaſi viridiuſculo colore deturpata apparebat. 5. Lien à ſanguine coagulato ita ſuffarcinatus erat, ut inſtar veſicæ ſemiinflatæ apparuerit. 6. Pulmones graviſſimi & ſanguine coagulato ſic referti, ut folle inflari non potuerint. E contra 7. Cordis ventriculi plane vacui omnique ſanguine deſtituti erant, utut vaſa ante diſſectionem probe ligata fuerint. Tandem 8. Sanguis ubique ſemicongrumatus occurrit.

Quæritur jam I. *Annon doſis ſpiritus Vitrioli Philoſophici à 20. ad 25. guttas nimis exceſſiva fuerit?*

II. *Annon ſymptomata in ſpecie facti recenſita viſaque reperta ab eô oriri potuerint?*

III. *Annon præſumi poſſit defuncto ab eô damnum illatum fuiſſe.*

IV. *An quoad curam hoc vel illud adhuc monendum ſit?*

RESPONSUM.

Præviâ requiſitione ſpeciem facti mihi transmiſſam diligenter perlegi & poſt ſollicitam & maturam omnium circumſtantiarum, illîc occurrentium, conſiderationem principiis Anatomico-Medicis conſentaneum eſſe reor, quod licet quoad

I. QUÆSTIONEM

Spiritus ⊕. Philoſophicus à Medicis quibusdam Gallis concivibus ſuis à guttis 30. ad 40. in quartario ſeu pinta potus ordinarii contra ſitim & ardorem, pro pluribus doſibus, detur,

Vid. *Tournefort. in Laboratorio Pariſienſi p.* 38.

attamen & quoniam Galli, temperamento calidiori præditi, acida

F in

in majori doſi perferre valent: adhæc vehiculum eò deſtinatum ſufficiens & ingens eſt, cùm pinta Gallica dimidiam menſuram, nobis familiarem, adæquet,

Veneroni au *dictionaire Imperial. ſub voce* pinte *p.* 417.

è contra defunctus in præſenti caſu, è Septentrione ortus, tenerrimæ texturæ fuerat: & tandem Medico-Chymici experientiſſimi & exercitatiſſimi ∽ ⊕ Philoſophicum tantum à 5. vel 6. ad x. guttas pro una doſi, in ſufficienti vehiculo præſcribere ſolent,

Rolfinicus in *Chym. ad art. form. redacta p.* 169.

Thibaut dit *le Lorrain au Cours de Chymie p.* 180.

hinc non poſſum non doſin hujus ſpiritus 20. vel 25. guttarum, in tam parco vehiculo, nimiam, enormem & exceſſivam judicare.

Quoniam nunc quoad QUÆSTIONEM II.

dictus ∽ ⊕ Philoſophicus nihil aliud eſt, quàm liquor ex ſalibus corroſivis ☿ ſublimati in fluorem actis,

Barnerus in *Chym. Rat. pag.* 342.

& cum ∽ ⊖ tam quoad ſubſtantiam, quam effectus coincidit,

Langius Op. Med. & in ſpecie *Colleg. Chym. p.* 659.

hi autem ſpiritus acidi, in parciori vehiculo dati,

1. Calorem p. n. & inflammationem in collo & faucibus excitare ſolent, ut idem à ∽ ⊕ (priori adhuc debilioris) exhibitione in caſu Cellenſi obſervatum fuit,

   Novell. Medico-Legal. D. Valentini Caſ. xxix. p. 588.

2. Hic ipſe ſpiritus, ⊕ Philoſophicus ſummam cardialgiam excitavit *Bonet.* in *Anatom. Pract. lib. 3. Sect. 7. Obſ. 8. p. 69.*

3. Poſt mortem in cadavere, ab uſu ejus, eroſio interioris ventriculi tunicæ reperta fuit,

   Idem ibidem Obſ. IX. pag. 67.

4. Spiritus ⊕ quoque tormina abdominis & uteri tanta movit, ut fœmina quædam intra 24. horas inde perierit,

   Zacchias Quæſt. Medico-leg. Lib. VI. Tit. 1. *q.* 2. *p.* 487.

5. Spiritus autem ⊕ Philoſophicus adhuc impregnatus eſt parti-

culis

culis quibusdam antimonialibus, quarum intuitu nemo unquam à vomitu poſt uſum ejus tutus eſſe poteſt,

Langius Oper. Med. pag. 660.

6. Idem ille ♁ ⊕ Philoſ. ideam ☿♎ retinet & adeo ſæpe per inferiora purgat, ut aquæ hydropicorum eô eliminari poſſint,

Le Febure Traite de la Chymie Tom. 2. *p.* 1022.

7. Lippis & tonſoribus conſtat cereviſiam aceſcentem aut vina acida, multo magis autem ♁ tales acidos minerales & ipſum ☿♎ ſtranguriam & ⊡ ardorem inducere,

Etmüllerus in *Operitus Med. Tom. II. p.* 733.

8. Omnes ſpiritus mineralium acidi humores circulantes adeo incraſsare & coagulare valent, ut ſanguis coagulatus in vaſis ſtagnet & viſcera ſic ſuffarciret, ut ſectio incruenta inſtitui poſſit,

Iuxta Reſponſ. Facult. Med. Giſſenæ ad Caſ. Cellenſem in *Novellis Medico- Legalibus p.* 610.

Regnerus de Graf. de U u Siph. in Anat. p. 229.

9. Tandem omnia hæc in ſubjectis tenerioribus facilius accidunt.

Vid. Dnn. *Medici Cellenſes* in *Judic. II. Nov. Medico-legalium p.* 596. circa finem;

hinc ab effectibus ad cauſam & VV. à cauſa ad effectus haud difficulter concludi poteſt ſimilia in ſpecie facti recenſita ſymptomata & in ſectione occurrentia viſa reperta à ſpiritu ⊕ Philoſophico in doſi exceſſiva & parciori juſto vehiculo oborta fuiſſe, cum quam maximè conſtet ſpiritus mineralium acidos, & in ſpecie ♁ ⊖. bilem quoque inſigniter alterare & illi talem colorem obſcurum (qualis hic obſervatus fuit) affricare poſſe,

Conf. *Ettmüll. Oper. Med. Tom. II. p.* 733,

Facilimè etiam, quoad III. QUÆSTIONEM præſumitur defunctum multum damni inde pertuliſſe, cum mulier in caſu allegatio Cellenſi à ſolo ♁ ⊕. de quo indies bis tantum aſſumſerat, ut intra 3. ſeptimanas ultra ℥ij. non abſumſerit, perierit,

Vid, Reſp. Facult. Med, Jenenſ. & Giſſenſ.

F 2 non

non obſtante quod ſpiritus ⊕ inter omnes ⁓ min. acidos blandior & tutior dicatur

à Facult. Med. Hallenſi in Nov. Medico-leg. p. 592.

Rectius ergo feciſſet ſuæque conſcientiæ melius conſulere potuiſſet

'quoad IV. QUÆSTIONEM

Medicus primò vocatus, ſi in cura tam opulenti juvenis tempeſtivè alios Medicos Seniores & in Arte verſatòs ſibi junxiſſet, ad quod Medicus junior ſub pœna mortalis peccati tenetur,

Zacchias in *Quæſt. Medico-legalibus Lib. VI. Tit. I. Q. XII. pag.* 286.

Ex intermiſſione enim ejus in præſumptionem ignorantiæ incurrit, cumprimis, quando in morbis adeſt inſigne quoddam ſymptoma, ad quod totam curam dirigens principalem morbum omnino negligit,

Idem ibidem pag. 487. *§. 9.*

An tandem reſpiratio difficilis, omnibus agonizantibus familiaris, V. S. in ſpecie facti allegatam indicaverit? maturiori Facultatis cujusdam Medicæ judicio relinquo. Atteſtante propria nominis ſubſcriptione & appreſſo sigillo. D. Fridbergæ die 27. Febr. Anno 1719.

D. ANDREAS PITZLER,
Archiater Haſſo-Hombergenſis
& Phyſicus Fridbergenſis.

CON-

CONSILIUM.
D. JOHANNIS TACKII, Archiat. Darmſt.
ad
Illuſtriſſimum Dominum,
DN. GEORGIUM ERNESTUM
Comitem ab Erpach, DN. in Breuberg &c.

P. P.

DYSENTERIA, quùm ubivis ferè graſſari incipiat, in aëre ſuum cepiſſe ortum videtur, ita ut ſub rore maligno fructibus & aquis, ac conſequenter hominibus, ſe affricuerit. Equidem haud ignotum eſt, non tantùm vina anno præterlapſo ad maturitatem non perveniſſe, ſed & inter pecora lues varias & ſtrages obſervatas fuiſſe, quæ per venenoſas & corroſivas irrorationes & melligines ſe gramini, herbis & fructibus, imo & aquis miſcuerunt, iisque pedetentim infectis omnes illos, qui iisdem uſi ſunt, corripuerunt. Fructus enim à rore aëreque corroſivô humectati fermentum ventriculi ſubacidum in acrimoniam acerbiſſimam mutant inſtar aquæ fortis acuendo, inteſtina excoriant & per alterationem bilis ſuccique pancreatici, in qualitatibus ſuis nimium exaltatis, tormina inteſtinorum & tandem cauſticitatem & exulcerationem cauſantur, quibus abhinc pituita cum ſanguine non ſine inſigni teneſmo ſubſequi & nî maturè obviam eatur, ipſa mors inferri ſolet.

Hac de cauſa eô tempore ab omnibus aquis crudioribus, fructibus acerbis & non bene coctis abſtinendum, omniaque

 quæ

quæ aliquid corrôſivi in ſe habent, ⊖ ſcilicet, acetum, cereviſia acida, vina immatura, braſſica muria condita, vinum aduſtum, melones, cucumeres, cucurbitæ & ſimilia, nî probè correcta & alterata ſint, cane pejus & angue fugiantur.

E contra, quùm aëris præcipuè ſit habenda ratio, è re erit, ſi crebra ſuffimigia fiant, per lignum juniperi accenſum, grana juniperi, maſtichen, ſuccinum, olibanum, roſas rubras & cumprimis vulgatum ſatis millefolium, ſimulque præſervandi gratiâ 9. grana juniperi omni mane devorare, utpote quæ inſtar balſami veri aut Terebinthinæ, vim balſamicam in ſe fovent & M. S. non minus, quàm inteſtina conſervant. Cui quoque fini inſerviet, ſi indies, tempore matutinô, cuſpide cultelli portio Theriacæ, aut Electuarii diaſcordii Fracaſtorii, aut Electuarii noſtri præſervativi ſumatur, quod ita præſcribitur:

℞. Micletæ Nicolai,
Elect. præſerv. & curat. aa. ℥j.
Confect. alkerm. ʒiß.
Syrup. corall. ʒj.
Tinct. Lap. hæmat. ʒß.
M.

S. Elect. Præſervat. & Curativum, alle Morgen ein Meſſerſpitz voll bey einem Geſunden / aber 3. bey einem Krancken.

Quodſi verò quis ipſo malo jam affectus ſit, in Diætâ hoc obſervetur, ut illis juſcula hordeacea, mucilaginoſa, gelatina C. C. & pedum vervecinorum, & ſi febris abſit, lac chalybeatum, aliæque pultes ex milio aut pane triticeo c. lacte paratæ, & ne coagulentur, ſaccharo conditæ propinentur.

Inte-

Interim probè obſervandum, ne ſtatim adſtringentia dentur, quibus inſigne damnum, tam intra, quàm poſt curam inferri valet, ita ut plura ſymtomata inde orta fuerint; eâque de cauſa, ſi quis XX. & quod excurrit, annos habens, malô hoc corripiatur, ſtatim ℈j. rhabarbari, parum toſti & pulveriſati, in paucâ quantitate ſyr. roſ. aut ſucco citri aſſumat. Vel & ℞. Cort. Myrobalan. qui flaveſcunt, ℨiij. & Coq. in ▽ plantag. ad reman. ℥iiß. col. add. Syr. cydon. ℥i. rhab. toſti ℈j. & pro unâ doſi ſumatur. Junioribus dimidium detur, quod, ni ad cauſam aut productum morboſum eliminanda ſufficiat, reiteretur, donec omnis materia peccans eliminata ſit. Quin & ſeq. clyſter adhiberi poterit:

℞. Lact. chalyb. aut ▽. hord. chalyb. q. ſ.
Rad. torment. ℥j.
Herb. plantag.
anſerin. aa. Mj.
Mell. roſ. ℥j.
Vitell. ovor. N. ij.
Sevi hircini, aut cervini ℨvj. F. Clyſter,

qui & junioribus, ſed ad dimidietatem tantùm, infundi poterit. Licebit etiam Scrup. j. ad ℨß. Philonii Romani addere. Corpore ſic purgatô tutò ad adſtringentia pergere licebit.

Inter alia decantata ſunt Lap. hæmat. viſc. quern. O. uſt. fol. quercûs, burs. paſt. ▽. hyper. Rad. tormentill. gran. maſt. tamarind. in vino rubro &c. Quoniam verò tormina graviſſima conjuncta ſunt, hinc ℴℴ amygd. dulc. aut ol. oliv. in Malvat. (ſi febris abſit) ſumantur, quibus ℨij. ad ℨiij. Syr. pap. albi, imò & laud. op. gr. j. addi poſſunt. Conducit etiam, ſi croc. ♂ gr. x. l. corall. rubr. ℈j. c. gran. j. laud. opiati ſumantur.

Si bilis in ventriculô redundet, vomitoria, à Medico petenda, egregiè ſe gerunt. Vel & ſumatur luti è fornace figulinâ quanti-

tas

tas nucis avellanæ, cum vit. ovi & paucô NM. Sed talia ſæpius reiteranda ſunt.

Externè inunctiones & emplaſtra, ut & epithemata ℴ℘ſa conveniunt, cumprimis ℴ℘ nuc. moſch. expr. quod & internè ſumi poteſt. Facit huc cera virgin. pani albo toſto inducta: Ol. cydon. myrtillor. abſinth. nard. menthæ, plantag. fol. quercûs, cum 🜍. mixta & expreſſa. It. Cruſt. pan. c. maſtich. NM. caryoph. Omentum vervecinum abdomini impoſitum. Ægri etiam anſerinâ ſe detergere poſſunt &c.

Potus ſit ▽ chalybeata, vin. cyd. it. Emulſ. amygd. c. ▽. Fol. quercus. Vinum rubrum non ſtatim in principiò inſervit, cumprimis ſi calor p. n. urget & vires adhuc conſtant. His verò deficientibus & abſente febri modicè ſumtum conducit.

Febris ſi jungatur ſitisque intenſa adſit, fluxus etiam alvi nimis urgeat, V.S. in brachio adminiſtretur & abhinc tempore decubitus ℞. Conſerv. roſ. antiq. ℥ij. laud. opiat. gr. j. ad gr. iß. pro diverſitate ætatis, cum conf. alkerm. Scrup. i. & Syr. de pav. ℥ j. Hoc dolorem ſopit, ſomnum producit & fluxum alvi inhibet. Medicus plus ultra ibit.

Ad confortandum ſumatur Syr. corall, rubr. cydon. ana ℥j. Syr. pap. albi ℥ß. conf. alk. ℨj. ▽. torment. fol. querc. & burſ. paſt. aa. ℥ß. capiatur ſæpe cochleatim.

DEUS T. O. M. omnibus benedicat, E.V. & Domum Illuſtriſſimam ab omnibus malis conſervet. D. Darmſtadii die 13. Aug. Anno 1666.

Illuſtr. V. Excell.

humillimus Servus

JOH. TACKIUS,

m. pprià.

FOR-

FORM. & DESCRIPTIONES.

* * *

℞. Rad. ipecacuanhæ. Scrup. ß.
ocul. ♋. gr. iij.
M. D. pro doſi.

* * *

℞. ▽. menth. Unc. ij.
Ther. n. camphor. ʒj.
Sacch. ſyrupiſ. Unc. ſ.
M. D. cochleatim.

* * *

℞. Terr. ſigillat. pulv.
Rad. Tormentill. pulv. aa. ʒſ.
Nuc. Moſch. Scrup. ſ.
extr. opii gr. ii.
M. F. Pulv.

* * *

℞. Ther. n. camph. ʒij.
induc. ſuper alutam & imp. umbilico.

* * *

℞. ♂o. Nuciſt. ʒj.
mac. deſtill. gr. ij.
M. F. Balſam.

* * *

℞. Rhabarb. toſti Scrup. ß.
Syr. d. cich. c. rhab. ʒiij.
M. pro doſi.

* * *

℞. Decoct. maſtich. Unc. ij.
▽. cinnamom. ʒij.
Pulv. Pann. rub. Scrup. j.
Ther. cœl. gr. ij.
Syr. corall. aa. ʒiij.
M. D. cochleatim.

* * *

℞. Unicorn. foſſil.
Lap. hæm. præp. aa. Scrup. ß.
Ther. cœl. gr. ij. M. F. Pulv.

PULVIS STYPTICUS D. D. Wedelii.

* * *

℞. Rad. biſtort.
torment.
Sang. Dracon.
Lap. hæmatit.
Corall. rub. præp. ana ʒij.
Nuciſt. Unc. ß. M.
D. à Scrup. j. ad ʒß.
in Diarrhœis æquè ac dyſenteriâ, in vehiculo convenienti.

CAP. X.
DE
EPILEPSIA.

EPILEPSIA eſt repentina ſenſuum interceptio c. motu partiũ violento, à ſublatô ſpirituũ æquilibrio, irritationem inſequente, orta.

- *PHÆNOMENA*
  - Præcedente ſummâ inquietudine, ſomno interrupto, inſomniis turbulentis, horroribus & terroribus ſubitaneis, in ipſo paroxyſmo ſenſuum, tam internorum, quàm externorum orbatio, & ſi non totius, plurimarum tamen partium motus convulſivus, oculorum inverſio & contorſio, ſpuma circa os, excrementa involuntariè prodeuntia & ſimilia complura obſervantur: Inſequente dolore, laſſitudine & ſubinde paralyſi, redeunte juxta phaſes ☽ paroxyſmo, ſi malum radices egerit.
- *SUBJECTUM*
  - In CONSENSUALI utplurimùm Ventriculus eſt, quæ ſpecies malo per eſſentiam frequentior.
  - In ESSENT: primariò ſpiritus animales, ſecundàriò nervi afficiuntur.
- CAUSA
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt irritatio eamque conſequens ſpirituum confuſio & ſublatum æquilibrium, ſivè privative illud fiat, per obſtructionem fibrillarum nervearum, ſive poſitivè, ob particulas exploſivas ſpiritibus permixtas.
    - *MATERIALIS* ſunt particulæ acres, acidæ, inæquales, nervos & ∽ irritantes, lumbrici &c.
  - REMOTA ſunt
    - Vitia Diætæ & abuſus vini in Nutricibus.
    - Conceptio tempore fluxûs menſtrui.
    - Æſtus febrilis & variolæ.
    - Dentitio difficilis &c.
- *PROGNOSIS*
  - Si à dentibus, aut variolis, his prodeuntibus utplurimum ceſſat epilepſia, nec quemvis terrere debet. Sin minus cedat, malum. Interim poſt pubertatem remanens curari valet, contra aph. 7. S. V.
  - Si hemiplexia jungatur & excrementa nigricantia prodeant, aliquoties lethalem obſervavi.
- *CURA*
  - *INTRA PAROXYSM.* excitat
    - Proprii nominis acclamatione.
    - Membrorum extenſione, vellic.
    - Ori ſalina affricando & ſpirituoſa infundendo.
    - Naribus fœtida, ∽. ⊖ ✳. & ſim. applicando.
    - Clyſteres acriores infundendo.
  - EXTRA PAROXYSM. 1. Cauſ. eliminat. 2. Specificis malum tollit,
    - *PRIVATIM* dando
      - 1. Vomitoria, aut laxantia repetita.
      - 2.
        - Pulverem n. cinnabarinũ, grana Pœoniæ, ∽ ⊖ ✳, ∽ CC. viſc. querc.
        - Fab. S. Ignatii.
    - *PUBLICE*
      - è FONTE PHARMACEUTICO
        - 1. Vomit. & Purgantia
        - 2. Antepileptica adonynis mixta; Pulv. Marchion. ſpecif. cephal. 🜍 aur: ♁ Ther. Pilul. Wildenganſii.
      - è FONTE CHIRUR.
        - Cauteria, Italis conſueta.
        - Emplaſtr. pro bregmat.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curandâ Epilepſiâ contumaciori Vomitoria, etiam repetita, negligenda non ſunt, ſine quibus nullam epilepſiam radicitus curari *Dn. Wedelius in Colleg. Mſc. ad Timæum à* Güldenklee teſtatur.

II. Cave ne cinnabarinis ſalia, cumprimis fixa, miſceas, ne mixtura ☿ ſublimato ſimilis hinc emergat & convulſiones augeat.

OBSERVATIONES.

I.

D. Frid. Hoffmannus, Prof. Hallenſis, in *Colleg. Pract. Mſc.* puerum decem annorum, poſt variolas, epilepſiâ correptum ſequentem in modum reſtituit: 1. Singulis menſibus 4. diebus ante plenilunium, ſequens vomitorium, his in affectibus expertum, dedit:

℞. ♁. nativ. gr. x.
☉. fulmin. gr. iij.
♀. emet. gr. ij.
☍. mac. gr. ij. M.

Quô ſumpto bilem virideſcentem ἄνω καὶ κάτω rejecit. 2. Omni ſeptimanâ Pilulas Cephalicas laxativas obtulit:

R. Gummi elemi
ſuccini
Extracti panchymag. Cr.
trochiſc. alb.
☿. dulc. ana Scrup. j.
Extr. lign. aloës.
Moſch. gr. viij.
⊖ ſuccin.
balſ. Peruv. ana Scrup. ſ.
☍. lavend. gr. iiij.

M. F. Pilul. ex Scrup. j. n. XX. D. XI. pro doſ. 3. Sale vol. omni die cum cibis uſus fuit.

℞. Flor. ⊖*.
⊖. vol. CC.
ſuccini ana ℥iſ.
M.

Denique Emplaſtrum cephalicum vertici fuit applicatum. Hiſce per 4. menſes uſus, reſtitutus fuit.

II.

Aliquot infantes curavi, convulſiones, ſive ſpasmos leves habentes in facie, manibus & pedibus, cum læſione mentis, geſticulationibus variis 1. purgante potione 2. alternis diebus pil. ſplenet. n.d. No. 5. vel 7. 3. ſudoriferis, Decoct. Chin. &c. *D. Sebaſt. Schefferus in Man. Pract. Mſc.*

II.

Puella Ludimoderatoris Giſſeni, Geibelii, annorum V. tempore veſpertinô, de dolore ventris conqueritur, cætera ſana. Summo mane diei ſeq. paroxyſmô apoplecticô (quo præcedente jamdum anno laboraverat) corripitur, obmuteſcit, ſpuma circa os apparet, ſtertit, oculos hinc inde torquet, alterum latus convellitur, alterô reſoluto. Præſcribo clyſterem Terebinthinatum & cum veſica diſſiliret, alium ex lacte, vitello ovi & ſaccharo Thomæ, ut lumbrici (quorum ſuſpicio aderat) ad inferiora allicerentur, quorum unus cum levamine prodibat. Internè ſimul Eſſent. Caſtorei, cum vehiculô appropriatô, propinabam, linguæ ℅ pip. & caryoph. applicando, quorum acrimonia excitata ſtatim linguam movebat & oculos aperiebat. Abhinc præſcripſi Mixturam Apoplectico-Epilepticam, ex ▽. cer. nigr. prim. ver. Eſſent. caſt. liq. CC. ſuccin. &c. Lateri verò reſoluto nervina ſpirituoſa affricari juſſi, quibus ſenſim convaluit, poſtquam in fine ſimul ſeq. pulv. contra Vermes (quorum XVI. rejecit) uſurpaverat: ℞. Spec. diaturb. c. rhab. ſem. Cin. ana ʒj. M. D. pro 3. doſibus.

IV.

IV.

Olim hîc Giſſæ degebat Empiricus è vulgi fæce, qui Epilepſias inveteratas & habituales repetitis vomitoriis è flor. ♁. & viſci quercini magna doſi diu continuata curabat.

FORMUL. & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. ♀. emet. gr. j.
pulv. irid. Fl. gr. v.
Cinnab. nat. præp.
gr. iij.
M. D. pro doſ.

* * *

℞. Pulv. n. cinnabarini.
Rad. Pœon. Mar.
Cran. hum. præp.
ana Scrup. ij.
Extr. op. gr. ij.
M. D. bis de die gr. x.
in Lacte mat. vel
ſeq. vehicul.

* * *

℞. ▽. menth. ℥iij.
♏. CC. ʒſ.
Sacch. ſyrup. ℥j.
M. S. Waſſer zum
Pulver.

α. & ω.

℞. Pulv. Marchion.
epilept. Sennert. aa. Scr. j.
cinnab. ♁. Scrup. ſ.
Ther. cœl. gr. ij. M.
pro 3. a. 4. doſ.

* * *

℞. ▽. fl. Til.
ceraſ. nigror. ana ℥iſ.
epil. Langii ℥j.
Liq. CC. ſuccin. ʒjſ.
cran. hum. præp. ʒj.
Pil. Wildeg.
Laud. op. ana. gr. j.
Syrup. de Pæon. ʒvj.
M. D. cochleatim.

PVLVIS EIPLEPTICVS D. CONERDINGII.

℞. Sem. Pœon. excort.
Rad. pœon.
Dictamn. alb.
Viſci quern. ana ʒij.
Ungul. alc. præp. ʒijſ.
Raſ. ebor. Scrup. j.
Cran. hum. præp. ʒvj.
Fol. ☉. N. X. M. F. Pulv

* * *

℞. Fab. S. Ignatii
Scrup. j.
Rad. Pœon. pulv.
Gran. Pœon. excort. & p.
ana Scrup. ſ.
Extr. op. gr. j.
M. Div. in vj. p. æ.
D. manè & veſp.

S.

Sonderliches Pülverlein/ Morgends und Abends einzugeben.

* * *

℞. Infuſ. Fab. S. Ign.
cum ▽. menth.
fl. Til. ana ℥iij.

D. S.

Vermiſchtes Balſam-Waſſer auf etliche mahl zu geben.

☿. CINNABARINUS CONTRA EPILEPSIAM

D. D. Volckameri.

℞. ⊕. nativ. Hungar.
☿. dulc: ana ʒij.
Magiſt. Margarit.
Eſſent. Corall. ſicc. Bilgeri
ana ſcrup. ſ.
Croc. Auſtriac. gr. v. M.
Doſ. Scrup. ſ. ad gr. xv.

ESSENT. CORALL. SICCA D. BILGERI

ita paratur:

Corallia bis calcina in furno figulino, ſolve in aqua aliqua fragrante, cremorem ſupernatantem aufer cochl. argenteo, ſicca & ad uſum reſerva.

EMPLASTRUM ANTEPILEPTICUM EMPIRICORUM.

℞. Helleb. nigri, Rhabarb.
Euphorbii,
Terr. ſigill. gryſ.
Capit. allii n. ij. M.
quod fronti applicatum ſtupidos & qſ. delirantes reddere dicitur ægros eosque curare.

CAP.

CAP. XI. DE LUMBRICIS.

LVMBRICI h. l. ſunt vermes inteſtinorum, è ſeminio ſuô, per putredinem geniti & infantibus moleſti.

- **ΦΑΙΝΟ'ΜΕΝΑ.** Præter addiphagiam tormina frequentia puerulis moleſta, cum vel ſine borborygmis, accidunt: Appetitus mox deficit, mox augetur: Pruriunt nares: Adſunt inquietudines, terrores & ſtridores dentium in ſomno: Facies pallida, circulus plumbeus in oculis horumque cavitas: Convulſiones variæ, tabes, mictio cruenta, febricula, fœtor oris, tuſſis ſicca. Adhæc crebrò ſalivant, ⊡ primum claræ mox lacteſcunt & ſubinde lumbrici prodeunt, ſive integri, ut LUMBRICI LONGI & ASCARIDES: ſive fruſtillatim, ut LUMBRICI LATI, *Fig.* I. *Tab.* III. depicti.
- **SVBJECTVM** ſunt inteſtina, tam craſſa, quam tenuia: quandoque & ventriculus.
- **CAVSA**
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt fracedo & putredo verminoſa indeque ſubortus calor, ovula excludens.
    - *MATERIALIS* ſunt ovula & ſeminia, ab inſectis in cibos dulciores depoſita & aſſumpta.
  - *REMOTA*
    - Sunt cibi, cumprimis carnes & fructus horæi, nimia quantitate ſumpti.
    - Saccharata item, mellita & lacticinia.
- **PROGNOSIS.** Aſcarides facilè: Lumbrici longi difficulter: Lati difficilimè pelluntur. Præſtant albi flavis & rubris. Præſtat etiam mortuos egredi, quàm vivos, idque in febri beniguâ. In malignis autem mortui ſunt pejores, ob materiæ malignitatem. Vivi hîc in principio & augmento mali, in declinatione meliores, ubi naturæ robur arguunt.
- **CVRA** remotis externis 1. Lumbricos enecat 2. eosdem expellit
  - *DOMESTICIS.*
    1. Chyloſis, oleoſis, acribus & amaris. Hîc recrementis lupuli, flor. Tanaceti, fellibus: Illic ſemine naſturtii, allio: iſtic paſſulis, amygd. dulc. & eorum ℅, quæ & poros obſtruunt & nimium nutriendo illos crepare faciunt.
    2. Pulv. jalapp. Pil. ☿. ☿ crud. ſacchar. ☿ imbuto. item Clyſteribus ex lacte paratis alliciendo.
  - *OFFICINALIBVS.*
    1. Anthelminticis.
       - Simplicibꝰ: Sem. cinæ ſ. Santon. corallin. Chin. Chin.
       - Compoſit.: ∇. graminis c. l. ſin. ☿. Pulv. contra Verm. Aug. Spec. dia☿ Mynſ.
    2. Laxantibꝰ & purgant.
       - Simplicibꝰ
         - Internis: Rhabarb. rad. jalap. ☿ vulg.
         - Extern.: Felle tauri, aloe cum myrrha.
       - Compoſit.: Pulv. diaturb. cum rhabar. Syr. d. cich. c. rhab. Pil. ☿ & aloeticis.

CAU-

MONITA PRACTICA.

I. Anthelminticis aut conjungas, aut poſtponas laxantia & purgantia, ne lumbrici in corpore putreſcentes febrim continuam cauſentur, cujus exemplum vid. in. *Noſocomio* noſtro *Academico*.

II. Inter vulgi anthelmintica caveat ſibi Medicus à lumbricis infantium exſiccatis, cùm in corpore regenerati proventum horum inſectorum magis augeant, quàm removeant, conf. *Miſcell Acad. Germ. Cur. Dec. II. Ann.* 8. *Obſ.* 89. *pag.* 202.

III. Cautè quoque cum ☿ agendum, quem in tenerioribus tremorem inducere obſervavi.

CASUS & OBSERVATIONES.

I.

Puella quædam, duos habens annos, quolibet veſpere calorem p. n. febrilem ſentiebat, cum tuſsi ſicca, pruritu narium & abdominis duritie. Lumbricos ſubeſſe ratus Scrup. j. ſeq. pulveris illi præſcribebam:

℞. CC. præp.
Corallin. præp. ʒß.
Rhabarb. Scrup. j.
☍ citri g. iij. M.

A primâ exhibitione excrevit primò aſcarides, mox & lumbricos longos: cumque ſub calore lipothymia tentaretur, ſequentem julepum addidi.

℞. ▽. Graminis.
portulac.
acetoſ.
ſyr. acetoſ. citri ana Unc. ſ. M.

Ita

Ita hiſce ſanitatem recuperavit, *D. Schefferus in Manual. Pr. Mſc.*

II.

Puero V. annorum cum lumbricum quendam excreviſſet pluresque adeſſe ſuſpicio eſſet, ob calorem febrilem & continuum narium pruritum ſequentem potiunculam ordinavi:

℞. Aq. Graminis.
portulae.
acetos. ana Unc. j.
Syrup. de berberibus,
de cortic. citri ana ʒ vj.
Sem. citri contus.
CC. præp. ana Scrup. j. M.

Ventri imponi juſſi ſeq.

℞. Farin. lupin. Unc. j.
Fellis bovis
aceti fortiſſ. q. ſ. pro catapl.

Ita quosdam adhuc lumbricos excludendo convaluit. *Idem ibidem.*

III.

Febrem continuam à vermibus, per anthelmintica ſolitaria enecatis & in corpore putreſcentibus, obortam, ejusque curationem vid. in *Noſocomio noſtro Academico*: ubi ſimul in *Fig. 2. Tab. 3.* vermem monſtroſæ figuræ variaque de eo judicia obſervabis.

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Sem. Cin. rec. pulv. ℥ij.
Pulv. jalapp. reſin. ℥ſ.
M. Div. in 6. p. æ.
D. circa Novilunium, bis de die.
Vel
℞. Pulv. lut. ſeu reliq. lupuli,
fl. Tanaceti ana
℥iß.
Rhabarb. vel jal. pulv.
Scrup. ſ.
M. D. S. ut ante

* * *

℞. ▽. graminis lib. ſ.
agit. c. ☿. viv. aliquamdiu, D.
pro aliquot doſibus.
Vel
Saccharum cum ☿. crud.
teratur in mortariô
ligneô, aut vitreô,
donec nigreſcat
& D. pro uſu.

* * *

℞. Fellis Tauri inſp.
Aloes ſuccotr. ana
℥j.
ſcamm. 🜂. gr. ij.
☍. abſ. q. ſ. F.
Linim. pro umbil.

α. & ω.

℞. Extract. Abſinth.
helleb. nigr.
ana Scrup. ſ.
☿ dulc. gr. iij.
c. s. q. Eſſ. abſinth.
F. Pil. min.
conſp. pulv. ſem. lycop.
D. inf. 4. annorum.

* * *

℞. Spec. Diaturb. cum Rhabarb.
Sem. Cin. ana ℥j.
Corallin. pulveriſ.
℥ij.
M. F. pulv. pro
6. doſibus.

* * *

℞. Unguent. de arthan. ℥iij.
fellis tauri
myrrh.
aloes ana Scrup. j.
☍. diacoloc. q. ſ.
M. F. Unguentum
umbil. & abdomini
illinendum.

CAP.

HERNIA eſt prolapſus omenti, aut inteſtinorum, à laxatione peritonæi oriens,

- *PHÆNOMENA*
  - Malo incipiente tumor mollis apparet, ſive in umbilico plus ſolito prominente in OMPHALOCELE, ſive in inguine & ſcroto in EPIPLOCELE & ENTEROCELE, cumprimis erecto ægro, evaneſcente plus minus eo, ſi in dorſo jacet. In confirmata autem Hernia tumor augetur, utut utrobique ſit indolens, niſi inteſtina inflammata, aut à ſcybalis induratis infarcta ſint. Quod ſi interior inteſtini recti tunica prorſus extra corpus elabatur, de PROLAPSU ANI dubium reſtare non poteſt.
- *SUBJECTUM*
  - In Herniis Peritonæum ejusque Proceſſus
  - In prolapſu ani inteſtinum rectum rectè dicitur.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt aut ruptio peritonæi ejusque proceſſûs, aut ejusdem relaxatio, quæ & in prolapſu inteſtini recti locum habet.
    - *MATERIALIS* aut recrementa ſunt indurata, aut humores p.n. membranas haſce inundantes earumque tonum laxiorem & flaccidiorem reddentes.
  - *REMOTA* ſunt
    - Diſpoſitio hæreditaria, cum hernioſi hernioſos generent.
    - Clamor nimius, vehemens alvi compreſſio in ejusdem obſtructione, nimia purgatio, vomitus vehementior, tuſſis, partus difficilis, ponderis gravioris elevatio aut geſtatio, nimia crurum divaricatio, ictus & lapſus, ira &c.
- *PROGNOSIS*
  - Herniæ in Infantibus facilè curantur, facilius tamen Omphalocele. In adultis difficilius curatur, cumprimis ſi inflamatio, gangræna aut, nileum conjuncta, quæ utplurimum lethalia ſunt; idem de prolapſu ani ſtatuendum, cui, ſi paralyſis inteſtini juncta eſt, difficillimè ſuccurritur.
- *CURATIO* 1. reponens & 2. firmans inteſtina, eſt vel
  - *DOMESTICA*
    - Ordinar.
      - 1. digitis, 🝆 & linteo munitis reponit inteſtina.
      - 2. Inteſtina firmat
        - Quiete, quam annuã vult *Paracelſus*.
        - Medicamentis internis, ſc. Sem. perfoliatæ, vel herniariæ.
        - Externè imponendo Terebinthinam & applicando ſubligacula.
    - Extraordinaria & Magnetica *Helmontii*.
  - *PUBLICA*, hæcque vel
    - PHARMACEUTICA
      - COMMUN. quæ poſt repoſitionem
        - internè dat. Decoct. vulneraria ex Herniaria, perfoliata & carminativis.
        - externè clyſt. cataplaſmata emollient. emplaſt. de pelleariet. empl. contra rupturas *Hoffmanni*.
      - REGIA Gallorum per
        - Spiritum ⊖. cum Emplaſtr. glutinat. & ſubligaculo. *Vid. Polychreſt. n. Exot.*
    - CHIRURGICA per
      - Ligaturam & ſubligacula
        - Vulgaria.
        - Nova cum elatere.
      - Sectionem
        - commun. caſtratoriam.
        - artificios. ſ. Punctum aureum.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In repoſitione inteſtinorum, plus minus tenſorum; cave ne irrites crabrones & paſſioni iliacæ occaſionem miniſtres, unde ſuſpenſa manu, ☍. amygdalarum dulcium prius illita, tentanda erit.

II. Subligacula (quorum figuram exhibet *Platerus* in Praxi & *Geigerus in Kelegraphiâ pag.* 93. & ſeqq.) ob pediculorum progeniem aut crebrius mutanda, aut ☿. illinenda ſunt.

III. Cave ne in caſtratione peritonæum & proceſſus ejus, cum vaſis violenter attrahantur ſicque dolor, convulſio & inflammatio ſequantur, *id. ibid. pag.* 94.

CONSILIA & OBSERVATA CLINICA.

I.

EPISTOLA
DN. GEORGII WOLFGANGI WEDELII
ad Hernioſum, Conſilium ab eo petentem.

P. P.

Ex Epiſtola tua obſervavi, qua ratione ſæpius hactenus, non tantùm poſt aſſumptionem ciborum, ſed & jejuno ſtomacho exiſtente, torminibus abdominis correptus fueris. Cùm verò hæc ipſa maximâ ex parte ab hernia, qua laboras, propullulent, dum ob incongruum inteſtinorum ſitum contenta abdominis non legitimè moventur, unde flatus inteſtina cum umbilico diſtendentes & vellicantes oriuntur; hinc ad eosdem diſcutiendos ſequentia præſcribenda duxi: Primò quidem de ſeq. pulvere, poſt paſtum quemlibet, in cerevîſia tepida tantum, quantum binis cultri apicibus capitur, ſumi poſſet:

℞. Sem.

℞. Sem. 4. carmin. ana ʒj.
perfoliat. pulv.
herniariæ pulv. ana ʒiſ.
Lap. ♋. præpar. Scrup. ij.
♂. diaphor. ʒſ.
Nuc. moſch. Scrup. j.
Sacch. ad pond. omnium M. F. Pulv.

Secundò ſingulis diebus, manè, 30. gutt. ſeq. Eſſentiæ in cereviſia calida ſumendæ, quietem in lecto, aut in hypocauſto obſervando:

℞. Eſſent. traumat.
carmin. ana ʒij.
anod. Scrup. ſ.

Tertiò Emplaſtrum ſeq. poſt reſtitutionem inteſtinorum loco rupturæ imponendum:

℞. Emplaſtri Magnet. A. Sal. ℥iij.
contr. ruptur. ℥v.
Ol. anethi
carui
chamomill. deſtill. ana gut. iij.
momordicæ q. s. M. F. Empl.

Quartò ſubligaculum his additum abdomini applicetur, quod impediet, ne inteſtina violenter rurſus excidant. Emplaſtrum per aliquot ſeptimanas geſtare poterit & abhinc, pro re nata, removere. Quod capitis dolorem attinet, cùm, ut ipſe refers, motum corporis inſigniorem ſequatur, vitando cauſam hanc præcaveri, vel, ſi nihilominus duret, aut veſicatorio, aut fontanella fugari poterit, internè ſimul pil. cephalicas & ſpecif. cephal. crebrò uſurpando &c.

II.

Conſilium Diæteticum pro Hernioſo,

ad deſiderium Dn. ab Eyben, anno 1684. à me exaratum.

P. P.

Hernia inteſtinali præſente in Diæta eò cumprimis attendendũ eſt, ut omnia illa, quæ inteſtina quovis modo irritare eaque ad elapſum diſponere poſſunt, evitentur. Quapropter ea 1. alimenta eligenda ſunt, quæ alvum apertam ſervant, nec eandem obſtruunt, qualia aliâs ſub acidularum & thermarum cura (ut procul dubio conſtabit) adhibentur. E contra fugiantur omnia ſalita, aromatiſata aliaque adſtringentia, quæ contenta inteſtinalia indurant ſicque ad Colicam & Ileum (mala Hernioſis admodum familiaria) diſponunt. Hinc & omnes cibi & opſonia flatus generantia cane pejus & angue fugiantur, utpote quæ inteſtina facile expellere & malum aggravare poſſunt; quod ut impediatur, carminativa ſæpius illis miſcenda ſunt, v. g. Sem. carui, cumini, aniſi, fœniculi &c. Ad hæc omnis violentus motus eſt vitandus, qui ſi in itineribus non ſemper declinari poſſit, commodè ſubligaculo inguina munienda ſunt. Tuſſiendo verò, aut alvum deponendo, loco affecto manus admoveatur & elapſus inteſtinorum præpediatur. Similiter ira aliique affectus animi vehementiores, Hernioſis nocentiſſimi, exulent, oportet &c.

III.

Muliercula quædam, ex Hoffmanniorum familia, quamplurimos Infantulos hernioſos feliciſſimè curat ſubligaculo levioris apparatûs & unguento aliquo, hactenus in ſecretis habito, quod nihil aliud, quàm Terebinthinam, ſucco viridi quocunque (ne agnoſcatur) permixtam eſſe, è Generi, Dn. Lapini Mſſ. habeo. Alii mucilaginem Rad. Conſolid. Majoris ſubſtituunt, quam mire laudat *Zwelfferus, in Pharm. Reg. p. 212.*

IV.

CONSILIUM
DN. BARONIS BRUNNERI à BRUN,
PRO
HERNIOSO.

STatus, quem Illuſtriſſima Sua Excellentia mihi concredere acquievit, citra ullum dubium & ὀφθαλμοφανερῶς ENTEROCELE quædam eſt, cum flatus per inteſtina in ſcrotum penetrantes, inibique oberrantes tangi iique in ſcrotum denuò repelli poſsint, ita tamen, ut ſtatim recidant: omnia ſine inſigni ſenſibilitate. Hinc conjicere licet, præter inteſtina omentum ſimul elapſum, ac juxta circumſtantias illic concurrentes (ut ſæpe fieri ſolet) ipſi ſcroto concretum eſſe; ut adeoque idem omentum ceu concretum retrudi non poſſit, licet inteſtina in abdomen relabantur aut intrudantur. Foramen ſeu exitus ſatis amplus ſit, oportet, quia inteſtina tam facilè elabuntur & illabuntur. Quibus in caſibus operationi ſeu herniotomiæ, ob accretionem, locus eſſe nequit, qualia exempla mihi haud incognita ſunt. Subligacula herniis communiter dicata absque ullo etiam effectu hîc adhibentur, niſi omnia è ſcroto repelli & in abdomen retrudi poſsint. E contra coarctatis per illa inteſtinis eò facilius iisdem ſtrangulatio quædam, non ſine vitæ periculo, cauſari poſſet. Unde longè conſultius erit ventrem non nimis replere, nec abhinc incautè vel vehementer equitare, ſed potius ſuperfluitates ſubinde per lenia & minus draſtica laxantia educere, ut olim factum, omnemque non minus inflammationem præcavere; quodſi forte præter expectationem ſimilis incarceratio contingeret, haud diſpliceat Illuſtriſſ. Suæ Excellentiæ omnem lapidem movere, ut inteſtina retrudantur, id quod optime decumbendo in lecto (abdomen elevando) fieri poterit. Eo in caſu fomentationes, faſciculus filorum lineo-

rum

rum crudorum in lixivio, cum flor. lavendul. m. j. decoctus, expreſſus, & calidè impoſitus & ambabus manibus deſuper & ſubtus abdomen affrictus convenient. Adhæc è re fuerit ſuſpenſorium aliquod geſtare, pro onere portando & ſuſtinendo, alioquin ſtatus morbi per deſcenſum & delapſum aggravari poſſet. Addo his, juxta cum pilulis Francofurtenſibus, pulverem quendam temperantem, caſu neceſſitatis uſurpandum:

℞. ♉. diaph.
⊕. antimoniat. ana Scrup. ß.
Cinnab. ♉. gr. v.

M.F. pulv. S. Temperirend Pulver: ut & ſubligaculi genus, pro inteſtinis in abdomine detinendis, licet omentum ſeparari & in abdomen retrudi non poſſit: quod Illuſtriſs. Veſtra Excellentia commodiſſimum experietur. Deus T. O. M. omnibus benedicat! Duſſeldorpii die 18. Octobr. 1716.

BRUNNER.

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Rad. conſolid. major ℥j.
Tormentill. ℥ß.
Herb. Alchimill.
Herniar. ana Mj.
Summit. perfoliatæ
hyperici ana p. ij.
Maſtich. ʒj.
Inciſ. & contuſ. Coq. in ſ. q.
aq. ſimpl. Col. ℞. lib. ij.
edulc. c. ſacch. ſyrupiſat.
D. pro potu.

α. & ω.

℞. Conſerv. Roſ. antiq.
Symphiti,
Veronic. ana ℥j.
Trochiſc. de carab.
de ſpod. ana ʒiß.
Blattæ Bizant. uſt.
& in Decoct. rad. Tormentill. lot. ʒi.
pulv. ſem. perfol. ʒſ.
c. s. q. Syrup. corallior.
F. Elect.
bis de die, quant. nuc. caſt. dandum, ſuperbibendo vinum rubrum.

℞. Glob.

* * *

℞. Glob. plumbeum (quô cervus occiſus) lamellatum, involv. muſco pruni ſylv. obduc. ſyndon. & applic. Herniæ umbil. c. ſubligaculo.

* * *

℞. Terebinthin. commun. ʒiij.
pulv. ♋. combuſt. ʒſ.
balſ. Peruv. gutt. ij.
M. impon. loco rupturæ c. ſubligacul.

* * *

℞. Chart. cœrul. maceretur in Decoct. plantag. per 3. dies, redige in globum, impone inguini, repoſito prius inteſtino & relinque per 3. dies.

* * *

℞. Emplaſt. de pelle ariet. contra ruptur. uſit. ana ℥ſ.
malax. cum ℴℴ. hyperici aut lacert. M.
F. Emplaſtr.

DESCRIPTIO EMPLASTRI AD HERNIAS D. Frid. Hoffmanni Sen.

℞. Gummi Sâgapen.
ammon.
galbani ana ʒiij.
Terebinthin.
Cer. Virgin. ana ℥j.
Magnet. arſen. ʒij. gr. xv.
Rad. ari ʒj.
Gummata ſolv. in s. q. ✳. & coq. ad conſiſt. Emplaſtri; lumbis applicandi.

Vid. Godofredus Schulzius in Triga Cinnab. ubi prolixum corollarium de hoc empl. habetur, cujus Autorem *A. Salam* conſtituit.

PRAXEOS MEDICINÆ INFALLIBILIS

SECTIO II.

DE MORBIS CRESCENTIUM, ADOLESCENTUM ſc. JUVENUM & VIRGINUM.

INTRODUCTIO.

Qui creſcunt, plurimum calidi innati habent, eâque de cauſa plurimô ſimul alimento indigent, v. *Hipp. aph. 14. Sect. 1.* Evidentius autem creſcunt qui ex ephebis exceſſi reliquêre nuces, Adoleſcentes ſc. & Juvenes. In his enim, ob continuum humorum circulantium partiumque ſolidarum motum, tum major ſpirituum copia generatur, tum fibrarum tonus & elater roboratur, quæ cum flexiles in juvenibus & extenſiles ſint, à ſero nutritivo, partibus & poris dilatatis lege circulationis intruſo, magis extenſæ uberiorem nutrimenti quantitatem recipiunt; unde hac in ætate conſtituti non tantùm ut ſubſiſtant, ſed & ad incrementum ali ſolent, ut ſuprà laudatus *Cous Lib. de alimentô* circa finem loquitur. Inde ergò eſt, quod Adoleſcentes ab *Hippocrate in Sect. 1.* jejunium minime

nime ferre dicantur, cùm reſpectu Senum plurimum appetant idque in ſuccum & ſanguinem convertant; licet & hic valeat regula:

Sit modus in rebus, sint certi denique fines. Quodſi enim cibi p. n. plus ingeſtum fuerit, ut in FAME CANINA BVLIMOQVE fieri ſolet, hoc morbum infert, *aphor. 17. Sect. 2.* ANOREXIAM puta, APEPSIAM, NAVSEAM, VOMITVM, CHOLERAM &c eoque facilius, ſi & qualitate peccet, ita ut vel prorſus abſurda in PICA & MALACIA, vel ad minimum dyſpepta & non facile digeſtibilia devorentur, ſicque ob humorum circulantium cruditatem, viſciditatem & acrimoniam variæ cachexiæ ſpecies, ICTERVS, HYDROPS & ſimilia oriantur; quibus ob nutrimenti acrimoniam, aut inhabilitatem, conſumptiones corporis, TABES & PHTHISIS ſæpè conjunguntur. Adde quòd ob ſegniorem humorum circulationem & parciorem ſpirituum proventum familiaris ætati huic ſeminis generatio & menſtrua ſanguinis turgeſcentia aut planè impediatur, aut ſegnius ſuccedat, unde CHLOROSIS, MENSTRVORVM DEFECTVS & OBSTRVCTIO: aut, ſi illic obſerventur, ob humorum acrimoniam & orgaſmum nimium, plus, quàm decet, effluat, ſicque in potiori ſexu GONORRHOEA & POLLVTIO NOCTVRNA, in ſequiori HÆMORRHAGIÆ VTERI, in utroque LVES GALLICA oriantur. Factâ ergò ſupputatione affectus ad claſſem & ætatem hanc pertinentes ſequenti *Tabula* includi poſſunt:

DE MORBIS CRESCENTIUM.

MORBI CRESCENTIUM lædunt functiones, quæ ſpectant aut ad

- CONSERVATIONEM INDIVIDUI, ſc.
  - Appetitum p. n.
    - Abolitum, in *Anorexia*
    - Imminutum, in *Dyſorexia*
    - Auctum, in
      - *Bulimo*
      - *Fame Caninâ*
    - Depravatum in
      - *Picâ*
      - *Malaciâ*
  - Chylificationem, in
    - *Apepſiâ.*
    - *Nauſeâ.*
    - *Vomitu.*
    - *Cholerâ.*
  - Nutritionem
    - Imminutam in
      - *Tabe.*
      - *Phthiſi.*
    - Auctam p. n. in *Corpulent. nim.*
    - Depravat. in
      - *Ictero.*
      - *Hydrope.*
- PROPAGATIONEM SPECIEI, in Sexu ſive
  - Virili, in
    - *Pollutione nocturnâ.*
    - *Gonorrhœâ*
      - *verâ.*
      - *malignâ.*
  - Muliebri, in
    - *Chloroſi.*
    - *Menſium*
      - *emanſione.*
      - *obſtructione.*
  - Utrôque, in *Lue Venereâ.*

CAP.

DE VORACITATE P. N.

VORACITAS eſt appetitus p. n. auctus, cum vomitu ſæpe, aut lypothymiâ conjunctus, à nimiâ ſtomachi irritatione profluens,

- *PHÆNOMENA.* Inſatiabile edendi deſiderium urget, utut cibos avidè aſſumtos mox revomant in FAME CANINA. In BULIMO verò appetitus tantus adeſt, ut Lipothymia ſæpius accedat; quâ præſente cibos oblatos mox abhorrent, mox intenſè deſiderant: quibus ingeſtis, ructibus, aſthmate & cardialgiâ tentari ſolent.
- *SUBJECTUM*
  - *MORBI* eſt orificium ſtomachi ſiniſtrum ejusque plexus nervoſus.
  - *CAUSÆ*
    - Ventriculus quoad fundum & latera, in malo idiopathicô.
    - Hypochondria, in morbo per conſenſum, conſtituunt.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt vel
      - nimia orificii nervoſi vellicatio.
      - nimia ventriculi corrugatio, quâ latera collapſa ſe affricando irritant, ut in reconvaleſc. obſervatur.
    - *MATERIALIS*
      - Poſitiva ſunt humores acres, ſalſi & acidi in ventric. & hypochondriis.
      - Privativa, defectus pituitæ ſtomachalis.
  - *REMOTA* radicatur in
    - Temperamento Melancholicô.
    - Abuſu acidorum.
    - Frigore externo.
    - Scorbuto, Malo hypoch. & Lumbricis.
- *PROGNOSIS*
  - Famem caninam non adeò periculoſam; Bulimum verò, ob deliquium animi, magis metuendum dicit, conf. *Aphor. 4. Sect. 1.*
  - In morbis chronicis & moribundis monſtri quid alunt.
- *CURATIO*
  - 1. Humores acres corroſivos temperat, remediis aut
    - *DOMESTIC.*
      - Conch. oblong præp. c. cinnab.
      - Corall. rubr. præparatis.
      - Minera ♂. aut ♂ ſubtiliſſ. pulver.
      - Pulv. alcal. invert. n. d.
      - Ocul. ♋. croc. ♂ aper. Pulv. Cach. c. elæoſ. citri.
    - *PHARMACEUTICIS*
      - Tinct. ♂ & ♁ anodyn. Ther. ♌. 🜿 per del. & R. 🜍 *D. Mülleri* Lindav.
      - Pulv. abſ. *Wed.* præc. *D. Bilger*; it. Anthelmint.
  - 2. Correctos evacuat per
    - Vomitor.
      - Rad. ipecacuanhæ.
      - 🜿. emet. infuſ. ♁.
    - Laxantia:
      - Magneſ. alb. ſeu Pulv. lax. Polych.
      - Pil. ☿r. & ſpec. diaturbith.
  - 3. Stomachum confortat per
    - internè
      - Vin. Rhen. Malv. & Hippoc.
      - Liq. Nerv. *D. Schefferi.*
      - Omnia aromatica.
    - externè
      - Balſ. ſtomachalia
      - Empl. ex Theriacâ.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Cavendum hîc, ne ante laxantia aut purgantia præſcribantur, quàm acidum per enervantia & edulcorantia temperatum & cicuratum fuerit. Secus ſi feceris, tormina, dyſenteria & ſimilia ſequi poterunt.

II. Licet acidum in vino ſit occultum, perperam tamen id Bulimo laborantibus interdicitur, cum ob animi deliquium conjunctum maximè conveniat. Hinc plurimos fame caninâ detentos vini generoſi potu ſanatos eſse *Zacutus Luſitanus* & ex eo *D. Michael* in *Colleg. Pract.* refert, qui præ aliis vinum ſalviatum laudat.

OBSERVATIONES.

I. Notabile eſt exemplum fœminæ ſcorbuticæ Appetentia Canina laborantis, quæ poſt uſum Naſturtii Aquatic. rejecit lumbricum latum inſanæ longitudinis, ſicque eandem feliciter reſtitutam eſſe *B.D. Joh. Michaelis* retulit Diſcipulo ſuo, *Mich. Ettmüllero.* vid. hujus *Colleg. Pract.* Tit. de Bulimo & Fame Canina.

II. Haud abſimile quid in Studioſo quodam, Giſsæ literis incumbenti, obſervavi & *Miſcell. Academ. Naturæ Curioſorum Ao. X. Dec. II. Obſ. CXIX. p.* 214. inſerui: Nobilis ſc. Riga-Livonus, nomine Preis, ultra fidem modumque vorax erat, adeò, ut victu ordinario non contentus jentaculis & merendis uteretur largiſſimis, vixdum ceſſante appetitu; cumque ſimul torminibus ſubinde in abdomine vexaretur, eaque de cauſa pilulæ Mercuriales diverſis vicibus illi præſcriptæ fuiſſent, aliquoties ab illarum uſu fruſta lumbrici lati procera & ulnas aliquot adæquantia excrevit, quæ dubio procul appetitus illius p. n. aucti cauſæ fuêre. Nec in hominibus tantùm, ſed & in Cane admodum vorace & vix ſatiabili idem obſervare licuit.

FOR-

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Min. ♂. pulv.
Conch. obl. præp. ana ʒj.
Nuc. moſch. pulv. Scr. ß.
Extr. opii gr. iij.
M. F. Pulv. bis de die, à Scrup. j. ad ʒß. ſumendus.

* * *

℞. Pulv. cinnab. n. d. ʒj.
alb. invert. ʒſ.
Extr. opii gr. ij.
M. F. Pulv.

* * *

℞. Vin. Malv. ℥iij.
Rhen. ℥ij.
▽. cinamom. ʒij.
Eſſ. op. Scrup. ſ. M.
D. cochleatim.

α. & ω.

℞. Pulv. cacheſt. Q. ʒj.
præcip. d. Bilg. Scrup. ij.
Croc. ♂. aperit. ʒß.
Elæoſacch. citri Scrup. ſ.
Laud. opiat. C. gr. iij.
M. F. Pulv. manè & veſp. ſumendus.

* * *

℞. Tinct. ♀.
♉. ana ʒß.
anod. Scrup. ſ. M.
Doſ. gutt. 20. bis de die.

* * *

℞. ⚯♀ p. d. ʒij.
Tinct. ♀. alcal. D. Mülleri Lind. ʒj.
M. D. 15. ad 17. gutt.

DESCRIPTIO PVLVERIS PRÆCIPITANTIS D. Bilgeri.

℞. Teſt. ovor. probè calcin.
Lap. ♋.
Chel. cancr. marin.
CC. uſt.
Matr. Perl. præp. ana ℥ſ.
Magiſt. Succini.
Macis aa Scrup. j. M.
Doſ. Scrup. ij. in vinô vel aliô vehiculô.

DESCRIPTIO TINCTVRÆ ♀ ALCALINÆ D. D. Mülleri, Lindav. Celeberrimi.

℞. Flor. ♀. (vel) ♀. Herzogerod. opt.) q. v. affunde ana ⚯♀ p. d. in vitro robuſto, ſolve cautè ſupra △: Solutum filtra & evapora & nanciſceris materiam rubicundam, fluat in cellâ in ⚯. rubrum, extrahe c. 🜋 rectificatiſſ. & uſui ſerva.

CAP.

DE ANOREXIA ET APEPSIA.

ANOREXIA eſt appetitus proſtratio, à defectu vellicationis ſtomachicæ oriens.

- *PHÆNOMENA.* Cibos averſantur aut in ſolidum in ANOREXIA, aut eosdem cum diſplicentiâ aſſumunt in DYSOREXIA. Adſunt inſimul ructus nidoroſi, aut acidi, ſitis, cephalalgia: Ægri mox à paſtu ſentiunt phlogoſes, abdomen inflatur, cum dolore obtuſo & quaſi gravativo circa præcordia, difficili reſpiratione, nocte inquietâ &c. Mane viſcida reſpuunt & alimenta plane non digeruntur in APEPSIA, parum in DYSPEPSIA, difficulter in BRADYPEPSIA.
- *SUBJECTUM* eſt Ventriculus quoad
  - orificium ſiniſtrum in Anorexia.
  - fundum & latera in Apepſiâ.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt
      - Deficiens
        - vellicatio orific. ſtom.
        - perceptio vellicationis.
      - Debilitas
        - caloris vit. in ventric.
        - ſpirituum & nervorum.
    - *MATERIALIS* eſt
      - ſaliva nimis viſcida.
      - cruditas acida, vel nidoroſa.
      - pituita viſcida.
      - lumbrici, &c.
  - *REMOTA* ſunt
    - Tenerior ventriculi textura ejusque tonus delibitatus.
    - Aer aut calidior juſtô, aut frigidior.
    - Cibi potusve aut quantitate, aut qualitate peccantes.
    - Motus, vigiliæ & ſtudia nimia.
    - Dolores, Hæmorrh. nimiæ, Febris, Nephritis, &c.
- *PROGNOSIS*
  - Anorexiam in febribus ſuſpectam: In nephriticis paroxyſmum: In declinatione recidivam portendere dicit.
  - Apepſiam nec difficilem, nec periculoſam; Neglectam tamen cruditates augere ſtatuit.
- *CURA*
  - 1. Removet cruditates & humores p. n.
    - Ineditâ & Abſtinentiâ.
    - Vomitoriis, aut Laxantibus
      - ♁alibus, 🜿 Emet. Infuſ. croc. met.
      - 🜖laceis: 🜖 albo, Gilla *Paracelſ.*
  - 2. Corrigit hum. peccantes, per
    - DOMEST.
      - ▽. Menth. Infuſ. Fab. S. Ignatii.
      - Eſſent. abſinthii C.
      - ∽ ⊖ dulc. ⊖ ✱ depurat.
    - OFFICINALIA,
      - Alcalia fixa & vol. ⊖ abſ. Balſ. nerv. Concrd.
      - Acida
        - veget. cydoniata,
        - mineral. ∽ ⊖. dulc. Elix. propriet.
      - ⊖ſa incidentia, ut ⊖ ✱ depur.
      - ℞. ſtom. *Geilfus.*
  - 3. Confortat
    - 1. Spiritus, per
      - Vinum generoſum, abſinthites, C. & ☽re *Helvet.* ut & ambram in Senibus.
    - 2. Liquorem Gaſtricum per acido ⊖ſa, amaris mixta.
    - 3. Tonum Stomachi
      - Intern. ſtomach.
        - ſpec. diatrion. pip. Zing.
        - Cond. Pulv. Stom.
        - ſpec. pro Morſ. Imp.
      - Extern.
        - Carapl. ex fermento, Empl. ſtomach. it. 🝆 Nuciſtæ.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Cave ne deficiente appetitu ægros muliercularum more ad cibos aſſumendos cogas, cumprimis in acutis, tempore paroxysmi & ante judicationes, vid. *Hippocr. Aphor.* 19. *S.* 1. Rectè *Helmontius*, dum malo, inquit, meos ægros ſanos, quàm obeſos.

II.

In Lactantibus & Lactentibus, ut & Senibus in reſtaurando appetitu fuge acida, quibus illîc lac, hîc M. S. ad coagulationem diſponuntur, non ſine notabili ſanitatis vitæque detrimento.

OBSERVATA CLINICA.

I.

Nobiliſſimus DN. ab Oyenhauſen, Tribunus Militum, conquerebatur de compreſſione ventriculi, quæ ex copioſo phlegmate promanabat: hinc appetentia dejecta, ordinavi Pilulas:

℞. Extract. Cathol. Scrup. iſ.
Mechocann.
Rhabarb. ana Scrup. j.
Gentianæ
Calam. arom.
Centaur.
Gummi gutt.
Spec. arom. roſ. ana Scrup. ſ.
☍. Rut.
Cumin. ana g. ij.
c. s. q. Syr. Violar. F. Pil.
n. vij. ex Scrup. j.

de quibus ſæpius Scrup. j. aſſumebat. Utebatur ſimul Morſul. Imperat. ſicque reſtitutus eſt. *D. Schefferus* in *Obſervat. Pract. Mſc.*

II.

Dominus Jacob de la Rye, cùm ultra annum proſtrato appetitû laboraſſet & ſingulo mane ſeroſi & bilioſi humores, cum pauca pituita, in os regurgitaſſent, ſequentibus pilulis à me præſcriptis cum euphoria uſus eſt:

℞. Specier. hier. picr. gr. x.
Extr. Gentian.
Calam. arom.
Centaur. min. ana gr. xv.
Extract. Mechoacann.
agar. trochiſc.
☿ ⊖ lati ana Scrup. ſ.
M. F. Pil. c. Syr. & ſp. arom. roſ. n. xxj.

Idem ibidem.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. ▽. Ment. Unc. iij.
Extr. Angelic. ℥j.
⊖. fix. cathol. Scrup. ſ.
edulc. c. ſacch. ſyrupiſato
D. cochleatim.

* * *

℞. ⊖ ✱. depurat.
Zedoar. pulv. ana ℥ſ.
NM. pulv. Scrup. j.
M. Div. in 3. p. æ.
D. in ▽. Menth.

α. & ω.

℞. Conſerv. roſ. ⊖. ℥iſ.
Zingib. in Ind. Cond.
Elect. diacor. ana ℥ſ.
Succolat.
Pulv. Stom. Birckm. aa ℥ij.
c. s. q. Myv. Cyd. F. Elect.

* * *

℞. Eſſ. Stom. Gmelini ℥iij.
D. gr. 20. ad 25.

* * *

℞. Tinct. Stomach. Geilfus.
propriet. Mynſ.
ana ℥iſ.
M. D. gutt. 20. ad 30.

℞. Eſſ.

* * *

℞. Eſſ. abſint. C.
Balſ. nerv. Conerd.
ana ʒß.
M. D. gutt. 17. bis die.
S.
Magen-Eſſenz nach Bericht zu brauchen.

* * *

℞. Ambræ. gryſ. ver. Scrup. j.
ſacch. ʒß.
M. Div. in 3. p. æ.
D. in juſculo, pro Senibus.

* * *

℞. Ferment. acerr. q. ſ.
Herb. menth. mj.
Flor. Cham.
Roſ. ana. p. j.
NM. pulv. Scrup. ß.
M. F. Cataplaſma Stomacho imp.
Vel
F. Balſam. ex ℅ NM. & ℅ carui.

DESCRIPTIO TINCTURÆ STOMACHICÆ D. Geilfuſii.

℞. Aloes gummoſ. ʒj.
Croci, Myrrh.
ana ʒß.
Rad. zed. ari. galang.
enul. ana Scrup. ij.
Cortic. ☉, citri.
Bacc. laur. cinnam.
ana Scrup. iiß.
⊖. abſinth. ⊖ ſuccin.
☿ flor. ⊖✱.
ana Scrup. j.
affund. ∽. junip.
ad emin. 4. dig. & extrah.

VINUM ABSINTHITES ☽RE D. Helvetii.

℞. ☽. fin. q. v. ſolve in s. q. ∽⊖, calefiat parumper & partem dimid. ∽⊡. vel ⊖✱ affundendo ▽ partim in cremorē. Quod reliquum eſt reponatur, donec liquor clarus & ſmaragdinus appareat: Hic decantetur, ad cuticulam, evaporetur & l. a. in cryſtallos redigatur. Horum quantitas piſi poculo vini infuſa præbet Abſynthites Stomachico-Epilepticum egregium.

 CAP.

CAP. III. DE NAUSEA ET VOMITU.

VOMITVS eſt violenta eorum, quæ in ventriculo continentur, excretio per os, ab irritatione & ſubverſione pylori exorta.

- **ΦAINO'MENA.** Præter ciborum averſationem imminente VOMITU anxietas oritur circa præcordia; Vertiginoſi quid patiuntur: Labium inferius tremit: Os ſalivat tandemque ea, quæ in ventriculô ejusque confiniis detinentur, laborioſè eructantur.
- ***SVBJECTVM*** Sunt orificia ventriculi, utut ſubjectum cauſæ in aliis viſceribus latere ſicque Vomitus per conſenſum oriri poſſit, qualis in nephritide, vulneribus capitis &c. obſervatur.
- ***CAVSA***
  - ***PROXIMA***
    - ***FORMALIS***
      - Nauſeæ eſt irritatio & ſtrictura ſiniſtri ventriculi orificii.
      - Vomitûs autem eſt convulſio pylori irritati.
    - ***MATERIALIS*** ſunt Humores & particulæ acriores in Ventriculô, aut in aliis partibus hærentes.
  - ***REMOTA***
    - Sexus muliebris & in eô ſtatus Graviditatis.
    - Aer à gas carbonum infectus.
    - Cibi potusque maligni.
    - Motus nimius, ut ναυτιλίη, *die See-Kranckheit*.
    - Alvus diu obſtructa, vermes, menſtrua ſuppreſſa.
    - Affectus animi: ita, terror &c.
    - Febres intermittentes & malign. variolæ.
    - Nephritis, Paſſio hyſterica, &c.
- ***PROGNOSIS***
  - Vomitus
    - Prægnantium præſervat à Febribus Puerperarum.
    - Navigantium in ſolô ſponte ceſſat.
    - Criticus, & qui à fructibus horæis, bonus.
    - Sanguineus malus.
- ***CVRATIO***
  - 1. Cauſam eliminat, per
    - Vomitoria l. laxantia.
    - V. S. & cucurbit, ſi à ſang. ſuppreſſione.
  - 2. Spaſmum & ſtricturã ſiſtit,
    - Anodynis 🝆 ſis, theriacalibus, emulſionibus, 🝆 Nuciſt. &c.
  - 3. Stomachum confortat
    - Internis
      - ***DOMESTICIS,***
        - Nuc. moſch. pulv.
        - ▽. menth. &c.
      - ***OFFICINALIBVS,***
        - Pil. ex extr. abſinth. C.
        - Pulv. ſtom. Birckm.
        - Myva cydon. Eſſ. Stom. Gmelini,
    - Externis, ut Balſ. 🝆 & unguentis ſtomachicis.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In propinandis adſtringentibus, pro curando vomitu, fugiantur acida, quæ motu hôc ventriculo fortius impacta fibras lædunt. Præſtant terrea, auſtera, oleoſa & mucilaginoſa, à quibusdam perperam interdicta.

II. Vomitum ab aſſumtis venenis aliisque rebus noxiis compeſcere noli, priusquàm cauſa mali fuerit excluſa; ſecus ſi feceris, truculentiſſima ſymptomata ſequentur, ut in Caſu ſeq. eluceſcit.

OBSERVATIONES.

I.

EXCERPTA

è Literis DN. M. Pauli Suſemihl, Eccleſiaſt. Haſſ. die 16. *Jan.* 1697. *ad me datis.*

Ut tandem M. T. deſiderio aliquatenus ſatisfaciam, breviſſimis de affectu illo ſtupendo & horrendo, cujus aliquoties injeci mentionem, nonnulla, quæ partem ipſe vidi, partim ex aliis, fide dignis, audivi, referam, hunc potiſſimum in finem, ut M. Væ. ſubminiſtretur anſa mentem ſuper hac re aperiendi & imperitiores informandi. Voluiſſem quidem, ut qui Alsfeldiæ operam Medicinæ navant, viſitaſſent hunc ægrotum & paroxyſmos adſpexiſſent: reperiſſent ſanè, quod notare potuiſſent; verùm nullus curam ejus rei habuit. Quidam dixiſſe fertur, ſe neſcire, qualis hic ſit affectus, ſe ſcripturum tamen ad Fratrem, Giſſæ commorantem, num iſte haberet hujus rei quandam cognitionem, nihil autem prætereà eſt actum.

Ut autem affectus iſte eò melius cognoſcatur, placet exponere, qualis iſte homo excruciatus, quæ mali initia, incrementa & exitus? quæ dum non terminis in Medicina uſitatis profero, M. V. mihi ignoſcet, eò quod multum temporis præterlapſum, quan-

do Medica tractare licuit. Sum coactus dudum hiſce ſtudiis, licet invitus, valedicere. Henricus Rœmer, Incola in Hergersdorf (vellem diceretur eſſetque HerrGottsdorff) pago Præfecturæ Romradenſis, in agro colendo occupatus, rei familiaris curam geſſit non culpandam, & prout id genus hominum parco, tenui & parabili victu ſe ſuſtentat & paucis vivens gnaviterque laborans difficilioribus infirmitatibus communiter non eſt obnoxium, ita & hic contentus, ſi ipſi menſa tripes & concha ſalis puri apponeretur. Fuit etiam firmis lateribus, ut quadret in ipſum: Si ventri bene, ſi capiti pedibusque tuis, nil divitiæ poterunt regales addere majus. Ex ipſo ſæpius vox hæc audita: ſe nunquam languore vel morbo eſſe correptum. Hinc ob corporis firmitatem nomen *Craſſi* inter corrivales eſt adeptus. Cùm autem vulgò 4. Complexiones ſoleant recenſeri, Henricus mihi ad Melancholios vel Mercuriales viſus eſt referendus. Frugales quidem eſſe coguntur Coloni: interim quoties cuticulæ curandæ ſe offert occaſio, ita ſe vino ſublimato, cereviſia &c. ingurgitant, ut tanquam exanimes proſtrati jaceant. Imò quando in æſtate vel Solis calore, vel labore incaluerunt, non ſibi à potu temperare norunt, ſed intemperanter frigidam exhauriunt & hac ratione ſibi graviſſimos morbos contrahunt, vel morrem ipſam accelerant. Ita hic Henricus 1694. meſſis tempore cum quibusdam vicinis ſuis aliquid cereviſiæ exhauſit, ex quo tempore malè ſe habuit. Senſit in inteſtinis tormina, vomitus etiam difficilis & continuus eum per aliquot dies turbavit & excruciavit, quoniam ob decimas cum quibusdam vicinis contenderat. Exiſtimavit ſibi poculum venenatum eſſe exhibitum. Si Medicum, qui morbi cognitionem habuiſſet, conſuluiſſet, credo morbum non fuiſſe immedicabilem. Verum ille ad mulieres, neſcio quas, nec non Circumforaneos ſe contulit, qui medicamenta quædam exhibuêrunt, quibus vomitus quidem ille continuus eſt inhibitus, non tamen ſublatus: nam per intervalla vomitare non deſtitit. Hanc autem vomitûs continui inhibitionem ſubſecuta eſt manuum pedumque trepidatio, quæ ab initio non fuit

vehe-

vehemens, ſumſit tamen indies incrementa, & talis tantáque brachiorum, crurum, manuum pedumque inſecuta eſt commotio, ut ad opera facienda redderetur ineptior. Digitos motitavit ut illi, qui κροῦστα pulſant. Tripudiavit ut illi, qui commodè ſaltare norunt. In ſiniſtro latere, ſub coxis, monſtrabat tuberculum, longitudine & latitudine digitum referens, in quo ſe ſemper dolores ſentire aſſeruit. Quoties autem ex hoc aliquid inſtar flatûs aut ſpiraculi emanaret (quod ſe ſentire affirmavit) toties ſummos in corpore cruciatus, cum membrorum motione, exiſtere & ſe ad tripudia compelli, malum autem hoc uſque ad aures aſcendere, reliquum capitis non infeſtare cœpit ſenſuumque organa ſemper manſerunt intacta & illæſa. *οὐ χρείαν ἔχουσι οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες.* Hinc Syracides: *Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ, αὐτὸν γὰρ ἔκτισε Κύριος, παρὰ γὰρ ὑψίστου ἐστὶν ἴασις.* Dolendum tamen, quod tantus ſit Medentûm numerus, qui nullâ pollent ſcientiâ; quanquam etiam non ſufficiat, nec ſequatur: Hic habet ſcientiam & experientiam, ergò eſt Medicus: requiritur enim ad ſcientiam etiam conſcientia, ad experientiam DEI verbo conformis veritas, ad ſalutare remedium honeſtas & ſanctus titulus, ad manum felicem ſtatus minimè ſuſpectus, ut confidere quis poſſit. Medicum juſta adhibere remedia decet, ne corpori bene, animæ autem malè proſpiciatur. Sæpius hoc privatim ac publicè propono, attamen ſæpè fieri video, ut ſimpliciores à Circumforaneis & ejusmodi impoſtoribus ſeducantur. Aſſeruit quidem hic infirmus, DNN. Alsfeldenſes non potuiſſe ſibi eſſe auxilio, licet eos ſæpius conſuluiſſet: an hoc autem ita ſe habeat, non habeo dicere. Hoc tamen edoctus aſſero, ex quô ad Circumforaneos & Carnifices ſe contulit, res ejus apertè in pejus eſſe mutatas. Natura ſiquidem magis magisque eſt debilitata & planè proſtrata, imò Carnifex quidam ſedecim purgationibus vehementiſſimis planè hominem fregit, nullam iſte inſulſus morbi, nullam virium ægroti habuit rationem. Non intellexit, quòd purgatio nimium purgans & debilitans nihil proſit, ſed omni vi malum è corpore potionibus ejiciendum dixit:

xit. Conſiderans quibus morbi ſanatio commiſſa & quibus remediis iſti malum tollere ſint auſi, facilè conjiciet, quis ſecutus ſit effectus? Hactenus per intervalla homo eſt excruciatus, ut non continuos ſenſerit cruciatus & corporis motus; poſt tot purgantia autem & alia noxia aſſumta continuus dolor & motus corpus occupavit, ut obſtupuerint, qui adſpexerunt miram brachiorum crurumque diſtorſionem, extenſionem, attractionem motionemque celerrimam & commiſſionem digitorum, imò ipſius linguæ, cum murmure, motionem; cum quâ motione exquiſitiſſimi dolores fuerunt conjuncti, ut ſe non aliter eſſe affectum affirmârit, ac ſi ferrum candens corpori eſſet infixum. Ad pudenda non rarò malum hoc pervenit: quoties autem hoc eſt factum, præ dolore ita exclamavit, ut à longè diſſitis clamor ſit exauditus. Factum eſt etiam aliquoties, ut linguæ motu ſibilârit, velut ſanus quidam linguâ ſibilum ſolet edere. Tripudiatio quoque peracta eſt frequentior & vehementior. Prius, ut dictum, motitabat digitos, inſtar Cithariſtæ, poſtea ſtans gyrabat corpus, menſam porrò apprehendens diu ſaltabat, pedes decuſſatim jaciendo, hanc denique ſaltationem unicô ſaltu vehementiori claudebat. Saltatione peractâ ſe in ſtratum conjiciebat, repetebat brachiorum motiones prioresque notatas actiones, quibus finitis rurſus ad tripudia perveniebat. Hæc ita per aliquot dies peracta ſunt, ſine ullâ remiſſione, omnia videns, audiens & intelligens. Conqueſtus eſt ſe compelli ad iſtas motiones & actiones, quas libentiſſimè vellet intermittere. Maximas autem DEO egit gratias, quod mens eſſet ſana, ne ſibi ipſi aliisque circumſtantibus damnum inferret, quod futurum ſenſit, ſi intellectus turbaretur. Quod ſi DEUS intellectum non ſervaſſet, profitebatur ſe dudum catenis fuiſſe coërcendum. Tuberculum iſtud ordinariè in ſiniſtrô hærens latere, aliquando in dorſum, aliquando in dextrum pervenit latus. Quamdiu aliquamdiu in conclavi potuit incedere, quoties ivit, vel ab aliis eſt ductus, viſus eſt claudicare & crus trahere, ac ſi eſſet contractum. Imò totum latus viſum eſt virtute motivâ carere,

tere, in quo hæſit tuberculum : ſimulac autem ſaltavit, nulla obſervari potuit claudicatio, vel cruris debilitatio. Quando autem amplius incedere non valuit, in ſtrato tamen ſe continere non potuit, ſed manibus ac pedibus in conclavi reptavit. Quoties autem ab Uxore, Fratre ac aliis circumſtantibus eſt erectus, ſi iſti eum non ſuſtentarent, ſaltare allaboravit, addita hâc voce : ô me miſerum ! incedere & membra trahere non valeo & tam n ad ſaltandum cogor. Aliquid, ſed tamen parum, quietis eſt ipſi conceſſum. Denique per 4. hebdomadas ſine ullâ remiſſione exquiſitiſſimis doloribus, membrorumque concuſſionibus vexatus, intellectu tamen & ſenſibus usque ad extremum ſalvis manentibus, 6. Decemb. 1696. exſpiravit. Horâ mortis appropinquante viſus eſt quieti ſe daturus quievitque per integrum diem. Evigilans autem convocavit præſentes ad ſe continendum, tremor & concuſſio rurſus corpus invaſit, ſed mox remiſit, qui adfuerunt, ipſum dormire exiſtimârunt nolueruntque ipſi eſſe moleſti. Tandem quid ageret cernere cupientes, ipſum in Uxoris brachiis obdormiviſſe cognoverunt. Quæritur, quis morbus, quod συνεχὲς ἄιτιον horum ſymptomatum ? Vulgus hominem à Diabolo obſeſſum judicavit. Ipſe quoque veritus ſum, ne iſtæ motiones & agitationes majoris mali eſſent ſigna & forte cum tempore talia concurrerent, quæ vel ἀπόδειξιν vel ἔνδειξιν obſeſſionis præ ſe ferant, ſed DEI gratiâ non apparuerunt talia. Licet autem αὐτοπροσώπως Satanas non obſideat hominem, poteſt tamen varias venenatas qualitates in hominis corpus immittere. Sunt enim Spiritus Maligni κοσμοκράτορες. Quamvis dubitari quoque nequeat, quin DEUS ſanctorum Angelorum miniſteriô in rebus naturalibus ordinandis & dirigendis utatur, ut Rabbinorum ſententia de Angelis Diariis, ut & de Angelis Directoribus סלופנות &c. in totum rejicienda non ſit. In Epilepſia & Caduco varii & horribiles motus conſpiciuntur , unde exiſtimavi ægrum noſtrum iis corripi. Verùm cum ſenſûs organa ſemper manſerint illæſa, etiam paroxysmo urgente, aliud mihi perſuaſi, niſi fortè quis dicat, à Medicis quoque obſervata fuiſſe E-

L pilepti-

pilepticorum exempla, quorum mens durante inſultu illæſa manſit. Audivi ſanè de Paſtore Epileptico, quod faciens ſermonem ad populum correptus hoc malo ſermonem quidem abrumpere ſit coactus, finito autem paroxysmo ſciverit finem dicendi & continuaverit Orationem. Fortè etiam datur ſpaſmus luſorius, ubi per aëris interni motum membra ad tripudia inclinantur. Licet E. in Apuliâ non vivamus & de Tarantulâ, vel Stellione & de Tarantiſmo nihil nobis conſtet, præter id, quod *Athan. Kircberus in Lib. de Arte Magnet.* & alii recenſent: attamen cum æger talia ferè peregerit, qualia Tarantismus cauſatur, fortè quis dicat hoc veneno fuiſſe infectum ægrum Hergersdorfenſem. M. V. ignoſcet de hiſce balbutienti, quam Divinæ commendans protectioni perſevero

M. V.

Obſequioſiſſimus

M. Paul Suſemihl.

Notæ.

Haud abſimile ſymptoma hic Giſſæ Anno 1704. in Fabro ferrario obſervatum fuit, qui Maniaci inſtar delirans ſubinde uno ſaltu de terrâ in lectum ſaliendo dixit: Nun bin ich davon, h. e. Jam de me actum eſt? Propinato autem à DN. Ruppio, Med. D. & Pract. Giſſeno, vomitorio araneum rejecit & mox convaluit. Fortè ſimilis cauſa in ſuprà memorato ægro occurrit, ita ut motus illi, à ſubſultatione aranei in ventriculo, velut in Tarantismo, phantaſiæ ſaltandi ideam impreſſerint.

II. Mercator Francofurtenſis, Jacob de la Rye, maximo dolore circa cor & orificium ventriculi ſiniſtrum corripiebatur, quem vomitus copioſi, pituitoſi & utplurimùm bilioſi ſequebantur. Præſcribebam ſeqq.

℞. Syrup.

℞. Syrup. Acetoſ. citri ℥iß.
de berberibus ℥j.
granatorum ℥ß. M.

Ventriculus inungebatur. ſeq.

℞. ℴℴ. maſtich.
abſinth.
cydon. ana ʒij. M.

Cor vero hoc:

℞. Unguent roſ. ℥ij.
axung. gallin. ℥ß.
ol. citri g. iiij.
cinam. g. ij.
Spec. cord. temp. gr. v. M.

Cùm deſuper ſæpè deficeret animô & magnas anguſtias cordis haberet, hoc potu cordiali uſus eſt:

℞. ▽. roſ. moſchat.
acetoſ. l. acetoſell.
fl. acac.
bugloſſ.
meliſſ. ana ℥ß.
cinnamom. ʒij.
Conf. de hyacinth. Scrup. j.
Magiſter Corall.
Perlar. ana gr. v.
Man. Chr. perl. ʒß.
M.

Veſperi verò, cùm calorem febrilem magnum ſentiret & tremorem, ſeq. pulv. ſumſit:

℞. Conſ. de hyacinth. Scr. j.
Magiſt. Perl. Corall. aa. g. v.
Succin. alb. præp.
Scrup. ß. M.

Hinc ſudavit. Quùm verò alterô mane compreſſionem pectoris & gravitatem, cum aliquâ tuſſiculâ, ſentiret, ſanguinem ad ℥ij. detraximus. Veſperi cardialgia redibat, cum expectoratione cruentâ; unde ſeq. capiebat: ℞. Syr. de hed. terreſtr. papav. glycir. de alt. ana ℥j. M. Dolor lateris hinc minuebatur. Cùm verò compreſſio cordis & vomitûs quotidiani non remitterent, ſeqq. pilularum n. vij. veſperi ante cœnam ſumpſit:

℞. Extr. Jalapp. ʒſ. Rhab. Gent. Centaur. min.
Calam. arom. ana Scrup. ſ. Extr. lign. al. gr. iiij.
Diagrid. roſ. gr. vj. ol. cinnamom. g. ij.
c. Syrup. d. menth. F. Pil. ex Scrup. j. n. vij.

Harum uſu ſæpe repetito vomitus, qui quadriennium duravit, deſiit. Contra tremorem, qui poſt majorem motum affligebat, hoc pulvere cum euphoriâ uſus eſt: ℞. Succini albi præp. ʒiſ. ſpec. diamoſch. dulc. Scrup. ſ. Rad. Pœon. Scrup. ij. Extr. ligni al. gr. ij. ſacch. roſ. tab. ℥ſ. M. F. Pulv. *D. Schefferus in Man. Pract. Mſc.*

FORMULÆ

α. & ω.

℞. Theriac. n. camph. ʒſ.
Nuc. moſch. pulv. gr. v.
M. D. pro doſi.
S.

Anhaltender Biſſen auf einmahl.

* * *

℞. ▽. menth. ℥iij.
Eſſent. caſtor. ʒiſ.
Extr. opii gr. iij.
c. s. q. ſacch. ſyrupiſ. edulc. M.
D. cochleatim.

α. & ω.

℞. ▽. Menth.
meliſſ.
maſtichin. ana ℥ j.
cinamom. ʒij.
Myv. cydon. arom. ℥ß.
Ther. cœl. gr. iij.
ſyr. cort. aurant. ℥ſ.
M. D. Cochleatim.
ſæpius de die.

* * *

℞. Eſſent. abſinth. Comp.
Reg. Dan. ʒiſ.
Stom. *Gmel.* ʒj.
Opii ʒſ.
M. D. g. xvij. in
▽. menth.

℞. The-

* * *

℞. Theriac. n. camph. ℥ſ.
&o. Nuc. moſch. expreſſ. ʒſ.
deſtill. car. g. j.
M. F. Emplaſtr. illinendum alutæ & applic. ſcrob. cordis.

* * *

℞. &o. Nuciſt. exp. ℥j.
deſtill. carui Scrup. ſ.
Zibeth. gr. ij.
M. F. Balſamum ſcrobiculo cordis illinendum.

* * *

℞. Cruſt. pan. calid.
affund. Vin. Malv.
& adſperg. pulv. caryoph.
applic. calid. region. ſtomachi.

* * *

℞. Extract. Theriac. Scrup. ſ.
abſinth.
Torment. ana ʒß.
Laud. opiat. gr. v.
c. s. q. Eſſ. abſinthii F. Pil. pond. gr. j. D. n. xix.

DESCRIPTIO EXTRACTI & ESSENTIÆ Abſinthii Compoſ.

Regis Daniæ.

℞. Extr. abſinth. c. V̲. Rhen. fact. ℥ſ.
Miſt. Simpl. *Parac.*
Eſſ. hyperici *A. Sal.* ana ℥ij.
M. Confortat Stomachum, præſervat á ſcorbuto & cumprimis valet contra Nauſeam & Vomitum Navigantium in mari.

ESS. STOMACH. Gmelini.

℞. ⊖♀. ℔ß.
⊖✱. purif. ℥iv.
Cort. rec. aur. & citri ana ℥ij.
V. Rectif. lib. iij. M. ♌. per alemb. Doſ. g. xx.

DE CHOLERA.

CHOLERA eſt flatuum, aut humorum p. n. per os & ſeceſſum rejectio, ab irritatione ſtom. & inteſtinorum oriens.

- **PHÆNOMENA**
  - In CHOLERA SICCA flatus urgent, ructus ἄνω, crepitus κάτω excluduntur, non ſine virium debilitate. In CHOLERA HUMIDA verò per ſuperius æquè ac inferius guttur humores acres, nidoroſi, vel & inſipidi rejiciuntnr. Utrobique autem adſunt tormina, cardialgia, ſudor frigidus, ſitis, ſyncope &c. Sæpe & febris conjungitur.
- **SUBJECTUM**
  - *MORBI* ſunt Ventriculus, Inteſtina & cumprimis Duodenum.
  - *CAUSÆ* ſunt
    - Eadem, ſi à cauſâ externâ & errore Diætæ:
    - M. S. ſi à cauſâ internâ oriatur.
- **CAUSA**
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt irritatio ſtomachi, inteſtin. & M. S. omniumque elater concitatus.
    - *MATERIALIS* ſunt acria quævis, humores nidoroſi, ut & flatus ſylveſtres.
  - *REMOTA* ſunt
    - Cibi facile corruptibiles,
      - Fructus horæi, mala Perſica.
      - cucum. melon. ova barbæ piſcis.
      - fungi & boleti.
    - Affectus animi vehem.
    - Evacuat. ordin. ſuppreſſę.
    - Febres malignæ, venena, &c.
- **PROGNOSIS**
  - Malum eſt peracutum, 3. vel 4. die enecans.
  - Melius tamen, ſi à cauſâ externâ: Pejùs ſi abſque manifeſtâ cauſâ: Peſſimum ſi à febre malignâ oriatur.
  - Quò plura Ventriculi ſymptomata adſunt, eò pejor eſt.
- **CURA**
  - 1. Motum Naturæ obſervat, juvando
    - Vomitum, ſi Diarrhœa nimia, per
      - Ipecacuanham, aut ♁
      - Vomit. c. opio.
    - Clyſteribus demulcendo, ſi vomitus ſit nimius.
  - 2. Acrimoniam humorum corrigit & demulcet, per
    - DOMESTICA,
      - Juſculum pulli gallinac.
      - ▽. menth. copioſè hauſt.
      - Theriac. n. camphor.
      - Extr. opii, cydoniat.
    - PHARMACEUTICA,
      - Decoct. hord. c. alexipharm.
      - Emulſion-pap. c. dec. hord.
      - Lap. cryſtall. præp. tormentill.
      - Terra ſig. & Bol. c. Spir. terr. ſig.
      - Carminativa, ▽. naph. carm.
      - Opiata & demulcentia.
  - Stomachum confortat
    - Internè
      - Cydoniatis. Myv. cydon. arom.
      - Maſtich. ▽. & Decoct. Maj.
      - Aromaticis, Nuc. moſch.
    - Externè per
      - Placent. mellit. c. Vin. Hiſp.
      - ∼ Vini. camph.
      - Balſam. catapl. Empl. & Unguenta Theriacalia.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In curatione Choleræ, cumprimis humidæ, cave ne ab initio talia adhibeantur, quæ fluxum humorum acriorum & p. n. omninò cohibent; ſecus ſi feceris, recidiva, morbo ſuo periculoſior, metuenda eſt.

II.

Cavendum etiam à purgantibus fortioribus, ne ignem igni addamus, cùm & leniſſimi catharctici operatio omnia magis perturbet & novos tumultus excitet, obſervante *Sydenhamio, in Opuſc. Pract. pag.* 153.

III.

Idem in propinandis bezoardicis obſervandum, ubi loco acriorum ſudoriferorum, v. g. ℞. bezoard. ℞. corall. c. ⏝. CC. ſpiritûs theriacalis, aut ipſius theriacæ, danda potius fixiora ♁. diaph. ⊖al. Bezoart. min. & ♃ale, CC. ſine △, Unicorn. foſſ. & ſimilia.

IV.

Anodyna & Opiata, aut parcè, aut planè non propinanda ſunt, ubi vires jamdum ex toto ſunt proſtratæ, ne ſomno lethali accedente Medicus ægrum enecâſſe videatur.

OBSERVATIO.

Illuſtris DN. Baro à Gersdorff, Giſſæ ſtudiorum cauſâ commoratus, Anno 1699. die 24. Auguſti, ob fructus horæos, ut & nuces avellanas recentes pridiè magnâ in copiâ comeſtas, incidit in diarrhœam vehementiſſimam, cum vomitibus creberrimis. Vocatus præſcribo ſeqq.

℞.

℞. ▽. menth.
cordial. frigid.
maſtich. ana ℥j.
cinnamomi. ʒij.
Conf. alkerm. ʒiß.
extr. tormentil. ʒj.
theriac.
laud. op. ana gr. ij.
Syr. corall. ℥vj. M. pro aliq. doſibus.

Externè ſimul Balſ. Stom. ex oleo Nuc. M. expr. c. oleo deſtill. mac. ut & Emplaſtrum ex Ther. Andromachi ſcrobiculo cordis applicando. Cùm verò mixturam modò deſignatam ſtatim vomitu rejiceret, motum Naturæ (ſi fortè pelliculæ quædam in ſtomacho hærerent eumque vellicarent) ſecutus, addebam:

℞. Rad. ipecacuanh. pulv. Scrup. j.
Cinnamom. gr. iij. M. D. in cerev. calid.

Rejecit adhuc aliquot nucleos nucum avellanarum, cum levamine. Abhinc ſeq. adhuc præſcripſi:

℞. Extract. Tormentill. ʒj.
ligni aloes
Laud. opiat. ana gr. ij.
c. s. ſyr. corall. F. Pil. pond. gr. j.

Dedi pro doſi n. xiij, bis de die. Quibus úſurpatis, DEO benedicente, convaluit.

FORMULÆ.

α. & α.

℞. Herb. chamom. Mij.
Flor. malv.
ſamb. ana Mj.
Coq. ex Lacte aut jure Gall.
ping. q. s.
Col. ℞. ℥viij.
Injic. tepidè.

ω. & ω.

℞. Hord. ad crep. coct. ℥ß.
Amygd. dulc. excort. ʒiij.
Sem. 4. frig. maj.
pap. alb. ana ʒj.
c. s. q. ▽. Decoct. hord.
F. Emulſ. edulc. c. ſacch.
pro aliquot hauſtibus.

℞. Rad.

* * *

℞. Rad. Tormentill. Unc. ſ.
Mal. cydon. excort.
N. j.
Coq. in s. q. ▽. ſimpl.
col. ℞. Unc. vj. edulc.
c. ſacch. ſyrup.
M. D. pro aliquot doſibus.

* * *

℞. Theriac. n. camphor.
ʒſ.
Pulv. ♂alis n. d. ℈r. vij.
extr. op. gr. j.
M. F. Bolus.

* * *

℞. Tacamahac. Unc. j.
Liq. in cochl. ferr. ſuper
prunas, induc
ſuper alut. &
appl. calid. ſcrobic.
cord.

* * *

℞. ▽. menth.
meliſſ.
⌒. terr. ſigill. ana Unc. j.
Corall. rub. præp. ʒiß.
Laud. opiat. ℈r. iij.
Syr. cort. aurant.
granat. ana ʒiij.
M.

* * *

℞. Diaſcord. Fracaſt. ʒj.
pulv. rad. torment.
cryſt. præp. aa Scr. ſ.
laud. opiat. ℈r. j.
M. F. Bolus.

* * *

℞. Empl. de cruſt. pan.
ſtom. Crat. ana Unc. ſ.
mal. c. ℅. menth.
ind. ſuper alut. pro
Empl. ſtom.

* * *

℞. ℅. Stom. Crat. Unc. ſ.
deſt. mac.
menth. ana g. ij.
M. D. pro unguent. in-
ungend. reg. ſtom.

CAP. V.
DE
PICA ET MALACIA.

PICA eſt, appetitus p. n. rerum inſolitarum, à depravata vellicatione ſtomachi oriens.

- *PHÆNOMENA.*
  - Utrumque malum aut Puellis (Naturæ debitum lunare non ſolventibus) aut Gravidis (tribus menſibus geſtationis prioribus) familiare eſt, ita quidem, ut in PICA prorſus inſolita, in MALACIA verò conſueta quidem, ſed impatienti deſiderió appetant. Junguntur ſæpe cardialgia, vomitus, viriumque proſtratio, facie utplurimùm palleſcente.
- *SUBJECTUM.*
  - *CAUSÆ* partim M. S. partim Ventriculus:
  - *MORBI* orificium ſtomachi ſiniſtrum & ex parte ſpiritus animales abſolvunt.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt irritatio motusque ſpirituum inſolitus verſus ſenſorium commune indeque decepta Phantaſia.
    - *MATERIALIS* eſt liquor gaſtricus alteratus & alienis particulis inquinatus, acris ſimul & corroſivus.
  - *REMOTA*
    - Sexus ſequior affectibus & libidini indulgens.
    - Sanguis menſtruus, ſive reſtitans & ventriculo gravis, ſive ſemine virili alteratus.
    - Scorbutus & ſcabies retropulſa, ulcus faucium & ſimilia.
- *PROGNOSIS*
  - Utrumque malum, ob depauperationem ſanguinis, quartó menſe Graviditatis ſpontè deſinit.
  - Melius eſt ſi vomitus jungatur.
  - Si diutius duret, metus adeſt cachexiæ.
- *CURATIO*
  - I. Evacuat humores vitioſos
    - Vomit. in non Gravidis,
      - 🜿 emet. cum ocul. ♋.
      - Rad. ipecacuanhæ.
    - Laxantibus
      - DOMESTICIS
        - Pulv. lax. polychr. ſeu
        - Magneſ. albâ,
      - OFFICINALIBUS
        - Rad. Mechoacannæ albæ
        - Agar. trochiſcat. & ſim.
  - Alterat liquorem gaſtricum per
    - Alcalia, abſorbentia & Martialia, humori p. n. contraria.
    - Specifica
      - *DOMESTICA*: ut ▽ Pampin. vitis.
      - *PHARMACEUT.* Pulv. Zedoariæ, &c.
    - Confortantia, ſc. cydoniata & aromatica.
    - Cucurb. & V. S. ſed in Prægnantibus cautè adhibitas.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Picantibus & malaciâ laborantibus res appetitæ, utut inſolitæ & nocivæ, non omninò denegentur, ne aut ipſæ lædantur, aut fœtui nævos imprimant. Perſuadendæ tamen omni modo, ut ſponte ſuâ ab iisdem pedetentim abſtineant.

II. In Gravidis picâ laborantibus V. S. & purgantia cautè & nonniſi mediis geſtationis menſibus admittantur, ne uterus aut irritatus, aut debilitatus ad abortum diſponatur.

CASUS & OBSERVATIONES CLINICÆ.

I.

Puellam vidi Caroloſtadii, in Comitatu Leiningenſi, 4. ferè annos habentem, quæ ex Parentum relatione quotidiè multum calcis atque luti de parietibus deglubere & deglutire ſolebat, ut fœminarum picantium more faciem admodum pallidam inde contraxerit. Quandoquidem verò nullâ increpatione inhiberi potuerit, ſuaſi Parentibus, ut ad imitationem beatiſſimi *DN. Febrii* mechocannam albam calci miſcerent, cui noſtris temporibus Magneſia alba commodiſſimè ſubſtitui poterit, quæ & alterando & evacuando officium ſuum peragit.

II.

Laudatum modò Illuſtris *DN. Febrii* conſilium tum in *Tr. Ejus de Abſinthio* pap. 39. tum in *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ.* 83. *pag.* 184. deſcriptum ita ſe habet: Puella trimula à repercuſſa ſcabie in tantum cretæ deſiderium incidit, ut nocturni diurnique ejulatus nonniſi larga cretæ præparatæ exhibitione ſiſterentur, quæ ipſi in deliciis erat, ab aliis nauſeanti. Præterea ſiti & tuſſi divexata, difficulter ſpirans, inſomnis, ventre tumido alvoque erat conſtipata. Præter ſyrupum de agreſta, (qui prægnantibus quoque ſingulariter hoc in caſu prodeſt) & ſyrupum de abſinthio (qui in roborando ventriculo mirabilis eſt potentiæ) mechocannam albam cretæ admiſtam exhibui & ſic DEI gratia priſtinæ ſanitati reſtitui.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Magneſiæ alb. ʒij.
D. pro doſi in amygdalato tenuiori, vel miſceatur cretæ appetitæ.

* * *

℞. ▽. Pampinorum Vitis] Unc. iij.
Conchar. oblongarum pp. ʒj.
Extr. opii gr. ij.
Sacch. ſyrupiſ. q. s.
M. D. pro aliquot doſibus.

* * *

DESCRIPTIO & PRÆP. MAGNESIÆ ALBÆ.

℞. Lixivii Nitrariorum prioris Menſ. j.
Exhala per coctionem in ollâ capaciſſimâ. intus vitreatâ & extus probè lutatâ, ac remanebit terra candidiſſima inſtar cretæ, cujus Unc. ij. obtinebis, ſi lixivium genuinum, nec aquâ dilutum fuerit. Vid. Epiſtol. Noſtr. ad DN. *Leibnizium* de hâc materiâ.

α. & ω.

℞. Mechoacann. alb. pulv. ʒiſ.
Cretæ ʒj.
M. D. pro aliquot doſibus.

℞. Eb. ſine △.
Matr. Perlar. præp. ana ʒj.
Pulv. Zedoar. ʒſ.
Elæoſacch. citri Scrup. j.
M. F. Pulv. bis de die, ad ʒſ. ſumendus.

℞. ▽. Cinnamom. opt. Unc. iij.
∽⊕. gutt. iij.
℅. menth. vel cinnam g. iij.
Syr. d. menth. Unc. j.
M. D. ſingul. dieb. cochl. j. quô feliciter *D. Bruno* ſe uſum dicit in *Coll. Pract. Mſc.*

℞. ▽. bryon. pampin. vit. meliſſ. ana Unc. j.
Coral. rubr. præp. ʒj.
brod. cort. aur. condit.
Zing. in Jnd. cond. ana Unc ſ.
M. D. Cochleatim.

CAP.

DE ICTERO.

- **PHÆNOMENA**
  - Imminente Icterô plerumque tormina in abdomine ſentiuntur, cum urinâ paſſea, aut intenſè flava: Præſens verò mox (ut ſorex) ſe ipſum prodit, per colorem p. n. tum in toto, tum præcipuè in albo oculorum, ſive flavum in ICTERO FLAVO, ſive paſſeum in NIGRO. Sapor oris eſt amarus, excrementa alvi vel albicantia, vel intenſè tincta. Adeſt præterea anorexia, nauſea carnis, cardialgia &c. Remittente malô pruritus corporis & ⊡ clara ſe trudunt.
- **SUBJECTUM**
  - *AFFECTUS* eſt totus C. H. habitus, magis tamen in partibus externis, quàm internis.
  - *CAUSÆ*
    - Primæ viæ, ſi à crud. & ſtercore flavo.
    - Ductus hepaticus, cyſticus & commun. ſi ab obſtruct.
    - M. S. ſi à bile nimis vol. aut venenis.
- **CAUSA**
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt effuſio bilis, plus minus viſcidæ, in M. S. & totum corpus, ob ejus circulationem impeditam.
    - *MATERIALIS*
      - Cruditates bilioſæ in ventriculo.
      - Pituita, aut calculi obſtruentes
        - poros hepaticos.
        - ductus
          - cyſticum,
          - epaticum,
          - choledoch.
  - *REMOTA*
    - Temperamentum bilioſum, aut melancholicum.
    - Aer æſtuoſus, 🜄 abuſus, cibi acriores, ira.
    - Intemperies ſanguinis calida.
    - Conſtrictio doloroſa, aut introreceptio ductus choleduchi.
    - Obſtructio pororum hepaticorum à calculis.
    - Morſus viperæ & alia venena.
- **PROGNOSIS.**
  - Flatus facilior curatu, quàm niger: citius in juvenibus, quàm ſenibus.
  - Si ab obſtructione per calculos, difficilimè, aut nunquam ſine recidivâ: Sin per pituitam, facilius ſolvitur.
  - Febrilis Criticus bonus: Symptomaticus malus.
  - Qui ſcirrhum conjunctum habet, periculoſus eſt.
- **CURA**
  - 1. Humores peccantes evacuat è primis viis
    - Vomitoriis, ſed cautè adhibitis, ſi ventriculi ſymptomata præceſſerint.
    - Laxantibus convenientibus
      - Fol. Sennæ.
      - Rhabarbaro
  - 2. Obſtructiones reſerat,
    - Salinis ♀reis, Tinct. aperit. ∽⊖. dulc. Sapon. ♂alibus. Minera ♂. Lim. ♂. pulv. Tinct. ♂ ☉ri, Epaticis: Fragar. ſtercor. anſerin. ſpecif. icter. Wed. Specificis: curcumâ, chelid. majori, lap. porcin.
  - 3. Intemperiem bilioſam corrigit
    - *DOMESTIC.*
      - Obtund. & figentibus: Decoct. ſem. cannab. croc. & ſapone in infant.
      - expellentibus: Sem. aquilegiæ. &c.
    - *PHARMACEUTICIS*
      - internè
        - Diaph. Bez. ſi à venenô.
        - Diureticis, Salivatione ☿riali.
      - externè
        - coſmet. & diſcutientibus.
        - V. S. in naſo.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Curando icterum cave, ne medicamenta volatilia, ſive diutius juſto, ſive in majori doſi propinando ſanguinemque à bile acriori jamdum nimis fluidum attenuando ægrum in hæmorrhagias periculoſas præcipites: quale quid in Sene Ictcrico, per ∼⊖*, â pluribus tantoperè laudatum, accidiſſe in *Miſcellan. S. R. J. Acad. Nat. Curioſ. Dec. II. Anno X. Obſ. CXX. pag.* 215. retuli.

II.

Cùm ob moleſtiam hujus affectûs nullibi major ſuperſtitionum numerus, à vulgò laudatus, occurrat, hinc curas ſympatheticas, aut transplantatorias inſtituturus fuge circumſtantias ſuſpectas, geſticulationes, verba, characteres & ſimilia, ne corpori ſuccurrendo animam perdas.

OBSERVATA & CONSILIA.

I.

Icterum cum tumore hepatis ſeqq. curatum eſſe, B. Schefferus in MSC. refert: 1. dedit Pilulas ſeqq.

℞. MP. Arthitic. n. d. ʒſ.
Extract. agerat.
agrimon.
rhabarb. aa. Scrup. ſ.
M. F. Pil. xxx. alternis diebus ſumendo 7.

Abhinc ſolum decoctum rad. chelid. maj. ſubjunxit.

Mihi in uſu eſt præmiſſo Vomitorio, aut laxante, manè dare pulv. ex croco ♂ ſulphur. aut min. ♂ cum rad. curcum. pulveriſ. à meridiè autem infuſum ex antictericis. Ita plures, etiam puerperas & infantes, D. B. reſtitui.

III.

III.

CONSILIUM
D. D. WEDELII,
ad requiſitionem alius Medici.

PP.

E Literis Tuis percepi ægram die 19. Jan. hujus anni denuò Ictero correptam & ab illo quoque præſcriptis à Nobilitate Tuâ remediis curatam fuiſſe. Quoniam verò non tantùm ægra, ſed & domeſtici ejus verentur, ne malum, ut jamdum evenit, recidivet & tandem in Icterum nigrum degeneret, aut planè incurabile reddatur; hinc è re eſſe duxi, ut ſi ægra rurſus ab eo tentaretur, ſeqq. medicamenta commendarem. 1. quidem pulviſculum aperitivo-laxativum, de quo 1. doſin tempore matutino, horâ 7. vel 8. in hauſtu cereviſiæ ſumere poterit:

℞. Rhabarb. Alex. ℈j.
Arcan. dupl. Mynſ.
Crem. ♀ana Scrup. j.
M. Div. in 3. p. æ. D. ad chart.

2. Eſſentiam aperitivo-reſolventem, de qua à meridie, hora tertia & conſumpto pulvere etiam manè in hauſtu cereviſiæ gutt. 30. aſſumat:

℞. Eſſent. ⊕. ♂. antiſcorb. ℥iij. D. ad vitr.

3. Mixturam ſingularem aperientem, de qua ſubinde guttæ 20. potui ordinario inſtillari poterunt:

℞. Tinct. flor. cent. min. ℥ij.
Clyſſ. ♁ ſulphurat. ℈j. M.

4. Nodulum vino infundendum:

℞. Rad.

℞. Rad. 5. aper. maj.
bryon.
cichor. aa. ℨiſ.
Herb. agrimon.
capill. ☿.
agerat.
cuſcut.
lavend. aa. Mſ.
Rhabarb. ℨij.
Croci Scrup. ſ.
Flor. hep. nobil.
bellid.
calendul.
hyperic. aa. p. ij.
4. cord. aa. p. j.
Cortic. cappar.
curcum.
ſantal. citr. ana. ℨj.
Lim. ♂. finiſſ.
Crem. ♀ ana ℥ſ.
M.

Inciſ. & contuſ. inſuantur ſyndon. rubr. D. ad chartam: quo infuſo & reliqua medicamenta ſumi poſſent.

Cæterum cùm aperientia alia, quæ neceſſaria erant, partim adhibita, partim ſatis cognita ſint, non opus erit, ut plura adjiciamus. Interim Martialia hîc palmam tenebunt, ut & Elixir proprietatis ♂ale, hep. rubr. cum pulv. ſtomach. Tinct. ♂. & ſimilia

In Diæta fugiantur dulcia, acida, pinguia, ſalſa, fumóque indurata. Abſit quoque motus vehemens ſtatim poſt aſſumtum cibum, ut & iracundia, aut excandeſcentia, quæ pro coronide addenda duxi. Supervacaneum enim fuerit optima medicamenta iis præſcribere, qui rectam victus rationem tenere nequeunt, juxta *Cratonem I. Conſil.* 10. *pag.* 28.

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Miner. ♂. pulv.
Rad. curcum. aa. ℨiſ.
⊖. vol. CC. Scrup. iſ.
M. Div. in 6. p. æ.
D. man. c. ſudore.

α. & ω.

℞. ♁. diaph. ♂alis.
Rad. curcum aa. ℥ſ.
Lap. è veſ. fell. bov. Scrup. j.
⊖. vol. lumbr. Scrup. ſ.
M. pro 3. doſ.

℞. Croc.

* * *

℞. Croc. ♂ ♎r. ʒiſ.
cran. hum. præp. ʒſ.
croc. Scrup. ſ.
M. D. pro 4. doſ.

* * *

℞. Rad. urtic. ℥iſ.
curcum. ʒiij.
Herb. marrub.
fragar. aa. Mij.
Flor. aquileg. p. ij.
croci integr. Scr. j.
⊖♀ ʒiſ.
Inciſ. & cont. D. ad chart. pro infuſo, cui Fol. ſenn. & rhab. addi poſſunt.

* * *

℞. Sem. cannab. ʒiij.
aquileg. ʒj.
c. ſ. q. ▽ frag. F. emulſ.
add. cran. hum. præp. ʒj.
edulc. & D. pro infant. Icter.

* * *

℞. Croci
camph.
aſæ fœtid. aa. q. v.
includ. nodul. append.
quod Puerperas ab Ictero præſervare dicitur.

* * *

℞. Infuſ. Pedr. del porco ℥iij.
D. pro 3. doſibus.

SPECIFICUM ICTERICUM
Dn. D. Wedelii.

* * *

℞. Rad. Chelidon.
curcum. ana ʒiſ.
Flor. hyperic.
Cheiri
cartham. aa. Mſ.
Herb. Marrub.
vincetox. aa. ʒiſ. M.
Inde ſacculo & ſuperaffunde cereviſ. lib. iij. Singulò mane cape hauſtum.

* * *

ESSENTIA ♂ ⊕LAT.
Ejusdem.

℞. ♂ ⊕.
⊖ ✱ ſimpl. vel.
flor. ⊖ ✱ ♂al. ana ℥ſ.
c. ∼. cochl. ℥vij.
Mixta ſtent. in dig. per aliquot dies, donec intacto ferè ⊖✱ ⊕lum ſatis fuerit extractum. Medicamentum optimum in morbis chronicis & ipſo Ictero. Doſ. gutt. xx. ad xxx.

N CAP.

CAP. VII. DE CACHEXIA ET HYDROPE.

HYDROPS eſt intemperies corporis ejusque partium humida, à p.n. ſeri in toto, vel in parte collectione & extravaſatione proveniens.

- *PHÆNOMENA.*
  - Color antea floridus in livorem abit: Partes muſculoſæ flacceſcunt: Reſpiratio ſcalas adſcendentibus difficilis redditur: caput grave c. anorexia, ☐ tenuis & aquea: Corpus ſubtumidum, cumprimis circa faciem, palpebras, & malleolos. Quæ omnia ut CACHEXIÆ cum HYDROPE communia ſunt: ita hoc INSTANTE tumor pedum augetur, primum oedematoſus, mox HYDROPE PRÆSENTE aquoſus & digitis cedendo foveam relinquens, ſucceſſive creſcendo & occupando vel totum corpus, in ANASARCA & LEUCOPHLEGMATIA: vel cavitatem aliquam in HYDROCEPHALO, HYDROPE CORDIS, ASCITE: miſtis flatibus in TYMPANITE, aquis verò peculiari folliculo incluſis in HYDROPE SACCATO. Ubique jungitur tuſſis, ſitis, atrophia partium ſuperiorum, dyſuria & ☐ lixivialis, pulſus undoſus, diarrhœa &c.
- *SUBJECTUM*
  - *MORBI* eſt vel totum corpus, vel cavitates quædam.
  - *CAUSÆ*
    - Remotioris ſunt primæ viæ.
    - Proximioris, vaſa ſanguifera & lymphatica.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt
      - mala nutritio in cachexiâ,
      - extravaſatio lymphæ in hydrope, orta ab obſtructione.
    - *MATERIALIS*
      - Poſitiva eſt lympha, ſerum & chylus extravas.
      - Privativa: ſpirituum debilitas.
  - *REMOTA*
    - Temperamentum frigido-humidum.
    - Aer frig. & hum. cibi crudi: Potus frigidus & abuſus ſpiritus vini: Suppreſſio menſium, Triſtitia.
    - Caſus, percuſſiones, Febres chronicæ &c.
- *PROGNOSIS*
  - Utrumque malum, ſi recens, facilius curatur, quam inveteratum.
  - Si ſcirrhus aut abſceſſus conjunctus, rariſſimè ſanatur.
  - Idem de Hydrope ſaccato dicendum. Diarrhœa Chronica in fine lethalis.
- *CURA*
  - 1. Cauſam occaſ. removet per
    - Diætam exſiccantem & balſamicam.
    - Vomitoria ſtatim in principio.
  - 2. Obſtructiones tollit
    - DOMEST.
      - Cryſt. ♀. ⊖. fix. catholic.
      - Min. ♂. Pulv. ♂ali, Reg. ♁. med. R♂⊙.
    - OFFICINALIBUS.
      - Salinis & ♂alib. croc. ♂.
      - Stomach. & viſceralibus.
  - 3. ▽. & Humores p. n. evacuat, vel per
    - Pharm.
      - Purgant. ſucc. ir. rad. ebuli
      - Diuret. Lixiv. ben. *Mynſ.* cin. junip.
    - Chirurg. ſc. Paracenteſin.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Cachecticos ne violentis aggrediare remediis. Quò lenius tractantur, eò citius curantur.

II. Cave ne gravidam pro Hydropica cures. Notas diſtinctionis vid. apud *Ettmüllerum.*

III. In Hydrope confirmato, viſceribus jam corruptis viribusque fatiſcentibus paracenteſin ne adhibeas, quæ in principio magis, quàm in fine confert.

IV. Cave à V. S. & ſcarif. niſi plethora aut obſtructio menſium urgeat.

OBSERVATIONES & CONSILIA.

I.

Extract. è literis B. Dn. Schellhaſs,

Archiatri Cam. Imperialis.

VIdi hydropicum, quem omnes Medici deſeruerant, à Muliere Ruſtica ſequenti ratione curatum: Propinabat ſc. urinam pueri ſani, herbæ cardui benedicti, usque ad extractionem amariritiei, infuſam omnibus diebus, manè & veſperi hauſtum offerendo & per 14. dies continuando. Sic æger pro deſperato habitus, DEO benedicente, reſtitutus fuit. Lacte autem Cameli hydropem ſanari *Tavernier Part. I. Lib. I. c. XI. Itinerar.* refert.

II. *D. Erbenius*, Practicus olim Spirenſis, Hydropicos curabat feliciter Electuario aliquo Martiali, per aliquot ſeptimanas uſurpato huicque purgans hydragogum draſticum ſubjungendo. Priori tamen palmam tribuit *Greulichius*, in *verâ methodô curandi hydropem*, anno 1687. Francofurti edita.

III. Heic Giſſæ aliquot Hydropici infuſ. rad. r. tidis noſt. ebuli & cin. Geniſtæ & junip. curati fuerunt.

IV.

CONSILIUM
D. FRIDERICI DECKERI,
Prof. Pract. Lugdun.

P. P.

Ex gratiſſimis veſtris & incluſis Nobiliſſimi Cancellarii, D. J. a S. Germanico idiomate conſcriptis literis vidimus quorundam Medicorum judicia, de ſtatu p. n. Nobiliſſimæ Matronæ, Chariſſimæ Ejus Uxoris; quam in principio ſcorbuto ex prædominante acido oriundò laboraſſe, imò adhucdum ſanguinis majorem acrimoniam peccare, præſentes autumant ἰατροί. Extranei verò Medici tympanitim eſſe, cum aſthmate ſicco, glandulasque aqua, ſive latice lymphatico, maximè oppletas (dubió ſimul ex reſpiratione difficiliori ac crebriori nullaque phlegmatum rejectione ac abdominis ante 3. circiter menſes tumore p. n. flatuoſo, indies accreſcente) judicant.

Hæc licet contraria nonnihil videantur, haud tamen, me judice, ita pugnant. Eſſe enim facilè poteſt, quòd impræſentiarum tympanites ſit cum aſthmate ſicco, ex ſanguine ac lympha acriori, unde primò ſcorbutus, dein lentè creſcente eadem præ minore jam corporis motu aliisve forſan cauſis concomitantibus, vel præcedentibus, tympanites, aut aſthma ſiccum ortum jam duxerint.

Verùm, mi *Valentini*, dicere cogor, quod in caſu, ad me miſſo, plurima majoris momenti planè ſint omiſſa, quæ tamen Medico, judicium laturo, ſcitu maximè neceſſaria ſunt; quare etiam, priusquam quid certi concludere valeam, aut contrà ſententiam ab aliis anteà latam Medicis aliud forſitan ſtatuam, caſum accuratius notatum peterem, in quò omnia non tantummodò ſymptomata, ſuccedentia æquè ac præſentia narrantur, ſed cumprimis

etiam

etiam Nobiliſſ. Matronæ diæta, ætas, temperamentum & an naturalia ritè & ſecundum naturæ leges ſuccedant, nec ne? præſertim menſtruorum fluxus, typumque an accuratè ſervet, nec ne? an & quot liberorum Mater & à quo tempore puerpera fuerit? urina qualis quantaque? an veſtigia digitis impreſſa remaneant aliquamdiu, vel è contra. Horum omnium namque Medico, in Praxi quamvis verſatiſſimo, perquam neceſſariorum ne *gry* quidem in Caſu miſſo continetur.

Attamen, ut petiit Nobiliſſimus Dominus, cum aliis, haud infimæ notæ, Medicis conſului, qui omnibus phænomenis, in caſu notatis, benè perpenſis, mecum unanimiter judicarunt, inſtantem Leucophlegmatiam cum ſuis aſſeclis, ſeu ſymptomatibus, ex ſanguinis dicta diatheſi acri, ac lympha lenteſcente, in glandulis ſubcutaneis aliisve p. n. coacervata, oriundam videri. Nam non modò abdomen inſtar tympani ante 3. menſes intumuiſſe refert, ſed corpus undique diſtenditur & quidem præ lympha glandulas omnes obſidentes, ut ipſi *M*edici poſteriores etiam arbitrati ſunt. Hæc tamen minimè impediunt præceſſiſſe ſcorbutum, ſanguinem lymphamque acrem, copioſam & lenteſcentem, hincque tympanitim, cum aſthumate ſicco.

Interim, quia Nob. Cancellarius meum enixè implorat auxilium periculumque in mora, non potui non, quin medicamen unum atque alterum hoc in caſu lubens communicarem, laudabiles & optatos ex illorum uſu Nobiliſſ. *M*atronam habituram ſucceſſus ex toto optat corde

Lugduni in Batav.
5. *Febr.* 1703.

FREDERICUS DECKERUS,
Med. D. Prax. & Collegii Practici
Prof. Ord.

α. & ω.

℞. Ras. lign. ſaſſafr. ℥j.
Bacc. lauri ℥ß.
junip. ʒvj.
Croci optimi ʒij.
Contuſis adde
Mell. Virgin. lib. iß.
benè commixtis affunde:
🜄 hyſſop. ſtill.
papav. rhoead.
ana pint. ß.
tuſſilag. pint. j.
Mixta ſtent in infuſione per 24. horas, tumque ex MB. abſtrahatur pinta vel circiter, quæ unà cum
⊖. vol. oleoſ. ℥j.
M. Tinct. ♂. aperit. ℥ß.
Hæcce inciſis atque contuſis ſeqq. rurſus affundantur:

α. & ω.

℞. Rad. Polypod. quern.
glycirrh. optimè ab extern. cort. mund.
ana ℥j.
Chin. non carioſ. ʒvj.
Fol. Veron. Mß.
Flor. s. ſummit. hyper. p. ij.
Siliq. dulc. ʒv.
Sem. aniſi ſtellati, vel, eô deficiente, Fœnic. dulc. ʒiij.
petroſelin. Maced. ʒij.
Flaved. cort. citri
pom. Sinenſ. ana ʒiß.
Intimè mixta digerantur, vaſis optimè clauſis, per quatriduum, vel paulò longius & Tinctura uſui ſervetur.

Hujus, bonâ interim obſervata diætâ, quotidiè ter quaterve, cum hydromelite recenti, 40. vel 50. guttulas eſt aſſumptura Nobiliſſima *Matrona*, doſin pro re nata adaugendo, vel minuendo, quod Medicis præſentibus relinquo.

Bis in hebdomade, veſperi cubitum itura Matrona, utatur tribus vel quatuor, pro viribus, aut faciliori difficiliorique alvi dejectione, de ſequenti maſſa, pilulis, manè totidem, ubi priores haud ex voto operentur:

℞. Gum-

℞. Gummi Ammon. acet. ſcyllit. ſolut.
& inſpiſſat. ℥j.
Reſin. ialapp. ʒß.
Flor. benzoin. Scrup. ß.
⊖. polychreſt. Scrup j.
℅ cortic. citri
junip. deſtill. ana g. iv.
M. F. Pil. ex Scrup. j. x. deaurentur.

V.

CONSILIUM
AMPLISSIMÆ FACULT. MED. ERFURTENSIS.

P. P.

Transmiſſô nobis Caſu Virum quadragenarium concernente, qui per notabile temporis ſpatium & jam in ſextum usque annum ſæpiſſimè inſignibus doloribus divexatus fuit, ita ut primis quatuor annis iidem ferè ſemper frigore inceperint & ab uno articulô in alium, in ſpinam dorſi & ſcapulas abierint, ſubinde quoque inflammationem & tumorem in certis locis produxerint, nunc autem in maximam intumeſcentiam corporis abierint, adjectis ſimul medicamentis & methodô medendi hactenus adhibitâ: Non potuimus non Caſum ſupradictum Collegialiter ponderare & unanimiter ſtatuimus medicamenta ex ♂ & ♆, antiſcorbutica laudabilia, unà cum Tinct. Jalappæ & externis nonnullis rectè adhibita fuiſſe.

Quoniam verò morbus hic à craſſô, viſcoſô, acidô, ſalſô, tartareô, fixô & à priori laudabili & ſangunea craſi longè degenerante cruore ſcorbuticô aliisque humoribus depravatis oritur & nunc

nunc in HYDROPEM SCORBUTICUM degenerat; hinc noſtrâ ſententiâ è re fuerit malo huic, non leve periculum minanti, in tempore obviam ire. Ut ergò vitium ſanguinis & humorum corrigatur, ſupra allegatis ſymptomatibus etiam conſulatur, hinc optimè conducet, ſi præmiſſis univerſalibus per volatilia, viſceribus dicata aliaque Natura ferè ſucumbens ſublevetur: quem in finem hiſce

Sal. vol. ♂. *Sylv.* cum
Liq. CC. ſuccin.
&
Eſſent. caſtor. ana p. æ.

commendamus, de quo manè jejunô ſtomacho guttæ XXX. ad XL. in convenienti vehiculô aſſumi poſſent. Prædictum ⊖. vol. ♂ſ. Sylvii non ſine fructu etiam tempore prandii ad gutt. XXV. ſumi poſſet & quidem in primo hauſtu potûs ordinarii.

Tempore veſpertino, horâ quartâ, DN. Æger Elixirio aperitivo *Clauderi*, quod in *Tractatu* ſuo de *Balſamatione corporum ſine eviſceratione* deſcripſit, uti poſſet, cujus 60. 80. ad 100. gutt. in vitrô vini, aut juſculo calido ſumendæ ſunt. Quodſi verò idem non ſtatim ad manus ſit, eſſentia trifolii fibrini, aut ℞ ♂ Zwelferi ſubſtitui poſſet. Veſperi tempore ſomni pulvis ſpecificus viſceralis, ex diaphoretico ♂ali Ludovici, pulv. cochlearum calcin. & edulcorat. pulv. viperarum, lumbricorum terreſtrium, aſellorum præpar. ægragropilis & aliis pretioſis diureticis & viſceribus dicatis medicamentis aſſumi poſſet: & quoniam juxta tenorem Relationis, poſt paſtum vomitus ſpontaneus obſervatur; hinc ſemper poſt eundem tragæa quædã ſtomachalis efficacior, (cui ſemper aliquid de pulv. cachectico Quercetani maritari poſſet) toſto & vino intincto

pani

pani inſpergenda (non omiſſo efficaci linimento) aliaque olea ſtomachica, cum balſamo Peruviano, immiſceri poſſent. Quò autem cauſa morbifica debitô modô eliminetur, hoc quidem tempore mitiora laxantia, impoſterum autem fortiora purgantia, una cum ☿ dulci, in juſta & majore doſi, per intervalla & pro renata exhibeantur. De cætero DN. Æger haud gravabitur diætam legitimam obſervare & cumprimis cibos ac potus nocivos iramque quammaxime vitabit: quod loco Reſponſi reticere noluimus. Signatum Erfurti die 8. Aug. Anno 1695.

(L.S.)

Decanus, Senior
& Aſſeſſores
Facult. Med. h. l.

FORMUL. & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Pulv. ♂alis n. d. ʒiß.
⊖. fixi cathol. ʒß.
Crem. ♀. Scrup. j.
cinnamom. ʒß.
M. D. in 4. p. æ.
Sumatur in Malvaſ.
manè, c. leni motu.

α. & ω.

℞. ♀. chalyb.
ſolubil. ana Scrup. iß.
Fæcul. aron. Scrup. ß.
M. D. pro 2. v. 3. doſ.
pro digeſt.

O ℞. Miner.

* * *

℞. Miner. ♂. ʒiij.
fæcul. Aron.
pulv. cinamom.
ana ʒj.
c. s. q. rob junip.
F. Elect.

* * *

℞. Extr. ♂. c. ſuc. pom.
ʒiſ.
Min. ♂. ʒß.
c. s. q. Eſſ. abſ. F.
Pil. p. gr. j.

* * *

℞. Succ. Ir. noſtr.
Vin. Malvat. ana Unc. j.
pulv. lax. gr. v.
M. D. pro doſi
in hydrop.

* * *

℞. ⊖. fix. cath. Unc. j.
ſolv. in s. q. ▽.
de quô ſæpius
ſumatur.

* * *

℞. Cin. Juniperi
c. ▽. ſimpl. F. Lixiv.
quod ſæpe bibatur.

* * *

℞. Pulv. Cachect. Querc. ʒij.
croc. ♂. c. ⊖. præp. ʒj.
cinnamom. acerr.
fæc. aron. ana. ʒß.
M. F. Pulv.

* * *

℞. Elect. chalyb. *Horſtii*
Unc. j.
croc. ♂. aper. ℥ij.
cinnamom. pulv. ʒj.
c. R. ♂. cydon. M. F. electuar.
indies quant. nuc. caſt.
ſumendum.

DECOCT. ANTIHYDROPICUM
D. Widtii.

℞. Ligni ſancti Lib. ſ.
Cort. ejusd.
Rad. ſarſapar. aa Unc. iv.
liquirit. Unc. j.
Fol. ſenn. mund. Unc. iſ.
Rhab. optim.
Agar. trochiſc. ana ʒiſ.
F. per noct. infuſio in lib. xij.
▽. calid. vaſe bene clauſô.
Coq. lento △. ad dim.
part. conſumt. Col. D.
pro uſu.

* * *

℞. Lixiv. bened. Mynſ.
Unc. iij.
D. pro 3. doſibus.

CAP.

DE PHTHISI PULMONALI.

PHTHISIS eſt extrenuatio totius corporis, cum febre lenta, ab ulcere pulmonum profluens.

- **ΦΑΙΝΌΜΕΝΑ.**
  - In PHTHISI INCIPIENTE adeſt tuſſis ſicca, ſed levis, cum ſenſu ponderis in pectore gravantis, vox rauca & clangoſa, febris leviuſcula & vix ſenſibilis poſt paſtum, ex calore in volis manuum manifeſta. Appetitus eſt dejectus, ſitis levis, urina quodammodo rubra, cum aliquali partium flacciditate. In PHTHISI verò CONFIRMATA nova febris, priorem augens, incidit; Tuſſis ingraveſcit & humida evadit, quâ ſtriæ ſanguinis & pus rejiciuntur. Tabes augetur, cui ſi diarrhœa contumax jungatur, actum ferè eſt de ægro.
- ***SVBJECTVM***
  - *SYMPTOMATIS* eſt totus corporis habitus, quoad partes molliores.
  - *CAVSÆ*
    - *FORMALIS* ſunt pulmones & quandoque alia viſcera.
    - *MATERIALIS* primæ viæ, M. S. & viſcera.
- ***CAVSA***
  - *PROXIMA* eſt obſtructio & exulceratio Pulmonum à ſanguine, aut lympha acriori, lapillis &c.
  - *REMOTA*
    - eſt diſpoſitio hæreditaria.
    - Aer corroſivus & contagium.
    - Cibus & potus quantitate & qual. peccantes.
    - Exercitii neglectus.
    - Evacuat. ſolitæ ſuppreſſæ.
    - Aſthma, hæmoptyſis, omenti conſumtio.
- ***PROGNOSIS***
  - Incipiens facile curatur, ſed difficulter cognoſcitur. Confirmata V. V.
  - Phthiſis hæreditaria & quæ à contagio, rarò perfectè ſanatur.
  - Autumnalis & hybernalis nunquam ſine vernali aëre curatur.
  - Originaria difficilior, quam ſymptomatica.
- ***CVRATIO***
  - IN PHTHISI INCIPIENTE
    - 1. Humores acres & p. n. evacuat.
      - Vomitoriis & Laxantibus.
      - V. S. in Plethora, aut ſuppreſſ. evac. ſolit.
    - 2. Humorum acrimoniam tollit & obſtructiones bronchiorum removet, remed.
      - DOMESTICIS
        - Equitatione, Decocto Majali.
        - Pulv. n. ♂. 🜂r. pectoral.
        - 🜄 veron. c. vin.
      - PHARMACEVTIC.
        - Pulv antiphthiſ. *Conerd.* antatrophus *Gmelini*, Anon. rec.
        - Cura lactis & ſeri lact.
  - IN PHTHISI CONFIRMATA.
    - 3. Læſionem Pulmonum ſanat
      - Abſorb. & exſiccantibus, ut Fumig. & Arcan. *Harvei.*
      - Incid. & expectorantibus
        - Eſſent. Enul. 🜄. veron. c. vin. 🜄. & ſyr. d. hyſſ. opio, ſyr. capill. ♀. Looh ſan. & expert. Pulv Anon
      - Balſam. & Vulnerariis
        - Opobalſ. Balſ. Ind. vit.
        - Balſam. *Locatell.* B. ⊖ Gem.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Cave ne Phthiſicos purgantibus magis exhaurias, à quorum uſu ſemper pejus ſe habent.

II.

Idem de V. S. cenſendum, niſi malum á conſuetæ ſanguinis evacuationis ſuppresſione oriatur, ubi, omnibus irritis, V. S. incantamenti inſtar juvat, ut ſingulari obſervatione in Miſcellan. S.R.I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. II. p. 375. oſtendimus.

III.

Sed quid de vomitoriis, an & illa fugienda ſunt? Equidem ita Practici Antiquiores tantum non omnes ſtatuunt: unde & Hadrianus à Mynſicht, inter cautelas tartaro emetico ſubjunctas, omnes Phthiſicos ab emeticis abſtinere jubet. Aſt aliter Practici Moderni feliciores, Lindenius, Sydenham, Morton, Ettmüllerus &c. qui Phthiſin vix facilius, quam emeticô in principio & malo incipiente propinato curari ſtatuunt; ubi ex obſervatione D. D. Speneri, Archiat. Berolinenſis, Ipecacuanha maſculè ſe geſſit: Cui alii blandiora laxantia ſubſtituunt, ut ex ſeq.

OBSERVATIONE
elucеſcit:

Nobilisſimus Dn. Ulricus Neuhans, Scabinus Francofurtenſis, poſt expectorationem ſanguinis, incepit purulenta pro more ejicere, ſubſequente calore circa veſperam, unde tabes totius corporis exoriebatur. Cum per 2. menſes fruſtra deſtillato ex cancris & pectoralibus herbis uſus eſſet, D. D. Schefferum νῦν ἐν ἁγίοις, vocavit, qui præter cauterium in brachio ſiniſtro (cum catarrhoſus eſſet) ut lympha acris à pulmonibus averteretur, præſcripſit 1. Pilulas Angelicas, bis in ſeptimana & abhinc Pulverem ſeq. antiphthiſicum, noctes diesque uſurpandum:

℞. Flor

℞. Flor. ♤. cum aloe & myrrhâ ſublimat. ℥ſ.
Specier. diatragac. (quas interdum omittebat) ʒj.
Nuc. moſch. ʒſ.
Sacch. candi violat. ℥j.
Penid. ʒiij. M.

Hoc mirificè profuit. Purulenta enim materia ſubflava & mali odoris mutata fuit in meliorem ſtatum. Uſus etiam fuit copioſô lacte caprillô pro potu & cibo, ut & conſerv. roſ. Provincial. & lil. alb. ana lib. j. noctu diuque. Quandoque bibit aquam ſulphuream hujus loci, vulgò Faulwaſſer dictam, ita per 2. menſes DEI gratiâ integre reſtitutus fuit. *Author in Manual. Pract. MSC.*

III.
CONSILIUM ANTIPHTHISICUM *MALPIGHII*.

Ex iis, quæ obſeruauimus in Patiente & ex recenſione eorum, quæ præceſſerunt, patet Nobiliſſimum Juvenem Phthiſi laborare. Probabile igitur eſt, ex ſanguine à toto refluô, acidiore lymphâ ſaturatô, ſenſim labefactatam fuiſſe pulmonum ſtructuram, ut apertis novis meatibus 1. eruperit ſputum ſanguinis & inde vitiata felici ſanguinis circulatione exiguæ congeſtiones excitatæ ſint, à quibus manifeſtum eſt ſputum materiæ ſemipurulentum, eadem quoque labe vigente in toto corpore, improportionatæ fermentationes febriles, præcipuè ſub veſperam, obſervatæ ſunt, in quibus, ſuccedente præcipitatione, ſudor copioſus ſubortus eſt in nocte; quapropter tota corporis oeconomia laborare videtur; labefactata fluidorum naturâ & vitiata tenellâ pulmonum compage.

Indicationes itaque manifeſtæ occurrunt: Tollenda (prout licet) fluidorum vitia: reſtituenda nativa compages partibus ſolidis & fermentorum acredo mitiganda, præcipuè lymphæ, ut benignior reditus ſanguinis coctioris perfectionem moliatur.

Quibus ut ſatisfiat, opportunitate veris conſulimus uſum ſuccorum depuratorum, pro conſolidandis partibus & pro temperie fluidorum. Deſumi autem poterunt ex violaria, endivia, branca urſina, rad. urticæ & ſimilibus ad ℥iiſ. cum quibus aſſumat pulv. ex toto cancro fluviatili calcinato ad ʒi, hisque utatur per d. 25. His peractis, niſi febris intenſa urgeat, uti poteſt Lacte Aſinino, cum modicô ſacchari candi, eoque utatur, donec aëris calida conſtitutio permittat. At ſi febris intenſa urgeat, vel periculum adſit indigeſtionis & corruptelæ lactis, vel nimius alvi fluor inde ſuccedat, ex uſu ſit jus paratum ex caudis ♋. fluviatilium, carnibus ranarum, teſtudinis & ſimilium, addita lenticula paluſtri (ſi adſit) hordeo decorticato & ſimilibus; quibus addi poteſt aliquod ſpecificum pro pulmonibus, ex 🜍 vel terebinthina. Cum cibo aſſumat pulv. Haly & conſimilem deſcriptum in Praxi Barbettianá. A cœna frequenter utatur conſerva roſarum, cum pulv. ocul. ♋, raſura matris perlarum & hujusmodi teſtaceorum: Pulmenta coquantur in lacte vaccino, vel in jure extremitatum animalium & parentur ex oryza, hordeo, milio & ſimilibus. Abſtineat omnimodè à vino, illique ſubſtituatur cerevſia ex hordeo. Parcè cœnet, ſola ptiſana contentus. Cæterum in prandio carnibus elixis facilis coctionis utatur.

MARCELLVS MALPIGHIUS.
GALENCIUS MANZIUS.

II.

Aliud VVEPFERI in Phthiſi Putatitia è Vernaculâ in Latinam verſum.

P. P.

Reperire non poſſum, Tusſim, quæ Illuſtr. V. Dominationem jam à menſe Februario, usque ad præſens tempus, afflixit, ab ulcere aut vomica Pulmonum oriri, quum nulla febris he-

cticæ

ćticæ ſigna occurrant. A modico enim vini potu nullus calor extraordinarius accenditur. Reſpiratio adhuc integra eſt, nec caput in lecto altius ſolito elevare tenetur. Noctu poſt tuſſim V. D. ſtatim obdormiſcit &, quod probè notandum, à ſudore manè ſpontè accedente & aliquantisper durante non tam debilitatur, quàm levatur, quod in Tabidis neutiquam fieri ſolet. Tuſſim hanc potius humoribus acribus adſcribo, qui in univerſa M.S. oberrant & fauces arteriamque aſperam nimis inundant, ac abhinc, ob continuum affluxum, irritant. Talibus humiditatibus V. Dom. ſcatere, varia illa, quæ perpeſſa fuit, ſymptomata oſtendunt, colica ſcilicet, dolores pedum, cum exſudatione ſeri ſalſo-acidi, impetigo circa fonticulum, &c. Ut verò ſic effluat, in cauſa eſt, quod partes glandulosæ in faucibus laxæ ſint, prout ex rubore & ſuperflua humiditate harum partium ὀφθαλμοφανερῶς elucèſcit.

In hac ergo Tuſſi, quamdiu durat, eo ſemper reſpiciendum erit, ut ſerum hoc acre & nimis fluxile eliminetur, quodammodo incraſſetur, partes debilitatæ faucium demulceantur & confortentur. Ubi tamen ſemper obſervandum eſt, ut nulla torminibus colicis anſa detur & ſi illa ſe trudant, iisdem tempeſtivè obviam eatur.

Hoc tempore, durante adhuc Tuſſi, V. D. quavis hora VI. matutinâ de Electuatio hoc quantitatem nucis juglandis capiat & hora V. veſpertina indies repetat:

℞. Conſerv. roſ. rubr. ℥ij.
flor. bellid. min. ℥j.
Rad. conſolid. maj. condit. ℥ſ.
Pulv. antihect. Pot. ʒij.
Spec. diamargar. frigid. ʒſ.
Gelatin. CC. ſicc. ʒj. M. F. Electuarium.

Quar-

Quartâ horæ parte ab aſſumptione ejus elapſa V.D. de ſequenti decocto pectorali uncias quatuor bene calefactas abſorbere poterit, deambulando ad minimum per dimidium horæ ſpatium, ſiquidem ab uſu ejus ſedere, legere, aut ſcribere damno eſſe poſſet. Quavis vice etiam per binas horas ab uſu ejus à cibo & potu abſtineat, Paratur ita:

℞. Rad. Tuſſilagin. ℥ſ.
consolid. maj. ʒij
Herb. veron.
heder. terreſtr.
botryos
Flor. bellid. minor.
papav. errat. ana pug. j.
Fic. ping. n. vj.
dactyl. recent. n. iiij.
ſem. aniſi ʒij.
Inciſ. & contuſ. coq. in ▽. Font. Lib. iij.
in vaſe clauſo vitreo, per horam dimidiam,
col. expreſſ. adde Syrup. bellid. min. Unc. ij. M.
D. in fict.

Interdum, ſi tuſſis valdè moleſta eſt, rotulas quasdam pectorales ori inſeri & pedetentim liqueſcere poterunt:

℞. Spec. diatrag. frigid.
diatrion. Santal. aa. ʒj.
Bol. Armen. Orient. ʒiſ.
Pulv. rad. alth. ʒſ.
Conſerv. roſ. rubr. Unc. ſ.
conf. alkerm. C. ʒſ.
C. ſacch. alb. Unc. iij. ſol. in ▽. tuſsilag. q. ſ. M.
F. Conf. in rot. ad ſcatulam.

Qua-

Quavis nocte, dum V. D. cubitum itura eſt, alternatim unâ nocte ſumat ſeqq. pilularum numero tres, alterâ 2. vel 3. cochlearia ſyrupi:

℞. Diacod. Montan. Unc. ij.
crocat. Mynſ.
Syrup. papav. alb. ana Unc. ſ.
▽. Lactuc. Unc. ij. M.

* * *

℞. MP. de Cynogloſs.
Theriac. cœleſt. ana Scrup. ſ.
M. F. Pil. n. xxx. deaur. D. ad ſcatul.

Quoniam fauces admodum laxæ ſunt, D. V. indies manè & veſperi gargariſmo hoc calido uti poterit:

℞. Cort. pruni ſylveſtr. Unc. ſ.
Fol. roſ. rubr. ʒij.
hord. decortic. Man. ij.
mellis cochl. ij.
vini rubri quartar. j.
aquæ commun. Menſ. iſ.

elixentur in vaſe terreo vitreato, per horam dimidiam: colentur. Quodſi calefacere velit, mediante aquâ fervidâ fiat, neutiquam ſuper igne, aut carbonibus.

Superatis diebus canicularibus, tuſſi licet ſedatâ, è re erit, ut D. V. de ſequenti Gelatinâ quovis mane 2. cochlearia ſumat, hisque potum aquæ fontanæ, cui parum veronicæ incoctum ſit, ſuperaddat.

℞. Corn. cerv. crud. lim. ℥iiij.
Infund. in ▽. fontan. fervent. lib. iij.
Dig. in loc. calid. per hor. 12. Adde
Rad. conſolid. major. ʒii.
Flor. bellid. min.
papav. errat. ana M. j.
Conſerv. roſ. rubr. Unc. ij.
Ichthyocoll. ʒij.
Coq. lento calore prunarum, ad conſumpt. dimid.
dum adhuc calet, adde colat.
confect. alkerm. C. ʒj. M.
Servetur in loco frigido, in vaſe vitreato, probè tecto.

Quodſi hæmorrhagia narium denuò ingruat, recip. ℈. ij. Vitrioli Cyprii, coq. in ▽. commun. ℥viij. De hoc ſæpe parvulum cochlear tepidè naribus attrahatur, donec remittat.

Uſus acidularum hoc in ſtatu minus tutus eſt. Purgatio ſummè nociva.

Colica ſi urget, V. D. ſine mora remedia præſcripta in uſum adhibere poterit, abſtinendo tantiſper à medicamentis pectoralibus, donec ceſſet.

In Diætâ omnia fugiantur acida, ut & nimium ſalita & aromatiſata. Non minus ea quæ in butyro frixa, abſint. Vinum Decocto Chinæ diluatur. Motus vehementiores aerque frigidus & humidus nocent admodum. DEUS omnibus benedicat!

V. D.

den 26. Maji, 1687.

officioſiſſimus

NB.
Similia prorſus remedia in alio Conſilio
dat B. D. Camerarius, Arch. Würt.

JOH. JACOB. WEPFERUS.
Med. D.

IV.

IV.

ALIUD
DN. D. GMELINI,
Archiat Elect. Saxon.
P. P.

E Conſiliario Primario, Dn. Wittio, diebus hiſce percepi, quòd Exc. V. animi mea ſenſa deſuper macra & ad Phthiſin inclinante conſtitutione Nobiliſſ. Dn. Conjugis deſideret, hinc eadem, eâ, quâ decet, obſervantiâ, non poſſum non communicare. Poſtquam ſc. ante biennium prælaudatam Dn. Conjugem in Thermis Emſenſibus honorare licuit, dubius primum hærebam, an illi uſum illarum, ob maciem inſignem, ſuadere debeam, cùm ob nimium, quem à natura obtinent, fervorem, hecticum quendam calorem eò facilius excitare poſsint. Quùm verò nec pulſum citatiorem, nec ſitim exceſſivam, ècontra maciem illam, ſub exactiſſimâ etiam diætâ, alibi obſervarim, adhibitis omnibus cautelis, tàm internum, quàm externum thermarum uſum tandem conceſſi; & poſtquam exinde neque calorem intendi, neque alia, hecticæ alias familiaria, ſymptomata oriri vidi, ècontra verò acredinem aliquam ſcorbuticam inveni, undè dolores capitis & artuum oborti ſunt: hinc certa me ſpes tenet, dummodò convenientia humectantia, attemperantia & corrigentia, tam in diætâ, quàm medicamentorum uſu, eligantur, omnem Phthiſeos metum evitari & præſervari poſſe, idque ſequentem in modum:

Pro ipſâ curâ nil æquè magis commendarem, quàm Curam Lactis Aſinini, quoniam hæc omnes noſtros ſcopos optimè adimplere poterit, ſuccos ſimul magis nutritivos ſuggerendo. Neque enim coagulum lactis hîc, ut alibi, tàm facilè metuendum, modò decenter & ſecundum regulas bene adminiſtretur. Uſus autem ejus ita inſtituendus eſt: Conquirenda primum aſina adhuc lactans, cum pullo adhuc lactente, quæ gramine recenti, aut pabu-

lo conſueto probè alenda eſt. Laudabile autem lac fundat, oportet, quod à Molitore, aut aliis ejus poſſeſſoribus reſciſci poterit. Pullus per totam noctem ab illa ſeparandus, interdiu autem, ſi tempore matutino lac emulctum, ad eandem admittendus eſt, ut lactendo lactis generatio conſervetur, quod alioquin facile exſiccari poſſet. Sub ipſâ jam curâ indies horâ matutinâ VII. lac in patinam argenteam, aut ſtanneam, cui linteum tenue, ad excludendas ſordes, ſuperinductum ſit, quæque in aquâ calidâ prius tepefiat, emulgeatur & ſtatim abſorbeatur, ab initio quidem unicam, mox 2. abhinc 3. ad ſummum quatuor ſcutellas (potui Coffi dicatas) eo repletas ſumendo, ſimul tamen, ad præcavendam coagulationem, grumulum ſacchari immittendo. Quodſi poſt ejus aſſumptionem dolor quidam ſtomachi ſentiatur, in minori ſemper doſi ſubſiſtendum. Hoc autem deficiente indies ſcutellam addere & ubi ad 3. vel 4. deventum eſt, per 6. hebdomadum ſpatium, ſi ad palatum ſit, iisdem continuare poſſet. Linteo patinæ ſuperextenſo etiam folia quædam ſalviæ, aut meliſſæ, imponi & per eadem lac immitti poterit: quo facto omnis fortè adverſus odor evitari poterit: utut plurimi absque illis herbis lac aſſumere ſoleant. Sub cura hac nequicquam aliud adhibetur, niſi quod ſub fine cujusque paſtûs, aut dum cardialgia quædam moleſta eſt, de Tragæa ſeq. edulcorante tantum, quantum 2. vel 3. cuſpidibus cultri majoribus ſumi poteſt, deglutiatur:

℞. Specier. Diacret. M. Unc. iij.
D. ad ſcat.
S. Tragæa Stomach. edulcorans.

Manè poſt lactis aſſumptionem, per unam aut alteram horam in lecto permanere & abhinc corpus leniter, per horam integram, movere poterit, & poſt deambulationem juſculum efficax aſſumat. Inter prandium, cœnam & ubivis ab omnibus acidis, acetarii, fructibus crudis, piſis, nimium ſalitis, maſsis farinaceis, butyro frixis, omnique vino (excepto Vino Hiſpanico aut Muſcatellino, ad aliquot cochlearia, pro confortando ſtomacho, ſumendo) abſtineat

ſtineat affectusque animi vehementiores fugiat. Potui ordinario inſervire poſſet Decoctum fœniculi, aut aniſi. Tempore Hyemali, autumnali, atque vernali gelatinæ CC. cochlearia 3. aut 4. juſculis carnis calidis ſoluta, manè & veſperi abſorberi & aliquamdiu continuari poterunt. Poſt uſum horum omnium peterem, ut de effectu certior redderer, & an pulſus celer, vel tardus? qua ratione reſpiratio, alvus & urina ſe habeant? an & ubi dolores ſentiantur? an ſitis extraordinaria, cumprimis autem tempore matutino, urgeat? mihi tranſcriberentur. DEUS T. O. M. curæ benedicat, cujus protectioni Exc. V. committens, perſevero

Exc. V.

Stutgardiæ, die 17. Aug. 1702.

Obſervantiſſimus
Servus
JOH. GEORG. GMELIN, D.

Ad DN. D. ZELLERUM,
JCtum Celeb.

V.

Aliud

D. D. TACKII, Archiatr. & Phyſ. Wormatienſis,

ad Civem Türckheimenſem

P. P.

Literas Tuas benè obtinui indeque minus exoptatum ſucceſſum & effectum thermarum & acidularum percepi. Quemadmodum autem valdè dubito, an veram fontis Embſenſis aquam obtinueris, loco cujus fortè acidulæ Svalbacenſes transmiſſæ ſunt, quæ pectori admodum nocivæ ſunt, ſummamque reſpirandi difficultatem iis, quorum pulmones (uti tui) malè ſe habent, inferre

 poſſunt:

poſſunt: Ita maximopere ſuadeo, ut ab illis quantocyus abſtineas, neque Naturæ ulteriorem vim inferas, ſed Mixturam & balſamum hiſce addita ſubſtituas. Thermæ Embſenſes alias appetitum proſternere & reſpirandi difficultatem cauſari non ſolent, ſed è contra attenuant, diſcutiunt, detergunt & reſpirationem liberiorem efficiunt, ut omnes acidularum & thermarum periti Medici in ſcriptis ſuis perhibent. Dum verò de cætero in literis tuis addis, quod pœnitentiâ ducaris, quod meæ Te curæ commiſeris, id impatientiæ tuæ penitus adſcribo. Niſi meliorem confidentiam in me locaveris, melius egiſſes, ſi me prorſus miſſum feciſſes, ſiquidem adeò non primus es æger, in quô medicari diſcam, aut vires meas periclitet, ut potius per 17. jam annos plures, tam Illuſtres, quam mediocris & infimæ ſortis homines, per DEI gratiam, in integrum reſtituerim, quod Te, ceu Amicum dilectum, celare non potui, quem DEI protectioni committens, perſevero

Tuus

Paratiſſimus
JOHANN MARTINUS
TACKIUS, D.

VI.
CONSILIUM
B. DN. D. GEILFUSII, Sen.
P. P.

Pulmones Tui flaccidi prorſus, emarcidi & collapſi ſunt reliquaque viſcera interna jam ultra annum inſigniter debilitata, adeò quidem, ut nec V. S. nec purgantia, nec alia medicamenta fortiora locum habeant, ſed potius confortantia in uſum adhibenda ſint. Fugiatur aër frigidus, nebuloſus, humidus. Fugiantur ſimul cibi craſſiores & frigidi. Eligatur cerevîſia domeſtica tenuis,

cui

cui radices enulæ & peucedani, herb. veronicæ, rorismarini, ſalv. hep. nobilis & cort. aurantiorum infundantur. Abhinc continuò, manè & veſperi, imò & poſt cœnam & prandium, de pulvere præſcripto tantum, quantum 3. cultri cuſpides capiunt, ſumatur. Hâc autem vice Lunâ decreſcente curæ initium fiat per adjectam potiunculam, tribus diebus continuis abſumendam, in hypocauſtô poſt aſſumtionem ejus obambulando & ſub prandiô juſculum calidum ſumendo:

* * *

℞. Spec. pro Elect. ſeu
Looh. de pulm.
vulp. Unc. iij.
Pulv. Saffr. ʒij.
℅. deſtill. aniſi Scrup. ſ.
M. c. ſacch. cando q. ſ. D. S.
Pulver Morgends, Abends und alle Mahlzeit
zu gebrauchen.

* * *

℞. Fol. Sen. ſin. ſtip. drachmas vj.
Mechoacan. ʒiij.
Fol. veronic.
ſcabioſ.
roſmar. ana Mſ.
aniſi ʒj.
⊖♀. Scrup. j.
Inf. per 26. hor. ▽. mellitæ calidæ, dein l. a. coq. & clarif. alb. ov. add.
Syr. d. cich. c. rhab. ℥j.
Aq. arthet. ℥ß. ʒij.
S.
Träncklein im abnehmenden Licht
auf dreymahl.

VII.

VII.

CONSILIUM
D. JOH. CHRISTOPHORI HERTII,
Archiatri Haſſiaci,
DN. Gerstio, V. D. Miniſtro, impertitum.

Maximè Reverende!

Arthritis graviſſima hactenus impedimento fuit, quo minus reſpondere Tibique gratificari potuerim. Affectus pectoris, quo vexaris, non niſi à ſero circa præcordia ſtagnante oritur & quoniam in conſuetudinem fere abiit, ut eò irruat nec alibi ſecernatur: Hinc præſens Decoctum medicatum per XIV. dies ſivè ſolum, ſive cum gutt. XXX. Eſſ. pectoralis, aſſumi & abhinc menſe Junio cura acidularũ, cumprimis Selterenſiũ, per 3. ſeptimanas addi poterit, ante & poſt curam pulv. laxativum mane ſumendo & 2. horas abhinc à cibis abſtinendo, abhinc verò juſculum gallinæ aut carn. vitul. non ſalitum ſumendo. Abſolutâ curâ per 4. Septimanas Diæta exacta obſervanda & ab omnibus medicamentis abſtinendum erit. Poſtmodum autem ad pectus roborandum mane & veſperi tantum de pulvere, mane & veſperi ſumi poterit, quantum tribus cultri apicibus prehenditur idque in ▽. veronicæ, aut ſcabioſæ, aut & in potu Thee, abſtinendo ab omnibus cibis acidis & acribus, potando autem cereviſiam bonæ notæ, qua cum lignum ſaſſafras, hedera terreſtris, ſcabioſa, veronica, radix cichorei & baccæ juniperi fermentarint. Nimius etiam motus erit vitandus. Quibus prævia commendatione Divina perſevero

DN. Paſtoris honorat.

Darmſtadii den 18. Maji 1718.

Officioſiſſimus
HERT.

Spec.

Spec. pro Decocto.

℞. Herb. bellid. prat.
hed. terr.
ſcabioſ.
cerefol.
endiv.
trifol. acetoſ.
beccapung.

De ſingulis probè lotis tantum quantum tribus digitis capitur, juſculo carnis recentiſſimo & ferventi injiciatur, & operculo impoſito parum adhuc ebulliant & vel ita ſolum, vel in prima ſcutella thee xxx. gutt. Eſſ. pector. ſumantur & reliquum abſque R.

Pulv. Lax.

℞. Pulv. rhei non carios. gr. xxx.
♀. aperitiv. gr. x.
M.
S. Laxier Pulver vor und nach der Cur zu nehmen.

* * *

℞. Elix. Pect. Wed. ℥ß.
S.
Bruſt-Eſſenz xxx. Tropffen mit der Kräuter-Brüh zu nehmen.

* * *

℞. Pulv. Trif. fibrin. ℥ß.
hed. terreſt. ʒiii.
Zedoar.
cardamom. ad ʒß.
opobalſ. veri g. xv.
Sacch. parum M.
S.
Bruſt-Pulver drey Meſſer-Spitz voll.

Hactenus conſilia & curas Practicorum noſtri ſeculi feliciſſimorum & quaſi infallibilium enumeravi, ut eluceſcat, quouſque hactenus in curanda phthiſi proceſſerit induſtria Medicorum in Arte verſatorum. Jam & Empirici olim famoſiſſimi ſecreta excutiamus, ne quid intentatum relinquatur. En principia ejus & artem, quâs ſui deſiderium & præſentiam commendat;

VII.
ANSER INTER OLORES.

P. P.

Illuſtriſſimæ VeſtræExcellentiæ literas gratioſas rectè accepi easque perlegi. Jam merito Illuſtr. V. E. fuſiorem reſponſionem reponere deberem, quam ipſam tamen, ob temporis brevitatem, cui parcendum, differre cogor. Obſervo autem Illuſtr. V. E. in vulgaribus quatuor complexionibus non contineri, ſed generi Neutro ſubjectam eſſe, quod Domini Doctores bene explicare poterunt: quales naturæ difficulter curantur. Attamen, ut E. V. reperiet, Panacea omnibus aliis medicamentis palmam eripit, lubenterque juvaret, aſt Magiſter deeſt, qui doſin moderaretur. Forte DEUS efficiet, ut inſtantibus nundinis antumnalibus Francofurtum abeam, qua occaſione E. V. plenariè in integrum reſtiturus eſſem. Interea E. V. Panaceâ ſubinde uti poterit, cui malum tandem ceſſurum erit. Proſtat apud Adrianum Sonnemannum, probè obſignata. Nuper virginem formoſiſſimam, quæ per 3. annos lectum non deſeruerat, per tot annos neque ſomnum ceperat, ſed per culmum parum cereviſiæ aſſumſerat, curavi. Hæc diu panaceâ uſa erat, ſed absque ſucceſſu. Cùm verò ipſemet advocarer, intra 3. dies eandem hâc ipſâ panaceâ reſtitui. Tales curationes intra XXVII. annos plurimas inſtitui. Finire cogor, quoniam Regia Majeſtas Polonica me vocari jubet. Exc. V. DEO commendo. Uratislaviæ die 26. Jan. 1668.

Ill. V. Exc.

ſubjectiſſimus

ZACHARIAS WILDEGANS,
Arch. Reg, Polon. & Suec.

Ad Illuſtriſſ. Comitem Erbacenſem.

DESCRI-

DESCRIPTIO
Pilular. Wildeganſii ſ. Panac.

℞. Opii Theb. in 🜍🜄. ſolut. & inſpiſſ. ℥ij.
Aloes gummoſ.
Myrrh. el.
croci Auſtr.
Trochiſc. de viper.
cor. rubr. ana gr. xv.
Bez. orient. gr. xiij.
🝆. caryoph. cinam. ana. g. viij.
M. F. Pil. n. 150. Doſ. 1. 2. 3. &c.

Alia Deſcript. Panac.

℞. 🜍. ☉rati fix. ʒv. Extr. croci
Al. ſuccotr. ʒv.
Myrrh. rub. Troch de unicorn. ana ℥j. viper.
Opii ʒj. Mag. perl. ſuccin. aa ʒij.
M. c. R. Bezoard. F. Pilul. Doſ. 3. 5. ad 9. cum ſudore, in omnibus morbis.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Rad. Ipecacuanh. Scrup. j.
flor. 🜍. gr. vj.
elæoſacch. citr. g. ij.
M. D. in Phthiſi incip.

* * *

℞. Pulv. n. Pector. ʒij.
Extr. opii Scrup. ſ.
M. D. bis de die, in 🜄. veron. vel ſeq. Decoct. pro Curâ Majali.

α. & ω.

℞. Pulv. antiphthiſ. Conerding. ʒiß
Flor. 🜍. ʒß. M. D. in Phthiſi Incip. poſt Vomit. uſum

In Phthiſi Confirm. ſeqq.

℞. Pulv. Anonym. rec. Unc. ſ.
Flor. 🜍. Unc. ſ.
Laud. opiat. gr. ij. M.

* * *

℞. Balſami Locatelli ℥j.
Pulv. Glycirriz.
ſem. aniſi ana ʒj.
c. Syr. de Eryſ. F. Electuari

* * *

℞. Rad. cichor. rec. Unc. j.
petroſelin. Unc. ſ.
Fol. Lactuc. c. caul.
bellid. min.
hep. nobil.
ſtellat.
pulmon. maç.
ana Mj.
farſar. Mij.
Inciſ. & contuſ. coq. in juſc.
D. in fict. pro Curâ Majali, quâ, ad præſcriptum D. Widtii, annuatim utebatur
Illuſtr. Com. Maximilianus de Staremberg.

* * *

Seq. à D. HERTIO, Arch. Haſſo-Darmſt. Phthiſico cuidam, cum euphoriâ, laudata ſunt.

℞. Pulv. heder. terreſtr.
ſacch. candi ana q. v.
℅. deſt. aniſ. g. ij.
M. F. Pulv.

* * *

℞. Herb. bellid. min. q. v.
utatur in juſculo & pro potu, ut & vehiculo pro pulv. hed. terreſtris.

* * *

℞. Decoct. Pector. lib. j.
Syr. de Papav.
capill. ♀. ana ℥ij.
M. *Vid. Sydenham.*

PILVLÆ ANTIPHTHISICÆ D. Franck. à Franckenau.

℞. Chin. Chin. Optim. ʒj.
Rad. gentian. Scrup. j.
Anti-hect. Poterii ʒß.
Extract. veron.
papav. errat.
lign. Guaj. aa Scr. j.
Tereb. Cypr.
Ball. de Tolu.
Copaibâ ana ʒß
M. F. Pil. cxxxiii. conſperg. pulv. liq. Doſ. manè & veſperi vij.

PVLVIS ANTIPHTHISICVS Conerdingii.

℞. Rad. Liquirit.
Ireos Flor. aa Unc. j.
⊖✱. depur.
Ⓘ. pur. ana Unc. ß.
M. D. bis de die
in Phthiſ. incip.
Coincidit cum eo Pulvis Antatrophus *Gmelini*, quem vid. ſupr.

CAP.

DE CORPULENTIA NIMIA.

CORPULENTIA NIMIA eſt exceſſiva & moleſta corporis craſſities, à pinguedine exſuperante ortum trahens.

- **ΦΑΙΝΟ'ΜΕΝΑ.** Ob nimiam pinguedinem, aut utriculum, ad actiones ſolitas fiunt inhabiles & torpidi, levi motu anhelant & difficulter reſpirant. Greſſus ſunt ardui & difficiles.
- ***SUBJECTUM*** in genere ſunt omnes corporis humani partes: ſpeciatim omentum & membrana adipoſa.
- ***CAUSA***
  - ***PROXIMA***
    - ***FORMALIS*** eſt nimia ſeri nutritii appoſitio.
    - ***MATERIALIS***
      - Nutrimentum exſuperans.
      - Spirituum largior irroratio.
  - ***REMOTA***
    - NAT.
      - Diſpoſitio hæreditaria.
      - Ætas aſcendens & conſiſtens.
      - Sexus muliebris.
    - N. N.
      - Aer temperatus, vernus & hyemalis.
      - Cibus & Potus copioſior.
      - Somnus & quies largior.
      - Excreta, ſudor ſc. & ▣. parciora.
      - Gaudium & Lætitia.
    - P. N. poſt febres quandoque obſervatur.
- ***PROGNOSIS***
  - Periculoſa non eſt, ſed moleſta.
  - Sterilitatem infert vitamque abbreviat.
- ***CURATIO***
  - 1. Ea quæ copioſum nutrimentum præbent, ſubtrahit, per
    - Diætam tenuem & oligotropham.
    - Motum & ſtudia.
    - Cibos acriores & acidos.
  - 2. M. S. & ſeri nutritivi colliquationem promovet, per remedia
    - DOMESTICA
      - Pulv. laxat. polychreſt.
      - ⦶ depur. ▽. chalybeat.
      - acet. & ∽ ⊖ dulc.
    - PHARMACEUTICA,
      - Purgantia
        - Jalapp.
        - ir. noſtr.
      - Diuret.
        - Sem.
          - urtic.
          - fraxini.
      - Alterantia acria ⊖na
        - Pulv. ſtom. *Birckm*;
        - ♀. depur.
        - O. ⦶. ∽ ⊕.
    - CHIRURGIC.
      - Veſicatoria, Fonticules
      - an & V. S. *vid. Cautel.*

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curatione nimiæ corpulentiæ cave ne deſperatum & crudele remedium Chirurgicum, inciſionem ſc. abdominis & pinguedinis extractionem, ſuadeas, quod ut incertum & antiquiſſimis Medicinæ Parentibus ignotum damnat *Ettmüllerus, in Diſſ. de Corpul. nimiâ §. ult.*

II. Cave ſimiliter, ne iteratis largisque Venæſectionibus corpora craſſiora deplere ſtudeas, ne loco ſanguinis laudabilis & volatilis chylum crudiorem venis ingerendo utriculum & aqualiculum, priori malo periculoſiorem, efficias.

CASUS & CONSILIA.

I.

Bina de Hydrope, ex abuſu Venæſectionis, in Corpulentiâ nimia, oborto exempla, heic Giſſæ à me obſervata, curioſus lector inveniet in Miſcellaneis S. R. J. Academiæ naturæ Curioſorum, Decur. II. Anno II. Obſervat. CLXXI. pag. 383.

III.

JOCOSERIUM MEDICUM,

Pariſiis olim typis expreſſum & in nundinis D. Germani venum expoſitum.

RECEPTE TRES-ADMIRABLE & plus qu'approuvée medecine, pour degraiſſer les gens, qui ſont trop gras.

Premierement il faut prender pour déjeûner une livre de ſoucy, confit en amour, ſans joüiſſance.

FORMULA ADMIRANDA & medicamentum plus quam probatum ad homines nimis pingues macriores reddendos.

Primò omnium ſumas, oportet, pro jentaculo quidem, libram curarum, conditam amore, ſine gaudio.

Au

Au diſné, deux livres de melancolie, mêlée en larmes, lamentations, gemiſſemens, pleurs, ſoûpirs & regrets.

Au gouter, une ſalade de menuës penſées, lavée en fontaine d'amertume.

Au ſouper, douze poires d'angoiſſes, confites en impatience & dépit; & ſi davanture le perſonnage a mal au coeur, il faut qu'il prenne un ſyrop de jalouſie ſur ſa conſcience, ſans en dire mot à ſes voiſins.

Puis pour ſa collation prendre un ſac de procés mal fondé, ſe coucher ſur un lit de travail, encourtiné de réveries, farcy de poux, puces, punaiſes, ſur un baſtiment ſans fondement. Puis Monſieur, ou Madame dégraiſſera incontinent.

Prandium conſtet è binis libris melancholiæ, permiſtæ lachrymis, lamentationibus, gemitibus, ploratu, ſuſpiriis & dolore.

Pro merendâ ſit acetarium vanarum cogitationum, lotum in fonte ægritudinis & amaritudinis.

Cœnam inſtruant duodecim pyra anxietatum, impatientia & deſpectu condita; & ſi perſona forte cardialgiâ correpta ſit, conſcientiæ ſuæ ſyrupum zelotypiæ propinet, ita quidem, ut vicinis ne verbulum de eâ concredat & manifeſtet.

Tandem pro collatione aſſumat saccum proceſſu malè fundato repletum, committat ſe lecto variorum laborum, cincto & ornato deliriis cogitabundis, infarcto pediculis, pulicibus & cimicibus, impoſito ædificio ſine fundameuto. Ita Dominus, aut Domicella marceſcet ſine morâ.

II.

Caſum de muliere per nimium & frequentem ♂-⊕. uſum primum emaciata & abhinc demortua vid. in *Novellis* noſtris *Medico-Legalibus*, *CAS. XXX.*

FOR-

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Pulv. n. laxativ. polychr. Scrup. j.
Cryſtall. ♀.
☽. ana gr. vj.
M. D. pro doſi.

* * *

℞. Rad. Gentian. pulveriſ.
angelic. ana ℨj.
ſummit. cent. min. pulv. Scrup. ij.
O. crud. Scrup. j.
c. extr. abſinth. F. Pil. p. ℥r. j.
ſumantur quotidie xx.

* * *

℞. ♀. depurat.
Cymar. coryl.
ana ℨj.
Lap. prunell. ſ. ☽. depur. ℨj.
M. D. manè & veſp. quantum cuſpide cultelli capitur.

* * *

℞. ♀. crud. pulv. ℥ſ.
cinnamom. ℨij.
zingib. Scrup. ij.
ſacch. ℥j.
M.

α. & ω.

℞. Pulv. Stom. *Birckm.* ʒij.
Fol. ſenn. pulv. ʒſ.
cinnamom. acerrimi
caryophyllor. ana Scrup. ſ.
F. pulv. bis de die ſumend.

* * *

℞. Electuar. de croco ♂. ſolut. *D. Widtii* ℥j.
Sem. urtic. pulv.
fraxin. ana ʒiij.
c. s. q. ſyr. de menth. F. Elect.

* * *

℞. Pulv. ſarſapar. ℥j.
☽. depur. ʒiij.
Coriandr. pulveriſ. ʒij.
M. F. Pulv.

DESCRIPTIO ELECTVARII DE CROCO ♂ SOLVTIVI D. Widtii, Archiatr. Cam. Imper.

℞. Conſerv. borrag.
viol.
roſ.
Cort. citr. condit. ana ℥j.
Pulv. fol. ſenn. Or. ʒvj.
Croc. ♂. aperit. ʒj.
ſyr. de pom. q. ſ. pro Elect.
cui add.
☉. aniſ. g. viij. M.

CAP.

DE CHLOROSI ET MENSIUM OBSTRUCTIONE.

CHLOROSIS eſt ſubtumidus & pallidus C, H. habitus, ab obſtructione tubulorum & vaſorum capillatium in virginibus ortus.

- *PHÆNOMENA.*
  - Pallent cum circulô circa oculos & inflatione. Triſtantur & anxietates cordis patiuntur: Adeſt febris lenta, utut vix ſenſibilis, absque periodo, quæ FEBRIS ALBA virginum audit. Pulſus eſt inæqualis, cum menſibus aut parcis, aut ſuppreſſis. His autem SUPPRESSIS crebra ſuſpiria ducunt, aſcendendo difficulter reſpirant, dolores circa lumbos & os ſacrum ſentiunt: cum vomitu ſæpe & torminibus. ⊡ eſt pallida. Sæpe & cephalalgia & paſſio hyſterica accedit, imo & furor uterinus.
- *SUBJECTUM*
  - *MORBI* eſt totum corpus, magis tamen quoad uteri confinia.
  - *CAUSÆ M. S.* ſi à fixitate ſanguinis: aut uterus, ſi ob obſtructione.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt deficiens ſanguinis ſpirituaſcentia, aut obſtructio vaſorum uteri.
    - *MATERIALIS*
      - eſt ſanguis compactior & vappidus, poſt morbos & nimios labores, congrumatus item & pituitoſus, vaſa obſtruens.
      - Liquor genitalis voluptuarius ſanguini ſe miſcens.
  - *REMOTA*
    - Aër inclementior & refrigeratio extremorum.
    - Aſſumpta acida, viſcida; Panis ex furnô calens.
    - Quies & ſomnus exceſſivus. Motus nimius.
    - Affectus animi vehement. ♀ intermiſſa.
- *PROGNOSIS*
  - Recens facilius: Inveterata difficulter curatur, quæ poſterior in cachexiam abit.
  - Chloroſi facilè Mania, aut furor uterinus: Suppreſſioni menſium hydrops, aut phthiſis ſuccedit, quæ periculoſa.
- *CURATIO.*
  - 1. Humores p. n. eliminat
    - Vomitu, ſi à chyloſi depravatâ, in inis.
    - Purgantibus, ſi a pituita & ſero uterum obſidente.
    - V. S. ſi à plethora
      - in brachio, in mediet. menſium.
      - in pede, iminentibus menſibus
  - 2. Obſtructiones tollit remediis
    - *DOMESTIC.*
      - Pulv. n. ♂. minerâ ♂, aut lim. ♂. præp.
      - ℞ ♂. ⊙ri. ⊖. fix. cathol. ℞. aperit. Claud.
    - *PHARMACEUTIC.*
      - Pulv. Cachect. *Quercet.* Arc. dupl.
      - Sang. ♂. *Geilfuſ.* croc. ♂. aperit.
      - crem. & terra fol. 🜿. 🜿. ſolub.
  - 3. Menſes promovet
    - internè
      - Borrac. Glac. Mar. ſuccin. myrrhatis.
      - Sabin. caſtor. fell. anguillæ, &c.
    - externè
      - Suffiment. ex ſcor. Reg. ♁. fil. lini. ∽ ⊖ ✱. cum inſtr. *Glauberi.*
      - Peſſis in maritatis, Balneis &c.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In utroque hoc malo curando cautiſſimè agat Medicus in propinandis Vomitoriis, à quibus omnino abſtinendum, ſi vitium tantum ſit in utero. Periculum enim ſubeſt, ne iisdem menſtruatio per vomitum cruentum ſuperflua cieatur, *vid. Olaus Borrichius in Diſp. de Menſium defectu* §. 21.

II. Similiter Emmenagoga magna cum cautela propinanda ſunt, remotis ſcilicet per aperientia obſtructionibus. Duci hic vult Natura, non cogi & quo benignius ægræ tales tractantur, eò citius convaleſcunt. Secus ſi feceris, hæmoptyſin, cardialgias lethales & ſimilia cauſari poteris, cujus rei tragicum omninò caſum inſerui Novellis Medico-Legalibus Caſ. XXVII. Quid quod alicubi nec aperientia rem conficiant, ſed confortantia & analeptica, ut in eleganti D. Eliæ Rudolphi Camerarii, Archiatri quondam & Practici Würtenbergici, Diſput. de caſu, in quo menſes p. n. emanentes per emmenagoga ciendi non ſunt, videre licet.

OBSERVATIONES & CONSILIA.

I.

NObiliſſimæ Virgini de Franckenſtein circa tempus menſium ſæpiſſimè ægrotanti & de magnis doloribus in utroque latere conquerenti hoc præſcripſi, ut 14. dies ante tempus menſium de hoc vinô purgante bibere incipiat:

℞. Rad. Eryng.	Fol. ſenn. ſ. ſ. ℥j.
helen.	hermodactyl.
caryophyllat.	agarici.
pimpin. ana ʒiij.	helleb. nigr. ana ʒij.
Fol. Meliſſ.	Zedoar. Scrup. iiij.
majoran.	Mac. Scrup. j.
Flor. Samb.	⊖♀. ʒiß.
hyperici ana p. j.	Paſſul. min.
Sem. aniſi	ʒx.
dauci	Inc. & cont.
geniſt. ana Scrup. ij.	

Illu-

Hoc per octiduum continuato ſingulis diebus uſa eſt Elix. propr. g. viij. in vino: & cum tempus menſium inſtaret, redeuntes dolores inſequentis potiunculæ uſu protinus evanuere:

℞. ▽. hirundin. cum caſtor.
melisſ. ana ℥iſ.
∾. ceraſ. ʒij.
ſolut. corall. Scrup. ij. M.

Ita melius menſes fluxere & melius habere cœpit.

II.

CONSILIUM
D. JOH. GOTHOFREDI GEILFUSII,
Arch. Haſſo-Darmſtatini.

P. P.

ILluſtriſſima Comitiſſa, Eleonora Sabina, aquam horno tempore ad pellendos menſes præſcriptam & cum euphoriâ ſumptam hoc tempore per octiduum repetere & ſingulis menſibus, donec effectus ſequatur, continuare poterit. Adhæc duodecimo die ſolitum menſtruandi tempus antecedente prima vice venam ſecari jubeat & quidem ratione plenitudinis in brachio dextro. Abhinc menſe Martio, Aprili & Majo, tertio die ante tempus ſolitum, in pede, ratione revulſionis & octo menſes præcedentibus diebus ſæpius evaporationem per ſellam perforatam ſuſcipiat.

Illuſtriſſima Com. Anna Johanna pilulas Greiffenſtenii præſcriptas & aquam hinc illi transmiſſam ſibi commendatas habeat & hoc vere accuratam ſui curam habeat, quo tempore emmenagogis agendum. Saſſafras etiam catarrhorum alexipharmacum dicitur, quia catarrhos exſiccat, qui Illuſtr. Comitiſſæ. A. J. valdè incommodant &c.

Weilburgi
die 20. *Febr.* 1678.

J. G. GEILFUSIUS.

CONSILIUM
D. JOH. GEORGII GMELINI,
Archiatr. Reg. Polon.
P. P.

CAchexia Chlorotica, Filiam Illuſtr. Tuæ Excell. affligens, originaliter & radicaliter à digeſtione ſtomachi debilitata indeque, loco chyli amicabilis, viſcoſi & craſſiuſculi ſeri nutritivi & conſequenter ſimilium inutilium, viſcidorum & non ſatis volatiliſatorum humorum circulantium coacervatione, dependet; quæ ut variis obſtructionibus indeque impeditæ M. S. circulationi anſam dederunt: ita pallor faciei (nam qualis ſub cute latitat humor, talis reſplendet color) cardialgia, reſpiratio difficilis, virium debilitas, menſium diſcoloratio, imminutio & retardatio, hinc & inertia omnium actionum &c. neceſſario inde, tanquam effectus ſuam cauſam, ſequuntur.

Ad hæc tollenda unicè eo reſpiciendum, ut cauſis his urgentibus, & ni tempeſtivè iis occurratur, majores indies radices agentibus, debitis corrigentibus obviam eatur; adeoque talia excogitanda erunt remedia, quæ ſtomachum aliaque viſcera vi balſamicâ confortant, chylum, ſanguinem & reliquos ſuccos attenuant, mobiles reddunt, actuant, balſamo quaſi inficiunt, ſpirituoſos & volatiles reddunt, edulcorant, meatus obſtructos reſerant ſicque naturam ſuccumbentem, in quantum poſſibile, remediis tamen temperatis (cum virgo vix annum 17: habeat) erigant. Hoc enim ſi, ut nullus dubito, DEO benigniter aſſiſtente fiat, reliqua incommoda & ſymptomata pedetentim ſponte ſua remittent priſtinaque faciei vivacitas, vegetatio & activitas actionum, cum plenaria ſanitate [quam DEUS T. O. M. ocyus largiri velit!] redibunt.

Horum intuitu ſequens curationis filum probatiſſimum ſæpe vidi, cum econtra mirer alios tantum fortiora emmenagoga,

ſan-

ſanguine non prius eo diſpoſito, præſcribere, quoniam hoc modo omnia in pejus ruunt. Quamprimum verò ſupradictâ ratione ſucci circulantes in priſtinum ſtatum & in integrum reſtituti ſunt, Natura quoque ſemitæ conſuetæ indeque dependentibus actionibus inſiſtet. Speciatim autem Mars, ſi (quod in formulâ ſubjuncta per appoſitum NB. probè eſt monendum) quam ſubtiliſſimè & impalpabiliter præparatus eſt, incomparabilem & NB. prorſus tutum effectum præſtabit, dum non tantum eo mediante acor contrarius indeque orta viſcida humiditas, ſtagnatio & obſtructio emendantur, ſed ob ſingulares & balſamicas ſulphuris ſui benignioris particulas, ſanguis reliquique ſucci (junctis cumprimis & maritatis ♂. aromaticis & balſamicis particulis) animantur denuo & volatiliſantur. Quapropter una cum diæta (quæ omnibus ſupradictis indicationibus quoque reſpondere debet) remedia in hac cura neceſſaria curatiſſimè adhibenda & ſumenda ſuaderem, utpote quibus, ut ſanctè teſtor, ſexcentum ægrorum ſimilium elegantiſſimo colori & plenariæ ſanitati, intra 3. 4. aut (ſi fortiores radices egerat malum) 6. ſeptimanas, DEO adjuvante, reſtitui. Quodſi autem contingat, ut ſub cura hac, poſt remediorum, cumprimis Martialium, uſum, ſtomachi dolor, aut compreſſio, imò vomitus accedant, id pro malo omine haberi non debet. Quando enim ♂. humoribus acido-viſcoſis in ſtomacho miſcetur, neceſſariò contraria fermentatio oritur, cum Mars cauſam morbificam aggreditur: quo conflictu, penes quosdam ad horæ quadrantem, in aliis autem ad dimidiam aut integram horam durante, tales cardialgiæ oriuntur, ſub quibus Mars acidum corrigit. Continuato vero per aliquot dies Martialium uſu, acidoque à Marte quodammodo correcto, talia ventriculi ſymptomata ſponte ſua deſinunt maſſaque ſanguinea ipſaque mens cum omnibus functionibus & calore vivido pedetentim reviviſcunt. Interim, quoniam egræ remediis his quandoque terrentur, plerumque iisdem doſin minimam ab initio, & abhinc, niſi incommoda quædam pertimeſcenda ſint, eandem quodammodo

augere jubeo. Quamprimum & quamdiu autem inde læduntur, ad minimam revertor tantumque propinare jubeo, quantum ſine incommodô ferre poſſunt; adeoque Cura in ſequentibus conſiſtit:

Primo omnium quavis hora matutina ſeptima & pomeridiana quarta de ſequentibus pilulis viſceralibus 5. 8. 11. 14. ad 18. pro unâ doſi, in aqua menthæ ſumantur, abſtinendo per 2. horas à cibo, his vero elapſis juſculum carnis, in quo herba cerefolii & aliquid ſeminis cumini (prout juſcula cumini aliâs parantur) decocta ſunt, aſſumendo. Deſcriptio Pilularum viſceralium hæc eſt:

℞. Extract. Trifol. fibrin. ʒiiiß.
croci
caſtor.
ligni aloës, ana Scrup. ſ.
Limat. chalyb. in ſubtiliſſ. &
NB. planè impalpabilem pollinem redact. ℥ſ.
Cinnab. nativ. opt. præp. ʒj.
Balſam. de Peru ʒſ.
℔. deſtill. menth.
cinnamom.
macis ana gutt. iiij.
NM. expreſſ. Scrup. j. M. F. Pil.
ex ʒj. No. XL. deaurentur,
aut pulv. lycop. conſp. D. ad Scat.

Horâ prandium immediatè antecedente noctuque ante ſomnum de ſeq. Elixirio viſcerali XXX. ad XL. guttæ, in ſcutella Thée, Coffi, juſculo carnis, aut aqua menthæ ſumantur:

℞. Eli-

℞. Elixir. aperitiv. Claud. ℨß.
uterin. Cr.
⊖. vol. 🜍ſ. Sylv. ana ℥ij.
🜍. deſtill. caryophyll. gutt. iij.
macis gutt. iiij.
M. opt. ad vitr. D. S. Elixir viſcerale.

Sub fine cujusvis paſtûs de hac Tragæa ſtomachum confortante tantum, absque vehiculo, ſumatur, quantum binis cultri apicibus prehendi poteſt:

℞. Trag. aromat. officin. ʒiiß.
Ocul. ♋. præpar. ℨß. M.
D. ad ſcatulam.

Talibus medicamentis in quartam usque ſeptimanam curatiſſimè inſtare & circa tempus vernale, ſi vel minima neceſſitas urgeat, ob facile accedentem recidivam, eadem repetere expediet.

Simul autem durante curâ diætæ regimen ſolicitè obſervandum illîcque omnia vitanda ſunt, quæ ſtomachum enervare, debilitare, ſuccos circulantes de novô incraſſare, pituitoſos aut acidos reddere valent; qualia ſunt omnes frigidi, crudi, duri minusque cocti, acidi, pingues, in butyrô, aut pinguedine frixi cibi, fructus arborum crudi & ſimilia: Potus item frigidi, recentes & minus fermentati, acidi, ſaccharo & ſyrupis edulcorati. Abſint omnes exceſſus in animi corporisque commotionibus, cumprimis autem nimia vita ſedentaria, ſomnolentia, meditatio, melancholia, quin & ſaltatio nimis vehemens, frigidus craſſusque aër. Econtra ſumantur alimenta valida, grata, jure laudabili condita herbisque balſamicis & aromaticis imbuta; quales ſunt: Rosmarinus, Majorana, Thymus, Raphanus ruſticanus, Sinapi, Salvia, Petroſelinum, Citria & Aurantia mala quoad cortices (interior enim pulpa acida nociva eſt) Cinamomum, Caryophylli, Macis, Crocus &c. Non minus animi affectus temperentur:

Ordo legitimus & debitum intervallum inter prandium, & cœnam, ſomnum & vigilias obſervetur & loco potûs ordinarii vinum antiquum generoſum: extra prandium & cœnam autem 2. vel 3. ſcutellæ Thée manè & Coffi à meridiè hauriantur. Denique cura feliciter finitâ ægræ ſimiles ab omnibus exceſſibus diætæ, cumprimis autem ab animi ægritudine, ira ſimilibus: à frigidis omnibus, fructibus arb. crudis, uvis & ſimilibus ſibi cavere debet. Ipſis autem menſibus præſentibus nil præter Tragæam ſtomachicam ſumatur & die tertio elapſo reliqua medicamenta continuentur. DEUS T. O. M. curæ benedicat.

Excellentiæ Tuæ

Stutgardiæ
die 26. Aug. 1703.

Officioſiſſimus
JOH. GEORG GMELIN, D.

IV.
Aliud
in eodem Caſu.
REQUISITIO.

MAtrona annorum 48. temperamenti ſanguineo-melancholici, poſtquam ante biennium octavo partu filiam eſt enixa, ipſa eam, ſicut omnes priores, lactavit ad usque mortem filiolæ hujus, ante annum beatè vitâ functæ. A nupero Julio Matrona iſta, ad usque nuperum Decembrem, emanſionem menſium paſſa, varia habuit ſymptomata & adhuc habet, quibus ſatis alioquin carnoſa, dehinc valde extenuatur. Imprimis queritur de pondere, quod velut plumbeum ventriculo ſuo ſuperimponi ſentit, ex quo dolor capitis foveæque cordis, qui hic & eâ regione à tergo premit & pungit, adeo, ut iſthæc vix tangi poſſit pectusque tam arctè inde conſtringatur, ut ſe vel ſuffocatam iri

iri timeat & interdum corpus, pro leniendis doloribus, inclinare neceſſum habeat: qui ſubinde tamen remiſerunt, ſumptô imprimis juſculô calidiori, ſed mox tamen & ſæpius redeunt. Ante 4. menſes, poſt uſum pulveris, conſtantis ex præcipitantibus c. cinnabari nativâ, antihectico poterii, ℴℴ. Nuciſt. expr. & deſtill. c. laud. opiato, manè & veſperi ſumendi & alius laxantis, ordinarius fluxus rediit, Januar. ſc. & Februario, adminiſtratâ ſimul antea V. S. qui nunc per Martium & Aprilem ceſſat, neque poſt aperientes potiones rediit, ſed dolores ſupradicti, qui iſtis duobus menſibus remiſerant, patientem denuò fatigant. DN. Medicus Ordinarius urget novam V. S. ad ℥iij. vel ℥ij. de quâ tamen, quia corpus valdè eſt extenuatum & in ſanguine vita & vires, quæritur & deliberatur.

Not. 1. Ante triduum levis diarrhœa obſervata fuit, quæ tamen vehementer non agit. Quæritur, an adſtringentia quædam ſint adhibenda?

Not. 2. Hæc & ſequens ægra Thermis Embſenſibus deſtinata. Quæritur: an hoc rerum ſtatu & tanta atrophiâ præſente è re ſit? qualis diæta adhibenda? qualia medicamenra ante & ſub cura adhibenda?

CASUS II.

VIrgo annorum 12. temperamenti ſanguineo-melancholici, à biennio ferè extenuatæ eſt carnis & corporis, quod in creſcentiam ætatis conjectum & Parentibus perſuadebatur, quod nihil dehinc metuendum ſit. Poſtquam verò à trimeſtri fortè prima ipſius alacritas ceſſare, laſſitudo omnia membra occupare & dejectô priori appetitu nauſeare ipſam viſum & obſervatum eſt, facie ſimul cachectica apparente, DN. Medicus Ordinarius hoc in obſtructiones, alii in vermes dabant. Uſurpata ſunt radices graminis, medicamenta blandè aperientia & circumferentia umbilici balſamo ex ℴℴ. abſinth, tanacet; & felle tauri inuncta eſt, ne-

S que

que tamen vermes in s. v. dejectis obſervati. Tandem opinatum eſt ob inſtantiam primorum menſium iſta fortaſſis obvenire Cœptum eſt interea quotidie uti pulvere quodam antatrophô, experto & probatô, contra tabem ſpecifico, cujus benedictio cœlitus expectatur & ulterius ſalutare conſilium officioſè expetitur.

RESPONSIO

P. P.

QUantum ad ſanitatem in ſexu ſequiori conſervandam conferat quam neceſſarium menſtruationis negotium, è variis illis incommodis obſervare licet, quæ, ſi Naturæ debitum lunare non ſolvatur, occurrunt. Duo autem temporis momenta ſunt, in quibus ſe difficilem præbet natura, alterum, quo turgeſcentia hæc menſtrualis in M. S. primum urget & ob vias nondum expeditas erumpere neſcit: Alterum, quô naturaliter jam fatiſcit & deſinit ſuetus antea orgaſmus. Illud pro diverſitate ſubjectorum anno 12. 13. aut 14. Hoc autem appropinquante, aut præſente anno 50. utplurimum fieri ſolet. Utrobique præter alia ſuppreſſionem conſequentia ſymptomata, cardialgiam ſc. dolorem pungitivum circa os ſacrum, laſſitudinem &c. atrophia ſæpe conjungitur, è quibus *illa* in CAS. I. *hæc* verò in CAS. II. potiſſimum occurrunt; licet & in priori quædam atrophia ſæpe obſervetur, ut in ſimili hic Giſſæ notatô caſu (quem Miſcellaneis S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. Ann. II. inſerui) videre licuit.

Equidem dolorem illum gravativum & ex parte conſtrictivum, qui à Matrona Nobiliſſimâ in Caſu I. circa ſcrobiculum cordis & in ſpina dorſi ſentitur & tantum non ſuffocationem minatur, non alia ex cauſa, quam à ſanguine menſtruo circa uteri con-

confinia, ob vaſorum conſtipationem, ſtagnante uterumque affligente, derivare licet. Hic enim ob ſummum illum conſenſum, quem cum reliquis viſceribus, cumprimis ventriculo, alit, interuenientibus plexibus nervoſis, à Williſio in Tab. XI. eleganter depictis, criſpationem plexus ſtomachici producit, unde dolor ille circa ſcrobiculum cordis (ſub quo orificium ſtomachi ſiniſtrum latet) qui nervos intercoſtales & ipſius Diaphragmatis in conſenſum trahens ſuffocationis periculum inducit. Interim negari non poteſt texturam M. S. nimis compactam ſanguinemque plus minus grumoſum, (qualis in temperamento ſanguineo-melancholicô occurrit) aliquid ad hanc menſtruandi difficultatem contribuere, accedente cumprimis ætate conſiſtente: quá tamen abſoluta & orgaſmo ſolito remittente â moleſtis illis ſymptomatibus Matronam nobilisſimam penitus liberandam fore, certo ſperamus. Quandoquidem verò id ipſum rarò ante 50. annum fieri ſoleat, hinc Natura interea fatiſcens cura Medici erit adjuvanda, quæ eò dirigenda, ut remotis 1. externis 2. viarum obſtructio reſeretur, 3. Humores p. n. per convenientes vias educantur, & ſi opus 4. ſymptomatibus incommodantibus occurratur. Primum diæta: Secundum aperientia & deobſtruentia: Tertium partim laxantia, partim V. S. præſtabunt, quæ ultima hoc in caſu præſentaneum levamen adferre, in ſupra allegato Miſcellan. Acad. N. C. Caſu videre licet. Nec obſtat vitam & vires in ſanguine conſiſtere. Leni enim hac V. S. ad uncias aliquot adeo vires non exhauriuntur, ut potius ab onere & plethora (ſaltem ad vires tali) ſibi gravi liberentur. Unde continuatis ante ſuetum menſtruationis tempus, per octiduum, aperientibus ſuaderem V. S. in pede: id quod, menſibus non revertentibus ad minimum quovis anni quadrante repeti poterit. Utut autem 4. non tantum atrophia, ſed & ſymptoma illud moleſtum circa ſcrobiculum cordis hac ratione ſponte ſint ceſſura, rudera tamen hujus, ſi quæ remanſerint, ſeq. balſamum ſtomachale tollet:

℞. ℴℴ. Nuc. Moſch. expr. ʒj.
destill. caryophyl.
menth. ana g. iij.
Zibeth. gr. j.
M. F. Balſamum.

An & in

CAS. II.

idem menſtruationis negotium jam imminens aliquid ad atrophiam illam contribuat, non negavero, cum ob turgeſcentiam M. S. inſolitam, his quidem annis ſe trudentem, nutrimentum nec legitimè digeri, nec partibus apponi poſſit, adeoque non poſſit non diſpoſitio quædam cachectica oriri. Cum verò præſcripti jam pulveris antatrophi ingredientia tum atrophiæ, tum cachexiæ ſint oppoſita, certa me ſpes tenet, eodem tandem Naturam ad fluxum menſtruum diſponi poſſe: unde continuationem ejus matutino tempore ita ſuaderem, ut à meridie alternatim Tinctura ♂. ☉ris interponatur, cujus veram deſcriptionem atque doſin præſens Dn. Medicus Cameralis, D. Schelhaſs, communicare poterit; quemadmodum & thermarum Embſenſium uſus, cum fonte illarum, ſimilem quoque effectum edere poterunt, de quibus, cum à Collega meo, D. Böttichero, in caſuum horum reſolutione fusè actum ſit, prolixiori eſſe non licet &c.

Illuſt. T. Excellentiæ

Officioſiſſimus

MICH. BERNH. VALENTINI, D.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Pulv. ♂. n. d.
cinnabarini
ana ʒiß.
⊖. CC. vol. ℈iß.
M. Div. in 8. p. æ.
D. in ▽. menth.

α. & ω.

℞. Pulv. Cachect. Q. ʒij.
ſtom. Birckm. ʒj.
antih. Pot. ʒß.
cinnamom. acerr. ℈j.
M. F. Pulv.

℞. Lim.

* * *

℞. Lim. ♂. Mj.
infund. in Vini
Hiſp. Menſ. j.
M.
Cap. omni manè hauſtus, corpus moveatur & abhinc expectetur ſudor.

* * *

℞. Tinct. ♂. ☉ris,
ʒiij.
Eſſ. caſtor. ʒj.
M. D. g. xxx.
in veh. domeſt.

* * *

℞. Hep. anguill. c. fell.
Borrac. Ven.
ana ʒj.
Glac. Mar. ʒß.
croci pulveriſ. ℈j.
M. D. pro 4. doſ.
in ▽. menth.

* * *

℞. ⊖. armon. ℥ß.
applic. c. Inſtrum.
Glauberi.

℞. Rad. ariſt. rot. ℥j.
angelic. ℥ß.
Herb. puleg.
meliſſ. ana Mj.
Flor. cheiri
calendul. ana Mß.
croci integr. ℈ij.
Fol. ſenn. ſin. ſtip. ℥j.
Rhab. Mon. ʒvj.
agar. in pet. ʒiij.
⊖♀. ʒij.
Inciſ. D. pro
Menſ. Vini.

℞. Sang. ♂. Geilf. ʒiij.
Eſſent. caſtor.
Elix. Uter. Moeb. ana ʒj.
M. D. g. xxx.

SANGVIS MARTIS Geilfuſii.

℞. ⊖. ♀. p. j.
✳. p. 16. Mixta
evapora lentô ▽. in vitro. Dein torrefac. & ſolve ▽. communi, filtra, evapora, bene torre. Tandem parum 🜄. rectif. & ⊖. adde & evapora.

℞. Hujus
⊖♂. ana ʒij.
Bene miſce & per noctem in mortario lapid. repone. Manè affunde 🜄. rectif. ℥iij. & extrahe Tincturam. Filtra & ſerva.

DE GONORRHOEA ET POLLUTIONE NOCTURNA.

GONORRHOEA eſt ſeminis aut puri, aut ſuppurati, effluxio involuntaria, à veſicularum ſeminalium titillatione, aut irritatione p.n. orta.

- *PHÆNOMENA*
  - In POLLUTIONE ſemen tempore ſomni; cum vel ſine inſomnio Venereo, ejaculatur, ſubſequente debilitate, oculorum caligine, memoriæ læſione & tabe dorſali. In GONORRHOEA VERA etiam interdiu, è membro non erecto, ſemen exſtillat, urinæ innatans, oculis cavis & elumbe ægro. In GON. VIRULENTA primum dolet membrum, cum teſtium quaſi rotatione, indeque humores mox flaveſcentes, mox albicantes & tandem vireſcentes, aut ſanguinei, prodeunt, cum intenſiſſimo ⊡ ardore, phimoſi, ſæpe quoque ulcuſculis & carunculis &c.
- *SUBJECTUM*
  - Primarium ſunt Proſtatæ & veſiculæ ſeminales.
  - Secundarium Urethra.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt irritatio veſicularum ſeminalium, plus minus flaccidarum.
    - *MATERIALIS* eſt
      - Semen, aut lympha proſtatarum, quantitate aut qual. peccantia.
      - Fermentum mali Venerei.
      - Humores virulenti & purulenti.
  - *REMOTA*
    - Tenerior textura vaſorum genitalium.
    - Cibi euchymi, vel acres, equitatio, natatio, ♀. decubitus in dorſo, cogitat. & inſom. ♀. amor &c.
    - Scorbutus, incubus, calculus, cachexia, contag. lues ♀.
- *PROGNOSIS.*
  - Pollutio in foro Medico periculoſa non eſt, niſi ſit nimia, aut à cauſis internis. In principio morbi longitudinem, in declinatione reconvaleſc. notat.
  - Nec Gonorrhœa vera adeò mala, utut diuturna ſterilitatem inferat.
  - Virulenta facilius in juvenibus, quam ſenibus curatur.
- *CURA*
  - 1. Cauſ. Externam removet, per diætam tenuem & refrigerantem, preces, conjugium.
  - 2. Cauſ. Prox. mater. ſ. hum. p.n evacuat, per remedia
    - DOMESTICA
      - Magneſ. alb.
      - V. S. in plethora.
    - OFFICINALIA
      - Pilul. d. Tereb. vel ☿riales
      - Diaph. decoct. lignor. ♁ diaph. eſſent. lign.
  - 3. Titillationem & vellicationem ſiſtit,
    - DOMESTICIS
      - Emulſ. ex ſemin. cannab. ⦶.
      - Terebinth. Venet. ſem. agni caſti.
    - OFFICINALIBUS.
      - Sacch. ♄. Balſ. ♄. & Balſ. 🜍. Tereb. ∽ Ter. Balſam. de copaiba. opobals.
      - Tinct. ex ſcor. reg. ♁. Oſſ. ſepiæ.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Gonorrhœam virulentam ne ſolis adſtringentibus tractes, quæ non præmiſſis univerſalibus adhibita humoresque malignos in partibus genitalibus incarcerantia, lernam malorum inferunt.

II.

Nec omni ſpiritui hic credendum, ne Gonorrhœam pro ſtranguriâ habeas, aut alio titulo ab ægris decipiaris, ut in ſeq. conſilio videre licet.

OBSERVATIO.

Anno 1699. Transſylvanus quidam, Theologiæ Studioſus, Giſſam deproperans hoſpitio meô excipi deſiderat. Annuo petitis. Vix uno vel altero elapſo die de inſigni ſtranguria conqueritur, quæ tamen aliud in receſſu habere videbatur. Percontando igitur in alia, fatebatur inſimul puſtulas quasdam in meatu urinario reperiri indeque humores ex albo-flaveſcentes ſubinde effluere. Quapropter de angue latitante certior redditus, propino doſin Pilularum Sydenhamii, contra Gonorrhœam malignam laudatarum, quæ adeo violenter operatæ ſunt, ut hypercatharſis ſequeretur, quam theriacalibus & anodynis compeſcui. Interim Gonorrhœa multum indè imminuta fuit, contra quam bis de die Balſamum de Copaiba ordinavi, donec repetita paulo poſt dimidia Pilularum ſupradictaram doſi prorſus indè convaluerit. Puſtulæ autem ☿ᵕ, axungiæ caninæ mixto & illito, ceſſerunt.

CONSILIUM
D. D. WEDELII, Senioris.

P. P.

E literis Tuis, quas bene obtinui, obſervo, quod una cum Uxore Tua eodem morbo correptus ſis, ardore ſcilicet urinæ, nephritide

phritide & effluxu humorum quorundam purulentorum. Quamvis autem quoad externum intuitum effectus hic Nephritis, (cum qua ſimilitudinem quandam habet,) eſſe videatur, & à nonnullis pro illa haberi velit: attamen Nobilit. Tuam celare nequeo, eundem adhuc aliud quid in receſſu fovere, Gonorrhœam ſcilicet Virulentam, per concubitum mutuo communicatam; quapropter tum ad vaſa genitalia nimis æſtuantia ſopienda atque alteranda, tum ad acrimoniam demulcendam, ut & purificationem atque conſolidationem promovendam ſequentia remedia è re eſſe duco:

1. Mixturam ſanguinis depurativam, de quâ mane hora 7. in calida, à meridiè verò hora 3. veſ 4. in frigida cereviſia xxx. ad xxxv. guttas utrobique ſumere & abhinc per 2. horas à cibis abſtinere poterunt:

℞. Eſſent. ſuccini lignorum aa. ʒiij.	℞. bezoard. ʒj. anod. ℈j. M.

2. Pulverem demulcentem & diſcutientem:

℞. Ocul. ♋. præp.	o°o. lign. ſaſſafr. g. ij.
♁. nat. præp. ana ʒj.	Balſ. Peruv. g. iv.
Bezoard. ♀.	Extract. anod. gr. j.
Oſs. ſep. præp. aa. ℈ij.	M. F. l. a. Pulv. Div. in x. p. æ.

Præpāretur in duplo & noctu hora 9. doſis in cereviſia ſumatur.

Pilulas renes confortantes, alternis diebus, aut manè aut veſperi ad V. ſumendas:

℞. MP. de Tereb. ʒj.	Magiſt. ſuccini ana ℈ß.
Extr. agrim.	oſſ. ſep. ℈i.
Troch. alkekeng.	Balſ. Peruvian. gr. iij.
Sacch. ♄.	Eſſent. Lign. q. s.

M. F. l. a. Pil. n. LX. conſperg. CC. uſt. D. ad ſcat:

4. Li-

4. Linimentum externum ad lumbos & inguen, bis vel ter de die illinendum:

℞. Ung. roſ. ℥ß.
🜕. pareg. ℞. ℨß.
Scorp. M. ℨij.
M. F. Unguent.

🜕. Terebinth.
petrol. alb.
lign. Rhod. an. g. iv.
D. in Pyxide.

5. Urgentibus doloribus de ſeq. emulſione, horis alternantibus, 3. vel 4. cochlearia ſumi poſſunt:

℞. Sem. 4. frig. maj. ana ℨß.
lactuc. ℨj.
cannab.
papav. alb. ana ℨij.

🜄. cerefol.
fragar.
acac. ana ℥ij.
M. F. l. a. emulſio.

adde

Mag. Lap. ♋ ℈ij.
anod. Rolf. ℈ß.

Syrup. dialth. F. q. ſ.
M. D. in vitrô.

De cætero in diætâ ſibimetipſis conſulere & ab omnibus ſalitis, duris & concoctu difficilibus cibis, vino generoſo, frigore, motuve hementiori aliisque exceſſibus cavere poterunt.

FORMULÆ.

α. & α.

℞. Extract. aloes.
☿. dulc. aa. ℈ß.
ſcamm. 🜂rati gr. vj.
C. ſ. q. Eſſ. ſuccin.
F. Pil.
pro doſi.

ω. & ω.

℞. Elect. de Tam. c. fol. ſennæ ℥ß.
ſcamm. 🜂. gr. v.
maſtich. ℈ß.
ſacch. ♄. gr. vj. M.
D. pro doſi.
repetatur, ſi opus.

* * *

℞. Oſſ. ſep. pulv.
carn. bub. exſicc.
pulv.
ana ℨiß.
ſacch. ♄ ℈ ß.
laud. op. gr. ij.
M. F. Pulv.
D. bis l. 3. de die
ℨß.

* * *

℞. Conſerv. Nymph. ℥iß.
Sem. pap. alb. pulv. ʒij.
agni caſti ʒj.
hyoſc. alb. ʒß.
Oſſ. ſep. præp. ℈j.
C. ſ. q. Syrup. Coral. F. Elect.

* * *

℞. Sem. cannab. ʒiij.
pap. alb. ʒij.
C. ſ. q. ▽. Nymph.
F. emulſ.
add.
CC. uſti
oſſ. ſep. præp. aa. ʒß.
edulc. c. ſacch. perl.
D. pro aliquot. doſ.

* * *

℞. Balſ. de Copaib.
Spir. Tereb. aa. ʒ ß.
M. D. gutt. 11. ad 13.
in vit. ovi.

* * *

℞. Unguent. refrig. Galen.
alabaſtr. aa ℥ß.
camph. ℈ß.
c. ſ. q. ☍. Nymph. F.
Lin. pro renibus.

* * *

℞. Flor. roſ. rubr.
balauſt. aa. p. ij.
CC. uſti ʒß.
⊕. com. ʒij.
Inciſ. & contuſ.
injice potui.

* * *

℞. ☍. Nymph. ℥ß.
hyoſc. expr. ʒiij.
camphor. ℈ß. M.
pro iisdem.

CAP.

DE LUE VENEREA.

LUES VENEREA eſt irritatio & eroſio partium, cumprimis obſcœnarum, ab humore corroſivo Venereo acido-ſalſo proveniens.

- **ΦΑΙΝΟΜΕΝΑ.** Præter tria ſigna pathognomica, gonorrhœam, cariem pudendorum & bubones, adſunt utplurimum puſtulæ & maculæ rubræ, aut lividæ circa frontem, tempora, pone aures, labia, loca obſcœna. Accedit pilorum defluvium, dolores nocturni, oſtocopi, caput, homoplatas, brachia & femora circa medietatem occupantes: ulcera in tonſillis, naſo, pedibus, pudendis: Bubones, nodi, gummata, verrucæ in pene, condylomata ani, caries cartilaginum, agrypnia, dentium lapſus, ſurditas &c. Sæpe & febris intercurrit. In infantibus, ſi à matre intra uterum afficiantur, puſtulæ in ano & pudendis: ſin à nutrice, puſtulæ circa labia occurrunt.
- ***SUBJECTUM***
  - *MORBI* eſt totus corporis habitus.
  - *CAUSÆ* plerumque genitalia conſtituunt.
- ***CAUSA***
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt eroſio aut irritatio partium nervoſarum & cumprimis genitalium.
    - *MATERIALIS* Humores venerei acido-⊖ſi, plus minus viſcidi.
  - *REMOTA*
    - Contagium per
      - Oſcula Florentina.
      - Lectum & veſtimenta impura.
      - Generationem & lactationem.
    - Coitus impurus, quem ſolum agnoſcit *Drelincurtius.*
- ***PROGNOSIS***
  - Lues adhuc recens facile tollitur.
  - Inveterata
    - Hæreditaria.
    - cum
      - Febre lenta
      - cancro & carie

      difficulter, aut nunquam.
- ***CURATIO***
  - 1. Humores peccantes viſcidos incidit & corrigit,
    - ⊖nis, ut ⊖ Polychreſto
    - Emollientibus
      - Internis
        - Dec. hord. c. rad. cich.
        - Gelatinis &c.
      - Externis: Baln. Gargariſm. &c.
  - 2. Eosdem eliminat & quidem in
    - Incipiente Lue
      - Purgantibus
        - Sarſapar. electa & rec.
        - Pilul ☿ialibus.
      - Diaphoreticis
        - DOMEST.
          - Decoct. milij
          - Ambroſ.
          - Lign. juniper.
        - OFFICINALIBUS
          - Decoct.
            - Prim.
            - Sec.
          - Guaj.
          - Sarſap.
    - Confirmata per
      - Salivationem excitandam
        - Internè per
          - ☿ ⏖.
          - Turbith.
          - Panac. ☿rial.
        - Externè per
          - Inunctionem.
          - Suffitum.
  - 3. Sympt. relicta tollit ex propriis locis.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Ægros ſalivatione curandos diætâ lignorum primum debilitare noli, cum ad eandem vires & habilitas requirantur, per ſudores non exhaurienda.

II.

Cave tamen ne ſalivationem Mercurialem non præparato & diſpoſito prius corpore, nec emollitis gingivis, aggrediaris, ne Mercurius, absque effectu intento, in partes ſe defodiendo, ſucceſſivè cuniculos agat & viſcera erodat.

III.

Poſt ſalivationem exantlatam cave ab acidularum & thermarum uſu, quæ reliquias è corpore eliminandas adſtringendo detinent & lernam malorum inferunt, vid. Sydenham Epiſt. de Lue Ven. p. 395.

OBSERVATIO.

Miles quidam Lue Gallica infectus, cum in domo ruſtici cujusdam cubuiſſet, conſpurcavit lectum, in quo cum ruſtici filia dormiiſſet, paulo poſt de dolore circa inguina cœpit conqueri, emergentibus ſimul puſtulis ſubfulvis & albidis. Ordinavi illi primo portionem purgantem ex ſyrupo roſ. ſolutivô. Abhinc bibit decoctum ligni & cort. Guajaci. Puſtulis hoc unguentum applicavi:

℞. Unguent. roſ. Meſ. ℥j.
[illegible] ℈j. M.

Horum uſu perfectè reſtituta eſt. D. Sebaſtianus Schefferus, in *Manual. Pract. MSC.*

METHODUS CURANDI LUEM ♀.

Celeberrimo DN. D. BRUNNERO,

Archiat. Elect. Palat.

familiaris & experta.

Curatio hujus affectus triplici modo perficitur, ſc. per Purgantia,

gantia, Sudorifera & Salivationem; ubi tamen in aliqualibus, quæ per ductus ſalivales debuiſſent, per diureſin expelluntur.

I. *Igitur modus*, quo per purgantia hæc Lues curatur, locum habet in iis, ubi morbus nondum altas egit radices. Nobis placet uſus ☿. dulcis, cum extract. cathol. ſubacti, æquali pondere: de qua mixtura in forma pilulari, à ℈j. ad ʒß. & ℈ij. per intervalla aſſumitur, ne, ſi ſingulis diebus doſis daretur, ſalivatio, quæ non intenditur, promoveatur. Hæc cura intra 3. ſepimanas ad ſummum abſolvi poteſt. Tertio enim, aut quarto die ſaltem de his pilulis exhibe, cum regimine purgantibus debito. Poſtridie autem à ſumtis pilulis manè de ⊖. polychreſto ℈ij. in vehiculo, utpote in juſculo, aut julepo: Tertio vero die, manè ac veſperi bonum hauſtum de Decocto Sudifero ex lignis ſumendo, v. g.

℞. Rad. ſarſapar.
Ligni Guajaci ana ℥ij.
Rad. Chin.
Raſ. ligni ſaſſafr. ana ℥j.
Magneſ. ♄næ, ſeu min. ♂.
Paſſul. min. ana ℥ij.
Sem. fœnic. ʒij.

Inciſ. & Contuſ. Coq. in s. q. ▽. font. v. g. ℔vj. in vaſe duplici, per 3. horas, ita ut prius ſint infuſa in loco calido per noctem: Colatura clarificata reſervetur ad uſum.

Vel
℞. Ligni Sanct. raſ. ℥iv.
Radic. Angel.
Helen. ana ℥ß.
Sarſap. ℥ij.
Cortic. Winter.
⊖♀. ana ʒj.
Herb. beton.
chamæp. ana Mj.
Sem. fœnic. ʒß.
Baccar. junip. ʒj.
Fol. Sſſ. ʒß.
Miner. ♂. ℥iij.
Conciſ. & Contuſ.

Coq. in ▽. font. Mij. Neceſſitate premente addatur

Agar. alb. ℥ß.
Helleb. nigr. præp. ʒij. D. ad ſudand.

DELICATIORES ſeq. modo tractabis: Parentur ſc. Pilulæ,

℞. ☿. corallati.
Extr. Helleb. Helm. ana ʒj. M. F. Pil. N. L. inaurentur.

De quibus quarto, per intervalla, die v. vel vij. ſumantur, manè cum debito regimine. Poſtridie à ſumtis pilulis, manè ac veſperi, doſin de hiſce pilulis ſumat:

℞. ♁ ♂ii.
Eſſent. fumar.
Flor. ⊖*.
Hæmatit.
⊖. ſuccin. vol. ana ℈ij.
M. F. Pil. N. 120. conſperg. ♂. diaph. de quibus x. pro doſi ſumantur.

Tertio die, manè ac veſperi, ſudorem promovebis ſequenti pulvere:

℞. Sudorif. magn. Fab. ℈iv.
Bez. miner.
♁ ♂. ana ℈iv.
M. F.
Pulv. div. in viij. doſ. æq.

Vel

℞. Extract. Fum.
Diaph. ♃lis.
♁ ♂.
⊖. vol. viper. ana ℈iv.
M. F. Pil. n. 80. x. pro doſi.

Vel

℞. ♂. diaphor. ℈iv.
Bez. min.
♁ ♂. ana ℈ij. M. F. Pulv.

Vel

℞. Sudorif. magn.
⊖. vol. CC. ana ℈iv.
♁ ♂.
Bez. min. ana ℈ij. c. Extr. liq. F. P. n. 80. x. pro doſi.

Vehi-

Vehiculum pro pilulis & pulveribus ſequens eligito:

℞. ∇. fumar. Card. bened. ana ℥ij. Spiritus cochlear. ʒiij. Syr. flor. tuuicæ ℥i. M. ad vitrum.

His remediis extirpabis intra 20. dies luem Veneream recenter contractam, imò etiam hanc, quæ altius ſerpit. Vinum interea interdicimus & pro potu ordinario bibant decoctum ligni ſaſſafr. c. rad. Chin. paſſul. & fœnicul. Victus ratio ſit tenuior. Acida omnia fugienda. Omnis liberioris aëris aditus ſit prohibitus: quare in loco calido, aut lecto ſe contineat, nec mox poſt curationem ſtatim errorem in VI. rebus non naturalibus committat.

II. *Secundus modus* hanc curandi Luem eſt *Cura Sudorifera*, quæ interdum 3. interdum 4. ſeptimanas durat. Primo autem ante omnia corpus purgatur pilulis ſuperioribus, vel Confect. Hamech, c. ſyr. flor. perſic. aut ſyrup. roſ. ſolut. compoſita, quæ poſt 7. vel ſextum diem ſemper iterari debet, quo die etiam à ſudore liber ſit. Alias quotidiè, manè ac veſperi, bonum hauſtum Decocti ſudoriferi, ſuperius traditi, epotet calidè; dein æger in Laconicum, aut ſtupham ſudatoriam, debito more, ponatur. Calorem autem inibi excitabis 🜄Rto in ſcutella æneâ non admodum ampla, vel prunis accenſis. Poſtquam autem ad horæ ſpatium benè ſudaverit, linteis calidis abſtergatur, aut in lectum calefactum reponatur. Interim reficiendus eſt æger, dum in ſcamnô ſudatoriô jacet, hac Mixtura Cordiali:

℞. 🜁. meliſſ. fl. acac. fragar. Syr. rubi id. ana ℥ij. Conf. Alk. C. ♁. diaphor. ana ℈iv. Bezoard. min. ℈j. M.

Noctu cubitum ituro dabis Emulſ. anodynam; ex amygdal. & ſem. frig. cui ſemper de ♁. diaph. ℈j. vel ʒß. inſit. Sudor igitur con-

continuetur, donec omnia ſymptomata evanuerint, purgantia ſuo tempore intercalando: quod interdum intra 3. ſeptimanas peragitur, interdum autem ad ſextam usque protenditur. Verum ſi poſt 3. hebdomadas ſudor adhuc neceſſarius eſt, ſemel quotidie ſollicitus ſufficit, alias in tabem facile conjiceretur æger, nimium exſiccato corpore, quam emulſionibus anodynis & aquis hiſce cardiacis præcavere potes. In Diæta eadem obſeruanda, quæ ſupra attigimus.

III. *Tertius modus* & quidem recentiſſimus, eſt CURA SALIVATORIA, quæ 6. ſeptimanis abſolvitur. Primas enim tres ſeptimanas conſumunt in præparatione ad ſalivationem. Reliquas tres inunctioni, ac ipſius ſalivationis procurationi impendunt. Ante omnia corpus purgetur ſyr. roſ. ſol. compoſ. aut Conf. Hamech, cui tamen veſperi præcedenti præmittunt clyſterem. Poſtridiè in robuſtioribus venam ſecant, aut hirudines podici applicant. Si autem Bubones adſint, V. S. intermittitur, alias virus venereum rurſus in M. S. abſorberetur, ac malum pertinacius fieret. Tertio die, manè, de ſale polychreſto ℈ij. in jure & ▽. exhibent. Per tres ſequentes dies inſeſſum manè & veſperi per horæ ſpatium obſervent, in ▽. fluviatili coquendo bonam hordei integri quantitatem, ad crepaturam usque, quæ aqua colata inſervit pro balneo. Si verò æger dolores artuum, cephalalgiam, aut paralyſin habet, tunc flores incoqunt de herbis cephalicis ac antiarthriticis, bonam quantitatem, plerumque tamen ſolam borraginem, cochleariam ac malvam recenti hordeo addunt, cum intentio ſit omnino corpus humectare ac ad ſalivationem magis diſponere. Dein per 3. alios dies apozema aperitivum, manè & veſperi, potandum dant, quod ſequenti modo conficitur:

℞. Rad. ſcorzon.
cichor. ana ℥vj.
Herb. ægrimon.
♀. alb. ℥j.
Flor. geniſtæ
bugloſſ. ana Mß.
Sem fœnicul. ℥j.
Rhabarb. elect. ℨij.
Cinnamom. acut. ℨj.

In-

Inciſ. & cond. affund. ▽. font. ferv. lib. ij. ſtent per noctem infuſa, poſtea calefacta exprime & filtra, adde ſyr. viol. q. s. ad gratiam, de quo uno hauſtu ℥iv. ſumantur. Poſtea iterum balnea per triduum repetantur: Dein apozema rurſus per triduum, balnea tertiâ vice per triduum, ut & apozema dictum. Tandem adhuc ſemel aſſumat ⊕. polychreſtum, poſtridiè verò ſyrupum. Dein paratum ſit Unguentum Neapolitanum, vel, quod elegantius eſt, ſequens:

℞. Unguent. roſ. vel pom. vel Adip. Porcin. ℥viij.
☿. vivi terebinthinâ ſubacti ℥iv.
☍. bacc. lauri ℥ij. (alii & ☍. ♌. rorism. lavend. thymi. ſerp. add.

M. F. Unguentum

De hôc primâ vice ultra ʒij. non conſume. Sequenti die aliquantulum augetur, ut & reliquis diebus, donec ſalivatio ritè procedat: quo tempore dein abſtrahendum. Inungantur autem ſolummodò membra circa articulationes transverſim, ut probè incaleſcant, ſic unguentum magis penetrat. Salivatio tamdiu liberè fluat, quamdiu ſaliva adhuc turbida excernitur. Cùm verò inſtar cryſtalli lucida ſit, ſigno eſt vitioſam materiam omnino evacuatam eſſe. Tunc iterum datur laxativum, infuſum ſc. Rhabarbari, aut ſyrupus roſ. ſolut. compoſitus. Intereà tamen opus eſt gargariſationibus, ac linctuum uſu, quia virulenta hæc materia puſtulas ac aphthas in ore ubique excitat, quibus debitis remediis occurrendum eſt. A ſumtô hoc purgante deterſoriô per aliquot dies ſudent in ſcamnô, cum decocto ſuderiferô præcedenti. Diæta ſimilis eſt ut ſupra.

Quocunque autem modo curam inſtítuas, níhilominus ſymptomata quædam interdum reſtabunt, quibus peculialiter eſt occurrendum eſt.

Exulcerationes ſc. ante omnia laventur decocti ligno Guaj. ac plantaginis, cui parum ☿♎, incoctum. Dein inungendæ linimento Saturnino, cum ☿🜕.

Bubones maturentur cataplaſmate ex chelidonio, cui cœpæ contuſæ addantur. Maturi ſi non ſponte rumpantur, lanceolâ aperiantur: quamdiu materia purulenta effluit, diachylocum gummatibus tegantur & turundæ unguento digeſtivo obliniantur. Sin verò *Bubones* ſcirrhoſi ſint, nec maturentur, impone Empl. de cicutâ, oleo deſtillato ligni Guajaci exaltatum.

Capillorum defluvium capillitio palliandum, donec capilli ſuccreſcant.

Dolores Capitis & articulorum internè aliquoties purgato corpore ☿rio Corallato, ac externè impoſito Empl. ☿tiali, de ranis cum ☿. curantur.

Tinnitus aurium tollitur 🜄. ceraſ. nigr. potui inſtillato, in quo ſcobs ligni Guajaci prius infuſa ſit: cui de ſpiritu ⊖✱. aliquot guttæ addi poſſunt.

Tophi & *Gummata* Gallica tolluntur Empl. ſeq.

℞. Empl. diachyl. c. gum. ☿. viv. terebinth. extinct. ℥ſ.
de cicut. ana ℥j. ⚬⚬. lign. Guaj. ʒij. M.

Si verò gummata non cedant applicationi hujus emplaſtri, inſtrumento raſorio, vel cauterio actuali caries oſſis deleatur.

Tabes Gallica curatur Diaph. Magno ♃ali, ac Gelatinâ CC.

Veſicula cryſtallina glandi adnaſcens mortificatur attactu Spiritus Nicotianæ, aut Ligni Guajaci.

FOR-

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Extr. Panchymag. Cr.
hell. nigr. ana ℈ß.
☿. dulc. gr. xvij.
ſcammon. ♎. gr. v.
c. ſyr. d. cich. c. rhab.
F. Pil. pond. gr. j.
D. pro doſi.

* * *

℞. Raſ. ligni ſanct. ℥ij
Cortic. Guaj. ℥j.
Sarſapar. rec. ℥iß.
Raſ. lign. ſaſſafr. ℥ß.
Glycir. ℥ ß.
Min. ♁. ℥iij.
Inf. in ▽. Com. Menſ.
ſtent. in dig. per ♂. ρ.
Coq. ad rem. Menſ. IV.
De quo omni manè ſum.
hauſtus pro ſudore.

* * *

℞. Magma prioris Decocti,
add. paſſular. min.
hordei mund. ana ℥v.
Raſ. CC. ℥ij.
Infund. per ρ. ▽. ſimpl.
lib. xx.
Coq. ad conſumpt. lib. v.
add. in fin.
glycirrh. ℥iß.
coriandri ℥ß.
cinam. ʒiij.
D. pro potu ordinar.

α. & ω.

℞. Panac. ☿. ſeu
☿. dulc. optimè
& ſæp. ſublim. ʒij.
D. ad ſcat. Doſ. à gr.
X. ad XL. aſcend.
& deſcend. *vid. Polych. Exot. cap. ult.*

* * *

℞. Turbith. Mineral.
gr. IX.
Div. in 3. p. æ.
D. indies doſis, in conſerv.
roſ. donec ſalivat.
ſequatur.

* * *

℞. Axung. canin.
vel porcin.
℥iij.
☿. viv. tereb. ſubact. ℥j.
☍. lign. Rhod. g. vj.
M. l. a. F. Unguent.
vertici, axillis, carpis,
genubus &c. in
hypocauſt. cal. illinend.

* * *

℞. Tinct. lign. ſancti
ʒij.
Laccæ Mynſ.
ʒj.
M. appl. gingiv. &
dentibus poſt ſaliv.

PRAXEOS MEDICINÆ INFALLIBILIS
SECTIO III.
DE
MORBIS ADULTORUM, VIRORUM ET MULIERUM.

INTRODUCTIO.

Quamprimùm ſuperatis Juventutis annis ad ætatem virilem evicti ſunt Mortales, utplurimùm de ſtabiliendâ familiâ ſunt ſolliciti. Omnem igitur lapidem movent, quò ſibi ſuiſque variis artibus, negotiis & opificiis de honeſtâ ſuſtentatione proſpiciant: quæ cùm aut corporis, aut animi emotione peragantur, fieri non poteſt quin aut in exceſſu, aut in defectu peccando varii indè morbi oriantur.

Quodſi enim vehementior ſtatimque ab aſſumpto cibo inſtitutô motu chylus nondum legitimè ſubactus è ventriculo in maſſam ſanguineam, per vias quidem ſolitas, præcipitetur, aut ſubitanea animi conſternatione ſpiritus automatici in diverſum rapiantur, orta in humoribus circulantibus fluidôque nervoſo p. n. commotione, FEBRES omnis gene-

ris

ris, tam INTERMITTENTES, quàm CONTINUÆ, ſive LENTÆ, ſive ACUTÆ, generantur. Sin verò poſt nimiam corporis incaleſcentiam corpus undique perſpirabile frigori externo ſubitò exponatur, aut potus nimium frigidus ingurgitetur, ſicque humores circulantes ad grumeſcentiam & coagulum diſponantur], ac motus ſanguinis, ſive in cavitatibus cordis, ſive in vaſis ſanguiferis, ſive in muſculis & partibus carnoſis ſufflamminetur, ſtagnando ſe extricaturus heic INFLAMMATIONES, ANGINAM, PLEURITIDEM, PERIPNEUMONIAM, illic HÆMORRHAGIAS, iſtic PALPITALIONEM CORDIS, SYNCOPEN & ſimilia cauſatur. Ipſis tandem ſpiritibus, aut ſyſtemate nervoſo, ſive ab animi paſſionibus vehementioribus, ſive cauſis variis internis irritatis & à conſueto motus æquilibrio deturbatis DELIRIA, tàm TRISTIA, quàm FURIOSA, CONVULSIONES aliaque ſuccedunt.

Interim nec otioſi & vitæ ſedentariæ adſueti ab omnibus Morbonæ injuriis immunes ſunt, ſed aceſcentibus, ob defectum motus, humoribus in ſtomacho & primis viis CARDIALGIA, COLICA, MALUM HYPOCHONDRIACUM, in reliquis partibus SCORBUTUS & parilia metuenda ſunt.

Accedunt varia Status Matrimonialis infortunia; ætati conſiſtenti huicque vicinæ familiaria: IMPOTENTIA ſc. STERILITAS, PASSIO HYSTERICA, ABORTUS, LOCHIORUM & SECUNDINARUM VITIA, (eadem, qua Menſtrua curantur, ratione tractanda) DEFECTUS LACTIS &c. quæ omnia in ſequenti Tabula dilucidius ob oculos ponuntur.

DE MORBIS ADULTORUM.

MORBI ADULTORUM è triplici fonte profluunt,

- 1. AB HUMORIBUS CIRCULANTIBUS
  - p. n. commotis, in *Febribus*
    - *Interm:*
      - *Simplicibus.*
      - *Compoſitis.*
    - *Contin:*
      - *lentis.*
      - *acut.*
        - *benignis.*
        - *malignis.*
  - ſtagnantibus in
    - Muſcul unde *Inflammatio:*
      - Interna.
      - Externa.
    - viſceribus, in *Palpit. cordis.*
    - venis, unde *hæmorrhagia.*
  - aceſcentibus, in
    - *Malo hypochondriacô.*
    - *Scorbutô, colicâ, quæ vel*
      - Communis.
      - Convulſiva.
    - *cardialgia.*
- 2. A SPIRITIBUS AUTOMATICIS
  - Impetuoſè & turbulenter motus, in
    - *Convulſionibus ſivè*
      - Tonicis.
      - Clonicis.
    - *Deliriis*
      - Triſtibus.
      - Furioſis,
        - cum Febre, ut *Phrenitis.*
        - ſine Febre, ut *Mania.*
  - Deficientibus in
    - *Deliq. animi.*
    - *Syncope.*
- 3. A FUNCTIONIBUS GENITALIBUS
  - Abolitis, ut
    - *Impotentia Virilis.*
    - *Sterilitas, ſive*
      - abſoluta.
      - reſpectiva.
  - Depravatis, ut
    - *Paſſio Hiſterica.*
    - *Abortus.*
    - *Partus difficilis.*
    - *Secundin. Retentio.*
    - *Lochiorum*
      - *Suppreſſio.*
      - *nimius fluxus.*

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

FEBRIS intermittens eſt calor p. n. certis diebus intermittens, à fermento febrili M. S. ſtatis horis remixto oriens.

- **ΦΑΙΝΟ'ΜΕΝΑ.**
  - Præcedente aliquot dierum laſſitudine crurumque ponderoſitate, aut levi friguſculo, per ſpinam dorſi decurrente, aut inſigni horrore corripiuntur, ſubſequente calore ſummo, ſiti, cephalalgiâ, pulſu celeri & magnô, urinâ rubrâ: quæ omnia tamen in largum ſudorem deſinunt, ita ut novus indies paroxyſmus redeat in QUOTIDIANA & TERTIANA DUPLICI, illic eadem, hic diverſis horis: Tertiô in TERTIANA: Quartô in QUARTANA; quibus ſi continua febris (ut in TERTIANA CONTINUA) jungatur, calor p. n. ſemper urget, ita tamen, ut certis diebus ingraveſcat.
- **SUBJECTUM**
  - *MORBI* eſt totum corpus, magis tamen ſpiritus.
  - *CAUSÆ*
    - Proximæ ſunt tubili nervorum & fibrarum.
    - Remotæ: primæ viæ & M. S.
- **CAUSA**
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt tubulorum extremorum obſtructio, indeque ſpirituum inæqualis regurgitatio, ſanguinis motum & mixturam turbans.
    - *MATERIALIS* ſunt particulæ inæquales, viſcidæ & plus minus acres. It. Idea in ~ concepta.
  - *REMOTA*
    - Aer calidior aut frigidior, ut & impurus.
    - Alimenta cum nauſea aſſumta, aut aliis modis peccantia.
    - Motus & incaleſcentia ſtatim poſt paſtum.
    - Excreta p. n. retenta. Paſſiones animi.
    - Intempeſtivus baln. & ſudoriferorum abuſus.
- **PROGNOSIS.**
  - Periculoſæ non ſunt, ſiquidem Tertiana legitima 7. diebus ſponte ſuâ terminatur. Magis periculoſæ ſunt Tertianæ continuæ, ut & Duplicatæ,
- **CURATIO**
  - Remotis Externis 1. Humores p. n. è primis viis ejicit
    - Vomitoriis
      - Rad. ipecacuanhæ.
      - ☐. emet. *Ludov.*
      - Vitriol. albo vomitiv. Chin. artificial.
    - aut Laxantibus
      - Magneſiâ alba.
      - Infuſ. ſennatis.
  - 2. Antifebrilibus orgaſmum humorum ſiſtit, ſive
    - *DOMESTICIS*
      - Internis
        - Conch. oblong. calcinat.
        - Nuc. moſch. calcin.
        - ~. ⊖ *. cort. Peruv.
      - Externis
        - camphora in nodul.
        - Tela aran. c. fulig. & vit. ovi
    - *OFFICINALIBUS*
      - Ante Paroxyſmũ
        - Specif. antifebrili *Crollii.*
        - ⊖. abſinth. ~. ⊖. *.
        - Regul. ♁. Medic. ritè par.
      - Poſt Paroxyſmũ dandis
        - China Chin. internè
        - Eſſ. Chin. Chin. in clyſt.
        - cent. min. abſinth.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In curandis Febribus intermittentibus cave ne corpore non purgato ſtatim initium à ſpecificis facias, ne aut continua, aut hectica ſequatur.

II.

Ante & intra Paroxyſmum ægrum non cibato, cum ſtocho jejuno exiſtente non tantum cicuretur, ſed & prorſus abigatur febris.

III.

Chinâ Chinæ uſurus, eandem non ante Paroxyſmum, ſed hoc declinante adhibe & continua, ne M.S. conſulturus generi nervoſo noceas.

OBSERVATIONES & CONSILIA.

I.

Febres intermittentes innumeras, tàm ſimplices, quàm compoſitas, duplices ſc. & continuas periodicas, in utroque ſexu, puerperis & infantibus, cauto Chinæ Chinæ uſu, absque ullo, ſive recidivæ, ſive aliûs morbi metu, ſæpiſſimè à Nobis curatas fuiſſe, ex Ephemeridibus noſtris Practicis teſtari poſſum. Conf. *Diſput. de Chinâ Chinæ, in Polychreſtis in Exoticis.*

II.

CONSILIUM
B. DN. D. LAURENTII STRAUSII,
Anteceſſoris mei in Acad. Giſſenâ.

P. P.

Cùm Febris iſta (TERTIANA DUPLEX) Te adhuc valdè affligat, neceſſe duco, omnibus modis de tali antifebrili cogitare, quòd

quòd paroxyſmos inhibeat, ut hic in ſimplicem ſaltem mutetur, ne vires nimis deficiant. Propterea ſumerem ante paroxyſmum Chinam Chinæ, vel in ſubſtantiâ, unà cum ▽. cent. min. vel iſtius infuſum, cui aliquot gutt. ℞. bezoardicæ adjicerem. Sperarem ſanè, ſi China Chinæ bis vel ter ſumeretur, paulò mitius Febrem Tuam tecum acturam eſſe, quod ex animo precor

T. Cl.

Studioſiſſimus

LAURENTIUS STRAUS.

III.

ALIUD

D. D. VVALDSCHMIDII, Arch. Caſſell. & P P. P. P.

Celeri pede tranſivi Giſſam, nec induciæ mihi factæ ſunt Te alloquendi. Nunc inter crebriores interpellationes ad honoratiſſimas Tuas occupatiſſimus reſpondeo, me adhuc eâ frui ſpe, febrem, quâ correptus es, non ex continuarum, ſed intermittentium eſſe ordine, cui debellandæ opponi poteſt pulvis ex Lap. ♋. præp. ʒj. & arcan. dupl. ℈j. pro 4. doſibus, bis de die ſumendus. Circa veſperam haurias potiunculam ex ▽. CC. citrat. ℥j. Eſſent. anod. Zw. ʒj. Quæ etiam ante paroxyſmum unâ vel alterâ horâ, ſi febris intermittat, dari poteſt. Intereà ℞. Bezoartica in potu ordinario (h. e. cereviſiâ ſecundariâ) ad plures guttulas ſumatur. Vale & amare perge

Tuum

Marb. d. 30. Sept. A. 1684.

WALDSCHMIDIUM.

ALIUD

DN. JOH. BARTHOLOM. SCHLEIERMACHERI, *Archiatr. Darmſt.*

P. P.

Adverſam, quæ per plures Te ſeptimanas afflixit, valetudinem doleo, utque propediem in priſtinam cum ſanitate gratiam redeas, totus opto. Cùm verò dolor capitis gravativus alternis diebus, cumprimis à prandio infeſtans, horrorque levis ſpinam dorſi & extrema percurrens, pediſequi mox phlogoſibus vagis & urinâ intenſè flavâ, peregrinam eamque febrilem, ſanguinis in corde efferveſcentiam, à ſalibus heterogeneis, in maſſâ ſanguinis ad turgeſcentiam collectis, excitatam: ſudores verò matutini imperfectam liquoris nutritii, in eandem quotidie illati, propter hujus diſcraſiam, aſſimilationem & ſub ſudoris formâ rejectionem, me equidem judice, teſtentur, in id maximè intendendum eſſe exiſtimo, ut ſalia ejusmodi heterogenea & fermentantia cicurentur, ſeu exarmentur & proſcribantur: cui ſcopo marina imprimis & chalybeata inſervient, conchæ ſc. dens Hippopotami, corallia, margaritæ, Lap. ♋. chalybs c. 🜍. præp. Bezoart. ♂ale, arcanum duplicatum, quæ non ſolùm tribus ante inſultum febrilem horis, ſed potius intermiſſionis die, bis terve, absque ſudore ſumenda, ob rationes aliquando detegendas, ſuaderem. Juxta hæc & fermentum primæ coctionis roborantia ſubnecterem, elix. propr. c. rore majali & ✓⊕ paratum, atque Eſſent. cent. min. maritatum. Tu, Vir Nobiliſſ. ex his ſeliges, quæ ex re Tuâ eſſe videbuntur, quibus ut DEUS benedicat, denuò opto & precor. Vale & ſalve.

à Nob. Tui Nomin.

Addictiſſ. Cult.

Darmſtadii IV. Calend. Dec. 1684.

J. B. SCHLEIERMACHER.

FOR-

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Rad. ipecacuanh. ℈ß.
♀. emet. gr. ij.
⊖. fix. cath. gr. iij.
ſacch. gr. vj.
M. F. Pulv. pro doſi.

* * *

℞. Conch. oblong. ♆ nat. ℈j.
♁. diaph.
⊖. fix. Cathol. an. ℈ß.
M.
D. ubi frigus magis urget, horâ 1. vel 2. ante paroxyſ. expect. ſud.

* * *

℞. ⊖ * ℈j. ad ʒß.
▽. fumar. ℥iß.
Sacch. parum M.
D. immediatè ante Parox. in febri, ubi calor magis urget.

* * *

℞. Chin. Chin. pulveriſ. ℥j.
⊖*. depur. ℈ij.
c. s. q. ſacch. ſyrupiſ.
aut Rob. junip.
F. Electuar.
D. quant. nuc. caſt.
poſt paroxyſmum ſæpe repetendo.

α. & ω.

℞. ▽. flor. acac. ℥iß
Syrup. emet. A. S.
℥ß. ad ʒvj.
M. D.
pro doſi.

* * *

℞. Reg. ♁. Medic. ritè par ℈j.
& edulcor. ʒj.
flor. ⊖ * ℈iß.
Ther. cœl. gr. iij.
M. D. in ʒ. p. æ.
D. ante parox. exſpect. ſudorem.

* * *

℞. Eſſent. abſ. compoſ.
Tinct. Chin. Chin. aa. ʒiß.
M. D. intermiſſ. diebus bis de die g. xxx.

* * *

℞. Extract. Gentian. Abſint.
Cent. min. aa. ℈ij.
c. s. q. Eſſ. abſ. Fiant.
Pil. ex ʒj. xxx.
D. xx. die intermiſſ.

* * *

℞. Ocul. ♋.
arcan. dupl. Mynſ.
antih. Pot. aa. ʒj.
M. D. diebus intermiſſ.
ut & ſub calore in continuis periodicis.

CAP. II.
DE FEBRIBUS LENTIS, CATARRHALIBUS ET HECTICIS.

FEBRIS Lenta eſt calor, p. n. aliquot poſt paſtum horis, aut veſperi ingraveſcens & corpus abſumens, à lymphâ acriori & viſcida, ſanguini commixtâ, oriens,

- *PHÆNOMENA.*
  - Prævio lævi horrore, interdiu magis affligente, calor adeſt p. n. qui duabus à paſtu horis in HECTICA & MARASMO, veſperi verò in FEBRE CATARRHALI intenditur, in quâ poſteriori ſimul lancinationes in corpore & artubus, dolor capitis obtuſus & coryza, urinæ rubræ, ſed mox conturbatæ & albeſcentes: In priori autem anorexia, maraſmus, ſudores nocturni, urinæ in principio pallidæ, mox rubicundæ: Utrobique autem calor non adeò intenſus: Pulſus celer, parvus & undoſus, aut durus ſentiuntur.
- *SUBJECTUM*
  - *MORBI* eſt totum corpus in Hectica: Glandulæ in Catarrhali Febri.
  - *CAUSÆ* ſunt primæ viæ, arteriæ & vaſa lymphatica.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt
      - Vellicatio & ſtrictura glandularum, hancque inſequens regurgitatio ſpiritus, in febri catarrhali.
      - Commotio ſanguinis p. n. & conſumtio partium in hectica.
    - *MATER.* eſt
      - Serum & Lympha
        - acrior & ⊖ſa in Catarrhali.
        - glutinoſa, in Hectica.
  - *REMOTA*
    - Aer inclement. & conſtit. epid. in feb. catarrh.
    - Alimenta pravi ſucci & inedia diuturna.
    - Motus corporis intempeſtivus: vigiliæ nim.
    - Ira & mœror, unde HECTICA CARDIACA.
    - Febrium minus recta curatio, per fixiora.
- *PROGNOSIS*
  - *FEBRES*
    - *CATARRHALES* non adeo periculoſæ, niſi ſint malignæ.
    - *HECTICÆ* in
      - Principio & juvenibus curabiles.
      - Senibus, & cum facie Hippócr. incurab.
- *CURATIO.*
  - 1. Lympha
    - ſalſior
    - viſcida
    - corrig. per
      - DOMESTICA
        - Pulv. alc. invert. ♁. diaph. matr. perl. & marg.
        - ⦶ depur. ⊖. vol. CC.
      - OFFICINALIA.
        - Succin. præp. ⊖. vol. ſucc.
        - ∽⊖✱. antih. P. opiat.
        - ⊖. ✱. dep. pulv. antiphthiſ. *Conerding.*
  - 2. Evacuanda Ead.
    - Vomitor. in Hect. Incipient.
    - Diaphoret. in Febribus Catarrhalibus.
  - 3. Corpus
    - muniendum in Febribus catarrh.
      - intern. Balſamic. ℞. *Succin. Eſſ. myrrh. balſ.*
      - extern. ſuffimigiis.
    - nutriendum in hect.
      - Paſſulis, Piſtaceis.
      - Hordeo c. ſero lactis cocto.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curâ hecticæ febriumque lentarum cane pejus & angue fugienda ſunt remedia draſtica, cumprimis purgantia. Quô lenius tractantur, eò citius abiguntur.

II. Fugienda quoque nimis calida, balſama ſulphuris v. g. communi ratione parata. Præſtat illa his in morbis cum 🝆. amygd. dulc. frigidè expreſſo extrahere.

III. Cavendum quoque à mellitis nimium & ſaccharatis, quæ humores circulantes magis inſpiſſant & acido occulto acriores reddunt.

OBSERVATIONES.

I. Febrem lentam & hanc inſequentem Hecticam anno 1705. præmiſſo Vomitorio ex rad. ipecacuanhæ & Mixtura quadam ſudoriferâ, ex ⊖. vol. ſuccini & aliis conſtante, Pulvere antihectico pretioſo n. d. ex unionibus crudis (quæ ceu ovula concharum ſingulare quid in receſſu habent) ⊖ ✳. & ⌽. depurato conſtante, feliciter per DEI gratiã in me ipſo curavi, ſervatâ exactiſſimâ diæta ſumptisque copioſis juſculis ex hordeo, cum ſero lactis cocto.

II. Hecticam methodo haud abſimili in Studioſo quodam Juris à me curatam, ſed in febrem ardentem ſalutariter terminatam, *vid.* in *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Obſ. CLXVI. pag.* 377.

CONSILIUM

DN. D. FRANCKII,

P. P. Heidelbergenſis.

P. P.

Ex Relatione affectûs DN. Ægrum affligentis, haud difficulter videre licet illum ſingulari quadam FEBRI CATARRHALI labo-

laborare, quæ nullum quidem typum ordinarium obſervat, attamen ſymptomata conſueta conjuncta habet. Interim caput principaliter hic affici videtur, aut ſimul nervi, ut hinc inde è transmiſsâ relatione eluceſcit: eaque propter metuendum eſt, ne primò per ſingularem irritationem biliosæ acriſque materiæ tandem convulſiones nonnullæ ſe trudant, quæ non ſecus ac obſtructio, quæ ſubeſſe putatur, generis nervoſi, per Apoplexiam aliquam mortem cauſari poſſent. Quapropter tempeſtivè, quantum fieri poterit, cauſæ mali imminentis removendæ erunt, quales ſunt intemperatus ſternutatoriorum uſus, potus exceſſivus, ira, errores diætæ. Econtrâ curâ legitimâ, jamjam addendâ, DEO benedicente, quævis incommoda præcaveri & ſanitas inculpata, ut ſperamus fore, conſervari poterit.

Hunc in finem è re erit 1. Laxativô aliquô corpus depurare, quale ſequens eſſe poterit:

℞. M. P. ☿rear Schröd. gr. vij.
Extract. helleb. nigr.
Magiſt. ſcammon. ana gr. vj.

M. F. Pil. No. xiij. Deaurentur. Liberum tamen relinquendo, quicquid DN. Medicus Ordinarius alioquin proficuum eſſe judicaverit.

Ad ſiccitatem & obſtructionem narium tollendam, ut & Catarrhum removendum, ſequens Errhinum, ſæpius de die uſurpandum, maximè conducet:

℞. ▽. flor. anthos
Majoran. ana ℥iß.
Apoplect. Langii ℥j.
Succ. bet. rubr. ʒß.
⊕. albi ℈j. M. F. Errhinum,

quod aut calamô intinctô, aut ſtrophiolo, aut & volâ manus prehendi & naribus attrahi poterit. Juxta quod haud inconveni-

veniens erit grana nonnulla Maſtichis in ore comminuere, ad viſcoſam materiam catarrhalem iis extrahendam.

Externè cucuphæ confortantes proficuæ erunt, caput iis noctu diuque tegendo. Parari talis poterit ex ſpeciebus pro cucupha Hoffmanni, vel conſimilibus. Adhæc Balſamum apoplecticum bonæ notæ vertici, temporibus & cumprimis nuchæ probè inungi & aliquoties de die repeti poterit. Formula talis eſſe poſſet:

℞. Balſam Apopl. Crollii. ʒß.
 ♂. deſtill. ſuccin. alb. ℈j.
  caſtor. ℈ß.
  ligni Rhod. g. xv.
 Balſam de Peru ʒß.
 ♂. N. M. expreſſ. ℈j. D. ad Pyxidem.

Cumprimis autem valdè neceſſarium erit, ut non tantùm Bilis acris indeque orientes & adſcendentes vapores, ſed & humores acidi melancholici imbibantur & abhinc ſucceſſivè educantur, indies, imò ſextâ quâvis horâ, de ſeq. pulvere tantum capiendo, quantum cultri cuſpide teneri poteſt:

℞. Pulv. Pannon rub.
  Marchion. ana ʒß.
 ♁. nativ. gr. x.
 Unicorn. ver. ℈j.
 Lap. Bezoart. occid. gr. xij.
 ſuccin. alb. præp. ℈j. M. F. Pulv.

qui aut in aquâ ceraſorum nigrorum, aut ▽. flor. paralyſ. aut ▽. Pœoniæ aſſumi poſſet. Quodſi flatus quidam, aut inteſtinorum dolores, à materiâ quâdam peccante & in abdomine reconditâ ſentiantur, clyſterio convenienti hic ſuccurri poterit.

In diætâ fugiantur aër nimis calidus & ſiccus, it. acria, nimis calida & aromatiſata, imò & ſaccharata alimenta, vina nimis

volati-

volatilia: loco quorum vinum antiquum, aquis ſeu acidulis Anthonianis dilutum, aut alia quædam aqua panata, loco potûs ordinarii eligenda eſſent. Animus, in quantum fieri poterit, excitetur.

Tandem ut Quæſtionibus propoſitis etiam ſatisfiat, Reſp. ad 1. nec apoplexiam, neque arthritidem vagam, ſed affectum ſupra dictum adeſſe. Ad 2. non impoſſibile eſt, in vaſis ſpleneticis obſtructionem quandam dari: principale negotium tamen in allegatâ cauſâ radicatur. Ad 3. abuſus tabaci ſternutatorii, ſi non ſtatim & unô impetu, attamen pedetentim, erit abrogandus. Reliquis ſymptomatibus per remedia ſuprà laudata obviam ire poterimus. Ad 4. Si Dn. patiens eſt plethoricus, ſcarificatio non nocebit. Sudorem autem aliæ circumſtantiæ ſuadeant, oportet. V. S. tum conveniet, ſi partim illi adſueverit Natura, partim M. S. nimis ferveat, aut ſanguis exuperans eandem efflagitaverit. De Fonticulô poſt curam principalem abſolutam conſultari poterit. Urgente interim neceſſitate veſicatorium in nuchâ, aut pone aures nocere non poterit. Ad 5. jamdum reſponſum fuit. Plura particularia ſi deſiderentur, ſerviendi promptitudine non deero. Apprecor autem DEI T. O. M. benedictionem, æternum perſeverans

N. T.

Heidelbergæ,
die 22. Auguſt. 1684.

Officioſiſſimus

D. FRANCK.

FOR-

α. & ω.

℞. Rad. Ipecacuanhæ ℈j.
D. S.
Brech-Pülverlein auff einmahl.

* * *

℞. Pulv. alcalin. invert. ℥j.
⊕.. depurati ʒj.
M. D. S. Pülverlein, des Tages zweymahl ein paar gute Meſſerſpitz in Roſenwaſſer zunehmen.

* * *

℞. Pulv. antihect. pretioſ. ʒiij.
D. S.
ut ante.

* * *

℞. ▽. fum. ℥iij.
♁. diaphor. ʒiß.
⊖. vol. CC. ℈j.
edulc. c. ſacch. D. S.
Schweiſs - treibendes Pülverlein auff zweymahl.

PULV. ANTIHECT. PRETIOSUS n. d.

℞. Margarit. occid. ʒiß.
orient. ʒß.
⊖*. dep.
⊕. ana ℈j.
M. S. Pulvis antih. pretioſus.

α. & ω.

℞. ▽. fum.
flor. ſamb. ana ℥iß.
∽⊖*. ʒj.
antih. Pot. ℥ß.
Laud. op. gr. ij.
Syr. card. ben. ʒß.
M. p. 2. doſ.

* * *

℞. ♁. Diaphor.
antih. Poterii
ana ʒj.
ſuccin. præp. ℥ß.
laud. op. gr. iij.
M. F. Pulv. D.
bis de die ʒß.
manè ſudando.

* * *

℞. Pulv. antiphthiſici Conerd. ℥iß.
antih. Poter. ℥j.
M. D. S. ut antè.

* * *

℞. Unguent. reſumptivi ℥ß.
axung. can. ℥ij.
☍. lumb. terr. ℥j.
M. F. Unguent.
ſpin. dorſi illinendum.

CAP. III.
DE FEBRIBUS ARDENTIBUS BENIGNIS.

FEBRIS ARDENS eſt calor p. n. continuus à ſumma ſanguinis ebullitione proveniens.

- *PHÆNOMENA.* Præcedente rigore, vel levi horripilatione ægri ſummè incaleſcunt, ſitiunt intenſè, caput dolet, cum vigiliis nimiis, quæ ſæpe in delirium abeunt; Pulſus eſt magnus & celer, lingua ſcabra, cum vel ſine prunella; Urina rubra & flammea. Quæ omnia, ſi per unum, aut aliquot tantum dies perdurent, DIARIAM, vel ſimplicem, vel plurium dierum conſtituunt: Sin diutius SYNOCHOS PUTRIDAS, in quibus ſi ſuminus & intolerabilis calor adſit, CAUSUS: Sin calor & frigus ſæpè alternent, EPIALA: Sin extus frigus intus calor ex inflammatione viſcerum urgeat, LIPYRIA dicitur.
- *SUBJECTUM*
  - *MORBI* eſt totus C. H. habitus.
  - *CAUSÆ* ſunt vaſa ſanguinea & ſubinde quoque lymphatica.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt concitatior ſpirituum in cordis æquè ac reliquorum muſculorum fibras influxus & M. S. turbatio.
    - *MATERIALIS* ſunt particula acriores bilioſæ, inæquales & ſubtiles, ſpiritus & humores circulantes agitantes, partes fibroſas ſtimulantes & è primis viis utplur. provenientes.
  - *REMOTA* Aer vernalis, aut æſtivus, mora in ☉. victus lautus & nimium ſpirituoſus: Motus vehemens. Ira &c. tranſpiratio inſenſibilis impedita, inflam. viſcerum.
- *PROGNOSIS*
  - Acutorum incertæ ſunt prædictiones: Benignæ tamen adeo periculoſæ non ſunt ac malignæ.
  - Urina alba periculoſa. Pulſus quo fortior, eo melior.
  - Febres ardentes in ſenibus plerumque lethales.
- In *CURA* præmiſſa diæta,
  - I. Cruditates nidoroſæ è primis viis evacuandæ & M. S. quantitas imminuenda.
    - V. S. cumprimis in Plethoricis.
    - Clyſmatibus, in primo principio.
    - Vomitoriis, poſt V. S. juxta methodum *Sydenhamii*
  - II. Orgaſmus humorum circulantium ſiſtendus per acida & præcipitantia
    - *DOMESTIC.*
      - Pulv. alcal. invertent.
      - ⦶ depurat. ▽. roſ.
    - *PHARMACEUTIC.*
      - Ocul. ♋. corall. rubr.
      - Specier. cord. temper.
      - ℞. flor. bellid.
      - Lap. Prunell.
  - III. M. S. eventilanda Diaphoreticis
    - DOMEST.
      - ♁. Diaphor. Pulv. bez.
      - Pulv. cinnab. ▽. fum.
    - OFFICINALIBUS
      - Pulv. bez. Angl. vel Sennert.
      - Speciеb. liberant. ⊖ vol. CC.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curandis febribus continuis cautiſſimus ſit Medicus, ne febrem ardentem benignam curet pro maligna & V. V. Hinc in caſu dubio alterantibus ſemper miſceat alexipharmaca. *Vid. Ettmüllerus in Praxi.*

II. Cavendum pariter à purgantibus, quæ mixtionem ſanguinis jamdum turbatam magis turbant, ſicque ignem igni addunt.

III. Cave porrò à victu liberaliori, qui non ægrum, ſed febrim nutrit, Malo meos ægros ſanos, quam obeſos, ut *Helmontius* alicubi cavet. Referatur huc aphoriſmus Hippocratis: Corpora impura quo magis nutriveris, eo magis læſeris.

OBSERVATA & CONSILIA.

I. Puerperam febri correptam & delirantem reſtitui, bis ſumpto hoc pulvere, ſudantem hinc copiosè:

℞. Confect. de hyacintho
Ebor. foſſil. ana ℈j.
Bez. occid. gr. v. M.

D. Seb. Scheferus in Manual. Pract. Mſc.

II.

CONSILIUM
DN. D. WEDELII, Arch. & PP. Jenenſis.

P. P.

E relatione transmiſſa fuſius perſpexi, quod Conjux Honoratiſſimi Viri, poſt felicem partum, ob terrorem paulo poſt conceceptum, inſigni calore p. n. cardialgià & ſimilibus ſymptomatibus correpta ſit. Quemadmodum verò citra hæc tertio vel quarto à partu die febris lactea ingruere ſolet; ita per terrorem ſupradictum, dubio procul, paroxyſmus febrilis adauctus fuit. Ad

hunc temperandum & removendum ſeq. neceſſaria & è re eſſe duco: 1. De Tinctura ſeq. cordiali & hyſterica manè hor. 7. in vehiculo calido & à meridiè in cereviſia ſubtepida guttæ xxx. ad xxxv. ſumantur & à prima boſi ſudor lenis expectetur, qui ſeq. nocte minus reiterari, ſed per calorem mediocrem corporis tranſpiratio promoveri debet:

℞. T. Bezoard. ʒj.
Miſt. ſimpl. ʒß.
Elix. uterin. ℈ij.
Eſſent. anod. ℈ß. M.

2. Circa noctem hora 9. doſis pulveris cordialis - cónfortantis, cum parca quantitate cereviſiæ ſumi poterit:

℞. Pulv. Bezoard. maj. ʒj.
Specif. cephal. ℈j. M. Div. in 4. p. æ.

3. Urgente cardialgia de ℴℴ. cordiali, elapſis à priorum uſu binis horis, indies bis, in cereviſia, gutt. 4. ad 6. aſſumi poterunt:

℞. ℴℴ. Bezoard. ʒß. D. ad vitrum.

4. Pro viribus confortandis interdum unum vel alterum cochleare ſeq. potiunculæ, noctu æque ac interdiu, ſumi poterunt, concuſſo prius vitro:

℞. ▽. cord. H. S. frig. ℥iß.
ſcorzon.
bugloſſ.
meliſſ. ſ. vin. ana ℥j.
acac.
ceraſ. nigr. ana ℥ß.
Pulv. epilept. M. ʒß.
Magiſt. Perl. ℈j.
ſacchari perlati parum.
M. ad vit.

De cætero nullus dubito ægram non tantum in diæta ſui curam habituram, ſed & adſtantes ſuum officium facturos eſſe.
DEUS T. O. M. benedicat medicamentis.

FOR-

FORMULÆ

α. & ω.

℞. Pulv. alkal. invert. ℥ß.
cinnab. ʒß.
M. D. S. Alterier Pulver, des Tags 3mahl ein paar Meſſerſpitz voll im ordentlichen Getränck zu geben.

* * *

℞. Pulv. n. bezoardic. ʒiß.
♁. diaphor.
⊕. præp. ana ʒß.
M. D. S. Sonderliches Pulver des Tages etlichmahl 3. Meſſerſpitz voll in Taubenkropff-waſſer zu nehmen.

* * *

℞. ⊕. depurat. ʒiß.
S.
Kühlendes Saltz in einer halben Maaſs vom ordentlichen Getränck zu legen.

* * *

℞. ~⊖. dulc. ʒij.
D. S.
Temperirender Spiritus 30. Tropffen in ein Nöſſel vom ordentl. Getränck.

α. & ω.

℞. CC. ſin. △. ʒj.
ocul. ♋. præp.
corall. rubr. præp. ana ʒß.
Ther. cœl. gr. v.
M. D. S Kühlendes Pulver des Tags etliche mahl drey Meſſerſpiz in Saurampfer Waſſer zu nehmen.

℞. Pulv. Bez. Angl. ℥ß.
♁. diaph. ʒß.
⊖. vol. CC. ℥ß.
Ther. cœl. gr. v.
M. S. ut ante.

℞. Tinct. Bezoard.
flor. bellid. ana ʒj.
M. D. S. Tinctur 30. bis 40. Tropffen in ein Nöſſel vom ordentlichen Getränck zu nehmen.

℞. ▽. acetoſ.
rub. id.
ſcorzon. ana ℥ij.
ſucci berber.
rib. ana ℥j.
Syr. pap. alb. ʒvj.
~⊕. q. s. pro grato.
ſap. D. S.
Kühlender Julep nach Belieben zu nehmen.

CAP.

CAP. IV.
DE FEBRIBUS CONTINUIS MALIGNIS, PETECHIALIBUS & IPSA PESTE.

FEBRIS MALIGNA eſt calor p. n. continuus, cum ſumma virium proſtratione, à particulis corroſivis, M. S. & ∾ ſummè agitantibus obortus.

- **ΦΑΙΝΟ΄ΜΕΝΑ.** Febres Malignæ ægros ut reliquæ adoriuntur, ſed cum ſumma virium proſtratione, anorexia, cardialgiis & jactatione corporis, qua deſperabundi quaſi ſe circumvolvunt. Calor extus, ut videtur, tolerabilis, intus ferè indicibilis eſt: Sitis aut nulla, aut citra manifeſtam cauſam intenſiſſima, cum dolore capitis, vigiliis nimiis, deliriis, urina mox ſanorum ſimili, mox rubicunda, ſine ſedimento. Pulſus eſt celer, ſed parvus, & ſi maculæ pulicales quaſi erumpant, PETECHIÆ: Sin puſtulæ rubicundæ, PURPURA: Sin anthraces aut bubones PESTIS: Sin ſudore diffluant SUDOR ANGLICUS: Sin Prunella cum cephalalgia inexplicabili jungatur, MORBUS UNGARICUS: Sin tertio aut quarto die puſtulæ albicantes aut maculæ erumpunt, VARIOLÆ, aut MORBILLI audiunt.
- *SUBJECTUM*
  - Inhæſionis eſt tota C. H. machina.
  - Radicationis M. S. atque ſpiritus.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt ſummà turbatio M. S. & ſpirituum, qua compage eorum reſoluta ſalia efferata extravertuntur.
    - *MATERIALIS* ſunt particulæ corroſivæ, texturam & mixtionem ſanguinis fundentes, turbantes & ſpiritus obfuſcantes.
  - *REMOTA.* Aer peſtilentialis & malignus, effluviis arſenicalibus, ſeminiis infectorum & contagio ægrorum impregnatus. Cibi corroſivi aut inſaliti. Potus ſpirituoſi abuſivè ſumpti, undè Germani in Ungaria & Dalmatia ſuccumbunt. Timor & deſperatio, quæ deterior peſte.
- *PROGNOSIS* O. Feb. maligna periculoſa. Peſtis funeſtiſſima, magis tamen Peſtis Petechialis. Quo major pulſus & quietiores aegri, eo melius. Hypochondria ſuſpenſa & abdomen turgidum lethale. Diarrhœa in malignis periculoſa. Sudor particularis in capite malus. Citius evadunt qui in principio non ſudant.
- *CURATIO*
  1. Sanguinem & ∾ nimis inflammatos ventilat: V. S. ſtatim in principio, ad imit. *Sydenhamii* adminiſtrata, quæ in variolis hoc tempore bona.
  2. Particulas inæquales ejicit: Vomitoriis & Bezoardicis.
     - DOMEST.
       - Pulv. bez. n. d. vel Ludov.
       - Rad. Mongus Ind. & colchici.
       - ♁. diaphor. unicorn. foſſ.
       - ∾. ⊖. ✱.
     - OFFICINALIBUS.
       - Pulv. bez. Angl. tinct. bez.
       - Ther. & Mithrid.
       - ⊖. vol. CC. ſuccin.
       - Bez. min. &c.
  3. Spiritus confortat & excitat
     - Internis, per cordialia; citrium malum & Lap. cord.
     - externis; veſicatoria, empl. arſen.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Medicus ex febri maligna aut peſte decumbentibus non ſtatim morbum aperiat, ne terrore ſpiritus magè turbentur, cum vel ſolo illarum nomine mens ſtupeat, gelidusque fiat formidine ſanguis. Adſtantes tamen hortari ſæpè decet, ut tractando ægros cautè mercentur.

II. Cave nimium volatilia & oleoſa, cumprimis camphorata, ſolum absque ⊕tratis ſumpta, quæ ut gravidis & pueris nocent, ita & aliis, ſanguinem ſpiritusque nimis inflammando, ſæpè minus conveniunt. Præſtant Bezoardica fixiora, eaque crebrius iterata.

III. Inter periapta & amuleta cave Tibi ab arſenicalibus & Mercurialibus, cum venenô ſe à venenô præſervare periculoſiſſimum ſit, vid. *Guibertus in Tr. de Peſte*, *Medico Charitativo annexo.*

IV. Somnus in peſte non nimium ſuadendus, aut promovendus. Ultra 3. dies ſine noxa vigilare poſſunt. Sin verò per 5.6. aut 7. dies non dormiverint, bezoardicis opiata cautè miſceri poſſunt.

V. In Variolis & Morbillis ante plenariam eruptionem fuge clyſteres: quæ tamen in variolis confluentibus cautè, nec nimium calidis eſt urgenda. Vid. *Sydenham. in Epiſt. ad Guil. Cole.*

OBSERVATIONES.

I. Febrem malignam in me ipſo A. 1702. præmiſſa V.S. parciſſima & vomitorio, ſolo pulvere bezoardico compoſito, ex Pulv. bez. Anglico, ſpec. liberant. & ſim. conſtante & ſingulis tribus horis ad ℨß. in vehiculo conveniente ſumpto, feliciter curavi, deſinente in ſcabiem univerſalem morbo, quod eodem anno in pluribus aliis ſimili methodo curatis obſervavimus.

II. Alios, præmiſſis univerſalibus, Pulvere ex pulv. bez. Ang. p. iv. ⊕. depur. p. ij. & camph. p. j. ſimili modo propinato, liberatos novi.

III. Pe-

III: Peſtem tamen volatilibus, in ſpecie ♁. □. feliciter in Subditis ſuis curavit Illuſtiſſ. Comes Leiningenſis.

IV.

CONSILIUM
DN. D. GEORGII FRANCI, PP. Heidelb. ad DN. SEBAST. SCHEFERUM, *è Febri Maligna agoniſantem.*

Cordialiſsime Amice!

PRoh! quam acerbè DEUS T. O. M. nos affligit, dum confidentiſſimum meum tam gravi morbo obruit! Mille lachrymis dolorem inde conceptum teſtor! Per Deum atque hominum fidem! abſtine quæſo ab omnibus calidis, ſalitis & acribus medicamentis, ſimilibusque cibis. Conſulerem ſeq.

℞. Pulv. Pannon. rubr.
Unicorn. ver.
Lap. Bez. occid. ana ℈j.
Rad. contrayerv.
cinnab. nativ. ana gr. xij.
M. F. Pulv. ſubtiliſſ.

De quo quarta quavis hora tantum, quantum cultri cuſpide capitur, in ▽. ſcorzon. ſcabioſ. & etyphis cerv. ſimpl. ſumatur. Externè reficientia, e.g. Aqua Regin. Hung. ſtrophiolo infundatur & naribus applicetur. Penitus abſtineatur à purgantibus & clyſteribus. Cæterum noctes atque dies corpus calidum ſervetur, ſed non obruatur. DEUS clementia & miſericordia ſua benedicat medicamentis! quod ex intimis cordis receſſibus voveo. Linteis calidis corpus probe fricandum, ut tranſpiratio inſenſibilis promoveatur. Ita me DEUS amet! ni arduum Rectoratus Academici

munus

munus impediret & periculoſus pariter affectus Sereniſſimæ Electricis Viduæ obſtaret, ad Te certiſſimè profectus eſſem. Deus vobis omnibus propitius eſto & Tui meique miſereatur! Vale ſummum meum delicium & deſiderium!

Scribo mœſtiſſimus

raptiſſimè, *Heidelb.*
die 9. Jan. 1686.

ARGUS.

V.

ALIUD EJUSDEM,

ad me, in eodem Caſu.

P. P.

INter mille turbas officii & conſultationes cum *Dn. D. Brunnero & Dn. D. Widtio* [uterque autem Tibi plurimam ſalutem!] ſuper graviſſimo affectu Sereniſſimæ Electricis Viduæ, triſtiſſimum Tuum accipio nuncium, quod myriadas lacrymarum ſtatim mihi expreſſit. Vah malum ſummæ malignitatis! O candidiſſimum meum pectus! Ab omni purgante, clyſtere & quicquid à peripheria ad centrum malum retrahere poteſt, abſtinendum. Imo ſatius etiam fuiſſet abs V.S. Fugienda ſalia acria, calida, valdè ſpirituoſa; quæ mea mens ſit, vid. ex literis ad ipſum Oculiſſimum meum. ἄδηλος διαπνοὴ promovenda, ſine tamen ſudoriferis, ne abjectæ vires penitus conflagrent, DEUS Optimus Maximus exaudiat ſuſpiria mea & vota, quæ pro intimô & principe Amico fundo. Vale

Exc. T.

Addictiſſimus

P. S. Quæſo fideliter mihi reſcribe ſtatum ægri.

ARGUS

RESPONSIO.

P. P.

UBeriorem haud ita pridem fidelemque valetudinis Scheferianæ relationem deſiderabas, Vir Magnifice, ſed eodem, proh dolor! quo advolabant literæ, die in Domino Jeſu beatiſſimam exhalavit animam, cujus Manibus bene ſit in æternum! O utinam ſanguinem ſtillaret hic calamus meus, ut captum inde dolorem aperire valeam: non enim Amicum, non Patronum, ſed Parentem amiſi! Vix octiduum elapſum, cum in platea à lineâ, ad quam exſtructa eſt, vocata adhuc ſalvo & prout videbatur incolumi mihi obviam facto, ob annum in circulum redeuntem, junctis dextris proſpera quæque apprecatus fuerim. Aſt ah! quam funeſta cataſtrophe! Crede, Vir Magnifice, non morbo periit, ſed methodo proh quali! Purgatio, V.S. Clyſteres iterati non tam remedia, quam totidem vulnera fuere, quæ fauciatis jamdum & fugam meditantibus ſpiritibus certum exitium tulere. Scelus certe fuit, quod ingratus ille NN. ab initio præſens, conſcientiam & principia à M. T. hauſta negligendo, non diſſuaſerit V. S. ſed & in caſu tali deſperato familiam hanc illuſtrem ſervitiis ſuis deſeruerit. Interim M. T. fors moleſta ſunt, quæ refero, adeoque ne contra inexhauſtum Dei beneplacitum murmurare videar, conſiliis ejus nos ſubmittamus, oportet. Vale, Vir Magnifice, & quod facis amare perge

Magnificentiæ Tuæ

D. Francofurti ad Mœnum
Die 12. Junii 1686.

Cultorem Perpetuum

MICH. BERNH. VALENTINUM.

VI.

VI.
DE
PESTE VIENNENSI 1719.
Relatio & Obſervata *DD. Pauli de Sorbait* *& Frid. Ferd. Illmeri*, Archiat. Cæſar.

EXTRACTA
è Lit. ad Dn. Stoibers, Legatum Reſidentem Elect. Bavariæ in Aula Imp. t. t. Pragæ viventem.

RErum autem ſtatus Viennæ deplorandus eſt, nonniſi veſpiliones, funera, cadavera, platearum & integrarum familiarum extinctiones & deſolationes ſpectantur. Officinæ pleræque jam manent occluſæ, homines flaccidi & ſemimortui, triſtes & mœſti ſpectantur, in quibus nullus omninò vigor apparet. Omnes præſentiſſima meditantur fata. Plorarent ſaxa, ſi deplorandum hunc tam florentis olim civitatis viderent ſtatum. Jam ter ipſe Lazareta viſitavi, ut infinitos corrigerem errores; correxi & feci quod potui. Media deſunt. Quivis rapere, dare nullus ſatagit. Innumeri jam mortui ſunt. Facta fuit à quibusdam computatio 30000. ſed plures exiſtimo. Plures tamen jam reſtituuntur, quam à principio. Imo quia humores amplius non ſunt tam acres & quia omnia venena cum tempore uſu pharmacorum debilitantur, hinc conſequenter non poſſunt amplius ita fortiter agere. Ego plurimos cum Divina gratia reſtitui, modo à principio mea fuerit opera requiſita. Creſcit tamen infectorum numerus, quia tam exiguus eſt ordo, vel, ſi eſt, non ſervatur. Salutaria hactenus ex corde ſuggreſſi, ſed multoties ſurdis cecini, præcipuè apud mali conſilii autores, qui mallent omnes perire, quam ſuos fateri aut corrigere errores. Eſt diabolica quorundam philautia, quæ eſt tinea omnium corroſiva. Quantum ad Co-

metam attinet, ſimilis viſus non eſt. Inſolitæ magnitudinis ſtellam ipſemet vidi, reliquis majorem & pallidiorem, ſed motu primi mobilis raptam, minimè quieſcentem: quid ſignificet, Deus novit. De infectione aëris jam non eſt dubitandum. Alaudam nullam vidimus hoc anno, omnes una cum Nobilitate abierunt: de omnium reditu dubito, ubique enim manus Domini. Monaſteria plurima fermè tota deleta, jam planè in Kalenberg adſcendit malum, ſine dubio ex fœtore Lazareti. Fuerunt enim nuper 300. cadavera octo integris diebus inſepulta. Jam contra meam proteſtationem foſſas cadaveribus inhumandis ſupra monticulum fecerunt, ut eo facilius tota inficeretur Diſtrictus. De ventis nil ſcimus, niſi auſtralibus, Auſtriæ ſemper fatalibus; verbo: omnia conſpirant in necem noſtram. Non eſt mors, ſed ipſiſſima vita mors eſt ante mortem. Hi ſunt Larvatorum, Adulterorum, Exactorum, Oppreſſorum, Superborum & omnis injuſtitiæ fructus: Hic eſt fœtor ab hircis putidiſſimis relictus, hinc manus Domini tetigit Nos. Moriuntur pauperes etiam fame, (eſt enim magna annonæ caritas) aufugiunt Magnates. Liberantur ab ærumnis pauperes, ſed melius eſt hic, quam ibi pœnas dare. Hæc ſunt pauca & fortaſſis ultima, quæ transſcribenda duxi. Æqui bonique conſulat, mei Divûmque memor,

Viennæ, 30. Sept.
1697.

cujus maneo æternum
devotus

PAULUS de SORBAIT.

DE

DE EADEM PESTE.

QUÆSTIO I.

Quomodo hic Morbus incipiat?

SUnt quatuor genera morborum Nos Viennenſes infeſtantium: Febres Petechiales, Malignæ, Peſtilentes & ipſa Peſtis. Invadunt hi morbi ſemper cum laſſitudine ulceroſa & debilitate virium. Corripiuntur jam vomitu horrendo, jam alvi fluxu, jam lethargo, jam vertigine maxima, ſemper cum horrore, rigore & frigore, cephalalgiâ, raro cum delirio. Pulſus, urinæ, plane naturales. Aliqui languore quodam facultatis vitalis, ſine omni febri: Aliqui acquirunt bubones in inguinibus, qui nec ante, nec poſt ſunt infirmi, hi omnes evadunt. Aliquibus procedit bubo & tunc ſequitur febris & alteratio & ex his multi evadunt, aliqui pereunt.

QUÆST. II.

Quomodo finitur?

Finitur in Bubones, Carbunculos & Anthraces, puſtulas peſtilentiales, parotides, petechias magnas, nigras, aliquando in omnia hæc, lethargum, alvi fluxum, motus convulſivos, deliria, plerumque in deliquia animi atque mortem. Inter decem vix tres aut quatuor evadunt. Denique in hoc morbo ſpiritus vitales maximas eclipſes patiuntur, quia quoad ſpiritus animales vix damum notabile ſentiunt & pereunt ſibi præſentiſſimi.

QUÆST. III.

Intra quod tempus Peſte infecti moriuntur?

Qui moriuntur, fatum ſuum abſolvunt intra horam 1. 2. 3. 4. 7. 10. 24. plerique aut 4. aut 5. aut 6ta die pereunt. Qui ſeptimum attingunt, ferè omnes evadunt. Eſt itaque morbus peracutus.

QUÆST. IV.

Quale remedium communiter adhibendum?

V. S. in principio adhibendæ, ſed non largæ, neque frequentes proſunt, aliter non. Veſicatoria proſunt. Sanguis, qui emittitur, eſt optimus & tamen moriuntur ſicuti muſcæ. Hactenus adhibuimus communia. Specificum non eſt inventum. Experimur autem nunc, quod ſimpliciora ſint meliora compoſitis & maximè terra ſigillata. Saltem ego hoc experior in mea exigua Experientia. Refocillatio ſpirituum vitalium per bona analeptica adhibita bene facit. Vinum non ita conducit.

QUÆST. V.

An Medicis ſtatus morbi adhuc ignotus?

Propter morbi heterogeneitatem vix poteſt generaliter loquendo aliquid certi ſtatui, niſi quod ſpiritus vitales maximè videantur affici. Subinde enim veneni natura viderur eſſe coagulativa, acida & frigida, ſubinde colliquativa, calida alcalica, ad σύντηξιν redactiva, ſubinde nec horum quicquam, quod poſſes ad primas, ſecundas, aut tertias qualitates, verum ad quartas referre & hic regnat Hippocratis τὸ θεῖον:

QUÆST. VI.

Qualia judicia ſuper hoc feruntur morbo?

Judicia feruntur varia. Præcipui viri noſtri judicium eſt, quod ſit venenum terraqueum. Meum eſt, quod ſit Aſtrale, ex conjunctione ♂ & ♄. Hactenus aër fuit ſatis laudabilis, nihilominus conſtitutio auſtrina fuit frequentior & cœlum nubibus ſæpius obducitur. Proceſſit ante annum ſqualida, ſicca & calida conſtitutio & crevit vinum generoſisſimum, quod cum hornum biberetur à plebe, valdè diſpoſuit corpora.

QUÆ-

QUÆST. VII.

Tandem qualis origo hujus Infortunii eſſe exiſtimatur?

Origo hujus mali venit ex Turcia & Hungaria, unde Nos illud per contagium acquiſivimus. Hæc Peſtis ex Conſtantinopoli penes Danubium paulatim ambulavit ſurſum & credo ambulabit ulterius. Diſpoſitiones hic adjuvantes fuerunt cereviſiæ non bene defæcatæ & recentis nimia potio, vini horni potentisſimi uſus & ingens Populi confluxus ac multitudo in anguſtis locis & cubiculis habitandis, ac gentium concurſus in hanc urbem, ob bella horrenda in Hungaria & Superiori Germaniâ. NB. Nimius abuſus antidotorum calidisſimorum, tam extrinſecè, quam intrinſecè, præſervationis gratia, adhibitorum. Sunt & fœtidisſimi fumi ex antiquis calceis, fimo, cornibus, hominibus vertigines, convulſiones, apoplexias, dolores capitis, tandem ipſam peſtem cauſantes. Ex vana quadam perſuaſione, quod fœtida corrigant aërem, multa millia hominum in mortem præcipitarunt. Hæc & ſimilia eſſent latius deducenda & dilucidanda, quia longè plura occurrunt, quæ ob brevitatem & miſerorum accurſum ſunt omittenda. Non vertatur mihi vitio, quod hæc rudi & pingui Minerva ſint enarrata.

FRIDERICUS FERDIN. ILLMER
de WARTENBERG,
Phil. ac Med. D. Inſtit. Prof. ac
S. C. M. Medicus & Practicus,
nunc in urbe & antea.

VII. DE
PESTE LIPSIENSI
Obſervata BOHNII & ETTMüLLERI.

EXCERPTA
è Literis *D. D. Bohnii ad D. Frid. Schraderum.*

QUod verò deſiderium Tuum de ſtatu noſtro hactenus peſtiferô concernit, ſimilem rationem alii quoque Amicorum hactenus à me petierunt, quibus tamen obtemperare non potui, ſiquidem, ut ingenuè fatear, ea, quæ penes ſimiles ægros partim ipſemet obſervavi, partim ex aliis reſcivi, mihi quidem hactenus minus ſufficientia fuerunt, ut ex iisdem vel circa naturam & cauſam Peſtis præſentis, vel ejus curationem hypotheſin aliquam formare & ſi non aliis Medicis, mihi ad minimum aliquam probabilitatem ſuppeditare poſſent. Hinc vereor, ne, ſi unquam verum illud Hippocratis: Occaſio præceps, experimentum difficile, hîc ſanè locum habeat, dum in periculoſiſſimo hujuscemodi & maximè acuto morbo omnes illæ circumſtantiæ, quæ requiruntur, ſatis obſervari, aut attendi nequeunt, ut experimenta legitima & inductiones inde formari poſſint.

Dabo ergo, quæ jam ad manus ſunt. Symptomata, ſtatim in principio in infectis ſe trudentia, ſunt horror & rigor, dolor capitis, vertigo inſtar temulentorum, ut penes calculoſos, ita ut recorder in quibusdam, alias calculoſis, ſymptomata plane non pro peſtilentialibus habita fuiſſe, aliis autem ſpecie catarrhi impoſuiſſe. Mox accedebat ſumma virium proſtratio, lypothymia, vomitus, ſitis intolerabilis, diarrhœa, narium & uteri hæmorrhagia, & in uno Medicorum noſtrorum Peſtilentialium urina cruenta, quam mox ipſa mors compeſcebat. In his vigiliæ adſunt, in aliis ſopor profundus, ſeu potius coma vigil. In progreſſu morbi quidam vehementer delirabant, cumprimis ſi febrem intenſiorem ſimul paterentur: utut in quamplurimis ægris ne minimum quidem febris, nec delirii, obſervatum fuerit.

Genus

Genus nervoſum cumprimis hic partem primam affectam eſſe, partim è ſymptomatis allegatis potiſsimis, partim febre rariore, partim & ex juvantibus eluceſcit, poſtmodum addendis. Quin & imbecillitas à plenariâ curatione adhuc remanens idem adſtruere videtur. Novi Caſum Virginis, quæ in ſtatu morbi ſubitò utroque oculorum lumine privabatur, poſtquam antea dolores & cruciatus vagabundos in omnibus ferè artubus perpeſſa erat. Alia muta reddebatur. Alii de vertigine conquerebantur &c. An verò nervi ſemper immediatè & primariò affecti fuerint, ob circumſtantias quaſdam adhuc dubius hæreo.

Quoad Curam, cardo hujus in eô verſabatur, ut mox in principiô vocaremur. Quodſi enim primæ V. aut VI. horæ absque ſudore evanuiſſent, omne poſtmodum fruſtranea fuiſſent. Aliâs verò Sudorifera & Alexipharmaca optimè ſe geſſerunt, in ſpecie ex fixioribus: ♁. diaphor. diaſcordium & flor. ♎. E volatilibus: Mixtura ſimplex, ſpiritus & ſal volat. CC. viperarum, ⊖. vol. ſuccini hincque Liquor CC. ſuccinatus, caſtoreata, camphorata & NB. opiata; quemadmodum ſpir. CC. cum ✓. theriacali potenter camphoratô, cum tantillô eſſentiæ laud. opiati Langelotti ſæpius à me proficua obſervata ſunt, mox in principiô ſaltem. In ſtatu & dum Bubones & Carbunculi apparuerunt, acida quoque multum præſtitêre, v. g. Clyſſus ♁: vel aquâ prophylacticâ Sylvii, aut in juſculo frequentius in minori doſi propinatus. It. Succus citri, qui aceto, ut nervis hoſtili, longis paraſangis præferendus eſt. Juxta hæc veſicatoria quàm optima fuêre, mox in principiô & nullâ adhuc apparente excretione brachiis & melius adhuc femoribus applicata, imò ſi bubo jamdum adfuerit, ipſi buboni impoſita.

De Præſervatione non eſt ut multa dicam. Licet multi eorum, qui vulgaribus uſi fuerunt, Honoratiores ſcilicet & Opulentiores, in ædificiis ſuis ſalvi & incolumes remanſerint: alii autem, qui obiêre, è plebe & è numero pauperum præſervationem non multùm æſtimaverint: attamen certus ſum, inter infectos, & de-

mortuos plures etiam fuiſſe, qui ſe communi modô optimè præſervarant. Quapropter vereor, ut ſi modò dicti Honoratiores (Peſtis enim plebejos feriebat magis) utut præſervantibus optimè muniti, loca infecta petiiſſent, per artes illas malum evitare potuiſſent. Hinc usque dum vis præſervativa medicamentorum ſibi tam firmiter & dilucidè conſtare non videtur, utut unum atque alterum annotaverim, quod in aliam occaſionem, à Nob. Tua mihi ſuppeditandam, reſervo. Interim perſevero

T. T.

Lipſiæ, die 15. Dec. 1780.

D. JOHANN BOHN.

P. S.

Dn. *D. Regius*, Uratislavienſis, Tractatum de Peſte in lucem edidit, in quo duplicem Peſtem, acidam ſc. & alcalinam, ſtatuit. Patria Turcia creditur.

LITERÆ
B. DN. MICHAELIS ETTMULLERI ad D. D. SCHELLHASS.

P. P.

Amoris pariter ac favoris non vulgaris indicium eſt de me & Bohniô ſolicitudo Tua, parili affectu à Nobis redhoſtienda. Valemus de cætero per DEI gratiam incolumes. Ipſum malum peſtiferum in tantum hactenus declinavit, ut ſub anni caſu illius occaſum perfectum ſperemus. Quantum mihi hactenus innotuit, ſpiritibus animalibus & hinc nervoſo generi in ſpecie hoſtile exiſtit venenum, illorum quaſi ſyderationem, hujus multiplicem irritationem inferendo. Febris acuta nulla, ſed apparenter mitis: Carbunculorum æſtus mediocris: Bubones dolentes, ſed non ardentes, hinc tardè ſuppurantes. Remedia ob id volatilia ſalia,

hinc

hinc camphorata, 🜍rata it. ☿alia fixa & cinnabarina, cum ordinariis Theriacalibus compoſitionibus fuerunt optima, per largos Sudores opem ferendo. It. Fumus ſulphuris potui connexus &c. Vomitus unum è peſſimæ notæ ſymptomatis, hinc hæmorrhagiæ. Optimè vale meque amare perge.

T. T.

Lipſiæ, d. 21. Dec. Ao. 1680.

M. ETTMULLERUS, D.

VIII.

In PESTE MASSILIENSE Ao. 1720. in corde & aliis viſceribus vermes fuerunt inventi & præſervativè citria mala: curativè mox alcalia, mox acida blanda, teſtibus novellis, conducebant.

FORMULÆ ET DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Pulv. n. bezoardici ʒij.
cinnabarini ʒj.
M. Div. in VI. partes æq.
D. S. Bezoartiſche Pülverl. alle 4. Stund eines zu nehmen, und ſich drauf warm zu halten.

* * *

℞. ▽. fumar. ℥iiij.
roſ. ℥j.
Tinct. bez. ʒiß.
ſacch. ſyr. q. s.
S. Waſſet zum Pulver.

α. & ω.

℞. Pulv. bezoard. Angl. aut Gaſconic. ʒij.
Spec. liberant.
de gemm. frig. aa. ʒj.
Ther. cœl. gr. viij.
M. Div. in 8. p. æ. D. S. Austreibende Pülverlein alle 3. oder 4. Stund eines zu nehmen.

* * *

℞. Pulv. bezoard. Angl. vel D. Rölwagen. ʒß.
⦶. depur. ʒß.
Camphor. ℈ß.
Ther. Cœl. gr. v.
M. D. in 4. p. æ. S. alle vier Stund eines zu nehmen.

℞. Raſ. CC. ℥j.
Rad. ſcorz. ʒß.
⊕. depur. ʒij.
Inciſ. D. Sachen ins ordentliche Getränck zu legen.

℞. Tinct. bez. ʒij.
🜔. dulc. ℈ß.
D. S. Kühlende Tinctur 40. bis 50. Tropffen in ein Nöſſel Covent.

DESCRIPTIONEM
PULV. BEZ. D. ROLWAGEN.

ex Reg. ♁ medic. rad. contrayerva, cryſt. mont. terr. ſig. vid. apud *Apinum* in Tr. *de Feb. Epidemicâ* p. 65.

DESCRIPTIO
PULV. BEZOARD. ANGLICI.

℞. Rad. contrayerv. ℥iij.
Apicum Chelar. ♋. nigr. ℥xij.
Marg. Orient. ℥ß.
CC. ☉r. ℥iiß.
Unicorn. ver. præp. Lap. Smaragd. præp.
Succin. alb. præp. Cor. rub. præp. ana ℥ij.
Ceruſſ. ♁. exactiſſ. præp. ℥iiß.
Oſſ. de cord. cerv. ℥j.
Pulv. viper. fumô juniperi cautè exſiccat. ℥iij. F. Pulv. ſubtiliſſ. & cum R. croci ac Gelat. CC.
F. Paſta, cui, ſi placet, fol. ☉. addi poteſt. F. Globul. in umbra exſiccandi.

℞. ▽. CC. citrat.
è typh. cervi.
cord. frig. Herc. Sax.
galeg. ana ℥j.
Syr. rub. id. ℥ß. M.
S. Waſſer zum Pulver.

* * *

DESCRIPTIO
PULV. GASCONICI.

℞. CC. Philoſ. præp.
Marg. Orient. præp.
Lap. bez. Orient. ana ℥j.
chel. nigr. ♋. mar. pp. ℥vj.
ſuccin. alb. pp. ocul. ♋. pp.
coral. rub. præp: ana ℥j.
M. F. pulv. ſubtiliſſ. & c.
Gelatin. Vip. F. Glob.

LAPIS CORDIALIS
D. Lochneri.

℞. Rad. Mongus.
Angel. Afric.
Serp. Virgin.
Contrajerv. aa. ʒj.
Pulv. è typh. Cerv.
Zw. ℈iv.
Chel. ♋. marin.
Corn. Capræ bezoard.
Alc. Philoſ. præp. aa ʒß.
Spin. Vip. ℈j.
M. F. Pulv. ſubtil.
c. gel. CC. F. glob. inaurandi & poliendi.

CAP.

DE INFLAMMATIONIBUS INTERNIS.

INFLAMMATIO eſt intumeſcentia partium cum rubore calore & dolore, a ſanguinis interceptione proveniens,

- ***PHÆNOMENA.***
  - Affectus hi plerumque cum rigore aut friguſculo adoriuntur, inſequente calore febrili & ſiti: Quibus accedit dolor & intumeſcentia colli, aut faucium, deglutitioni & reſpirationi incommodans in ANGINA, punctiones laterum, aut ſterni in PLEURITIDE: Dolor obtuſus, ſed febris intenſiſſima in PERIPNEUMONIA. In omnibus autem, ſive tuſſi, ſive ſcreatu, rejicitur ſanguis, in principio ſpumoſus, in fine autem purulentus, VOMICAM ſæpe, aut EMPYEMA relinquens. Pulſus eſt frequens, magnus & durus. Urina rubicunda & mox turbida.
- ***SUBJECTUM*** ſunt
  - Fauces earumque muſculi in Angina: Pleura alterque pulmonum lobus in Pleuritide: Uterque pulmonum lobus in Peripneumonia.
- ***CAUSA***
  - *PROXIMA*
    - FORMALIS eſt irritatio partium, hancque inſequens ſanguinis interceptio & ſtagnatio: MATERIALIS eſt ſanguis aut lympha, ſive quantitate, ſive ſalſedine peccans.
  - *REMOTA*
    - Aer inclementior poſt incaleſc. Conſtit. epidemica: Potus nimis frigidus in æſtu vehementi: Motus & clamor poſt quietem diuturnam: Conſuetæ evacuationes ſuppreſſæ. Scabies retropulſa & inunctio Mercurialis.
- ***PROGNOSIS***
  - Eadem, quæ omnium morborum acutorum, ſc. incerta.
  - Angina
    - interior, cynanche dicta, funeſta.
    - exterior, h. e. ſynanche, non adeò periculoſa.
  - Peripneumonia quævis eſt periculoſa.
- ***CURA*** imperata diæta tenui fit
  - 1. M. S. circuitum promovendo, per
    - V. S. in
      - Angina
        - 1. in pede
        - 2. in brachio
        - 3. ſub lingua.
      - Pleuritide
        - adſcend. pro
          - revulſ. in ped.
          - deriv. in brach.
        - deſcend. pro
          - revulſ. in brach.
          - deriv. in pede.
      - Peripneumonia ubivis.
  - 2. Sanguinē ſtagnantem reſolvendo diaph. & ſpec.
    - DOMEST.
      - Mandib. Luc. piſc. præp. Sem. C. B. C. M.
      - ♄. diaphor. ſang. hircin. &c.
    - OFFICINALIBUS
      - Externis
        - Pulv. Pleur. A. & D. *Widtii.*
        - ⊖. vol. ſuccin. ⊖. vol. mand. luc. piſcis.
      - Externis
        - Catapl. de nid. hirund.
        - Unguent. dialth. pleur.
  - 4. Non reſolubilem ſuppurando & expectorãdo
    - Internis
      - Syr. d. ſymph. Syr. d. pet. de eryſim, 🝆. Lini.
      - Decoct. antipleurit. D. *Widtii* ∼. gum. amon.
    - Externis
      - Catapl. ex medulla panis alb. c. croc.
      - 🝆. hyoſciam. & lil. alb.
  - 4. Exulcerationem partium mundiſicando,
    - Decoct. ex hed. terr. & chærefol.
    - Balſamo Sulphur. temp: c. balſ. ♄. Paracenteſi.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Purgantia in inflammationibus viſcerum internis, Pleuritide cumprimis & Peripneumoniá, fugiantur.

II. Fuge quoque opiata, quæ reſpirationi, per ſe difficili, incommodant.

III. V. S. in pleuritide malignâ exulet. *Vid. Noſocomii Acad. Diſſ.* 6. *de Pleurit. Malignâ.* Exulet item in Gravidis partui proximis, ne vires ad partum neceſſariæ proſternantur.

IV. Expectorantia in principiô ſtatim adhibita nocent, cùm tuſſim exaſperent. In puerperis planè fruſtranea ſunt, *vid. Willis. de Febr.*

OBSERVATIONES.

I. Pleuritidem à potu frigidô, poſt incaleſcentiam corporis ſubitò ingurgitato, præmiſſa V. S. unicô ſudorifero, ex pulv. pleuritico D. Widtii ad ʒß. exhibito, Philippoli in milite Gregario aliisque curavi.

II. Illuſtriſſimus Comes à Promniz, ſtudiorum cauſâ Giſſæ degens, tempore hyemali, in hypocauſto nimis calefacto caput per feneſtram frigori ſubitò exponens, anginâ corripitur: Vocatus ſuadeo V. S. & poſt eandem ſtatim potiunculam bezoardicam & antipleuriticam, potui infundendo Raſ. CC. cum flor. pap. errat. quibus mox cedebat malum, ita tamen, ut alternis adhuc diebus paroxyſmum febrilem experiretur; qui dato abhinc vomitoriô quoque feliciter ſublatus fuit.

III. Gravida partui proxima 1715. menſe Maj. corripiebatur pleuritide. Medicus ſtatim adminiſtrabat V. S. ſubjunctis antipleuriticis, quibus dolor quodammodo ſopiebatur, ſed tuſſis augetur, absque expectoratione. Tertio die filiolum enititur. Continuantur antipleurit. cum expectorantibus, ſed absque levamine. Octavo die moritur. En fructum venæſectionis!

IV.

CONSILIUM
DN. JOH. CONRADI BRUNNERI à BRUN, P. P.

IN ANGINA, aut Defluxione hyemali, conducet, ſi tempore matu-

matutino gargariſmus ex aquâ tepidâ, cui guttæ aliquot aquæ Reg. Ungar. aut (qui melior) ⁓⊖✱. inſtillandæ, adhibeatur. Quamprimùm verò tumorem minetur, collum æquè ac caput linteis calidis probè muniantur & foveantur, quæ ſuffimigio quodam elegantiori imprægnari poſſunt. Sin fortius urgeat, cataplaſma aliquot ex nido hirundinum, floribus chamomillæ, in ▽. cum melle coctis, paretur & calidè applicetur. Ubi pariter gargariſma aliquod cum ⁓⊕✱. egregiè ſeſe geret. Quin & ſudorem per ♁. diaphor. ocul. ♋. &c. excitare juvabit, capiendo ſtatim ſcutellas aliquot decocti vel infuſi Thée, alvum ſimul apertam ſervando, aut clyſteribus lubricando. DEUS, Supremus rerum Arbiter, ſiniſtra quævis ab Illuſtriſtiſſimo Domino avertere velit.

℞. ▽. flor. ſamb. ℥iiij.
⁓⊖✱. ʒj.
vin. camph. ℈ij.
Mell. roſ. ʒvj.
M. F. Gargariſmus.

JOHANN CONRAD BRUNNER, D.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Pulv. pect. ♀rei.
Mandib. luc. piſc.
præp. ana ʒj.
♁. diaphoret. ʒß.
⊖. CC. vol. ℈j.
M. D. S. Zertheilendes Pülverlein, Morgends, Mittags und Abends 3. gute Meſſerſpitz voll in Taubenkropff - Waſſer zu nehmen, und ſich drauf warm zuzudecken.

α. & ω.

℞. Pulv. Pleurit. A. vel D. *Widt*. ʒiß.
⊖. vol. CC.
ſuccin. ana ℈ß.
M. Div. in 3. p. æ. D. manè & veſp. in aqua C. B.

℞. Sem. card. bened.
Mariæ aa. ʒiß.
Amygd. dulc. n. iij.
c. s. q. ▽. card. Mar. F. Emulſ.
add. mandib. luc. piſc.
præp. ʒj.
edulc. D. pro aliq. doſibus.

℞. Man-

* * *

℞. Mandib. luc. piſc. ʒß.
ſanguin. hircin. ritè collect. ʒj.
M. S. ut ante.

* * *

℞. Nid. hirund. N. j.
Flor. ſambuc. p. ij.
Coq. in s. q. vini
F. Cataplaſma. collo alligandum, in angina.

* * *

℞. Unguent. virid. cathol. ʒß.
🜔. infuſ. lil. alb. ʒß.
deſt. car. g. v.
M. F. Lin. Lateri dolenti illinendum, in pleuritide.

DESCRIPTIO PULV. PLEURITICI D. WIDTII, pro Milit. Gregariis.

℞. Raſ. Dent. apri ʒß.
Mandib. luc. piſc. pp.
ocul. ♋. præp.
Lapid. percar. pp.
CC. absque △. ana ʒij.
M. F. Pulv. Doſ. ʒß.

DECOCT. ANTIPLEURITICUM Ejusdem.

℞. Herb. ſcabioſ.
card. ben.
Mariæ.
tarax. ana Mj.
Flor. pap. errat.
viol. ana p. j.
bellid. Mß.
Rad. enul. ʒiij.
liquirit. ʒß.
Paſſul. min. ℥ij.
Fic. n. vij.
Sem. melon.
card. ben.
Mar. ana ʒij.
Inciſ. coq. ex s. q. ▽. hord.
Col. ℞. lib. iiß.
Add. Syrup. è ſucc. card. ben.
d. liquir. aa. ℥iß.
clarif. & filt. D. pro uſu.

CAP.

DE HÆMORRHAGIIS.

HÆMORRHAGIA eſt eruptio ſanguinis è vaſis ſanguiferias, à p. n. illorum apertione ꝙ proveniens,

- **ΦAINO'MENA.**
  - INSTANTIS hæmorrhagiæ ſunt orgaſmus & tenſio quædam, cum dolore ſive gravativo, ſive pulſatoriô circa partem, è quâ ſanguis exitum molitur, quæ poſt HÆMORRHAGIAM intempeſtivè ſedatam quoque durant. HÆMORRHAGIAM NARIUM ſc. præcedit dolor capitis; HÆMOPTYSIN cardialgia. HÆMORRH. UTERI & MICTUM CRUENTUM dolor in ſpina dorſi &c. Præſentis eruptio ſanguinis aut floridi, aut ſeroſi, cum debilitate virium conſtituit.
- *SUBJECTUM*
  - ſunt vaſa ſanguifera cum ramuſculis ſuis.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt circulatio ſanguinis, ob vaſorum obſtipationem, impedita ejusque per vias inſolitas eruptio.
    - *MATERIALIS* eſt ipſe ſanguis, ſive quantitate, ſive qualitate aut motu peccans & cum impetu erumpens.
  - *REMOTA*
    - Aer ſive calidior, ſive frigidior, è quibus hic hæmoptyſin & mictum cruentum, ille verò hæmorrhagiam narium utplurimùm cauſatur.
    - Cibus & Potus nimiũ volatilis & aromaticus. Diæta lautior.
    - Motus vehemens. Ira, gaudium exceſſivum.
    - Medicamenta nimis volatilia, ut ∼. ⊖. ✱.
    - Evacuat. ſolitæ ſuppreſſæ. Plethora, Abortus.
    - Cacochymia, ſcorbutus, membri amputatio &c.
- *PROGNOSIS.*
  - Quæ à cauſa interna (ut hæmoptyſis, vomitus & mictus cruentus) ſemper periculoſior eâ, quæ à cauſa externâ.
  - Quò major, eò pejor. Peſſima in malignis.
  - Diuturnior cachexiam & hydropem minatur.
- *CURATIO*
  - Intra Paroxyſmum fluxum ſiſtit,
    - Internè per
      - Adſtringentia
        - *DOMESTICA*
          - Lapid. Hæmat.
          - Pulv. ♂alem.
        - *OFFICINALIA*
          - Croc. ♂adſtr.
          - Trochiſ. d. carab.
          - Liq. ſtipticum.
      - Opiata
        - laud. opiat. ſem. hyoſciam. ℞. opũ
    - externè
      - V. S. in latere oppoſitô,
      - Cucurbit. ſicc. & Ligatur. extremorum.
      - Epithem. ad teſtic. immiſſ. manus in ▽.
      - Pulv. & Liquor. ſtipticus ex O.
      - ⊕. ☽. Lacca in glob. turundis & ●
  - Extra Paroxyſmum dat
    - Laxantia, in Hæmorrhagia ſeroſa.
    - Emmenagoga in obortu in utero fluctuante.
    - Deobſtruentia ♂alia, in obſtructione.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Ut in hæmorrhagia ſeroſa fugienda V. S. ſic in hæmorrhagiis à plethora cane pejus & angue fugienda ſunt purgantia.

II.

Cucurbitulæ & ventoſæ, non ſcarificatæ, regioni hepatis ad ſiſtendas hæmorrhagias, ſumma cautela applicentur, ne viſcerum, ſub cucurbitulis ſitorum, inflammatio ſequatur.

III.

In hæmorrhagia narium, ab orgaſmo ſanguinis oriunda, cave, ne turundis nares obſtruendo ſuffocationem inducas, ut in febribus acutis, cumprimis malignis, obſervavi aliquoties.

OBSERVAT. & CONSILIA.

I.

Hæmorrhagiam narium periculoſam opiatis percuratam, vid. in *Diſſertationibus* n. *Epiſtolicis*.

II.

Hæmorrhagiam uteri, ſeu menſes nimios, ſimiliter curatos. *vid. ibidem.*

III.

Hæmorrhagiam uteri ex abortu, emmenagogis curatam vid. in *Noſocomiô Academicô CAS. XII.*

IV.

Hæmorrhagiæ narium periodicæ, per 6. & quod excurrit luſtra, annuatim bis obnoxia erat Filia annoſa B. D. *Jacobi Mülleri*, Med. & Matheſ. quondam Prof. Ord. Soror DN. Socer, mei νῦν ἐν ἁγίοις, cui ob ſanguinem nimis ſeroſum purgantia, cum euphoria,

phoria, ſuaſerat *Dn. Schleiermacherus* Senior, Archiater Haſſo-Darmſtatinus, in ſeq.

CONSILIO:

DE Pilulis, tribus vicibus ſumendis, XI. horâ VIII. veſpertinâ, binis ſc. horis poſt cœnam, ante introitum lecti, in quôcunque vehiculô ſumi poterunt, ſingulis XIV. diebus doſin repetendo. Hæ manè 2. vel 3. ſedes movebunt. Ad præſervationem indies manè 2. cochlearia aquæ præſcriptæ ſumantur, & ſi cardialgia immineat, Tinctura, manè, à meridiè horâ 3. & veſperi, dum cubitum itura eſt, quavis vice gutt. XV. cum 3. vel 4. cochlearibus juris calidi, abſtinendo per horam à cibis, tam ante, quàm poſt ejus aſſumtionem:

***

℞. Pilul. Magiſtr. Sylv. ʒß.
gr. iij.
F. Pil. pondere grani.
conſp. pulv. liquiritiæ D.

***

℞. Tincturæ Bezoard.
ʒiß.
D. ad vitrum.

***

℞. ▽. menth. c. vin.
meliſſ.
zedoar. aniſ.
cortic. aurant.
ana ℥j.
cinnamom. ℥ß.
M. D. ad Vitrum.

FORMUL. & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Lapid. hæmatit. præp. ℈j.
Extract. opii gr. iß.
M. D. S. Anhaltendes Pülverlein auf einmahl.

* * *

℞. ꝶ. ♂. ☉. ℥j.
⊖. dulc. ℈j.
ꝶ. opii. ℈ß.
M. D. S. Stillende Tinctur 20. biſs 30. Tropffen auf einmahl.

* * *

℞. Pulv. ♂. n. d. ʒj.
Laud. opiat. vel
extr. opii gr. iv.
M. D. in 3. p. æ.
D. in ▽. plantag. manè & veſperi.

* * *

LIQVOR. STIPTICVS ☽RIS n. d.

℞. Lap. infernal. vel
Cryſtall. ☽. ex
ſol. ☽. cum ▽. q. v.
ſolvantur per deliq. in cella, applicetur c. turundâ.

α. & ω.

℞. ▽. portulac.
plantag. ana ℥iß.
Trochiſc. de Carab. ʒß.
Laudan. opiat. gr. iij.
Syrup. de portul. ℥j.
M. D. S. Anhaltende Mixtur auf dreymahl zu nehmen.

℞. Sem. hyoſc. albi
pap. albi ana ʒiij.
Boli Armen. pp.
Corall. rub. ana ʒiß.
Laud. opiat. gr. iij.
c. s. q. Conſerv. roſ. & Syr. myrt. F. Elect.
D. S. Lattwerg gegen das Blutſpeyen, Morgends und Abends einer Caſtanien groſs zu nehmen.

℞. Croc. ♂. adſtring. ʒj.
Terr. Catech. ℈j.
Laud. op. incompl. gr. iij.
M. F. Pulv. pro 3. doſ.

* * *

℞. Lacc. Florent. ʒij.
NM. pulv. ʒj.
O. uſt. ℈ß.
c. s. q. mellis F. Elect. pro cruent. gingivar.

CAP.

DE PALPITATIONE CORDIS, SYNCOPE ET DELIQUIIS ANIMI.

PALPITATIO cordis eſt motus convulſivus fibrarum cordis, ab irritatione illarum oriens

- *PHÆNOMENA*, In PALPITATIONE cor adeò vehementer pulſat, ut non ſolùm tactui, ſed & auditui res pateat, pulſu quidem inæquali & inordinato, qualis & in arteriis jugularibus, tunc ſimul ſubſultantibus, occurrit. Adeſt ſæpe reſpiratio difficilis, ſitis, &c. Inſtante verò animi deliquio, præcedente improviſa anxietate, vertigine quaſi corripiuntur ægri, irides ob oculos verſantur, pallent ſubitò, pulſus ferè aboletur, ſudor frigidus circa frontem erumpit, ita quidem, ut in LIPOTHYMIA ſenſus adhuc conſtent: In SYNCOPE verò illi pereant, remanente tamen pulſu debili, qui in ASPHYXIA prorſus amittitur.
- *SUBJECTUM*
  - *MORBI* ſunt cordis fibræ motrices & valvulæ convulſæ.
  - *CAUSÆ* mox ipſum cor, mox hypochondria, vel uterus.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt irritatio cordis & elater ejus depravatus, ſive exced. ſive deficiens. It. Tenſio ejus & extenſio.
    - *MATER.*
      - ſanguis grumoſus, ac nimiùm expanſus.
      - lympha pericardii acrior.
      - polypi cordis, vermes, calculi.
      - ∾ vitales ſive diſperſi, ſive concentrati.
  - *REMOTA*
    - Tenerior aut vitioſa cordis textura.
    - Aer impurus, nimis æſtuans, peſtilentialis.
    - Cibi flatulenti, nauſeoſi, ut & inedia.
    - Motus & vigiliæ nimiæ, ♀ immodica.
    - Animi pathemata vehementiora.
    - Dolores nimii, febb. malignæ, ſcorbutus, menſes ſuppreſſi.
- *PROGNOSIS*
  - Nulla palpitatio cordis tuta. Minus tamen periculoſa quæ per conſenſum oritur. Periculoſa quæ à polypo, aut calculo. Omnes palpitantes minus longævi.
  - Deliquia animi leviora & à cauſa evidenti minus periculoſa.
  - Pejora à febribus malignis & venenis: Peſſima ſæpe recidivantia.
- *CURATIO* fit
  - INTRA PAROXYSMUM excitando
    - Frictionibus, clamoribus, ligaturis.
    - ▽. frigidæ aſperſione ori, naribus, fronti applic. confortantia.
    - V. S. ſi à tenſione cordis aut Plethora.
  - EXTRA PAROXYSMUM
    - 1. Evacuando cordi infeſta, per
      - Laxantia, ſi à colluvie ſeroſa.
      - V. S. ſi à plethora.
      - Bezordica, ſi à veneno & febb. malignis.
    - 2. Confortando, aut alterãdo, per
      - acida, ſi à ∾num diſſipatione.
      - volatilia, ſi à concentrat. ∾.
      - acria, ſi à ſcorbuto.
      - ♂alia, ſi à morbo hypoch.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Inter Cardiaca volatilia ſalia volatilia oleoſa balſamica, cumprimis moſchata & ambrata, cautè & nonniſi iis, qui perferre illa poſſunt, commendari debent.

II. Cumprimis autem in ſexu ſequiori hic circumſpectione opus, ne malum augeamus magis, quàm alleviemus.

III. Interim nec graveolentia omnibus Mulieribus indiſtinctè commendanda, cùm Natura differat à Naturâ, cujus indoles & idioſyncraſia hic probè exploranda.

IV. In Palpitatione Cordis cave ab opiatis, niſi ſit per conſenſum.

OBSERVATIONES.

I. Filia DN. Königii, Oeconomi Acad. Giſſenæ, annorum XIV. menſtrui debiti adhuc neſcia, aliquoties circa Novilunium ſummas cordis palpitationes ſentiebat, cum doloribus quaſi hyſtericis. Conſultus præſcripſi Cordialia & blande paregorica, cum levamine. Cùm verò ſymptomata hæc à ſanguine menſtruo exitum quærente ſuborirentur, aperientia, cumprimis ℞. ♂. Orem ordinavi, quæ tantum quoque effecit, ut ſingulis novi-luniis humores quidam ex flavo-albicantes ex utero prodierint, quos dubio procul vera tandem menſtrua ſecuta ſunt.

II. Anno 1695. filiolæ X. annorum pilulas ſeqq. ☿riales propinavit Medicus:

℞. MP. de ſuccino Craton.
☿. dulc. ana gr. viij.
c. s. q. ſyrup. roſ. ſolut. F. Pil. min. pro doſ.
deaurentur.

His nihil operantibus noctu inſignis cordis palpitatio, cum periculo ſuffocationis inſecuta eſt, quam â nullâ aliâ cauſâ deducere potui, quàm à deauratione pilularum, cùm, ☿. vulgi auro foliato ſe jungen-

jungendo à ☿♎. ſeceſſum fecerit, ſicque à compedibus liberatus malum illum induxerit.

III. Aliàs palpitationem cordis, ſæpius recidivantem, utplurimùm à polypo cordis provenire, præter experientiam egregiè oſtendit *Alex. Knipsmakoppius, in Epiſt. ad Carolum Patini de Aortæ polypo*: cujus exemplum, Pariſiis à me obſervatum, in *Miſcellan. Acad. Germ. Curioſ. Dec. II. Anno V. Obſ.* 188. *pag.* 188. videre licet. In conventu enim illo, in quo eruditi Pariſienſes Diarium *Journal des Scavans* dictum, ut & *Journal de Medicine* colligebant, me præſente, à Chirurgo adferebatur polypus lapideſcens, in corde hominis inde denati adhuc hærens, qui paulò ante obitum palpitatione cordis & iteratâ ſyncope correptus fuerat, idque corpore quieto magis, quàm defatigato, cùm ſub equitatione fortiorique exercitio melius ſe habuerit, quia mediante ſucuſſione obſtructio aortæ reſerata M. S. tunc tranſitum indulgebat.

IV.

D. JOH. DANIEL GOHLII,

Poliatri Berolinenſis,

RELATIO

De POLYPO CORDIS, ex neglectis hæmorrhoidibus, ſub ſchemate Aſthmatis Convulſivi, cum PALPITATIONE CORDIS &c. in vernaculâ Berolini Ao. 1710. impreſſa.

HISTORIA MORBI.

VIr magni nominis, L Annorum, temperamenti cholerico-melancholici elatique pectoris, optimos juventutis annos in caſtris conſumſerat, inſimulque diætâ inordinatâ uſus erat: cum-

eumprimis autem ſub defatigationibus extraordinariis vehementes, cùm in totô corpore, tum in pectore & pedibus, refrigerationes perpeſſus & alioquin intempeſtivis V. S. in brachiis aſſuefactus. Is jam à multis annis, poſt exceſſus quosdam in potibus calidioribus commiſſos, hæmorrhoides cœcas dolentes eſt expertus, quæ tamen per ineptas operationes Chirurgicas & neſcio quas inunctiones repulſæ fuerunt; quemadmodum adhuc pronuper Chirurgus quidam Caſtrenſis exiſtimabat, quòd illæ ipſæ per uſum balſami vitæ, ad guttas aliquot præſcribendi, ita poſſint abigi, ne unquam rediturae ſint. Interim à tribus annis dictæ modò hæmorrhoides ter vel quater ſe truſerunt, ita ut ante annum adhuc, poſt uſum pilularum Dn. D. Vateri Wittenbergenſis, ſe aperuerint, & ante quadrantem anni ſub earundem pilularum uſu, poſt inſequentem teneſmum, tuberculum aliquod in perinæô, prope ani orificium, obortum fuerit, quod diu adhuc duravit, ſub diverſis tamen ægritudinibus per ſudores quodammodò ſubſedit. Quid quod haud ita pridem in præſenti morbo hæmorrhoidum fluxus rurſus obſervatus fuerit, idque poſt uſum potûs Thée ſpecifici, à Medico quodam Ordinario & familiari ordinati. Ante quinquennium comitando funus beatè defunctæ Reginæ, glorioſiſſimæ memoriæ, ut & menſe Januario anni nuperrimè elapſi, Dn. Patiens de novo frigus inſolitum in abdomine experiri coactus fuit, cujus incommoda nec tempore ſuccedente evitare potuit. Aliâs autem ſæpiſſimè quoque morbis acutis obnoxius fuit, quos inter notam merebatur is, qui ante quinquennium, ſtatim poſt frigus perpeſſum, ſentiebatur, utpote cui inſignis pectoris affectus, cum vehementi eâque ſiccâ tuſſi, vomitu & paroxyſmatim affligente præcordiorum anguſtiâ circa veſperam jungebatur, à quo tamen intra 3. ſeptimanas convaluit. Nihilo tamen minus morbus hic aliquid reliquiſſe videtur, dum æger noſter ab eo tempore (*) continuò de pectoris dolore conqueſtus fuit, maxime autem ſcribendo, aut corpus flectendo. Hæc pectoris compreſſio abhinc

annua.

(*) *Hic polypum primas radices egiſſe cenſeo, poſtea eundo creſcentem.*

annuatim incrementum cepit & à quadrante unius anni hactenus ægrum in tantum exercuit, ut ſcalas vix amplius adſcendere valuerit. Plurimæ excandeſcentiæ aliique affectus animi non tantum prodromi, ſed & comites & nutrices hujus mali fuerunt. Non potuit igitur non affectus hicce pectoralis ægrum ſucceſſivè magis atque magis difficultate reſpirandi (ſub qua exſpiratio inſpiratione longe fortior magnoque levamini ipſi erat, ſi aliquando ſuperſpirare (überhappen, ut vocabat) & pulmones aëre prorſus replere poterat) tuſſi ſicca & gravitate artuum affligere, ut tandem ante 8. circiter ſeptimanas aëri ſe ſubtrahere lectoque utplurimum mancipare coactus fuerit. Quemadmodum verò morbus hicce nunquam non paroxyſmatim rediit, ita tunc temporis Dn. Ægrum ſub acceſſione anheloſæ anxiæque reſpirationis (in qua paroxyſmus juxta cum palpitatione cordis phlogoſique conſiſtebat) vomitus enormis corripuit, quo durante os tanta pituitæ copia implebatur, ut ſe ſuffocatum iri vereretur. Sub illa commotione inſultum hemiplecticum ſimul experiebatur, quo latus dextrum quaſi ſtupore correptum erat osque prorſus incurvabatur, mox tamen deſinentem. Poſtea Dn. Æger ſponte ſua referebat, quod in cerebro quid ſenſerit, acſi ſtrophiolum humido-frigidum illi circumvolveretur, ſplendentibus mox ſcintillulis, fulgurantium adamantum inſtar, ob oculos verſantibus & continuè quaſi ludentibus, cum inſignibus, in latere dextro, capitis doloribus ſupra oculum & vehementibus capitis ſuſurris (däuſeln) quod cerebro quaſi privatum & excavatum illi videbatur. Durantes hæ & urgentes circumſtantiæ prodromi mali adhuc periculoſioris. ſiquidem ſub iisdem reſpirationis difficultas ſemper ingraveſcens ægrum vehementius exercuit, ut ſub anguſtiis præcordiorum immanibus (quarum intuitu nullibi permanere poterat) ſpiritum vix ducere potuerit. In ſtatu hoc miſerrimo, præter omnem conſuetudinem, impatiens admodum leviſſima de cauſa irritabatur, unde poſt alterationem & affectum animi vehementiorem tali in pectore dolore afficiebatur, acſi ferramento quodam illud

dilaceraretur, ſub qua ſenſatione reſpiratio illi major & uberior videbatur. Tandem impetu quodam Naturæ ſtatus hic ſe in vomitum vehementem & poſt vomitum in reſolutionem nervi optici dextri lateris reſolvebat, unde uſus dextri oculi prorſus peribat guttaque ſerena econtra ſe trudebat, ſicque cephalalgia, quæ hactenus urgebat; uno eoque ſubitaneo impetu profligata erat. Huc usque Dn. Æger conſueti ſui Medici Empyrici conſilio & auxilio uſus erat, qui eundem neque purgaverat, neque V. S, ſummè neceſſaria, muniverat, utpote qua inſultibus apoplecticis ad minimum prævenire eosque inhibere potuiſſet. Re igitur ad ſummum & ſtatum periculoſum, ſub quo ſubitaneus ille & extremus naturæ impetus jamdum acciderat, evecta, D.D. Rheinius Ruppinio, ego verò Berolino evocati fuimus. Dn. D. Rheinius, qui primus advolarat, ſub primo ſtatim acceſſu ægro V. S. in brachio ſuaſit indeque ſanguinem eduxit, qui aliquamdiu ſepoſitus ne minimum quidem ſeri continebat. Ipſe ægrum poſt V. S. quoad reſpirationem ſublevatum adoriebar, increſcente tamen ſiti & calore. Hæc Dn. Patientis mutatio nobis eo gratior & acceptior erat, quod potum jam majori, ac ſolebat antea, quantitate aſſumeret, utpote quem hactenus ferè averſatus erat. Interim hæc ſublevaminis apparentia ſucceſſu exoptato carebat, ſiquidem pulſus inæqualis & intermittens, reſpiratio autem anheloſa anxiaque permanebant: & quamvis æger interdum quieſcere videretur, ſpiritus tamen, quem ducere debebat, aliquando ferè prorſus emanere, mox tamen cum vehementi brevique, ſed anxia inſpiratione, redire ſolebat, juncta nunquam non palpitatione cordis continua. Sub tantis anguſtiis nullam planè quietem capere poterat, ſed hinc inde ſe jactabat, idque non tantum indies, ſed & in quasvis horas ita durabat, ut momentum remisſionis magnum, imo maximum, Ægro refrigerium & levamen adferre videretur. Mox poſt venæ ſectionem, nulla remisſione inſequente, ipſe æger uſum vomitorii urgebat, ſperans fore, ut ejus adminiculo bilis cor fortè infeſtans, eliminaretur, quum certus ſit malum hoc ex

ira

ira ſubnatum fuiſſe. Ambo Medici inſigne diſcrimen hujus remedii ægro ob oculos ponebamus, quo per vomitus violentos alterius oculi jacturam ferre poſſet: Aſt non obſtante contradictione reſolutioni ſuæ firmiter inhærebat, ab omni nos excuſatione liberans & abſolvens. Ipſemet igitur doſin ♀. ♁. non aurati & crudi, quod mecum apportaram, in juſculo avenæ dilutiori illi concedebam, quæ poſt moram aliqualem, cum inſigni totius Naturæ levamine, ἄνω ϗ κάτω effectum exoptatum haud difficulter exerebat. Abhinc nequicquam intermiſſum fuit, quod ad emovendam & indagandam materiam peccantem, in quantum aut pulmones, aut viſcera in hypochondriis obſidere poſſet, inſervirent, ſed absque omni levamine. Morbus antiquum obtinebat, paroxyſmis æque ac ſymptomatibus eodem ſemper modo recurrentibus viresque & quietem magis magisque proſternentibus. Accedebant ſubinde rheumata extus hinc indè vagantia, mox in pedibus, mox in coxendice, mox in ſcapulis. Alias autem affectus, in quantum obſervare valebam, ita ſemper comparatus fuit, ut à meridie circa veſperam paroxyſmus tuſſi ſicca, raucedine majori ſpiritusque interceptione, cum phlogoſibus exſurgentibus & palpitatione cordis ingrueret, quæ ſymptomata tempore antemeridiano ægro magis tolerabilia erant, absque raucedine tuſſique per ſcreatum faciliori. Pulſus interim extra æque ac intra paroxyſmum idem erat, quoad rythmum ſc. inæqualis & poſt 2. vel 3. ſubſultantes impulſus intermittens. Præ aliis autem æger continuo de corde querebatur, quod in pectore verſus dorſum ſemper tremat atque palpitet. Rebus ita ſe habentibus æger ſic ſatis ſe reſupinare poterat, niſi quod ſub anxietatibus ruentibus ſe erigere maluerit. Siniſtro etiam lateri diutius & melius incumbere poterat, quam dextro. Pro inſigni naturæ beneficio habebatur quod alvus per totum morbi decurſum aperta fuerit, utut eo non obſtante pro revulſione clyſteres reiterati fuerit. Appetitus utplurimum adhuc viguit, ultimis tamen temporibus ſatis ſuperque pro-

ſtratus fuit. Poſtquam ſic Dn. Ægrum per integrum octiduum ruri in ædibus ejus curaveram morasque trahens affectus varia remedia, extra civitates minus parabilia, expoſceret, hinc libero Dn. Patientis beneplacito, quo ſe in urbem deportari deſiderabat, obſtare nolui, ſed ut voti ſui compos redderetur, autor fui. Iter etiam felicius, quam quis putare potuiſſet, abſolvebatur curaque aliis ſimul Medicis conſultis hic continuabatur. Effluxo enim SS. Nativitatis Chriſti feſto venâ in pede ſectâ ſanguis ad ℥viij. emittebatur, nullo vel levamine, vel damno inſequente, omnia potius antiquum obtinebant, niſi quod paroxyſmus vomitu à meridie recurrente anticiparet, ſic indies rediret plurimisque diebus ſe prorſus inverteret. Adhæc mox in media nocte ſub reſupinato magis ſitu & refrigeratione pedum in ſomno (ſomnolentia potius dicendo) ſub interceptione ſpiritus inſultus quidam apoplecticus accedebat, à quo tamen per frictiones cum pannis calidis facilê liberabatur. Paulo poſt V.S. in pede reiterabatur & quidem ad ℥vj. ſed absque ullo emolumento. Eodem die paroxyſmus à meridie denuò ſolito citius recurrebat, cum repetitis vomitibus, quibus jamdum pituita coloris carnei è ventriculo ejiciebatur. Hactenus enim calor tantum vagus erat, absque genuino typo alicujus febris: nunc autem ingruente die 4. Jan. anni currentis vehementius urgebat, cum indiciis febris inflammatoriæ, ægro de punctionibus cordis & pectoris ſiniſtri magis conquerente & inquietiorem ſe gerente, ob paroxyſmos aſthmatis & palpitationis cordis brevioribus intervallis recurrentes. Cumprimis autem notam merebatur, quod muliercula, ægri curam habens, nocte feſtum circumciſionis præcedente in ægro obſervabat. Quum enim ſub paroxyſmo ſuffocationis manus pectori ejus admoveret, tanta in pectore cordis palpitatio ſe trudebat, quæ manum ejus à pectore repercuteret eaque de cauſa Muliercula, ob ultimum, quem putabat, cordis niſum, terreſactâ inſequenti die eryſipelate in pede correpta fuerit. Nihilo tamen minus æger viribus repetitis die ſubſequente priſtinis in terminis obſervabatur. Interim fortè

te ſentiens, quod ſub reſupinatione & decubitu reſpiratio continuo magis difficilis & anxia reddatur, lectum tempore nocturno abhorrebat, ſed per aliquot noctes in erecto ſitu permanebat, pedes extra lectum culcitris calidis involvendo, caput autem menſe vicinæ pronum imponendo: ita enim noctes ſe leviores tranſigere putabat, niſi quod pedes intumeſcere inciperent. Sub hac conditione morboque invariabili, non obſtante omnium, etiam pretioſisſimorum medicamentorum, hic convenientium, uſu, omnibus jam pharmacis dicam ſcribebat æger, utpote quæ inſufficientia videbantur ad ſitim, calorem & exæſtuationem cordis reſtinguenda, ſicque ſui ipſius Medicus noctes atque dies, absque ulla defatigatione, omnibus fere momentis, os aqua frigida eluere & refrigerare incipiebat, ſanctè conteſtando, quod omnia reſpueret. Quævis remonſtrationes de incommodis hujus proceſſus nequicquam valebant, adeo quidem, ut manus æquè ac faciem aquæ frigidæ immittere ſuſtineret. Haud exiguus quoque ſuſpicioni locus erat ægrum ſub prætextu collutionis oris multum aquæ frigidæ deglutire. Talis autem proceſſus ad ſeptimum usque Januarii durabat. Abhinc modum refrigerationis variando internamque pectoris inflammationem reſtinguendo cereviſiæ & aquarum deſtillatarum potum alternabat, quibus ab 8. ad 9. noctu quoque omni momento continuatis, reſpirationem, ut putabat, liberiorem vix diutius, quam potus frigidæ durabat, ſentiebat. Econtra inundatio hæc ſtomachi per varios potus tandem in ſpontaneum vomitum erumpebat, quo cum aquis & cereviſia, tanquam vehiculo eluente, materia nigricans & combuſta, ſanguini corrupto ſimilis, evomebatur. Accedebat ſimul diarrhœa, per quam ſimiliter materia aduſta, non ſine fœtore cadaveroſo, confertim ſecedebat. Hoc ſtatu non obſtante æger ne minimum ſibi temperare potuit, quo minus continuo potus frigidos ingurgitaret, inſequente ſingulto vehementi, qui præſentaneum mortis periculum minabatur. Interim circa XI. Jan. vomitus materiæ hu-

jus nigricantis nonnihil remittebat, diarrhœa autem per nigerrima excrementa continuabat. Huic ſe jungebat paſtæ cruentæ per leviorem tusſim rejectio: quo tempore Æger calorem hactenus tolerabilem, nunc verò ad ſummum redactum, per ignem infernalem exprimere incipiebat. Adhæc aliqua mentis alienatio in illo obſervabatur, quæ ex ſermonibus minus inter ſe cohærentibus poterat colligi: verecundia naturalis ceſſabat, ſumma verò inquietudo lectique mutatio eo majorem merebantur notam. Sub hoc à nimiis vigiliis & anguſtiis prorſus perturbato ſtatu æger nihil aliud, quam quod genio ſuo & ſenſibus videbatur, peragebat. Non ſatis illi erat, quod aquæ frigidæ internus uſus illi permitteretur, ſed & pectus denudatum, imo & univerſum ſtratum eò madefieri deſiderabat, idque ad exſtinctionem ignis infernalis in pectore accenſi. Quapropter & mulier, ejus curam agens, cogebatur dorſum ægri laciniis vino ebriis continuò refrigerare. Non potuit igitur non die 12. hujus ronchus (ein Röchelen,) in pectore & tandem ichoris rubicundi fluidique ejectio ſequi. Rebus ita ſe habentibus viribusque debilitatis, ut æger ſui amplius juris non fuerit, pulſus qnoque debilior reddebatur, adeo, ut tandem non aliter, ac per motum tremulum, cum fibrarum proximarum ſubſultu, obſervari potuerit. Facies quoque Hippocratica comparebat, ut adeoque dle 14. Jan. Anni 1710. manè hora 8. ronchos & ſtertores ducendo, mente tamen penitus ſibi conſtante, tandem animam, absque convulſionibus notabilibus, efflarit. Quamprimum ad inquiſitionem caſus hujus evocabar, & judicium meum de pulſu modo dicto deſiderabatur, celare non potui pulſum agoniſantium pulſui ſimilem adeſſe. Requiſitus, quid talis pulſus ſibi velit? Reſpondi: qualis reſpirasio, talis pulſus. Interim φαινόμενα in Ægro occurrentia curatius mecum perpendens, invenire non potui, qui à reſpiratione impedita, ſub aſthmate convulſivo, tam confuſus & interruptus pulſus oriretur, quin potius, de genuina cauſa miri hujus mali requiſitus, per internam convictionem di-

cere

cere cogebat, *Polypos* quoſdam adeſſe probabile videri, & licet ſub denominatione morbi, in principio à me facta, dubius adhuc hærerem, tandem tamen per uberiorem & diuturniorem ægri conſiderationem omnino certior ſum redditus, latentes procul dubio polypos genuinam rariſſimi hujus affectus cauſam eſſe. Conjux æque ac ipſe æger aliquam de ignota ipſis ægritudine informationem expoſcebant; hinc ne in ſuſpicionem inciderem, quod nomen affectui mihi ipſi ignoto pro lubitu imponerem, conſtantia, quam in ægro tam contra ipſum morbum, quam inſecuturam mortem obſervabam, metum ipſum morbum detegendi in me ſuperabat: eaque de cauſa ipſis cordis, ut & venæ cavæ venæque pulmonalis, tanquam vera & genuina polyporum probabiliter latentium latibula delineabam.

Ulteriores autem in ægro occurrentes meque hac in re confirmantes circumſtantiæ ſeqq. erant: (1.) Quod, licet morbus paroxyſmos exacerbationis ordinarios, aliorum Aſthmatum convulſivorum inſtar, haberet, attamen tempore intermiſſionis & liberationis à paroxyſmo pulſus à me examinatus æquè inæqualis & interruptus eſſet, ac in paroxyſmo, ipſaque cordis palpitatio pulſus confuſionem adamuſſim, imitaretur. (2.) Somnus ægri notam merebatur, quod ſc. ſpiritus per plura ſe inſequentia minuta minus ducebatur, idque abſque ullo reſpirationis indicio, tandem tamen pedetentim, & quidem in principio, breviſſimis & citiſſimis, ultimò verò fortioribus & vehementioribus, utut anxiis, ſuſpiriis revertebatur, ſub quibus tamen æger, ob anguſtias internas, per corporis jactationem ſummè inquietus erat. (3.) Quod neque V. S. neque medicamenta, ſive interna, ſive externa, vel minimum levamen ad reconvaleſcentiam attulerint.

Omnes hæ circumſtantiæ ut extraordinariæ & inſolitæ erant, ita, meo quidem judicio, cauſam quoque prorſus extraordinariam agnoſcere debebant, cui in determinatione cauſæ morbificæ firmiter inhærebam. Summo, ut decet, deſiderio flagrabant ægrum hunc, in cujus ſalute tam Reipublicæ, quam toti Il-

luſtri

luſtri Familiæ maximum momentum ſitum erat, adhibitis quibuscunque viribus conſervandi, quapropter in unius vel alterius Medici ſententia non acquieſcebant, ſed alii majori & experientiâ & ingenio Celeberrimi Viri judicium ſuum de intricatiſſimo hoc affectu communicare debebant. Quum vero in diverſas hic ſententias iretur, & mox hydrops cordis, mox hydrops pectoris, mox cordis accreſcentia, mox ulcus pulmonum adeſſe diceretur, Dn. Patientis Uxor, proprio motu, Reſponſum Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ Hallenſis requirebat, ut appareret, quodnam illa de morbo Judicium latura ſit? Quapropoter modo laudata Facultas Medica, adhuc ante Mariti obitum, ſuper inſequentes QQ. quæ juxta multiplicia judicia Dnn. Medicorum formari debebant, cum adjectione caſus ipſius, requirebatur, ſicque res ipſa die II. Jan. anni currentis transmittebatur.

QUÆSTIONES FACVLTATI MEDICÆ HALLENSI *transmiſſæ.*

I.

AN Morbus in principio rectè pro Aſthmate Convulſivo habitus & tractatus fuerit?

II. Annon potius Hydrops pectoris ſit dicendus?

III. Annon primus, isque ordinarius, Medicus Empiricus Ægrum ob intermiſſionem purgantis adæquati tempeſtivæque V. S. neglexerit?

IV. An, ſi cauſa Aſthmatis convulſivi polypi venæ cavæ & venæ pulmonalis, juxta præſentis Medici conjecturam, eſſent, curatio ſit poſſibilis?

V. An excretio materiæ nigricantis, aduſtæ, ἄνω καὶ κάτω facta, pro atra bile habenda & ſi pro hac ſumi nequeat, quæ & qualis illa ſit & unde communicatio loci excretionis petenda?

VI. An per ſuperiora tantum inſecuta excretio cruenta, poſt materiam nigricantem obſervata, parum aut nihil puris commix-

tum

tum habens, ſed utplurimum è grumis ſanguinis & maſſa viſcida cruenta conſtans, abſceſſum pulmonum indicet?

VII. Quale Dn. Ægro, rebus ſic ſtantibus, prognoſticon eventus denunciandum ſit?

Heic meritò

RESPONSVM
FACULTATIS MEDICÆ HALLENSIS

integrum recenſeri mereretur: aſt cùm ob fuſiorem deductionem nimium hic ſpatium occuparet, hinc brevibus Ejusdem Reſponſiones ad Quæſtiones propoſitas extrahemus.

Ad I. Quæſtionem reſpondebatur, morbum in principio curæ, certá ratione, meritò pro Aſthmate Convulſivo habitum fuiſſe; quòd verò ea, ut decebat, methodo tractatus fuerit, ex indicatis primi Medici Empirici omiſſionibus neutiqnam apparere, cùm utique ſanguinis eductio, in debita quantitate atque loco inſtituenda, illic maximè neceſſaria fuiſſet: ſiquidem in ſpecie adhuc notanter monetur, Aſthma convulſivum, in præſenti caſu, ſymptoma alterius morbi (ſc. viſcerum ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus alterationem) fuiſſe, ad quod tamen, proh dolor! raro vel nunquam in traditionibus pathologicis, hodiè receptis, attenditur.

II. Quæſtio omnino negatur. (1.) Quia Hydrops Pectoris caſus eſt rariſſimus. (2.) Quoniam absque effectibus parallelis in aliis corporis partibus tamdiu durare nequit. (3.) Quia nulla fluctuatio in pectore in caſu additur. 4. Quoniam tuſſis nunquam non ſicca fuit & è circumſtantiis repulſarum hæmorrhoidum eluceſcit eandem hypochondriacam magis, quàm pectoralem eſſe.

III. In reſp. ad quæſtionem tertiam ſupra memoratus Medicus Empiricus in ſpecie per communiter receptam praxin excuſatur, utpote qua nec genuina mali ſcaturigo (quæ in præſenti caſu in hæmorrhoidibus fundatur) nec V.S. neceſſitas & in qua parte corporis (pedibus, an brachiis) quave quantitate adhiberi debeat? attenditur.

I. Reſponſio ad quartum Aſthmati convulſivo, quod revera alicubi Polypos pro cauſa agnoſcit, ſalutem & curationis poſſibilitatem omninò denegat.

V. Ad quintam qu. reſponſi loco dicitur, quòd (1.) Atrabilis Veterum, in ſimplici & plano ſenſu vocis, ſit non ens & quòd prolivum nimis foret deducere, quid illud propriè ſit, quòd Antiqui ita vocarunt. (2.) Quod nigra hæc materia è ventriculo à collectione ſanguinis hæmorrhoidalis reſtagnatoria, terminata in vomitum cruentum, juxta indicia in caſu obvia, ortum duxerit. (3.) Quòd communio loci, in quantum caſus ſe habet, nullum dubium implicet, ſed non ſine errore credatur, materiam ἄνω ab ægro rejectam, è pulmonibus veniſſe, cùm inferius æquè ac ſuperius ex communi fiſtula excreta fuerit. Quamvis paulò poſt clarius ſe truſerit, quòd natura ultimò quoque exitum per pulmones quæſiverit & materiam, cum ſupra memorata nigricante, ſine dubio è ventriculo ejecta, nullam cognationem habentem expulerit.

Ad quæſt. VI. reſpondetur, ex allatis circumſtantiis certam e abſceſſu pulmonum ſententiam formari non poſſe, eoque minus, quòd talis ſuppuratio in pulmonibus ſine exquiſita peripneumonica formali ſenſatione lancinatoria nunquam in effectum deduci poſſit.

VII. Denunciatio eventus ad 7. Quæſtionem hæc eſt: Pro ratione circumſtantiarum, cumprimis debilitatis virium internarum, teſte inprimis pulſu tam debili, vix aliud prognoſticon, quàm impendentis vitæ periculi, formari poteſt, eoque magis, quòd ab aliquot jam ſeptimanis, ut & anteà, continuò febrilis calor, notabile incrementum capiens, adfuerit, adeò, ut æger eam ob cauſam variis actu refrigerantibus, tàm internis, quàm externis ſibi conſulere ſuſtinuerit. Receptiſſima autem & communiſſima prognoſis hic eſt, quòd corrupta & imprimis nigra, inter acutos febriles æſtus, ſemper ſummum periculum portendant.

Hucus-

Hucusq; FACULTAS MED. HALLENSIS.

Cæterùm cùm DN. Æger tertiô poſt transmiſſionem caſus die, qui Marti dicatus erat, manè exſpiraret, ex deſideriô relictæ Dnæ Viduæ aliorumque Conſanguineorum Nobiliſſimorum, eôdem adhuc die, per Chirurgum, Dn. Marggrafium, in præſentia IV. Medicorum, absque ullo fœtore cadaveroſo ſectioni Anatomicæ ſubjiciebatur & ſequentia obſervabantur.

RELATIO

Eorum, quæ ſub inſpectione & ſectione corporis beatè defuncti Dn. Ægri obſervata ſunt.

Sub cute, tam in pectore, quàm in abdomine, pinguedo ferè 2. digitos transverſos latitudine æquabat.

Sub apertione thoracis integrum & ſic dictum continuum pectus ſe trudebat, in quo omnes coſtæ ſuperiores ad V. cum ſternô unicum os conſtituebant.

Neque in cavitate pectoris, neque in pericardio aliquid ſeri extravaſati inveniebatur, præter id, quòd ordinario, attamen in paucâ quantitate, in pericardio conſpicitur.

Magnitudo cordis æquè ac auricularum cordis extraordinaria & inſolita erat.

Ventriculi cordis in omnibus cavernulis & rugis maxima ex parte intortô & hinc inde fibras & ſtamina cordis obvolvente polypo occupabantur. Sanguis coagulatus, in ventriculis cordis obvius, minimam partem conſtituebat.

Auriculæ cordis internè ſimiliter polypo (excepto pauco ſanguine congrumatô) penitus replebantur & ab eo extendebantur. Cumprimis autem illa polypi portio, quæ auriculam cordis dextram occupabat, ſimilitudinem aliquam cum dimidietate hepatis anſerini obtinebat.

Cum polypo è dextrâ auricula cordis prodeunte alius valdè

magnus & prolixus cohærebat, qui per aſcendentem venæ cavæ hujusque ramos in hepatis truncum viſcus penetrabat, circumcirca ſanguine coagulato obſitus, poſt cujus ablutionem obſervabatur, quod propria cuticula gauderet, ℥v. ʒjjjj. pendens.

Siniſtra cordis auricula à polypo quoque omnino extendebatur, cum quo pariter alius ſatis magnus & prolixus polypus, qui per venām arteriosſam, per totam ſubſtantiam, ad extremitates usque ſe procul dubio inflexit, connectebatur, ℥j. ʒß. ponderans.

Tota pulmonum ſubſtantia à ſanguine prorſus intumeſcebat. Antrorſum verſus inflammatio minor, extrorſum autem, verſus dorſum, eò major fuerat, cum maculis inſignibus nigricantibus, à ſtagnante & extravaſato ſanguine oriundus.

Lobos dextri pulmonis in ſpecie quod attinet, lobus ſuperior ſatis variegatus à nigricantibus maculis erat; medius ſimiliter, altera extremitas autem, verſus cor, maximâ & parte penitus nigra.

Quod autem lobos ſiniſtri pulmonis attinet, ſuperior ubique ſimul nigris maculis diſcernebatur, ubi autem inferiorem lobum tangebat, prorſus fuſcus erat. Inferior & ſecundus lobus verſus dorſum in medio ingentem maculam nigricantem oſtendebat, quæ circumcirca valdè inflammata erat.

Loca inflammata in ſubſtantia pulmonum hinc inde diſſecabantur, aſt nullibi vel minimum puris cocti, aut vomicæ reperiebatur. In locis autem nigerrimis ſanguis reſtagnans putridum odorem ſpirare incipiebat; unde ægrum in primo gangrænæ imminentis principio demortuum fuiſſe cenſeo.

Diaphragma ſalvum & incolume erat.

Sub apertione abdominis cochlearia quædam lymphæ extravaſatæ occurrebant, nullius tamen momenti, cùm tantum è viſceribus adhuc calidis exhalare poſſit, antequam corpus refrigeſcat.

Omentum ſitum naturalem non obtinebat, ſed inter inteſtina tenuia ſe recondens cum inteſtino recto concretum erat. Maxima ejus portio in ſiniſtro latere, ſub ventriculo, verſus renem ſiniſtrum latebat & ſimul circa vaſa brevia volvebatur, ita ut vix inve-

inveniri potuerit. Similiter duplicatura omenti ſibi planè non incumbebat.

Notandum: In cauſas antecedentes, quæ ſitum hunc p. n. cauſari potuiſſent, inquiſitum quidem fuit, ſed nihil explorari potuit; & quod maximam meretur admirationem, DN. Æger nunquam doloribus colicis laboravit, in quantum conſanguineis conſtabat.

Hepar colore naturali non gaudebat, ſed albicans & durum, aſt ſimul inſolitâ magnitudine gaudens.

Veſica fellis naturaliter, absque calculis, ſe habebat.

Ventriculus internè rubicundus & inflammatus in fundo ſub pituita aliquid ſanguinis nigricantis adhuc continens, de cætero autem à flatibus extenſus.

Pancreas inviolatum erat.

In inteſtino ileo, quod jam externè aliquid nigri continere videbatur, multum pituitæ viſcidæ & materiæ nigricantis continebatur.

Lien ſimiliter, ut hepar, compactum erat & à ſanguine coagulato ſatis nigricabat.

Vaſa brevia conſpiciebantur quidem, ſed mediocriter turgebant.

Glandulæ & venæ meſaraicæ omnes pinguedine obſitæ erant, ut vix agnoſci potuerint.

Renes ſani quidem, aſt copioſiſſima pinguedine obducti, qua & pelvis interior, in utroque latere, inveſtiebatur.

Veſica urinaria & ureteres benè ſe habebant.

Neque in vena portæ, neque in vena cava, ſub diaphragmate uberius quid de polypis occurrebat.

Vaſa hæmorrhoidalia interna valdè depleta erant.

Inteſtinum rectum, non ſecus ac ventriculus, internè inflammatum & eroſum erat,

(L.S.) *Johannes Daniel Gobl, M. D.*
(L.S.) *Otto Kirſtetter, D.*
(L.S.) *Gottofredus Meyer, D.*
(L.S.) *Daniel Hennig Bolten, D.*
(L.S.) *Otto Andreas Marggraf, Chirurgus.*

EXPLICATIO FIGURARUM.

Num. I.

Lit. A. Illud polypi fragmentum eſt, quod auriculæ cordis dextræ inhærebat, plurimis fibris circumdatum & dimidio hepati anſerino non abſimile.

B. Portio trunco venæ cavæ deſcendenti infixa.

C. Alia portio in linea recta extenſa & truncum venæ cavæ adſcendentem ejusque ramos a. a. a. occupans.

D. Hoc fruſtum diaphragma penetrabat & ramis ſuis b. b. b. in ſuperiorem partem convexam hepatis abibat.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Ex polypi ſunt partes, quæ dextrum cordis ventriculum obſidebant fibrisque hinc inde disjectis cingebantur.

Num. II.

A. A. A. Portiones ſiniſtræ cordis auriculæ impactas & incluſas notant.

B. B. B.


N° 1.
A
B
C
D
a
a
a
b
b
b
b
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
N° 2.
A
A
B
B
B
C
C
1
2
3
4
5

B. B. B. Extremitates integras è vena pulmonali ſub apertura ſiniſtræ cordis auriculæ extractas deſignant.

C. C. C. Fragmenta ſunt in ſiniſtro cordis ventriculo inventa, fibroſa admodum & denſa.

1. 2. 3. 4. 5. ſeparatæ ſunt polypi particulæ, è cavernulis & rugis ſiniſtri cordis ventriculi collectæ, quarum adhuc plures in utroque cordis ventriculo remanebant.

Nota.

Polypus dextræ cordis auriculæ venæque cavæ Num. I. longitudine duas ulnas cum dimidia: Alter autem è ſiniſtra cordis auricula & vena pulmonali extractus vix ultra dimidiam ulnam exæquabat. In 🜄. rectificatiſſimo, quo eosdem adhuc conſervo, corrugati longitudinem in adjecta TAB. IV. expreſſam obtinent.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. 🜄. roſar. ℥iij.
~⊖✳ ʒj.
ſacch. ſyrupiſ. ʒvj.
M. D. S. Träncklein oft ein Löffelvoll zunehmen.

* * *

℞. 🜄. roſ. ℥iij.
Matr. perl. præp. ʒj.
Margar. or. præp. ʒß.
Sacch. ſyrup. ℥ß.
M.

α. & ω.

℞. 🜄. meliſſ.
è Typh. Cervi ana ℥iß.
Cinam. cyd. ℥ß.
~. Ther. camph. ʒij
Eſſent. ambr. liq. ʒj.
Corall. rubr. præp. ℈ij.
Syrup. rub. id. ʒij.
M. F. Potio, cochleatim ſumenda.

℞. Con-

* * *

℞. Conſerv. roſ. rubr. ℥j.
corall. rubr. pp. ʒj.
Ambræ gryſ. ver. ℈ß.
ſacch. ſyr. F. Elect.
pro aliquot doſibus.

* * *

℞. ~. C. C.
⊖ ✶ aa ʒj.
Eſſ. enul. ʒß.
M. D. gutt. xxx. bis
de die.

* * *

℞. ~ ⊖ ✶ ʒij.
D. ad vitrum
S. daran zu richen.

* * *

℞. ▽. carbunc. ℥ij.
✠ roſac. ℥j.
S. zum anſtreichen.

* * *

℞. ~. roſ. ambrati vel
Elix. vitæ Regii Dn.
D. Fürſtii Vel &
Balſami vitæ Hoffmanni ʒij.
D. ad vitrum.
S. Ermundrendes Elixir
innerlich zu 9. Troffen
zu nehmen und äuſſerlich
ſich damit anzuſtreichen.

ELIXIR VITÆ REGIVM.
DD. FVRSTII.

℞. Flor. roſ. recent. ⊖.
condit. lib. j.
Tunic. ℥iv.
Benzoin.
Styrac. calamit. aa. ℥ij.
🜄. rectif. lib. iij. ad V.
Stent in dig. per ♂ & ♀ duas.
leni △. deſtill. ad mediet. abſque empyreumate in roſtro alembici ſuſpendendo.
Ambr. gryſ. ʒß. ad ʒj.
Moſchi Orient. ℈iv. ʒß.
In recipiente verò ponatur
Flaved. Cort. citri ℥iß.
aurant. ℥ j.
Ligni aloes ℥ß.
Dig. per 2. vel 3. ♂. & ♀.
deinde filtratis adde
℅. cinamom ʒ ß.
& pro grata dulcedine
add. Syr. cinam. ana citri
q. ſ.

CAP.

DE DELIRIO MELANCHOLICO.

MELANCHOLIA eſt delirium ſine febre & furore, á ∽uum anim. obtenebratione ortum.

- *PHÆNOMENA.* Adeſt mœror, triſtitia, ac ſine cauſa metus: hinc & taciturnitas, amor ſolitudinis, moroſitas: Ingenium perſpicax, ſed pertinax: Voracitas, cardialgia, pulſus rarus & tardus: Reſpiratio anheloſa: Somnus paucus, cum inſomniis terrificis; Fixa circa unum objectum cogitatio, de quo incondita loquuntur, bolo ſæpe ex inferioribus adſcendente & in gula ſuffocationem minitante.
- *SUBJECTUM*
  - *CAUSÆ & MORBI* ſunt Hypochondria plerumque, cum raro absque malo hypochondriaco occurrat.
  - *SYMPTOMATIS* ſunt ∽ animales, ſeu fluidum nervoſum.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt motus ∽ tardior, objecto quodam, aut per ſenſus externos, aut à cauſa interna ipſis impreſſo, ſpecificatus, quod continuo menti ſiſtunt.
    - *MATERIALIS* eſt acidum p.n. ſanguinem & ∽. figens.
  - *REMOTA*: Temperamentum melancholicum. Habitus gracilior, ætas & ſexus virilis. Aer frigidus, nebuloſus, craſſus. Alimenta auſtera, glutinoſa. Somnus nimius & vita ſedentaria. Terror & metus. Suppreſſio menſium, morbi lienis, cacochymia.
- *PROGNOSIS*
  - *MELANCHOLIA*
    - Hæreditaria raro vel nunquam,
    - Accidentalis à cauſa interna facilè / cauſa externa difficulter curatur.
- *CURA*
  - 1. Humores acido-acerbos incidit & attenuat ♂ & ſpecificis.
    - DOMEST.
      - Pulv. Martiali n. d., alcalin. invert., cinnabarino.
      - ▽. menth. ℞. ♂. ☉ri.
      - ∽ ⊖ ✱c. Eſſ. abſ. caſtorei &c.
    - OFFICINALIBUS
      - Pulv. cachectic. Quercetani.
      - ⊕. ♂. or. rubr. extr. ♂. c. ſucc. pomor. ſacch. ♄. ℈ß. c. arc. dupl. ℈j.
      - ▽. Anag. flor. Phœn. borr. bugl. ℞. hyper.
  - 2. Correctos educit
    - Vomit. in doſi majori exhibendis.
    - Diuret. ℞. ♀. ∽. ♀. ⊕. arcan. duplicat.
    - Purg. Melanag. Pil. d. ♓. Qu. Hell. nigri. Magn. al.
  - 3. ∽. animales volatiliſat
    - camphora: internè, à gr. ij. ad vi.; externè, gr. vj. c. ▽. ſambuci.
    - crocatis, ut Eſſ. croci.
    - ⊖. vol. ∽ ⊕ ✱c. ⊖. vol. CC. Spec. lætif. Galen.
    - ſtratagematibus & perſuaſionibus.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curandis Melancholicis V. S. aut planè vitetur, aut nonniſi cautè & tantum in plethoricis adminiſtretur, cum aut fruſtranea ſit, aut moroſitatem & ſtupiditatem inducat.

II. Cavendum quoque ne Opiata ſola adhibeantur, cum parum vel nihil operentur, aut delirium augeant, niſi præmiſſa ſint univerſalia & miſceantur ſpecifica.

OBSERVAT. & CONSILIA.

I.

Vir Juvenis ob amiſſam pecuniam cum alio in litis conteſtationem venit huicque rei nimium intentus in melancholiam & deſperationem incidit, adeo, ut ſeipſum aliquoties interficere vellet. Vocatus ad eum præſcribo hoc purgans: ℞. Decoct. ſenn. ℥iij. Conf. Hamech. ʒij. Syr. roſ. ſolut. ʒvj. ▽. Cinnam. ʒj. M. quo hauſto bene purgatus eſt. Sequenti die, cum eſſet autumnus & conqueretur de dolore punctorio ſiniſtri lateris, venam medianam in ſiniſtro brachio aperire juſſi & cum ſomnifera hiſce in affectibus quandoque proſint, præſcripſi Linimentum & Unguent. roſ. cum nucl. perſic. ol. anethin. & fl. Nymph. quibus ſomnum procuravi, ne cogitationibus nimium adhæreret. Melius inde quidem ſe habuit, ſed ab adſtantibus non bene cuſtoditus cultro ex improviſo apprehenſo guttur ſauciavit, & niſi alii interveniſſent, ſeipſum peremiſſet. Vulnere à Chirurgo curato, ad confortationem capitis ſeqq. tabulas ordinabam:

℞. Spec. lætif. Galeni ʒij. Pleresarch.
Diamarg. frig. ana ʒß.
c. ſacch. in ▽. bugl. ſolut. F. Tab.

Cor hoc linimento defendebam: ℞. Unguent. roſ. ℥ß. ☍. deſtill. citr. ℈j. Caryophyll. g. iiij. Cinam. g. viij. M. Vinum inſuper bibens bugloſſatum ſenſim reſtitutus eſt.

D. SCHEFERUS, *in Mſc.*

II.

NObiliſſimus, Ampliſſimus & Excellentiſſimus quidam Vir, annorum 65. temperamenti atrabilarii, judicii cæterum acerrimi, vitam amans ſolitariam, in conjugio tamen ſatis felici vivens, ante 20. annos & quod excedit, graviſſimo affectu melancholico, non ſine periculo maniæ, per totos 5. menſes impetitus & cruciatus, ſed per infinitam DEI gratiam emeticis ex infuſo radicis hellebori albi, per ſpiritum vini facto & frequentibus iisque largis venæſectionibus adhibitis ita reſtitutus eſt, ut officium, quo in Curia & per ditiones magni cujusdem Germaniæ Superioris Principis præclarè fungitur, eximium atque graviſſimum ab inde rurſus & hactenus optimè obierit: tentatus tamen interdum & per intervalla incerta, ac non rarò quidem, phlogoſibus hypochondriacis, vagisque artuum doloribus, quandoque rheumaticis, maculis item ſcorbuticis in manibus pedibusque. Pro præſervatione à melancholia hypochondriaca quotannis bis uſus, ex conſilio DNN. Medicorum, purgante ſatis forti, ex radice hellebori nigri, rhabarb. ſcammon. agarico & ſemine carthami, itemque venæſectionibus ſemeſtralibus, non neglectis præterea aliis quoque medicamentis, antiſcorbuticis, aperitivis, abſorbentibus, acidulis etiam, ſero lactis caprini, juſculis per vegetabilia antiſcorbutica alteratis, camphoratis, cinnabarinis, Martialibus, tinctura vitrioli ♂tis *Zwelferi* & ℞. ♂. helleborata *Wedelii*.

Cum nupero verno tempore anni decurrentis arthritis vaga Nobilisſimum hunc virum invaſiſſet & per duos menſes eum inſignes dolores in lecto tenuiſſent, ipſeque ope medica jam convaluiſſe videretur, hunc ipſum morbum ex improviſo & ſubito, contra omnium ſpem & expectationem, excipit denuò vetus iſte affectus melancholicus, ante decennium debellatus, nunc xi nuperi Julii reverſus, ſumma cum Dn. patientis triſtitia & metu, absque ulla tamen mania. Itaque de unanimi conſenſu ſine mora repetebatur prior cura & intendebatur per frequentiora emetica &

largiſſimas venæſectiones, utpote quod illic locorum apud ſimiles quoque ægrotos ſalutare & expertum erat.

Vomitiones, quæ Dn. ægroto decies ad minimum procurabantur, omnino violentæ fuerunt & rejecta eſt plurima bilis porracea & nigra, ſubſequente tamen ſummo languore & tanta corporis macie, ut Dnn. Medici vitæ ipſius valdè timerent. Tentabatur etiam vaſorum hæmorrhoidalium apertio per aloëtica, ſed fruſtra & in caſſum: non autem per ferrum & hirudines, quorum applicationem Dn. Æger non admiſit, unde fluxu hæmorrhoidum nunquam affectus eſt. Continuavit delirium melanchol. denuo per integros 5. menſes, conjunctum cum ſumma triſtitia, metu & vitæ tædio, ſine tamen mania, uti dictum ſupra.

Nunc per Gratiam DEI Omnipotentis Soſpitatoris, cui laus & ſempiternæ gratiæ! per 24. dies, ab initio Decembris præsentis, morbus hic graviſſimus ſenſim ſenſimque remittit, appetitus redit, priſtinæque vires, violentia dictæ curæ ſummè proſtratæ, indies magis recuperari augerique videntur. Sicca autem Scabies totum Dn. ægri corpus, capillatam inprimis partem capitis, inceſſit & occupavit: Nobiliſſimus Dn. Æger, morbi & mali melancholici non totus quidem expers, ſed præter ſuum genium valdè tamen meticuloſus adhuc, meliora ſperare & ſentire incipit & abjecta ſuſpicione, qua per morbum omnibus contraiverat, ſua jam ſponte dictis ſanioribus cedit. D. 16. Decemb. 1706.

Ex Communicatione Dn. ZELLERI, JCti.

CONSILIUM

DN. D. BRUNNERI.

AFfectus, de quo quæritur, ſponte ſua patet & incurrit in ſenſus, nec eſt, quod de ſpecie ejus multum laboremus, cum

delirium

delirium appareat, modo melancholicum cum triſtitia, modo cum furore conjunctum, utrumque ſine febre. Utinam cauſa ejus tam evidens eſſet cognituque tam facilis, quam ſpecies affectus, ita fortè indicationes curativas ſolidiores eliceremus atque mederemur rectius. Ut autem in hoc ſollicitè laboremus, conſtat, ſpiritus animales, motuum omniumque actionum animalium auctores, ſponte ſua non efferri, nec furere, nec tumultuari, ſi nempe juſtè ſint temperati & ad leges Naturæ, quæ pacem colit, ſint exacti; Cum autem ſint corpora, æque atque reliqua maſſam fluidam conſtituentia, quæ juxta nonnullos fluidum nervorum vocantur, nullum eſt dubium, quin craſi ſua atque temperie peccare queant, haut ſecus atque reliqua corporis fluida, hinc motus quoque ciere atque tumultus furibundos, pacem Naturæ atque tranquillitatem ejus turbantes; cumque ſpiritus animales ex maſſa ſanguineâ emergant & percolentur per glandulas ſubſtantiæ corticalis cerebri, non dubium eſt, quin ejus indolem atq; naturam referant & ipſi ſpiritus, eamque retineant pertinaciter; hinc ex temperato atque laudabili ſanguine emergentes, congruos quoque & œconomiæ animali convenientes motus edunt, animæque objecta, juxta Sapientiſſimi rerum Conditoris ordinationem, repræſentant aut talia, qualia ſunt, aut ſaltem conſervationi noſtræ convenientia. Contrarium autem accidit, ſi peregrina qualitate ſint imbuti ſpirirus: nec enim talia tunc, qualia exiſtunt, objecta animæ repræſentant, nec debitos & ordinatos cient motus in œconomia animali, ſed pro ſua intemperie perperam moventur atque tumultuariè, hinc deliria cient, atque motus anomalos, Naturæ legibus minimè convenientes, Illuſtriſſimi Dn. Comitis maſſam ſanguineam peculiari & melancholica tinctura aut qualitate eſſe imbutam, ſpiritusque animales inde genitos eandem ſervare, ex actionibus jam pridem apud Illuſtriſſimum obſervatis colligere licet; amaſſe enim dicitur ſolitudinem & hanc hominum conſortio, quo gaudent benè conſtituti, prætuliſſe ſine cauſa. Quod

autem in teneris jam gliſcebat malum, circa pubertatis annos magis magisque ſeſe manifeſtavit, tandemque prorupit in nervum. Etenim cum circa pubertatis annos majores humorum motus & quaſi fermentationes contingere ſoleant, non mirum evidentiores quoque ſuæ indolis effectus edidiſſe ſpiritus & innatam quaſi atque congenitam tincturam ſanguinis, unde illi ortum ſuum habent, melancholicam. In actum hæc deducit atque maturavit aër in Galliis, atque victus ratio calidior & ſi fortè aliæ inſuper fuerunt cauſæ moventes &c.

Quam difficilis curationis ſit affectus, in cujus cauſam hactenus inquiſivimus, facilè perſpexerit ille, qui conſideraverit tincturam hanc melancholicam ſanguini indeque emanantibus ſuccis, ceu jure hæreditario, à parentibus, uti dicitur, ingenitam fuiſſe.

Naturam expellas furca, tamen usque redibit.

Ut taceam deliria ejusmodi tum melancholica, tum inprimis maniaca cum furore, altius inprimere veſtigia cerebro, talesque excitare ideas, quarum occaſione ſpiritus conſimiles ineunt redintegrantque motus, quin iisque multiplicantur, cerebrumque tandem falſis implent, ut ſanæ rationi amplius vix ſit locus. Et quamvis ſpiritus hactenus circa morbi initia deſæviant nonnunquam atque furere ceſſent, ut rationis lumen affulgeat per intervalla, verendum tamen eſt, ne modo prædicto invaleſcat affectus indies, tandemque in continuum degeneret delirium melancholicum, aut maniacum, cujus utriusque ſigna apparent; nec niſi gradu nonnunquam differunt.

Indicationes igitur erunt, ut craſi ſanguinis atque tinctura ejus melancholica emendetur ſpiritusque ferocientes in ordinem redigantur teneanturque, quoad ejus fieri poteſt: ſperare enim enim licet emendata craſi ſanguinis, ſpiritus animales ex hac emanantes pacatos magisque compoſitos fore, œconomiam animalem in ordiuem, ipſumque Illuſtrisſimum Dominum ad mentem rediturum eſſe, id quod, divina adjuvante gratia, ſequenti methodo ſperare licet.

I. Quartò

I. Quarto quoque die ſumat Illuſtrisſimus Dominus Comes Panaceæ [quam transmitto] doſin ſequenti modo: primo manè horâ 7. bibat cyathum ſeri lactis calidè: quadrantem horæ abhinc ſumat panaceæ doſin, cum cochleari prædicti ſeri lactis & operationem ejus exſpectet in lecto.

II. Diebus intermediis ſumat manè hora 6. & veſperi hora 5. pilularum ſequent. No. X. ℞. Cinnab. ♂. Diaphoret. ♃. ſeu Antihect. Poter. an. ℨiß. Camph. ℈ij. Sacch. ♄. ℈j. M. & cum ſolutione Tragac. fiant pilul. ex ℨ. xxxx. deaur. cum ▽. borrag. ſumendæ. Horam à ſumtis pilulis bibat Acidularum Schwalbac. menſuram unam, ad duas in lecto, ita ut venter inde bis terve ſolvatur; quapropter in primo vitro acidularum inſtillet ℞. ♂tis, cum ſucco pomorum paratæ, gutt. Lx.

III. A paſtu ſumat ſpiritus ⊖✱c. urinoſi gutt. xv. cum cochleari i. ij. acidularum, quas bibat etiam pro potu ordinario: à vino autem abſtineat.

Veſcatur præcipuè Hordeatis, Avenaceis, Carne Vitulinâ & ſi furere videatur, parcè cibetur. Nocte ſub ingreſſum lecti bibat emulſionem, ℞. Sem. melon. cucurb. excort. ana ℨiij. ſem. papav. alb. ℨiß. ſem. cannab. ℨiij. ex contuſis F. emulſio cum ▽. borrag. Nymph. endiv. ana q. s. Colaturæ ℥vj. add. Margarit. præparat. corall. rub. præparat. ana ℈j. Tab. man. Chriſti ℨiij. ▽. Roſar. fragrant. q. pl. M. Cæterum in hominum conſortio degat, ſuis muneribus fungatur & nunquam otioſus omnia ea peragere curetur, quæ ſanus ſolebat, quoad nempe ejus fieri poteſt, ſicque ad uſum rationis ducatur prudenter. Quibus DEUS T. O. M. ſuam addat benedictionem!

Weinheimii,
die 14. Oct. 1698.

JOH. CONRAD. BRUNNER,
M. D. & Prof. Archiater Palatinus.

III.

III.

ALIUD

CONSILIUM

DN. D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,

P. P.

E Literis Tuis perſpexi Ægrum mihi commendatum in Delirium Melancholicum incidiſſe. Licet autem origo ejus à paſſionibus animi, per matrimonium infelicius perturbati, dependeat, attamen nullum eſt dubium, quod ob concentrationem ſpirituum maſſa ſanguinea ad acorem fixantem eo ipſo diſpoſita ſit, ſicque malum alat. Huic E. ut medeamur & ut ſpiritibus depreſſis & inordinatis ſubtilem ſuam & balſamicam naturam reſtituamus, ſequentia medicamenta ſuaderem:

I. Ad primas vias à ſaburrâ acido - bilioſa depurandas ſequens vomitorium, manè hora ſeptima, aſſumi poſſet:

℞. Conſerv. flor. anthos ℥ß.
♀. emet. gr. iij.
♃. nativ. gr. v.
ſacch. q. s. M. F. Bolus pro doſi.

Effluxa ſemihorula cerevifia calida butyrata deſuper aſſumi & inter operationem repeti poterit. Illo autem die nihil ulterius tentandum, excepto eo caſu, quo medicamentum hoc fortè plus ſolito ſtimulaverit, ubi ſeq. conveniret:

℞. Eſſent. Theriacal. ℈iß.
anodyn. ℈ß. M.

S. Stärckende Eſſentz, davon ſobald die Helfft, das übrige aber nach Befinden 1. oder 2. Stund hernach zu nehmen.

II. De Elixirio Cephalico hora 8. vel 7. matutina indies 30. guttæ ſumi poterunt, per aliquot horas abhinc jejunando, quod non minus à meridie hora 3. vel 4. in cereviſia, vel vino, repeti poterit:

℞. Eſ-

℞. Eſſent. anagallid. comp.
Elix. Cephal. Rolf. ana ʒiß.
∽⊖✱. ſaſſafr. ℈j.
M. D. S. Haupt-ſtärckendes Elixir.

III. Pulvis Cephalicus ſingulis diebus horâ 8. veſpertinâ ſumatur, in doſes hic diviſus:

℞. Specif. Cephal. D. Mich.
Spec. lætificant. Galeni ana ʒj.
cordial. temp.
Lap. lazul. præp. ana ʒß.
o%o. ſaſſafr. g. iij.
M. F. l. a. Pulv. Divid. in 8. p. æ. Sign. ut ſupra.

IV. Sæpe etiam ſeq. Potiuncula pro lubitu ſumi poterit:

℞. Rad. Pœon. ℥ß.
trifol. fibrin.
ſcorzon. ana ʒij.
Herb. anagallid. Mj.
lichen.
Flor. hyperic. ana Mß.
bugloſſ. & borrag. ana p. j.
pap. rhoead. p. ij.
Sandal. rubr.
Viſc. quern: ana ʒij.
Cubebar. ℈j.
Coq. in s. q. ▽. f. Col. ℞. lib. j.
Add. Syrup. corallior.
Pœon. ana ʒß.
M. D. in fictili, S. ut ſupra.

V. Durante horum uſu vena cephalica in pede ſiniſtro & poſt aliquot dies vena in fronte incidi poterit.

De cætero Tuo ſimul conſilio & ſolatio ægrum non deſeres &c.

FORMULÆ.

α. & α.

℞. Magneſ. albæ ℥iß.
Div. in viij. p. æ.
ſumatur indies doſis, cum ▽. ſaccharata, vel emulſione amygd. tenui.

℞. Pulv. ♂al. ʒij.
cinnab. ʒj.
cinnamom. acerr. ʒß.
M. D. S. Pulver alle Tag 3. Meſſerſpitz-voll zu nehmen.

℞. Min. ♂. ʒiß.
Cinnab. nat. præp. ʒß.
⊖. vol. CC. ℈j.
M. D. S. Eröffnendes Pulver, alle Morgen 3. Meſſpitz in Spaniſchem Wein zu nehmen.

* * *

℞. Tinct. ♂. ☉. ʒiß.
♀. ʒß.
M. S. Tinctur Nachmittag um 4. Uhr 30. Troffen im ordentlichen Getränck zu nehmen.

* * *

℞. Eſſent. abſinth.
caſtor. ana ʒiß.
Eſſentz Morgends und Nachmittag 40. Tropffen in Wein zu nehmen.

ω. & ω.

℞. Extr. helleb. nigr.
panchymag. aa. ℈ß.
☿. dulc. gr. xv.
ſcammon. ♎r. gr. vij.
c. s. q. ſyrup. d. Fum.
F. Pil. pro doſ.

℞. Arcan. dupl. Mynſ.
Terr. fol. ♀. ana ʒj.
M. S. Digeſtiv-Salz auf dreymahl zu nehmen.

℞. Pulv. Cach. Qu. ʒiß.
Cinnab. nat. præp. ʒß.
⊖. vol. ſucc. ℈ß.
M. D. S. Alle Morgen 3. Meſſerſpitzvoll in Spaniſchem Wein zu nehmen.

℞. Tinct. corall. ʒj.
⌒⊖✱. ʒß.
Eſſ. croci ℈j.
M. D. S. Alle Nachmittag 30. Tropffen im ordentl. Getränck zu nehmen.

℞. Specif. lætif. Galeni.
diambr.
diamoſch. dulc. ana ʒj.
C. s. q. ſacch. Syrupiſ. F. l. a. Rot.
D. S.
Stärckende Küchlein bey jeder Mahlzeit einige zu nehmen.

C. IX.

CAP. IX.
DE
MANIA ET RABIE.

MANIA eſt delirium ſine febre & cum furore à ſummo ∼uum animalium tumultu oriens.

- ***PHÆNOMENA*** — Ægri antea triſtes loquaces fiunt & pervicaces, cantant, ſaltant & tandem furiunt, ita ut intractabiles reddantur & torvum videant. Quidam ſe Reges, imò Deum eſſe credunt, in obvios ſine diſcrimine crudeles. Adſunt vigiliæ perpetuæ, fortitudo immanis, frigoris tolerantia, utut absque febri videantur. Adhæc geſtus brutorum æmulantur in RABIE, ſive caninâ, ſive felinâ, eum HYDROPHOBIA, &c.
- ***SUBJECTUM*** — ſunt ſpiritus animales.
- ***CAUSA***
  - ***PROXIMA***
    - FORMALIS eſt — turbatiſſimus & rapidiſſimus ∼ motus.
    - MATERIALIS ſunt
      - Particulæ ⦶tro-🜂reæ exaltatæ.
      - fermenta peregrina, communicata per morſus
        - felium
        - canum &
        - luporum
          - rabidorum
  - ***REMOTA***
    - Diſpoſitio hæreditaria.
    - Temperamentum biliosum & melancholicum.
    - Lolium temulentum, in cibo aut potu ſumptum.
    - Vigiliæ nimiæ.
    - Affectus animi vehementes
      - ira,
      - amor,
      - ſuperbia.
    - Philtra & Melancholia.
    - Venena, ut ſolanum furioſum.
    - Morſus brutorum, aut hominis rabidi.
- ***PROGNOSIS.***
  - Mania chronica, imprimis à cauſâ interna, difficulter curatur.
  - Facilior, quæ à cauſa externa, ut lolio temulento.
  - Rabies & hydrophobia in principio facile, in fine difficulter curantur.
- ***CURA***
  - 1. Cauſam materialem eliminat
    - Purgantibus & Vomitoriis draſticis
      - Helleborismis
      - ♀. emet. ☿. vitæ.
    - Diaphoreticis, ſi â veneno, aut philtrô. v. g. Rad. Moncus
    - V. S. largâ, aut cucurb. c. l. ſine ſcarif.
    - Trepanatione, aut caſtratione, project. in flumina.
  - 2. Spirituũ motum effrænem cohibet
    - DOMEST.
      - acidis: ⦶. depur. ∼. ⊖. aut ⦶.
      - opiatis, Extr. opii.
      - appropriat. ſang. aſin. ♋. fluv.
    - PHARMACEUTICIS
      - Lapid. Prunell. Sacch. ♄. ⦶. [illegible]ato
      - Cent. min.
      - Laud. op. Camphorâ.
      - ▽. anagall. flor. Phœnic.
      - Torna ſang. aſinini.
      - ♋. fluv. in Philtris, rabie.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In cura Maniacorum caveant ſibi Practici, ne ægros ſoli viſitent, aut ad eosdem propius accedant, cùm Medicis ſint infenſiſſimi, adeò, ut curati etiam hoſce odio proſequantur & ſi poſſint, malè habeant.

II.

Poſt morſum à Cane rabido inflictum, bezoardica & appropriata nunquam omittenda ſunt, licet etiam nulla inde ſymptomata obſerventur. Contagium enim malignum, per morſum communicatum, experientia teſte, per annos aliquot in circinnis fibrarum ſe abſcondere valet, antequam ſe extricet & M. S. inficiat.

OBSERVATIONES.

I.

Puella Ruſtica Diœceſeos Königsbergenſis, prope Giſſam, eo tempore, quo

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur,

menſe ſc. Auguſto anni M DC XCI. in vicino nobis monte Dyni (vulgò Dinsberg) baccas ſolani ſomniferi pro myrtillis legit & non obſtante Pharmacopœi monito pro veris vacciniis venum exponit & ut cautius mercetur, ſive dolo malo, ſive mera ſimplicitate aliis perſuadet, fructus illos hoc anni curſu pinguiores & ſucculentiores eſſe. Nec emptoribus deſtituitur, quibus in tanta fructuum horæorum infrequentia ſalivam movebant bellaria viſui non ingrata, quæ plus minus devorabant. Quid fieret? vix elapſa hora ſubitaneis phlogoſibus perfunduntur, cum ſomnolentia turbulenta, ex qua emergendo titubabant & ebriorum more fatiſcebant; vomunt nonnulli, inſaniunt, furiunt & in adſtantium crines

crines involant. Accedunt convulſiones epilepticæ, quibus infantes nonnulli ſuccumbebant. Patribus loci de ſalute Civium ſolliciis & in cauſam rei inſolitæ inquirentibus, iñoteſcit ægros baccas ſolani furioſi pro myrtillis comediſſe eaque de cauſa Medicos ordinant, qui miſeris illis ocyus ſuccurrant, quorum maxima pars, præmiſſis Vomitoriis, bezoardicis conſuetis in uſum vocatis evaſit, ſicut caſum hunc *Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec. II. A. X. Obſ. CXVIII.* pag. 213. prolixam verò ejus Reſolutionem *Noſocomio-Academico* Diſp. De Maniacis Giſſenſibus, inſerui.

II.

De Maniacis ex lolio temulento, in pultibus avenaceis aſſumto, vid. Miſcellan. Germ. Cur. Dec. 2. A. VIII. Obſ. 173. & Miſcellanea noſtra curioſa de Uſu Novellarum publicarum in Rebus Phyſico-Med. pag. 12. & ſeqq.

III.

Anno 1704. tempore æſtivo Faber Ferrarius Giſſenſis levi Mania corripitur, inter alios geſtus de pavimento in lectum ſubitaneo ſaltu ſubſiliens, dicendo: Nun bin ich davon. *Dn. D.Ruppius*, Practicus Giſſenſis, meus olim Diſcipulus, Vomitorium propinat, quo araneum rejecit æger, ſicque reſtitutus eſt. An, ut in Tarantiſmo, ſaltus ille à motu aranei in ventriculo, ſimilem motum in ♂bus cauſante? Notam ſanè ſingularem hoc meretur, vel ex eo, quod Sorores Dn. Lic. N.N. Profeſſ. N. à pluribus jam annis Maniaci, mihi retulerunt, eundem quoque araneum aliquando per vomitum rejeciſſe, quod philtro ipſi dato tribuebant. *Vid. Sect. II. de Vomitu.* Sic canes à ſcarabæis equinis (Roſs-Kæfer) vivis deglutitis furere & emori vulgus novit.

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Lapid. laz. præp. ℈j.
☿. emet. gr. iij.
M. D. pro doſi.

* * *

℞. ☉. depur. ʒiiß.
Extract. opii ℈ß.
M. F. Pulv. Div. in viij.
p. æ. D. S.
Pülverlein Morgends und Abends eines im ordentlichen Geträнck zu nehmen.

* * *

℞. Sanguinis Aſinini
in furno exſicc. & pſ. ℥j.
Div. in 8. p. æ.
D. S. ut ante.

* * *

℞. ♋. fluv. calcin. ℥iij.
myrrh. pulveriſ.
rad. Gentian. pſ. ana ʒj.
extr. opii gr. vi.
M. Div. in 8. p. æ. S.
ut ante. D. in rabie canina.

* * *

℞. Empl. Norimb. ℥j.
Pulv. ♋. comb. ʒiß.
c. s. q. ℴ℗. infus. lil. alb.
F. Empl.
Morſui can. rab. impon.

α. & ω.

℞. Vin. Helleb. alb. Lindenii
ʒj.
D. aliquoties manè.

* * *

℞. ☉. depur.
Sacch. ♄. ana ℈ß.
camphoræ gr. vj.
M. D. bis de die.

* * *

℞. Torn. Sang. Aſin.
manus lat. & longit.
infund. in ▽.
Anagall. fl. Phœn. ʒiij.
add. laud. op. gr. j.
M. D. indies bis,
continuando per 8. dies.

* * *

℞. Pulv. ♋. combuſt. ʒij.
rad. contrayerv. pſ.
vincetox. pſ. aa. ʒj.
Ther. cœl. ℈ß.
M. Div. in 6. p. æ.
D. S. Pülverlein, täglich
2. zu nehmen.

* * *

℞. ▽. anagall. fl. Phœn.
fl. hyperici ana ℥ij.
♃. bez. ʒiß.
ſacch. ſyr. parum.
D. S. Waſſer zum Pulver.

CAP.

DE PHRENITIDE

PHRENITIS eſt delirium cum febre ſummoque capitis dolore, ab inflammatione meningum oriens.

- **ΦAINO'MENA.**
  - IMMINENTE PHRENITIDE ægri, antea taciturni, fiunt garruli, cramben bis coctam adferentes, corpus hinc inde moventes & inverecundè detegentes: Oculis fulgidis, mobilibus & qſ. minacibus, præſentibus ſimul vigiliis nimiis. Sub ipſâ verò PHRENITIDE furiunt inſigniter, cum febri intenſiſſimâ tantaque cephalalgiâ, ut caput ſemper attrectent crinesque ſæpe evellant; Pulſant ad viſum arteriæ temporales: Reſpiratio eſt anxioſa & interrupta, urina flammea, aut alba.
- **SUBJECTUM** eſt
  - Cerebrum ejusque dura Meninx, in PHRENITIDE.
  - Diaphragmatis venæ, φρένες dictæ, in PARAPHRENITIDE.
- **CAUSA**
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt: inflammatio / ſphacelus — τȣ̃ ἐγκεφάλȣ.
    - *MATERIALIS* eſt: Sanguis in vaſis ſtagnans, unde calor, rubor, dolor, ut in reliq. inflammationibus.
  - *REMOTA*
    - Temperamentum bilioſum. Aer fervidus.
    - Potus nimis generoſus & volatilis.
    - Evacuationes ſolitæ ſuppreſſæ, ira.
    - Febres acutæ &c.
- **PROGNOSIS**
  - Phrenitis vera acutiſſimum & periculoſiſſimum malum eſt.
  - Paraphrenitis facilior curatu, cumprimis viribus conſtantibus.
  - Excrementis & urinâ albicantibus funeſta.
- **CURATIO**
  - 1. Orgaſm' ſanguinis febrilis ſiſtatur
    - V. S. largiore.
    - Clyſteribus refrigerantibus.
    - Præcipitantib' & Bezoard.
      - *DOMESTICIS*: Pulver. Bezoard. cinnab. alc. invert.
      - *OFFICINALIBUS*: Cinnab. ♉. Spec. ceph. / Pulv. bez. A. / Bez. ☽ri.
    - Acidis, ⊖. ∽. ⊖. ∽ ⦶ &c.
  - 2. Confuſus ∽uum motus compeſcatur
    - Internis
      - Emulſionibus papaverin. camphor.
      - Opiatis in incremento.
    - Externis
      - Animal, viva diſcerpta imponendo.
      - Epithem. ex: ſucco ♋. / camphor. / ✠. & opio.
      - Cataplaſmata: Capiti / Plantis / pedum — adhibendo.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Notetur hic Cautela, quam ex Bartholeto & Henrico ab Heer Practicis Novellis inculcat Ettmüllerus, ne Ebrios pro phreniticis habeant ſuamque illic turpitudinem & ignominiam curent.

II.

In Topicis externis vitentur nimium volatilia & odorata, ne motus ſpirituum augeatur.

RESOLUTIO

BINORUM THEMATUM INAUGURALIUM, ab Autore A. 1680. *in Examine Rigoroſo ventilata & hic in gratiam Candidatorum OBSERV. & CONSILIORUM loco poſita.*

P. P.

Quod Themata ab AMPLISSIMA FACULTATE MEDICA mihi injuncta concernit, eorum I. arduam de SOMNO materiam ſpectat: cujus naturam, ſubjectum & cauſas ut eo felicius proſequamur, conſiderandum primò, in quonam vigiliæ conſiſtant, quo cognitô nullum eſt dubium, quin contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant. Conſtat autem vigilias in libero ſenſus & motus exercitio potiſſimum radicari, quô ſufflaminato ſomnus nobis obrepere ſolet.

Somnus itaque nihil aliud eſt, quàm ceſſatio ſenſuum externorum, partim & ſenſus communis motûsque ſpontanei, à ſpirituum animalium torpore, vel laſſitudine oborta.

Subje-

Subjectum immediatum ſunt Spiritus animales, potiſſimum ii, qui organa ſenſuum externorum inhabitant.

Cauſa Proxima itidem ſunt ſpiritus animales, diverſo tamen reſpectu. Qua ratione autem tempore ſomni ſe habeant, difficile & à priori impoſſibile explicatu eſt. A poſteriori verò eosdem quodam̃odò figi & obnubilari ſicque ad quietem componi, omnia illa probant, quæ ſomnum producunt, qualia ſunt 1. Quæ illorum quantitatem imminuunt. 2. Objectorum externorum defectus. 3. Opiata & narcotica &c.

Jam à Somno ad Inſomnia. Quid enim Deliria aliud ſunt, quam vigilantium inſomnia? Inter varias autem Deliriorum ſpecies in præſens ipſa

PHRENITIS

conſideranda erit: Ubi quoad nomen monendum eſſe duco longè aliam affectionem intellexiſſe Veteres ſub eodem, aliam Modernos. Priores ſiquidem inflammationem Diaphragmatis Phrenitidem vocabant: Inflammatio autem cerebri ipſis Sphaceliſmus audiebat, vid. Aph. L. Hipp. Sect. 6. Interim cum omnes inflammationes in methodo medendi conveniant, retineamus, ſi placet, communem ejus acceptionem, juxta quam *Definitur*: quod ſit Delirium cum febre continuâ & intenſis vigilis, ab inordinatô & confuſô ~uum motu proveniens.

Subjectum immediatum Meninges: Mediatum cerebrum dicimus.

Cauſa proxima formalis eſt inordinatus & confuſus ~uum motus & hinc introducta mentis aberratio: quam ſanguis nimium ebulliens, ut cauſa proxima materialis cauſari ſolet, quatenus in Meningibus inflammatis interceptus viam erumpendi quærit. *Cauſæ Remotiores* cum iis conveniunt, quæ febb. acutas inferunt, aër æſtuans, vina generoſa, ſuppreſſiones menſium &c.

Gg *Signa*

Signa imminentis phrenitidis ſunt garrulitas, corporis denudatio, aſpectus ferox &c. Præſentis furor & dolor capitis acerbiſſ. & tantus, ut capillos evellere ſatagant &c.

In *Prognoſi* Phrenitis vera periculoſiſſima, utplurimùm 3. vel 4. die jugulans: Melior tamen tumultuoſa, quàm ſomnolenta & maligna.

In *Cura* partim ad febrem, partim ad furorem reſpiciendum. Illic ebullitio M.S. eſt compeſcenda, eandem evacuando & ejus ſtagnationem reſolvendo: Hic ~tuum motum figendo. Statim ergò V.S. larga adminiſtretur, ſi vires ferant, manum capiti imponendo, ut ex pulſu obſervetur, an eductio ſufficiens ſit, præmittendo, ſi opus, clyſterem. Abhinc eadem, quæ in febb. acutis dantur, conveniunt, bezoardica, 🜕alia, 🜍rea, acida: Succus ribium, gran. Serum lactis, ~ min. acidi, clyſſi, ⊖. 🜕atum, tamarindi. It. Camphorata; & hæc ratione prioris indicationis. Poſterioris intuitu Opiata, ſed circumſpectè, dentur. Præſtant Emulſiones papaverinæ. Tandem & externa negligenda non ſunt, cataplasmata & ſuppedanea ex herb. refrig. cum 🜊. & carne cucurbitæ, capiti applicata. Alii animalia viva, Columbas, Gallinas, Hirundines per medium diſſecta, capiti raſo applicant; quæ frigefacta ſtatim removenda.

Hæc erant, quæ circa textus à Magnif. & Ampliſſ. Fac. Medica propoſitos annotanda duxi. Cùm verò non dubitem, quin in plurimis circa deliriorum reſolutionem ipſe deliraverim & exorbitaverim; hinc omnia curæ & cenſuræ Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ ſubmitto, à cujus nutu, ut hactenus, ita & in præſens dependere amo.

FORMULÆ

α. & ω.

℞. Pulv. bezoard. ʒiß.
Cinnab. ʒß.
Extr. opii gr. iij.
M. D. bis l. ter de die aliquot cultri cuſpides in ▽. roſarum.

℞. ♁. diaphor.
CC. ſin. △. ana ʒj.
Cinnab. nat. præp. ℈j.
Extr. opii gr. iv.
M. F. Pulv.

℞. Tinct. bez. ʒiß.
⊖. dulc. ʒß.
M. S. 50. Tropffen in ein Nöſſel vom ordentlichen Getränck.

℞. Ferment. acerrim. Mj.
✠. roſ. ℥ß.
Flor. roſ. p. iij.
⊖. ʒj.
M. F. Cataplasma ad plantas pedum

℞. ▽. roſ. ℥vj.
Eſſ. opii ʒij.
Croci ℈ß.
M. F. Epithema fronti ſæpè admovendum.

α. & ω.

℞. Specif. Cephal. D. Mich. ℈ij.
Succin. præp. ℈j.
Sacch. ♄.
☾ præp. ana ℈ß.
camphor. gr. iv.
M. D. S. Stillendes und kühlendes Pulver, auf 3. mahl, im ordentlichen Getränck zu nehmen.

℞. ▽. Nymphææ.
anagallid. ana ℥iß.
cran. hum. præp.
Bezoard. ☽. ana ʒß.
Ther. cœl. gr. iij.
Syrup. pap. alb. ʒvj.
M. D. pro tribus doſibus.

℞. Sem. cucurb. excort. ʒij.
pap. alb. ʒj.
c. s. q. ▽. anagallid.
F. Emulſio.
adde
bezoard. min. ʒj.
edulc. c. ſacch. roſ. M.

℞. Succ. ♋. fluv. cum
▽. ſperm. ran. expr. ℥vj.
✠. lavendul. ℥ij.
Camphor. ℈ß.
Opii crud. gr. viij.
M. F. Epithem.

 CAP. XI.

CAP. XI. DE CONVULSIONE & CATALEPSI.

CONVULSIO eſt violenta fibrarum motricium contractio, ab illarum irritatione proveniens,

- *PHÆNOMENA*
  - IMMINENTIS ſunt ſplendores & irides ob oculos verſantes, inſomnia ignea, tremor & ſubſultus tendinum. PRÆSENTIS: violenta partium concuſſio, in toto quidem corpore, cum ſenſuum ablatione & ſpumâ circa os in EPILEPSIA: Salvis autem ſenſibus & capite verſus anteriora contractô in PROSTONO: verſus poſteriora in OPISTOTONO: Erecto, ſed omninò rigido & inflexili capite in TETANO. Quodſi autem æger in eodem, quô prehendebatur, ſitu maneat, CATALEPSIS: Sin unum vel alterum tantùm membrum tendatur, SPASMUS, hicque in ore CYNICUS dicitur.
- *SUBJECTUM*
  - MORBI eſt
    - cerebrum,
    - ſyſtema nervoſum
    - fibræ & muſculi
    - in
      - Epilepſia & Convulſ. univerſalib⁹, clonicis.
      - Convulſ. particularibus & tonicis.
  - CAUSÆ
    - Cerebrum in Epilepſiâ eſſentiali.
    - Hypochondria, ventriculus & uterus in conſenſuali.
- *CAUSA PROXIMA*
  - FORMALIS eſt inflatio aut irritatio cerebri, aut muſculorum indeq; ſublatum æquilibrium inter utrumque muſculum antagoniſtâ.
  - MATERIALIS ſunt particulæ acres, acidæ, vermes, flatus.
- *CAUSÆ REMOTÆ* ſunt
  - Tenerior textura nervorum & diſpoſitio hæreditaria. Aer inclementior, frigidus. Cibus & potus acidi. Animi pathemata vehementiora. Dentitio difficilis, variolæ, paſſio hyſterica, calculus. Læſiones nervorum & violentæ capitis contuſiones.
- *PROGNOSIS*
  - Convulſiones epilepticæ univerſales & hæreditariæ, ut & habituales, rarò vel nunquam curantur. Faciliores ſunt convulſ. accidentales, cumprimis ante pubertatem, niſi poſt eandem durent. Facilimæ curatu ſunt Epilepſiæ per conſenſum, ut & convulſiones tonicæ, cumprimis recentes.
- *CURA*
  - In PAROXYSMO æger excitandus, ut in Syncope.
  - EXTRA PAROXYSMUM cauſa irritans
    - 1. Evacuanda per
      - Vomitoria, etiam repetita & laxantia.
      - Cucurbit. & Caut.
        - actualia in bregmate
        - potentialia & veſicat.
    - 2. Specificis alteranda, ſive
      - *DOMESTICIS*
        - Pulv. cinnab. epil. in accidental.
        - Viſc. quercin. in habitual.
        - Eſſ. caſtor. & ſuccin. in conſenſ.
        - ∼. CC. ubique
      - *OFFICINALIBUS*
        - in Epilepſ. Habituali
          - Rad. & Sem Poeon.
          - ∇. epilept. Langii.
          - Epil. *Conerd.*
          - Pulv. Marchion.
          - viſc. coryl. quercin.
          - Syr. d. ſterc. Pavon.
        - in accid.
          - Unicorn. foſſil.
          - Spec. ceph. *D. Mich.*
          - 🜍. ☉. ☿. cinnab. ☿.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In excitandis aut curandis Epilepticis ſternutatoria cautè adhibeantur, ne malum augeant, quod in puero Nobili vidi, qui ob inſufflatum à Matre ſternutatorium convulſus obiit.

II.

Non minus in opiatis exhibendis cautione opus eſt, quæ nec intempeſtivè, nec exceſſivè exhibenda, cùm fatuitatem, aut ad minimum ſtupiditatem cauſari valeant.

III.

Si cranium humanum præſcribendum, caveatur ab eo, quod Aromatarii doloſè è cœmeteriis petunt, quod nihil valet. Ab homine violentâ morte interemto petendum eſt, ſi quid efficere velis. *Vid. Muſeum Muſeorum, Tit. de Mum. human.*

OBSERVATIONES.

I.

Affectum convulſivum rariſſimum Anno 1705. tempore æſtivô obſervavi in Conjuge DN. Langii, Præfecti Elect. Palatini Türckheimenſis. Corripiebatur eô tempore graviditatis, ita ut in lectô jaceret absque ulla ſenſibilitate, ob linguam quaſi fræno conſtrictam loqui non valens, doloribus artuum & lancinationibus aliâs obnoxia; & quamvis linteis calidis perfricta facilè ad ſe rediret, paroxyſmus tamen ſæpe recidivabat. Conſultus transmiſi Pil. aloëticas, Pulv. cinnabarinum & Aſtrum CC. (quod ∼. CC. ſummè volatiliſatus eſt) quô aliquoties ad gutt. vij. cum ſudore ſumtô convaluit.

II.

Empiricus quidam Giſſenſis Epilepſias habituales & contumaciſſimas aliquoties curavit vomitoriis draſticis, ex flor. ♁. & pulvere quodam, è viſco querno conſtante.

III.

CONSULTATIO
DESUPER EPILEPSIA VIRGINIS PRINCIPALIS.

Illuſtriſſima quædam Principiſſa Virgo, annorum XVI. crine rubra, bilioſa, lienis hepatisque obſtructionibus ab ineunte primâ ætate hæreditario vitio obnoxia, cibis lautis, vino & cereviſia enutrita, animi non adeò pacati, ſed ad iram plus æquo facilis, evſarca & boni coloris, in Reginæ Daniæ Gynæceum delata ante biennium benè ſe habuit. Ante 2. verò menſes, præter omnem ſpem cauſamque manifeſtam, DEO ſic volente, patitur convulſiones epilepticas, in ipſo novilunio atrociſſimas, circa inſtans menſium tempus, ſuccedente primô ſtatim die vago delirio, cum riſu, inordinatis geſtibus, crebris alvi dejectionibus, laſſitudine, virium lapſu & prolixis crebrisque lipothymiis, menſibus intereà alterô die copioſe fluentibus. Altero die malum ex parte remiſit. Tertio verò die & ſeqq. iteratis vicibus adeò deſæviit, ut adſtantes & Regius Medicus præſens de reconvaleſcentia deſperaverint. Haud ita pridem malum ita remiſit, ut Epilepſia quidem manifeſta amplius non appareret, nec deliria, convulſiones autem non penitus ceſſarent. Medicus Regius convulſionem uterinam dicit (verùm potius ab obſtructione viſcerum oritur) & ſelectiſſima quæque huc usque adhibuit & oppoſuit. Interim propter inſtantes filiæ dilectiſſimæ preces Parentes in animo habent eandem rheda in Patriam reducere, ſi conſultum putent Clariſſimi Viri. Unde quærunt:

1. An ſuadendum iter?
2. Quo tempore & quamprimùm inſtituendum?
3. An potius Medicus ex his oris illuc mittendus?

Dab. 12. *Sept.* 1650.

JOH. DADIEL HORSTIUS.

RESPON-

RESPONSUM

D. GUILIELMI ERNESTI SCHEFFERI,

Phyſ. Francof.

Ad (1.) Reſpondeo, morbus hic cùm oriatur ex intemperie viſcerum, ac obſtructione venarum meſaraicarum, eundem nonniſi obſtructionibus ſublatis, & acrimonia humorum temperata tolli poſſe, quod præter interna fiet balneo ex capitibus & inteſtinis vervecis, vituli, aut ovium; & cùm ad naturam illius morbi accedat, quem Heidelbergenſes olim die Griebel-Kranckheit, ſingulari etiam tractatu editô, vocarunt: propterea ob inæquale autumnale tempus & magnam locorum diſtantiam iter ſuaderi nondum poterit, niſi morbus inducias det viresque conſtent. Quamvis regreſſus ad priorem & conſuetum aërem diætamque optimè conveniret.

Ad (2.) Symptomatibus remittentibus viribusque redeuntibus, ob deſiderium Parentum, in rhedâ probè obturatâ, mutationem aëris & diætæ quamprimum ante brumam inſtituat.

Ad (3.) Medicus ſive ex his, ſive ex aliis oris, ſed expertus jungatur &c.

IV.

Affectus Catalepticus Comitiſſæ ab Eck,

à DN. D. HEUGELIO

Ratisbonæ tractatus & deſcriptus, quo de & DN. D. GMELINUS conſulebatur.

Die vigeſimo Februarii hujus anni, quæ erat Dominica Septuageſima, Illuſtriſſima Domina Comes ab Eck, cùm ſacris matuti-

tutinis] interfuiſſet, valetudine ſatis integra, vix finitâ concione, genis ſubito rubore turgeſcentibus, mox anguſtias perſentiſcere cœpit & paulò poſt animo linqui, ore nonnihil contorto, ex quo ſaliva, uti lachryma ex oculis, ubertim profluebat. Sed cùm vicinarum adminiculo fulciretur, ne planè procideret, effectum eſt. Inde roborantibus aliquantum refecta medicamentis, paulatim ad ſe rediit, ita, ut corpus, licet ægrè, ſuſtineret, ſubjectisque opitulantium brachiis tandem templo exiret, domumque reveheretur. Reverſa domum & in lectum delata ſupina jacuit, diuque fomentis, rebusque ſpirituoſis perfricta incaleſcere non potuit. Præterquam enim quod ſpiritus morbus reddidiſſet attonitos, frigusque ejus diei inſolitum cœli ſerenitas exacueret, languebant non ſolùm omnia membra, ſed totum corpus, ſiqua erigebatur, labeſcebat. Ab initio verba quædam adhuc ediderat, mox & ſermo interceptus eſt; palpebræ etiam claudi, & oculi ſurſum revulſi tenebris involvi cœperant: ſucceſſit efflando ebrios imitata reſpiratio. Poſt aliquot horas, ubi aſſiduus excitantium remediorum uſus vim morbi fregerat, poſitis veſtimentis in alium perducta lectum, non ita multò poſt ipſa conſurrexit, per cubiculum ambulavit, ſed mente penitus alienatâ. Mox recto recubantem ſtertor iterum invaſit: Ejus tamen diei veſperâ, cùm clyſter ex herbis cephalicis & calefacientibus injectus eſſet, non ſolùm confeſtim verba aliquot iterum connectere & proloqui potuit, ſed etiam ſtertor rareſcere deprehenſus eſt. Et hac ratione per conſecutam noctem mediam, modò morbus, modò vires, permutatis vicibus, invaluerunt. Pulſus interea erat obſcurus, languidus & vix repens, facies collapſa, naſus ſolito acutior. Ubi poſt vigiliam ſecundam clyſter denuò eſt injectus, multas fæces eduxit, ægramque inſigniter levavit. Ab eo enim tempore ſenſuum & loquelæ uſum recepit. Altero verò die de ingente capitis dolore conqueſta eſt; qui non ſolùm ſequentibus diebus ingraveſcebat, ſed ad diem viceſimum nonum perſeverabat. Quarto die acceſſit acutiſſimus dolor in regione oſſis ſacri, qui interdum

ad

ad crura, ſuras & tibias extendebatur, comite moleſtisſimo teneſmo: neque minus erat pertinax iſte dolor, cum non niſi viceſimo primo die intervalla pateretur & hoc demum elapſo, modo mitior, modo aſperior rediret, teneſmus vero, cum die decimo ſeptimo hæmorrhoides cœcæ prorupiſſent, quas dudum ardor circa os coccygis præſignificarat, admotis hirudinibus, brevi poſt ſolutus eſt. Alvus interea erat ſegnior, ut balneis & clyſteribus ſemper debuerit ſollicitari, pulſus varius, modo paulatim inſurgebat, modo iterum deprlmebatur. Die quinto febris putridæ, non omni malignitate immunis, acceſſum notavimus, eaque propter horrores in cute, quoties aëri exponebatur pars aliqua corporis, ad eryſipelatoſum ſtatum accedere videbantur. Malignitatem putredo & fœtor urinarum, virium proſtratio, pulſuum debilitas, nigredo linguæ die vigeſimo ſexto ſuperveniens, ut & vaga paraphrenitis, ſatis arguebant. Poſt diem triceſimum nigredo linguæ paulatim diſparere cœpit. Cum à die quarto ad diem decimum octavum noctes, paucis exceptis, fere inſomnes transegiſſet, ob vehementiam doloris, hortatu Illuſtrisſimi Domini Mariti, pilulam unam Wildeganſianam deglutiit, eaque nocte horas duas conſopita jacuit. Quin & noctem alteram videbatur placidius exactura, cum repente erecta in latus ſiniſtrum incubuit, omnibus orbata ſenſibus & toto corpore, non aliter, ac ſi vicina fato ſuo eſſet, perfrigeſcens: Excitata tamen remediis fortioribus, & propinato quodam pulvere fixo, ex auro & Mercurio, ſenſim calorem ſenſusque reviviſcere vidimus, non ſine lætitia & ſpe futuræ ſalutis; quanquam apertis & fixis oculis, quos antea clauſerat, diu cataleptica extiterit, extenſo indice digito manus dextræ, tanquam aliquid demonſtratura. Sed cum paucis horis inrerjectis ſudor affatim prorupiſſet, quem ipſa videbatur hactenus ſtudioſè declinaſſe, omnia in meliora converſa ſunt. Omnium enim ſenſuum officiis iterum fungi poterat viresque ſenſim reſtaurabantur. Igitur ut abhinc ſæpius ſudaret, vel leni ſaltem rore quaſi madeſceret, curavimus, ita dolores

omnes imminuti, ſomnum naturalem ſuccedere, viresque de die in diem hunc triceſimum tertium revigeſcere deprehendimus.

Dabam Ratisbonæ, die 14. Oct. 1698.

AMBROSIUS HEUGEL, D.

CONSILIUM MEDICUM
DN. D. GMELINI.

FUit aliquid in Illuſtriſſima Patiente, Domina ab Eck, prout ex Hiſtoria morbi, tam doctè & exquiſitè à Celeberrimo Dn. D. Heugelio deſcripta, patet, quod inſtar miaſmatis maxime maligni & præcipuè ſpiritibus animalibus cum ſuis organis, ſingulari, non tam figendi & congelandi, quam turbandi atque irritandi, hinc & ſanguinem aliosve ſuccos & humores iisdem variisve aliis modis afficiendi facultate infeſti, in ſubjecto forſitan jamdum, ob effluviorum, tempeſtate hac ſiniſtra, cohibitionem, neglectamque tranſpirationem debitam, colluvie hinc humorum viſcoſiorum, variisque contrariis particulis imprægnata ſcatente, tot intulit pericula, ſingula, tamque dira, evincunt id ſymptomata. Non aliter ac ſæpius talia in febribus, maximè malignis, quæ ſpiritus primario & cerebrum, cum genere nervoſo, ſatis truculenter, reliquos vero humores non niſi occulta quaſi nocendi vi, ſine notabili efferveſcentia, aut fermentatione, affligere interdum ſolent, à Medicis quandoque obſervantur. Nec obſtat diuturnitas hujus morbi, cum non raro febres hujusmodi malignas, maximè cerebro & ſpiritibus tantoperè funeſtas, in 40. usque dies dirisſimis, præcipuè capitis ſymptomatis, protractas viderim,

viderim, cumprimis, ſi ſudationis ab initio, vel primis diebus morbi fuerint neglectæ, ita ut Anno 1676. cum in Ducatu Würtenbergico Marpaci ejusmodi febres tumultuarentur, plures ægros quarta, quinta, imo ſexta ab invaſione morbi ſeptimana, aliquot à lethargo, alios convulſionibus univerſalibus, multos apoplexia periiſſe demum, ipſe ego, Phyſicus ejus tum temporis loci, expertus fuerim. Et hoc quidem maximè in iis, in quibus perfectioris criſeos ſigna emanſerunt. Eventum hic cum Deo ſalutarem ſpero, ob apparentia criſeos, præcipue, quæ ultimo per largiores ſudationes optima cum euphoria facta, perfectioris indicia, adhuc dum continuantia. Imo cum ex Hiſtoria morbi, poſt tautos circa os ſacrum dolores, hæmorrhoides, quanquam ſaltem cœcas, prorupiſſe, ex hirudinum applicatione tamen ſolutas, perciperem, ſpes exinde major affulgebat, quamvis prioris & univerſaliori evacuationi criticæ magis fidendum. Modo ergo omnibus annitendum viribus, ut diaphoreſis blandior conſervetur, ſpiritus ſerenentur, placentur, corrigantur, roborentur &c. humores temperentur, à recrementis ſeroſis, aliisve, blandiſſima tamen, ſi Natura non ſufficeret, tractatione, liberentur, emendentur, coagulationes & ſtagnationes præcaveantur, dolores mitigentur, tenſiones ac ſtricturæ fibrarum, aliæve qualescunque ſpaſmodicæ afflictiones relaxentur, totique iterum Naturæ ſuccurratur.

Quamdiu has noſtras indicationes temperatiſſimis recuperare poſſumus medicamentis, atque conveniente ejusmodi diæta, omnia, quæ paulo fortius agunt, relegamus.

Hinc ex medicamentis Bezoardica mitiſſima, ex Lapide Bezoar Occidentali, Unic. foſſili, Cornu Cervi Philoſ. præparat. ſpecifico Antih. Poterii & ſimilibus jungerem cephalicis, præcipuè cinnabarinis, dando Pulverem Marchionis, antipilepticum mirabilem

Mynſichti &c. cum modico caſtorei, ſi ferre poſſet Illuſtriſſima Patiens. Si à veſicatoriis abhorret, fonticulum alteri brachio applicari curarem, qui metum apoplexiæ aliorumque capitis ſymptomatum præcavere poſſet. Opiata parciſſimè atque rariſſimè ordinanda puto, ob non tam ſpirituum, quam ſanguinis factam ex tanto morbo penuriam, facillimamque ad fixationem & ſtagnationem, ejusmodi in morbis pluries obſervatam, inclinationem & exindè conſequentes crebriores recidivas. Nec approbare poſſum diuturniorem atque crebriorem medicamentorum uſum, præcipuè ſi ſponte ſua Natura ſuas blande foveret diaphoreſes, quin imo ex diæta, ſi noſtras ſimul adimplere poſſemus indicationes, e. g. ſi gelatinoſa ex ſucculentis oſſibus, utpote reſtaurantia, optimaque Bezoardica atque Cephalica, ex amicabilioribus earundem virium herbis quandoque, vel viſco querno, radice pœoniæ &c. parata, ſimulque diluentia actu calida, appropriatis mixta; e. g. Infuſum Betonicæ, non neglecto reliquo, qui ex culinis afferri poſſet, benigniore atque temperatiore apparatu, parciuſculè pro una vice, crebrioribus econtra vicibus, ſibi applicito, ſeligerentur, atque loco vini aliorumque ſpirituoſorum, vel etiam nimis frigidorum, ſaccharatorum, nimis acidiuſculorum, cereviſia tenuis probeque defæcatæ, non poſthabitis inſimul reliquis ad ſex res non naturales appertinentibus, biberetur, ita firmior ſæpius conſequitur virium redintegratio. Potum, ſi ferre poſſet, ordinarium ex radice Chinæ & viſco querno, cereviſiæ, quanquam optimæ viſæ, quia, tam facilè in ſtomacho noſtro aceſcit, anteponerem. Quid ratione Acidularum vel Thermarum, cùm fructu forſitan futura æſtate uſurpandarum, ſentiendum ſit, Domini præſentes Medici pro ratione circumſtantiarum atque ſymptomatum judicabunt. Quibus meum, ſi ulterius poſtularetur, conſilium, rerum geſtarum porro magis peritus, lubentiſſimè addam. Cæterum munus emunctorium & ſecretorium debi-

tum,

tum, quantum poſſibile conſervetur, ſi non ſponte aperiantur, arte atque hirudinibus, quotiescunque ab ipſa Natura quaſi poſtulatur, ad fluxum proritandæ ſunt.

Dresdæ,
Die 15. April. 1698.

D. J. G. GMELIN.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Pulv. cinnabarini Epil. ʒiß.
⊖. vol. CC. ℈j.
Extr. opii gr. v.
M. F. Pulv. pro v. doſibus.

α. & ω.

℞. Viſci querni leg. coll. ʒij.
Carbon. Tiliæ.
cran. hum. præp. ana ʒj.
cinnab. nat. ſel. ʒß.
extr. opii ℈ß.
M. F. Pulv.
D. à ℈ß. ad ℈ij. bis de die.

* * *

℞. Eſſent. caſtor.
∼. CC. ana ʒj.
M. D. g. xx. bis de die.

* * *

℞. ▽. flor. Tiliæ ℥iij.
∼. ⊕. antepil. Vel
℞. ♀. antepilept. Helv. ʒj.
ſyrup. de Pœon. ℥j.
M. S. Waſſer zum Pulver.

* * *

℞. ▽. menth.
veron. c. vin. ana ℥iß.
∽⊖✱. ʒiß.
℞. opii. ℈j.
ſacch. ſyr. q. ſ. pro edulc.
M. D. cochleatim.

* * *

℞. Unguent. cathol. virid.
nervin. ana ℥ß.
☍. expr. Nuciſt. ʒj.
M. F. Linin. contra ſpaſmum.

* * *

℞. Eſſent. ſuccini ʒiij.
∽⊕✱. ʒj.
M. D. S. Euſſerlich auff den Wirbel und Rückgrad zu reiben.

DESCRIPTIO
℞ ♀. ANT- ATROPHO - ANTEPILEPT. D. Helvetii.

℞. ⊕♀. ℥iiß. ʒij.
⊖✱. ℥iß. ℥iiß.
reduc in alcohol, fluant leni △. in ✱lo, agita ſpatula lignea, quouſque materia ex viridi nigreſcat, pulveriſetur calidè in mortario vitreo & cum ♆R. ad emin. 2. digit. extrahe ℞. quam vulgo vocabant das blaue Olich, in lepra, ſcorb. & epilepſia egregiam.

℞. ♀. LUNATICA Helvetii.

℞. ⊕. ☽. per ∽. ⊕. fact.
& in ▽. com. cryſtallis. ʒij.
⊕. Cypr. opt. ℥j.
⊖✱. pellucid. ʒvj.
Fluant in ✱lo, pulveriſata prius, agita ſpatula lignea, donec abeant in pulv. brunnum, terantur calidè in mortario vitreo, & cum ♆R. ad emin. 4. dig. extrahatur ℞. quam virideſcentem graminis inſtar vocabant das grüne Olich.

℞. Arung. hum. ℥ß.
☍. ♌. ſpicæ. ℈j.
M. D. S.
Euſſerlich warm einzureiben.

DE
CARDIALGIA ET ARDORE STOMACHI.

CARDIALGIA eſt dolor præcordiorum acerrimus, à violenta ſtomachi vellicatione ortus.

- *PHÆNOMENA*
  - Conqueruntur ægri de anguſtiis & anxietatibus, quas exprimere vix poſſunt: Triſtantur citra manifeſtam cauſam, dolent circa præcordia, ita ut ipſum cor aut ſtringi, aut comprimi exiſtiment, idque in CARDIALGIA ſtrictè dicta: Roſionem autem ſentiunt in CARDIOGMO: Quibus ſi intenſiſſimum Patriæ deſiderium jungatur, NOSTALGIA dicitur: Sæpiſſimè ſpina dorſi ſimul dolet, cum lipothymia, nauſea, vertigine, corporis jactatione, quæ accedente tandem vomitu remittunt. Quodſi vero halitus quaſi conſtrictivus ex inferioribus aſſurgat, ARDOR STOMACHI (der Sood) adeſſe dicitur.
- *SUBJECTUM*
  - utplurimum eſt ſiniſtrum ventriculi orificium, raro ipſum cor immediatè affligitur. In ardore tamen œſophagus quoque ſuos patitur manes.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - FORMALIS in cardialgia eſt vellicatio p. n. ſiniſtri ventriculi orificii & quandoque cordis tenſio.
    - In ardore vero conſtrictio œſophagi.
    - MATERIALIS ſunt
      - Cruditates in ventriculo.
      - Orgaſmus ſanguinis in obſtr. menſ. & motu nimio. Flatus & ſimilia.
  - *REMOTA*
    - Eſus fungorum, caſeus antiq. potus acidi.
    - Malum hypoch. paſſ. hyſterica, obſtr. lochiorum, venena.
- *PROGNOSIS.*
  - Terribilem magis quam periculoſam dicit, excepta quæ à tenſione cordis.
  - In delicatulis convulſiones timendæ.
  - In febribus malignitatem denotat, ubi periculoſa.
- *CURA*
  - IN PAROXYSMO dolorem ſiſtit, per Carmin. & Anod.
    - DOMEST.
      - ▽. menth. ∽ ⊖. *. Eſſ. caſtor.
      - Pulv. epil. cinnab. extr. opii.
    - PHARMACEUTICA
      - Interna
        - ▽. chamom. ∽. carmin.
        - eſſent. cort. aurant. opii
        - ſpecif. cephal. pulv. =ʊ=. *Wed.*
      - Externa
        - Clyſteres carminat. Terebint.
        - Empl. de Tacamah. de caranna.
  - EXTRA PAROXYSMUM
    - 1. Materiam pecc. evacuat, per
      - Vomitoria, vel laxantia, cumprimis Magneſ. alb.
      - V. S. ſi à tenſ. cord. aut obſtruct. menſium.
    - 2. Flatus diſcutit & ſtomachum confortat,
      - Internè per
        - carmin. ſi flatus
        - abſorbent. ſi acidum
        - ⊖na, ſi viſcidum
        - °°ſa, ſi acre
        - } peccaverint.
      - Externè
        - Saccul. carmin.
        - Empl. de caranna.
        - Balſ. ſtomach.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curanda cardialgia, ſi laxantia aut purgantia indicentur, opiata doſi conciſa miſceantur, ne ſolum irritando malum augeatur.

II. Propinatis abſorbentibus, ſeu (ut audiunt) præcipitantibus, fugiantur acida, quæ cum prioribus ebulliendo malum augere valent, vid. obſ. ſeq.

III. Ubi ſuſpicio inflammationis, fugiantur Vomitoria.

OBSERVATIONES.

I.

Uxor Dn. Röderi, Curſorum Publicorum Magiſtri Gieſſenſis, febre ardente laborans, ob inſignem virium proſtrationem ſitimque immanem ſucco citri ſe conſolabatur. Cum verò inter alia confortantia Mag. perlarum illi præſcriberetur, tanto circa præcordia ardore corripiebatur, ut nihil ſupra, idque toties, quoties cardiacum hauriebat. Dolorem hunc ex effervescentia acidi cum alcali ſubortum cenſens præſcribo ▽. ſolas ex borragine & buglosſa, quibus incantamenti inſtar dolores illi ſedati ſunt.

II.

Ephorus Dn. Baronis de Gersdorf, die 28. Febr. Anno 1698. conquerebatur de inſigni debilitate totius, anxietate & dolore capitis tenſivo. Dicebat enim: Es ziehe ihm ſo etwas aus dem Magen in den Kopff, monſtrans principium nervorum. Omnia per conſenſum ventriculi oriri ſuſpicatus, dedi 1. Vomitorium ex ♀. Emet. & 2. paregoricum tempore nocturno. Altero manè melius habenti præſcripſi:

℞. Pulv. cacheƈt. Quercet. ʒij.
Sacch. perlati ℈iß.
M.

Quotidie bis aliquot cultri cuſpides ſumendo convaluit.

CON-

CONSILIUM
DN. D. GMELINI,
Archiat. Elect. Saxon.

P. P.

PEnes Dn. Zelleri Conjugem obvii hactenus DOLORES ARTHRITICI & ſpaſmodica CARDIALGIA circa os ſtomachi ſiniſtrum acrimoniam acido - ſalſam in ſanguine & reliquis ſuccis occultatam arguunt, eaque de cauſa optimè ſibi conſulit, quod ad eandem demulcendam, edulcorandam, reſolvendam & expellendam, tam balneando, quam potando Thermis Embſenſibus uſa fuerit: quæ tantum etiam præſtiterunt, ut alleviationem ſenſibilem in ſtomacho & artubus experiatur, quam DEUS T. O. M. continuam eſſe jubeat. Quoniam verò quam facilimè fieri poteſt, ut Natura ægræ, ad humorum acrimoniam ſummè inclinans, quam minima occaſione rurſus corrumpi & ſalſis ejusmodi humoribus obrui poſſit, è re fuerit, ut in diæta omnia nimis ſalita, acria, acida, viſcida, frigida, ſimiliter nimis calida, minus cocta & indigeſtibilia, ut & nimis pinguia eduliorum genera æquè ac potus ſubacidi, nimis dulces, ſaccharo, aut ſyrupis infecti, minus fermentati & novelli turbidique fugiantur. Idem dicendum de medicamentis fortioribus & nimis irritantibus, purgantibus, vomitoriis, ut & vehementibus animi æque ac corporis commotionibus, ira, mœrore, triſtitia: Aere itidem frigido, humido & turbido. Alvus, ni indies reſpondeat, ſuppoſitoriis vulgaribus, globulis moſchatis, vel & clyſteribus domeſticis, è binis tantum ovorum vitellis, cochl. vt. olei lini, cochl. ß. ſalis & dimidio quartario juris, decocti hordei, aut lactis conſtantibus, aperta ſervetur. Trudentibus ſe ſudoribus,

tegumentis & cochl.j. rob ſambuci promoveantur, ſicque ubivis omnia, quæ ad exſtirpandam aut enervandam acrimoniam & confortandum ſtomachum facere poſſunt, in tota vivendi ratione obſerventur. Huic ſcopo ad præſervationem ſub fine cujusque paſtus pulvis laudatus, præcipitans & ſtomachicus, tam ſiccè, quam in ▽. menthæ ſumtus, inſerviet, qui & de die, ubi dolores ſtomachici ſentiuntur, pro curatione illorum ſumi poterit: quo caſu tamen, urgente cardialgia & ſi acrimonia excedens in abdomine colicam, in artubus lanciniationes, in capite autem inſignes dolores produxerit, ſequentem probatiſſimum pulverem cephalico-ſtomachico-artheticum, ſingulis noctibus ante ſomnum, ſumat, ſi dolores urgeant, etiam mane, in juſculo calido aut aqua menthæ ſumendum, calidè ſc. in lecto & quiete detinendo & abhinc ſudando:

℞. Cryſtall. mont. præp.
Unicorn. foſſ.
Lap. bez. Occid.
Specif. ceph. M.
antih. Pot.
aa. ℥j.
Balſam. de Peru
Extr. caſtor. ana
gr. viij.
⊖. vol. CC. ℈j.
🜔. NM. expr. ℈ß.
deſt. menth.
chamæm.
ſuccin. ana.
gr. viij.

Laud. opiat. gr. iij.
M. F. Pulv. ſubtiliſſ.
& NB. inpalpabilis
Div. in VIII. p. æ.

D. S. Pulvis Stomachico-Colico Cephalico Artheticus.

Urgentibus doloribus artuum & capitis ſimul juſcula calida, nec multum ſalita, aut potum Thee & Coffi aſſumere & ſudorem inſequentem bene exſpectare, linteis item calidis artus fricare & detergere expediet. Cardialgia verò, aut Colica inſigniter affligente, ℴℴ. deſtill. chamomillæ g. x. in ſimili potu calido, hora quavis tertia repetendo, ante prandium quidem, ſeu mane poſt ſupradictum pulverem & à meridie hora 3. tantundem ſumere poſſet, abdomini fomenta calida & placentas aromaticas contritas, vel & cruſtam panis, una c. cinnamom. caryoph. mace, nuc. moſch. &c. in 🜄. & vini Malv. ana decocta, juxta clyſteres ſupradictos (ſed ſine 🜔) continuè applicando.

Filiam virginem CACHEXIA ICTERICA infeſtat, à ſuccis acidis & viſcidis, bile acido-acri hujusque obſtructione ſcaturiens; quapropter pulvere nuper transmiſſo nigro anticachectico, ex Fulig. Diaphoretico ♂. D. Lud. Rad. Aron. Specif. antihect. Pot. Irid. Flor. &c. conſtante, & à D. D. Screta, tanquam autore ejus, Specificum Antatrophum dicto, per aliquod adhuc temporis ſpatium curam continuare & omnibus diebus manè, ſub egreſſu è lecto, à meridie hora 4. & veſperi ſub ingreſſum lecti tantum, quantum 2. vel 3. cultri cuſpidibus capi poteſt, dare poterunt, fugienda ſimul acida, ſalſa, frixa, fructus arboreos & diætam laudabilem ſervando. DEUS ex alto benedicat omnibus.

D. in Thermis Embſenſibus,
die 9. Jun. 1700.

J. G. GMELIN, D.

IV.

CONSILIUM
D. D. FRIDERICI HOFFMANNI,
Arch. Reg Pruſſ. & P.P. Hall.

EXTRACT.

è literis Dn. Lic. FABRITII, *Archiatr. Haſſ. Butisbaco d. 21. Oct. 1702. ad me datis.*

D. Hoffmannus hic locorum adhuc inter ſpem & metum verſatur, mox res ejus ſereniores apparent, mox recidivam patitur. Præterlapso die Lunæ Dn. D. HOFFMANNUS Hallenſis in tranſitu Eum viſitabat Eundemque certiorem reddebat, quod extra periculum verſaretur, exiſtimans bilem nimis acrem, quæ vitio hepatis à ſanguine ſeparari non poſſet, motus ejusmodi ſpaſmodicos efficere, unde circulatio impediretur & conſequenter CARDIALGIÆ, DEBILITATES virium &c. ſequerentur. Commendabat hunc in finem decoctum ex rad. & herbis mucilaginoſis, inſtar infuſ. Thee uſurpandum. It. Tinct. ♀. extractis quibusdam amaris permixtam & tandem Pulv. ex præcipitantibus, cum arcano duplicato, ♁ ♂. cachect. interdicens omnia ſalia volatilia. Econtra

DN. D. HERTIUS

contrariam prorſus ſententiam fovet, ſuſtinendo M. S. nimis tenacem, viſcidam & quaſi vappidam eſſe; eaque de cauſa commendans volatilia & cumprimis ſtomachica, v. g. Eſſent. ſtomach. Wedelii, Elix. cathol. Geilfuſ. Elix. polychreſt. & ſimilia, ad amur-

murcam viſcidam hypochondriacam attenuandam & educendam. It. Pilulas ex Extract. abſinthii, centaur minor. Myrrha, Extr. Rhabarb. & Gummatibus reſolventibus, interdum ſumendas, juxta cum cereviſia medicata per Rad. Valerian. Polypod. Herb, Salviæ, Ceterach, Cortic. citri & ſimilia aperientia &c.

De cætero Duciſſa Hilerhuſana Erpaci nuper Principem Juventutis eſt enixa, ſed paulo poſt in puerperio mortua. Suſpicantur nonnulli Medicum, quem vocaverat, Sympatheticum curis ſuis famoſis in cauſa eſſe, de quo judicent, quibus res intimius cognita eſt.

E T.

Officioſiſſimus

Jacob Fabritius, L.



FORMULÆ.

α. & ω.

℞. ▽. menth. ℥iij.
cinnam. ʒij.
Eſſ. caſtor. ʒiß.
Extr. opii gr. iij.
Sach. Syrup. ℥ß. M.

* * *

℞. Pulv. Epilept. n. ʒj.
Extr. opii, gr. iij. M.
Div. in 3. p. æ.

* * *

℞. Rad. angel. ℥j.
Herb. menth.
cham. c. fl. aa. Mij.
Sem. aniſ.
fœnicul. aa. ʒij.
⊖♀. ʒß.
Coq. in ſ. q. ▽. ſimpl.
Col. ℞. lib. ℥xij.
add. vit. ov. Nj.
☍. aniſ. ♌. ℈ß.
M. F. Clyſt.
inj. tepidè. Vel
adhibeantur Clyſter Tabacinus.

* * *

℞. Tacamahac. q. v.
Liq. in cochl. ſup. △.
induc.
ſuper alutam &
appl. ſcorb. cord.
impon. later. candefactum.

α. & ω.

℞. ▽. chamom.
menth.
meliſſ. aa. ℥j.
Eſſ. caſtor.
cort. aur.
ana ʒj.
Ther. cœleſt. gr. v.
Syr. cort. aurant.
ʒvj.
M.
D. cochleatim.

* * *

℞. Specif. cephal. D. Mich.
ʒj.
⊖. vol. CC. ℈j.
Laud. opiat.
gr. iij.
M. D. in 3. p. æ.
D. cum vehic. conven.

* * *

℞. Extract. Theriacal.
℈j.
Laud. opiat.
gr. ij.
M. F. Pil. n. xiij.
pro duabus doſibus

C. XIII.

DE MALO HYPOCHONDRIACO, COLICA ET ILEO.

MALUM HYPOCHONDRIACUM eſt dolor obtuſus, ſub coſtis ſpuriis ab humoribus acido-viſcidis oriens.

- **ΦΑΙΝΌ-ΜΕΝΑ.**
  - Dolor adeſt abdomen conſtringens & quaſi terebrans & quidem circa ambitum in COLICA, niſi hæc ſit convulſiva & ſcorbutica, quæ, ut ILEOS ventris medietatem magis occupat: HYPOCHONDRIACUS autem DOLOR (reliquis obtuſior) infra coſtas nothas urget. Accedit vomitus ſtercoreus, tenſio abdominis & ſyncope in iliacis: ubique alvus ſimul obſtructa eſt, ſequente ſæpe contractura, aut Pareſi poſt Colicam.
- **SUBJECTUM**
  - Sunt inteſtina cum Meſenterio.
- **CAUSA**
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt irritatio & elater inteſtinorum inverſus.
    - *MATERIALIS* ſunt Humores acido-viſcidi in Malo Hypochondriaco.
    - Scybala incarcerata in Ileo & Colica humoroſa.
    - Flatus, in Colica flatulenta.
    - Subingreſſus inteſtinorum.
  - *REMOTA*
    - Aer nebuloſus & corroſivus, unde Colica Pictonum.
    - Cibi acres, flatul. Potus acid. Vinum lithargyr. adulter.
    - Hernia, Scorbutus, Nephritis.
- **PROGNOSIS**
  - Colica flatul. aut ſtercorea non adeo periculoſa: pejor convulſiva, in pareſin facile abiens.
  - Ileos omnis periculoſus, magis autem ab inflammatione, maxime cum gangræna aut ſingultu.
  - Malum hypochondriacum moleſtum magis quam funeſtum.
- **CURATIO**
  - VULGARIS
    - 1. Cauſam eliminat per
      - Vom. & Laxant. in Malo Hypoch.
      - Clyſteres, in Colica & Ileo.
      - ☿. glob. plumb. zelotomiam in Ileo
    - 2. Dolores ſiſtit per
      - Carminat. abſorb. & opiata.
        - *DOMEST.*
          - Fiſtul. Tab. pulver.
          - Theriac. noſtr.
          - Eſſent. caſtor.
        - *OFFICINALIA*
          - Eſſ. Carmin. *Wed.*
          - ∽. carminat.
          - °°. cumin. opiat.
    - 3. Tonum viſc. & M. S. confortat per
      - ♂alia, acidulas &c. in Hypoch.
      - antiſcorb. in col. convulſiva.
      - balſamica, equitationem &c.
  - NOVA *Sydenhamii* fit per ⊖. abſinth. ▽. menth. & laxantia.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In Hypochondriacis curandis cavendum à purgantibus fortioribus draſticis, quæ ſi non valdè noceant, nihil tamen efficiunt, quum ſennata & blanda laxantia ſubjecta hæc facilimè econtra moveant.

II. In Colica vomitoria aut nunquam, aut cautiſſimè propinentur, ne in paſſionem iliacam degeneret.

III. In paſſione Iliaca fugiantur omnia purgantia, etiam leniora, per os exhibita: cum motum inteſtinorum inverſum augere poſſint.

IV. Fugiantur quoque opiata, ſi ſuſpicio inflammationis adſit, alias gangræna & ſphacelus inteſtinorum pertimeſcenda ſunt.

I.

OBSERVATIO
DN. D. SCHEFERI, de curato Iliaco.

Miles quidam Geislingenſis incidit in vehementiſſimum abdominis dolorem, in quo circa umbilicum omnia inſtar chordæ tenſa erant, vomitu tertio die accedente, alvo contumaciſſimè obſtructa. Præſcripſi ſeq. potionem laxantem: ℞. ▽. chamom. 🝆. amygd. dulc. ana ℥iß. Elect. bened. lax. diaphœnic. ana ʒiij. mellis roſ. ſol. ℥j. M. ſed ſemel tantum dejecit. Circa veſperam præſcripſi hoc Enema: ℞. Rad. alth. lil. alb. ana ʒvj. Herb. malv. Mercur. viol. veron. flor. ſamb. chamom. melilot. ana. mß. ſem. lilini, fœnugr. carui aa. ℥ß. carthami ℥vj. prun. n. vij. M. Decoct. col. ℥x. add. Elect. bened. lax. mell. roſ. ſol. aa. ʒvj. 🝆. viol. rub. chamom. aa. ℥j. ⊖. ʒß. M. Inde dolor nonnihil ſedatus & 3. dejicit, verum ingruente iterum dolore repetitus clyſter, adjecto El. diacathol. ℥j. ab hoc ſæpius dejecit, cum levamine. Dolore verò adhuc quodammodo inſtante, ad ſomnum provocandum ℞. Sem. cydon. pſyllii ana ℥ß. anethi ʒij. 4. frig. maj. rec. ʒj. papav. ʒiß. F. c. ▽. Decoct. quod bene contulit, reliquiis ſolo decocto chamomillæ ſublatis.

II.

II.

CONSILIUM

B. D. GMELINI, Arch. Elect. Saxon.

P. P.

COnſideratis omnibus ac ſingulis ſymptomatibus & circumſtantiis affectûs, Illuſtriſſimam DN. Comitem NN. affligentis, nihil aliud reperio, quàm tot ejus moleſtias, dolores & invaletudines ſub MALO HYPOCHONDRIACO militare: cujus præcipuum & ſatis contumax φαινόμενον eſt dolor & incommodum in Hypochondrio ſiniſtro, tanquam liene putatitio, tot inflationibus, diſtenſionibus, cardialgiis & ructibus ſtipatum; è quibus & reliquis ſymptomatibus eluceſcit, inde ſimul cerebrum & genus nervoſum, cum ſpiritibus, procul dubio affecta eſſe, quoniam caput & nervi internarum æquè ac externarum partium tot doloroſis & ſpasmodicis tenſionibus, vellicationibus & criſpationibus tentatur & Illuſtr. Excellentiam Suam ſimul ſtupor aliqualis, frigus moleſtum & ἀναισθησία manuum pedumve toties exercent. Annon ſimul animus exinde plus, quàm expedit, compatiatur, & quæ hic occurrunt afflictiones, eundem ad nocivas tandemque periculoſas cogitationes & profundas meditationes applicent, Ejus proprio & ab omnibus præjudiciis liberato prius judicio relinquo.

Totius ergo mali cauſam ὀφθαλμοφανερῶς invenio & exiſtimo ſerum ſanguinis, quod ex diætâ minus laudabili, ſub itineribus, in & per tot regiones exteras, ab Illuſtr. V. Excellentiâ ſuſceptis, defatigationibus variis, frigore inclementiori, variis in motibus animi & corporis exceſſibus, cumprimis & ♀. &c. non tantùm plus juſto auctum, ſed & acribus, acidis, ſalſis, facile fermenteſcibili-

bus & heterogeneis particulis impraegnatum, unà cum reliquis ſuccis & fermentis, ſimili forte vitio infectis, cerebrum, jamdum debilitatum, partes nervoſas, membranas, ligamenta & tandem iſtos ſpiritus animales (à primo ortu & hæreditario jamdum ſummè activos, volatiles & per affectus animi facilimè turbabiles & afficibiles) irritare, vellicare & turbare potuit. Omnes hæ degenerationes in Excell. Suæ ſero reliquisque ſuccis, cerebro, ſyſtemate nervoſo & ſpiritibus animalibus clarè ſe manifeſtant, cumprimis, ſi cauſas antecedentes & procatarcticas conſideraverimus: Siquidem hic primò ſe trudunt varia eaque vehementia in itineribus & alibi inſtituta exercitia, equitatio, ſaltatio, dimicationes palæſtricæ, luſus pilæ, ♀ &c. dum procul dubio poſt corporis incaleſcentias, ſitim & ſudorem frictiones calidæ non tantùm intermiſſæ, ſed & omnis ſudor in corpore aut frigidus redditus, aut prorſus retropulſus: Imò ſub premente ſiti potus fortè frigidi & contrarii ingurgitati fuerunt. Accedunt reliqui exceſſus in communi vita, variæ Naturæ & temperamenti permutationes in Italia, Gallia, Belgio, Anglia, &c. Climata illi adverſa, aer mox nimis calidus & ſiccus, mox nimis humidus & frigidus: Cibi varii, mox ad guſtum & palatum non parati, mox crudi minusque cocti, acidi, ſalſi, fumo indurati & vel ſexcentis particulis conditi ſæpeque nocivi: Potus varii, mox nimis calidi & ſpirituoſi, mox nimis frigidi & glacie refrigerati, recentes, turbidi minusque fermentati, imò & acidi, aut inſalubres aliæque innumeræ, in diæta alias neceſſariæ, regulæ minus obſervatæ. Omnia hæc ventriculi fermentum in ſua craſi primùm læſerunt, nimio acore infecerunt aliaque ratione virtutem ejus ſolutivo-chylificativam turbarunt & conſequenter, imò & immediatè, ſine prævia ſtomachi læſione, reliquos ſuccos, ſanguinem, cumprimis hujus ſerum & ſpiritus animales acrimonia, acore, ſalſedine & aquoſitate p. n. infecerunt, ad fermentationem majorem diſpoſuerunt, debilitarunt & minus ſpirituoſa reddiderunt. Non potuit ergò non effectus illorum tandem

dem ſe manifeſtare, eoque facilius, quòd antedictæ ex parte cauſæ, ex parte quoque & præcipuè immane frigus, tempore hyberno ſuſceptum & deambulationes in nive profunda, ſæpe per integrum diem peractæ, caput, nervos & artus debilitarint admodùm. Speciatim autem fermenti ſtomachici degenerationi muriaticæ & plus minus acidæ adſcribenda ſunt non tantùm ſymptomata appetitus (qui licet ob acidum utplurimùm remanſerit, facile tamen ob bilis acredinem quandoque proſtratus fuit) ſed & reliqua circa ventriculi confinia. Eructationes enim acidæ, acres, amaræ, quandoque & prorſus inſipidæ, cum inflationibus &c. revera in ſtomacho & reliquis cavitatibus inteſtinorum radicantur, cumprimis in ſiniſtro latere: non quòd è liene proficiſcantur, cujus conformatio & textura illarum prorſus capax non eſt, ſed in inteſtino colo focus illarum dicendus & judicandus eſt. Quamprimum enim effervеſcentiæ contrariæ & fermentationes illic oriuntur, flatusque inde geniti, ob renitentiam flexuræ coli, quaſi incarcerantur, non tantùm putatitius ille lienis tumor, dolor, tenſio aliique motus ſpaſmodici circa illam regionem oriuntur, ſed & motus naturalis diaphragmatis, ad reſpirationem valdè neceſſarius, impeditur, unde inſignes cardialgiæ, reſpiratio anguſta & ſimilia oriuntur: ſub quorum curſu non poſſunt non ſimul penes Excellentiam Suam ſpiritus animales ſimul turbari, cerebrum, nervi aliæque partes ſenſibiles & nervoſæ irritari, vellicari, premi, influxus ſpirituum in organa hæc ſufflaminari, aut violenter nimis impelli illique aliis, vix exprimendis modis, obtenebrari, lædi, debilitari atque affici. Varii capitis dolores, tenſivi, fixi, pungitivi, cumprimis in ſiniſtro latere (ubi ob majorem, ex animi mœrore orta, debilitatem hemicrania, aut potius clavus reſidet) ab humoribus acidis, acribus & ſeroſis eò, ut & in artus extremos, brachia, crura, manus & pedes (utpote quorum extremitates à frigore externo magis læſæ ſunt) depoſitis interdum tamen à fixatione & aliquali corruptione ſpirituum animalium oriuntur, accedente cumprimis inſigni illorum exhauſtio-

ne, pervehementes animi & corporis motiones, poſt venationes, equitationes, curſitationes nimis validas, penetrantes & altas locutiones, clamores, continuas meditationes, ſpeculationes in multam noctem tractas, agrypnias, Venerem immodicam &c. unde partim dolores obtuſi, debilitatio levior, ligatio (ut putatur) linguæ, ſubinde loqueſam impediens, partim imminuta ſenſatio, ἀναισθησία, aut ſtupor in artubus, cumprimis manibus &c. ſcaturiunt. Licet autem ex hactenus deductis ſatis eluceſcat, cauſam contumacis hujus affectus profundas radices egiſſe, hoc tamen quàm maximè deplorandum eſt, Illuſtriſſ. S. Excellentiam his vel aliis accidentibus ingruentibus in tantas ſtatim anguſtias conjici metuque mali gravioris periculique appoplexiæ, convulſionum aliorumque morborum majorum ſtatim percelli: quo ipſo vires adhuc reſiduæ ſpiritusque ad curam à Nobis ſuſcipiendam ſummopere neceſſarii, per continuas & indeſinentes meditationes ſubtrahuntur, diſſipantur, conſumuntur, turbantur & debilitantur, ſanguis in p. n. efferveſcentias, phlogoſes, ſudores immodicos & ulteriores cordis anguſtias præcipitatur, adeò quidem, ut, niſi moderatio hic interponatur, hoc ipſo magis, quàm prioribus rationibus vi quadam majus infortunium & anguſtia conciliari poſſit; dum econtrà, ſi Excell. S. Illuſtr. affectum hunc à Deo impoſitum majori, quàm factum, patientia ſuſtineret, non nimis ſcrupuloſe de eô judicaret, ſed ut omnia, ita cumprimis hoc prius DEO, abhinc verò fideliſſimis & humillimis ſuis ſervis, Cubiculari aliisque hactenus conſultis & hac in re optimè fundatis Medicis committeret, curæ illorum & diætæ exactiſſimè præſcriptæ morem gereret, nullus mehercle, dubitarem, Excel. S. citiſſimum mali relevamen, imò plenariam tandem reconvaleſcentiam experturam eſſe. Tantum enim bonitatis in Excell. S. adhuc reperimus, quo curationem feliciſſimam & plenariam in integrum reſtitutionem D. B. nobis promittimus: cùm natura ejus adhuc valida medicamenta haud invitè & bono cum effectu admittat, appetitus mediocris,

alvus

alvus indies obediens, ſomnus naturalis, urina bona, pulſus æqualis ac fortis, ingenium acutum & ætas vigoroſa XXX. annorum adhuc adſint; è contra palpitatio cordis, tremor, aſthma continuum, animi deliquia, obſtructiones alvi, convulſiones inſigniores, vertigo, agrypnia, vomitus aliaque aliis moleſta ſymptomata hic prorſus exulent. Acquieſcat igitur Excellentia Sua hoc, quicquid revera adhuc reſtat, boni probè penſitare & curare, quò ex adverſo inſuper habitô propria Ejus præcipitatio in ſiniſtram aut hactenus obſervatorum, aut ſecutorum accidentium, curationem longè periculoſiora proh dolor! minari videtur. Profectò, ſi Excell. S. clementiſſimè nos audiret & curam æquè ac diætam eò dirigeret, ut utrobique nimis acre, acidum, ſalſum & exceſſivum ſerum edulcoretur, corrigatur, leniter educatur: Fermenta activa reddantur: Efferveſcentiæ p. n. compeſcantur: Flatus diſcutiantur: Spiritus partim reſtaurentur, partim demulceantur & ſopiantur, genuinus & naturalis illorum influxus reſtauretur & conſervetur: Dolores, ubicunque etiam afflixerint, ſopiantur: Cerebrum tandem, nervi, artus & reliqua viſcera roborentur; brevi omnia in priſtinum eumque naturalem ſtatum vindicari poſſent. Hoc tantùm è re & ſummè proficuum, imò neceſſarium erit, ut Excell. S. ſimul operam ſuam contribuat, animum ad tranquillitatem componat, paroxyſmos ſubinde ingruentes patienter ſuſtineat & (quùm ſymptomata, quotquot hactenus incommodarunt, reverà ne minimum quidem periculum & ne tunc quidem, dum quam maximè adaucta fuerunt, conjunctum habuere, multo minus, ſub ætate hac, talibusque circumſtantiis, cauſari ac inferre poſſunt) ſupervacaneas illas cordis anguſtias indies imminuat, imo, ſi poſſibile, prorſus ex animo excutiat, de cætero autem poſt DEUM Excell. S. curam omnium humillimo noſtro & fideliſſimo conſilio relinquat, utendo è contra & applicando ſibi omnia ſequentem in modum. Quibus ſummus ille DEUS clementiſſima ſua gratia benedicere velit! Quoniam nempe tantum mo-

mentum in legitima diæta Excell. S. ſitum eſt, non diſplicebit omnia ea, quæ ſupra cauſis ſymptomatum recenſitorum annumerata fuerunt, cibos ſc. & potus nocivos, cumprimis autem vehementes & exceſſivas tam animi, quàm corporis commotiones, ꝗ. aerem frigidum, obſtructiones alvi, confuſionem ordinis in cibo potuque ſumendo, ſomnum & vigilias nimias ſummoperè evitare. Econtra paucis, ſed probè digeſtibilibus & chylum laudabilem miniſtrantibus temperatisque cibis, qui gratis aromatibus herbisque, cinnamomo ſc. caryophyllis, mace, corticibus citri & aurantiorum (rejecta aciditate interiori nociva) thymo, majorana, roremarino, ſalvia, acetoſa, petroſelino, cochlearia, ſeleri & quaſi balſamo conditi ſunt, utatur. Tales autem ſunt carnes juniorum animalium, quam maximè ferinæ, ſucculento modo, attamen penitus probeque aſſatæ, piſces nec mucoſi nec pingues, ſed carnem ſpinoſam habentes, olera diu probeque cocta, ova ſorbilia, rejectis lacticiniis flatulentis aliisque in butyro frixis durioribus maſſis farinaceis. Potui inſerviat vinum vetuſtum, minus acutum aut acidum, aquæ panatæ, aut ſeq. potui ordinario miſtum:

℞. Rad. Chin.
Lign. ſaſſafr.
Viſci quercini.
cinnamom. ana ℥ij.
cort. citr. recent. n. j.
Coq. in 🜄. Font. lib. viij. ad conſumpt. lib. j.
col. D.

S. Potus ordinarius pro lubitu ſumendus.

Adhæc eligatur, quantum fieri poteſt, aër temperatus, & ſimile hypocauſtum. Alvus, ſi obſtructa ſit, aliquot globulis moſchatis ſollicitetur, aut & ſuppoſitorio butyro illito officii ſui admoneatur; id quod & clyſtere ſimpliciſſimo, è 2. vitellis ovorum, ol. lini

cochl.

cochl. vj. & quartario minori decoct. hordei aut carnis & cochl. j. ſalis facto & applicato fieri poterit. Tandem, uti neceſſarium & æquum eſt, ut nocte præſente absque curis nimiis, inanique metu debito & ordinario tempore, circa horam X. circiter, cubitum eamus & ſecurè obdormiſcamus, ita manè horâ 7. aut ad minimum 8. rurſus de lecto ſurgamus, oportet. Quodſi vero nullus, parcus, vel & turbatus variisque inſomniis terrificis ſomnus adſit, alternatim ſeqq. remedia ſumantur:

Una ſc. vice ſequens emulſio probè concuſſa ante ſomnum:

℞. Sem. cucum.
cucurb. n. excortic.
melon. exc. ana ʒiiß.
pap. alb. ʒij.
amygdal. dulc. exc. ℥ß.
Add. ſpecif. cephal. Mich. (*) ℈ß.
ocul. ♋. præp. ℈i.
▽. flor. Nymph.
roſar.
tiliæ.
ceraſor. nig. aa. ℥iß.
F. l. a. Emulſio
Antihect. pot. ℈ß.
Conf. alkerm. parùm.
M. (**)

Alterâ verò nocte de his pilulis confortantibus & ſomniferis n. VI. ad VIII. in cochl. aliquot ſyrup. pap. errat. aut tinct. ejus, vel & diacod. crocat. Mynſ.

℞. MP. Ther. cœleſt. ℈ß.
Extr. papav. (compoſ. ex ſucco capit. pap. alb. hortenſ. præmat. atque ℞. pap. errat. ſummè ſaturata) ʒß.
Croci ℈ß.
Caſtor.
Lign. al. ana gr. v.
M. F. Pil. deaurentur.

(*) (**) NB. Talia rubicunda aliâs emulſionibus minus recte admiſcentur.

Quod

Quod verò reliquam curam attinet, pergatur in uſu acidularum hujus loci; & licet interdum hoc vel illud ſymptoma adverſum ſub illarum potione ſe trudat, non ſtatim id terrere debet E. V. ſed prout præſenti DN. Archiatro commodum videbitur, aut pro more hactenus recepto frigidæ, aut in aquâ calida prius tepefactæ aſſumantur, ac ſumma doſis ad minimum per 14. dies continuetur, externè regionem ſtomachi, cumprimis & nucham & tempora, ſequenti Balſamo univerſali inungendo:

℞. 🝆. NM. expreſſ. ℥ß. 🝆. deſt. lavend. 🝆. d. cinnam.
deſtill. major. thymi macis.
menth. cortic. aur. abſinth.
roriſm. aniſi galang.
ſalviæ caryoph. zedoar.
ſuccini rutæ origani.
ſerpill. aa. g. x.
c. Balſ. de Peru M. exacte D. ad Pyxidem.

Sub fine prandii, aut cœnæ, nunquam, non tantum de tragæâ ſequenti ſumatur, quantum 4. cultri cuſpidibus capi poteſt & quidem in fruſto panis toſti, vino ſecco, aut alio generoſo potu madefacto:

℞. Pulv. analept. fr. c. m. ʒij.
Flaved. ext. cort. aurant. ʒj
Tunic. Gallin. ventr. ʒij.
Diaphor ♂. D. Lud. ſecundum deſc. primæ Edit. ʒß.
Antih. Pot.
Ocul. ♋.
Corall. rubr. præp.
CC. Phil. præp. ana ʒij.
Trag. arom. Off. ℥ij.
🝆. NM. expr. ℈ß.
Sacch. perlat. ʒiß.
Exactiſſ. D. ad ſcatulam.

Quæ

Quæ poſteriora bina remedia annuatim ſæpius, quoties moleſtiæ quædam circa ventriculum, caput & genus nervoſum ſentiuntur, repeti poſſent. Tandem ſub doſeos acidularum imminutione Excell. S. aliquot vicibus, alternis ſcil. diebus, aut etiam interpoſitis, horis antemeridianis, poſt acidularum potum (in quo indies bina vitra decurtanda, ultimis autem duobus, aut tribus vitris tamdiu adhuc continuandum, quamdiu fervor æſtivus durat, non tantùm hic aut alibi, ſed in proprio Ejus caſtro) Thermis Berſtadienſibus (vulgò das Schlangenbad dictis) & quidem in ipſo ſcaturiginis loco, inſidere poterit, ubi non ſtatim moleſtia quævis pro malo & ſiniſtro thermarum effectu habenda eſt, de quo præſens Medicus optime judicari poterit. Inſeſſus autem x. vel xII. eſſe poterunt, incipiendo a quarta horæ parte & adſcendendo ad integram horam, alternis diebus continuando. Quodſi verò anguſtiæ quædam, aut alia ſymptomata adverſa obſerventur, præſtabit ab illis prorſus abſtinere & poſt curam hanc acidularum abſolutam adhuc per quatuor ſeptimanas, ſingulis horis matutinis, adhuc vitra quædam acidularum ſumere, maritando illis ſolum balſamum univerſale ſupradictum, cum tragæâ ſtomachicâ; & ſi abhinc Excell. S. non penitus à ſymptomatibus hactenus affligentibus, cumprimis cephalalgiâ, nervorum & artuum doloribus, liberata fuerit, acquieſcat clementiſſimè ſingulis diebus mane, veſperi hora 4. & noctu ante decubitum (ubi ſomno deficiente emulſio ſupradicta, aut pilulæ, loco pulveris; uſurpanda eſſent) de pulvere nervino & viſcerali ſequenti 3. cultri cuſpides plenarias in aqua menthæ & aquâ ceraſorum nigrorum ana aſſumere:

℞. Pulv. March.
anal. frig. M.
antepil. mir. M.
vel
ſpecif. ceph. M.
Corn Alcis.
Rhinoc. ana ʒij.
Diaph. ♂. Lud. ℥ß
Specif. antihect. P. ʒiij.
Balſ. de Peru ℈ß.
apopl.
☍. NM. expr. ana g. v.
Elæoſacch. cinnam.
lavend. aa. ʒj.
Ambr. gr. vj.
Moſchi gr. j.
Sacch. Perlati ℥j. ʒij.
Fol. ☉.
☽. ana n. v. j.
Ægagropil. ver. ʒj.
M. exactiſſ.
D. ad ſcat. S.
Pulv. Nerv. & viſceralis.

Horâ abhinc elapſâ aut juſculum caponis, aut & tempore matutino decoctum Thee, cui ſubinde folia aliquot ſalviæ, aut betonicæ addenda: veſperi verò, horâ V. decoctum ſeu infuſum Coffi ſumat: quod ſimiliter horâ ante prandium fieri poterit. Quoties autem Excell. S. debilitatio aliqua aut deliquium corripuerit (ubi partes extremæ linteis calidis probè fricandæ ac ⊖. vol. ſiccum aliaque penetrantes ſpirituoſi liquores naribus applicanda) de ſequenti ſpiritu balſamico 60. guttæ in vino aut aqua cinnamomi ſumendæ erunt:

℞. ⊖. vol.

℞. ⊖. vol. ℅ ſum Sylv. ℥j.
Liq. CC. ſuccinat. ℥ß.

M. D. ad vitrum optimè munitum.

Futurô autumno & hyeme interdum, aut indies, mane in juſculo quodam efficaci de ſequenti gelatina cochl. 3. vel 4. ſolvi & aſſumi poſſent:

R. Limat. CC.
eboris
C. alcis ana ℥ ß.
rhinoc. ʒ vj.

affund. ▽. Fontan. fervidiſſ. Menſ. j.
ſive lib. iiiß.

ſtent in dig. per noctem, mane
adde

Rad. Pœon.
viſc. quercin. ana ʒ vj.
Conſerv. flor. Tunic. ℥ iv.
Lign. ſaſſafr. ʒ iij.
H. & Fl. bellid. Mij.
Flor. borrag.
bugloſſ.
violar. ana p. ij.
Paſſ. major. conciſ. ℥ iiij.

Inciſ. & contuſ. coq. invicem per aliquot horas, ultra dimidietatem, usquedum pellicula ſuperius appareat, hinc adde

Confect. alkerm. incompl. ʒ ij.

Poſt ſolutionem cola atque colatura reſervetur in loco frigid. & vaſe terreo vel vitreo, ut abeat in gelatinam D. ubi cumprimis balſami univerſalis & tragææ confortantis obliviſci non decet, quæ ſi non quotidiè, attamen ſæpe in uſum adhibeantur.

Vere inſecuturo, quamprimùm plantæ vernales recentes haberi poſſunt, reiteretur ante omnia Pulvis Nervinus & Viſceralis & tempore matutino, elapſa poſt ejus uſum horâ, loco Thée ſequens jus ſumatur, quod è ſeqq. herbis paratur:

℞. Naſt. aq. aut Cochlear.
Chærefol.
Acetoſæ.
Bel. min. c. fl.
Hepat. nobil.
Fragar.
Borragin.
Bugloſſ.
Pimpinel.
Aſparagi ana Mj.

Incif. aut Contuſ. in mort. vitreo, aut lapideo infunde dimidio quartario juris carnei fervidi & non ſaliti, exprime jus ſucculentum ſtatim per linteum & pedetentim, illud indies ſummô manè pro una vice ſume, idque ad minimum per 3. ſeptimanas continua.

Purgationes & Vomitoria, tanquam nociva, rejicio. Blandum antem Tamarindinatum, à Dn. Archiatro laudatum, tutum effectum edet, viasque primas & majores eluet, & quidem tempore vernali & autumnali ſemel, vel & ante curam acidularum & thermarum, quæ futurâ æſtate, aut hic Svalbaci, aut Dönigſtenii, aut Deinachii, cum Thermis Cellenſibus reitetari poſſent, ſumendum. V. S. iteratas planè non neceſſarias reperi. Præſentibus verò anguſtiis cordis inſignioribus iisque cum cephalalgiâ continuantibus, V. S. in parca quantitate v. g. ad ℥ij. in brachio altero adminiſtrari poterit. Quin & veſicatoria, ſi dolor capitis, tinnitus, vertigo & ſimilia, aut de novô accedant aut continuent, in brachiis, pedibus, nuchâ, è regione parotidum & temporum: imò urgente neceſſitate, fonticulos ſiniſtro brachio imponi & inuri poſſent.

Summus autem Archiater Conſiliis his noſtris curæque ita benedicat, ut exoptatus effectus & plenaria ſanitas ſubſequatur!

id quod humilimè & cordicitus voveo & cum DEO, ſi omnibus antedictis mos geratur, absque ullo dubio expectat

Excell. Suæ

Humilimus Servus
JOH. GEORG. GMELIN. D.
Conſil. & Archiater
Elect. Saxonicus.

III.

ALIUD

DN. D. BRUNNERI,

Archiatri Elect. Palatini & PP.

in

Eodem Caſu.

Varii & graviſſimi in ſtomacho radicantur morbi partibusque vicinis & ex infauſta radice germinantes, ceu ex equo Trojano, prorumpunt in univerſum corpus. Ex horum numero præcipuus eſt Affectus, qui à loco, in quo hoſpitatur, HYPOCHONDRIACUS dicitur. Ejus plura apud Illuſtriſſimum Dominum Comitem eaque non obſcura extant indicia: Inflationes nempe, crebræ eructationes, vomitiones, anxietates, lipothymiæ, ſcotomiæ & per conſenſum variæ cerebri & generis nervoſi affectiones, quæ peritis hypochondriacarum nomine veniunt. Plura equidem apud alios & graviora viſuntur ſymptomata, quæ tamen per Dei gratiam nondum prorupêrunt in nervum apud Illuſtriſſimum, quin ſtudio & ſolicita cura & induſtriâ fuerint prudenter averſa. Pars affecta quæ ſit & ſubjectum tantarum turbarum atque tumultuum, res ipſa loquitur. Inflationes ſc. & eructationes

ex eo ipſo receptaculo prorumpunt, ex quo cibi, qui negligentius maſticati vix dum aſſumti iterum egeruntur, ac eructantur. Nec alius datur locus, in quo cibi contineantur, aut flatus, quàm cavum tum ventriculi, tum inteſtinorum, adeò, ut ridiculè in tanta experientia Anatomicæ lucis etiamnum dentur, qui lienem inſontem accuſare ſoleant. In ipſo autem ventriculo & confiniis verius & rectius fons & ſcaturigo mali ſtatuitur. Inde autem emanat & derivatur in univerſum corpus. Etenim ut inde totus partibus omnibus ſuccus nutritius affluit, ſi ritè iſte officio ſuo fungitur; ita è converſo ejusdem vitia in illas redundant, ſiquidem primæ concoctionis errores non corriguntur in ſecunda. Cæterum cacochyliæ & pravæ concoctionis indicium præbet flatuum proventus uberrimus. Etenim ſi ritè ſuccedit concoctionis negotium, flatus nec tanti, nec tam impetuoſi reſultant: Fruſtrata autem ſeu turbata concoctione maſſa alimentaria facilè fermenteſcit, aceſcit. Fermentationum autem individui comites flatus exiſtunt, variarum afflictionum hypochondriacarum auctores, præſertim incluſi, aut coërciti, qui tamen magno ſuo commodo facilè prorumpunt apud Illuſtriſſimum. Ut autem concoctio ritè perficiatur, neceſſe eſt, ut ventriculo benè ſit ſitque fermentum ejus ſpirituoſum & ritè temperatum. Non enim vitium ſemper in humoribus, ſæpè & rectius in ipſa partis affectæ ſubſtantia quæritur. Utriusque vitium ſubeſt apud Illuſtriſſimum. Ventriculus exquiſito nimis ſenſu nimiumque irritabilis mihi quidem videtur: hinc accidit, ut ciborum impatiens, præſertim duriorum, crudiorum, nec ſatis maſticatorum, eosdem vomitu rejiciat, antequam tempus concoctionis expectent. Præterea læditur acidis, dulcibus, frigidis, pinguibus, lacticiniis, ſaccharatis, omni fere medicamentorum genere, ſalia volatilia ocyus rejicit, aſſumpta alliata infenſa experitur, potum Theé aut Coffi non tolerat, ut citra medicamentorum uſum rectius valere ſibimet ſæpe ſæpius videatur Illuſtriſſimus. Si autem parcè comedit congrua, minus irritantia & con-

coctu

coctu facilia, melius concoquit, adeò, ut ex hactenus dictis ventriculus nimis irritabilis & impatiens videatur. Quæ quidem irritabilitas haud aliunde provenire videtur, qnàm quia frequentius vomitibus acribus (dum vomitu rejecta interdum aceti acorem ſuperant) ventriculus laceratur, laceſſitur, tunica ejus nervea, detrita interiori cruſta, extenuata plus nimis denudatur; hinc aſſumpta quævis minus fert, facilè irritatur & ejus archæus perturbatur, dum alii, quibus tunica nervea interiori cruſta debitè eſt tecta & obvelata ſuo munimine, quævis promiſcuè ingerunt facileque ac citra laborem aut moleſtiam concoquunt. Nec mirum eſt, ſi tale vitium ventriculi ſubſit, archæum facilè irritari, concoctionis negótium turbari & per conſenſum varias generis nervoſi affectiones concitari, cùm neminem Medentum lateat, quàm mirifici convulſionum motus, per univerſos gliſcant artus irritata tunica inteſtinorum nervea à lumbricis, intacto cerebro. His enim abactis ſubito ceſſant. Ut taceam venenorum, ventriculo nondum egreſſorum, noxam, de quibus Wepferus de Cicut. Aquatica. Et hæc ventriculi (fortè & inteſtinorum) irritabilitas fors cauſa eſt, quòd acidulæ & aliæ aquæ minerales, quæ olim profuerant, nunc noceant potius, tum acore, aut qualitate alia abſterſiva, quia medicamenta quævis, dum moleſtiam ſtomacho faceſſunt plus minus irritabili (agunt enim & Naturæ quaſi reſiſtunt alterantque, dum alimenta tantùm patiuntur & virtuti ſtomachi cedunt) ſalutari ſuo effectu fruſtrantur. Inde fortè in proverbium abiit in hoc affectu, dum pauciſſimè feruntur medicamenta: Fuge Medicum & medicamenta, acria ſc. & irritantia; & experiundo didici, demulcentibus ſimplici methodo plus profici, quam omnibus aliis, etiam ſumma induſtria & ingenio excogitatis remediis. Sed & ipſum fermentum, quod vocant, gaſtricum vitio haud carere videtur, cùm cibos nonnullos haud digerat, nec diſſolvat, ſed intacta relinquat, pinguia præſertim, cibos eſuriales aliosque concoctu difficiliores. Ignavum verò acido viſcidum & minus ſpi-

situo-

rituoſum videtur. Fruſtrata ita concoctione ingeſta, negligentius interdum maſticata, lege naturæ & omnium ſuccorum mixtorum more aceſcunt, fermenteſcunt, flatusque reſultant, qui incluſi mirum! quantum interdum angunt, reſpirationem impediunt, præſertim in ſiniſtro hypochondrio incarcerati, mentem contriſtant, palpitationem cordis mirasque anxietates, vertigines & lypothymias excitant. Nec poteſt non chylus acidus eandem labem affricare maſſæ, in quam exoneratur, ſanguineæ omnibusque ex hac emanantibus ſuccis & corporis partibus. Nec mirum ſanguinem ſimili acore imbutum lenteſcere, in motu ſuo tardum eſſe. Hinc frigent facilè extrema atque pallent, fluidum quoque nervorum debito viſcidius, ſtuporis, ſenſus formicationis & ἀναισθησίας cauſa evadit; Et quod omnium peſſimum, ſimile fermentum ſtomachi per glandulas ſtomachicas ſecernitur ſimilesque reliqui ſucci fermentativi. Hinc malum per circulum redit & inextricabilis error oritur. Cauſæ procatarcticæ & externæ debilitati ſtomachi & vitiati ejus fermenti in Hiſtoria morbi plures enumerantur. Multa & longinqua indefatigabili ſtudio perfecit itinera, horrida nonnunquam tempeſtate: varias & diverſiſſimas regiones luſtravit, in iisque diverſo victus genere & aëris mutationes ſubiit Illuſtriſſimus, nec ſibi adhuc tener temperavit à noxiis, glaciatis præſertim, crudis atque frigidis potibus, cùm antea molliter à Sereniſſima Matre & delicatulè habitus fuerit; unde brevi abhinc dolores capitis, mox artuum & ventriculi ægritudines obortæ fuerunt, quas auxerunt variolæ, mœror ex Sereniſſimæ Matris obitu: Neglecta imprimis ciborum maſticatio, negotia inſuper durante Regimine ardua, ulceroſo hoc tempore adverſa, curæ & ſolicitudines, quæ ſolæ infauſtum hunc partum excludere ſolent. Nec fortè effectum tam facilè ſortitæ fuiſſent cauſæ enumeratæ, niſi diſpoſitio prævia & quaſi congenita, ſeu hæreditaria, conſpiraſſet; & quamvis quæ congenita ſunt difficulter arte penitus deleri queant, benè tamen ſperare licet Illuſtriſſimo,

ſi

ſi affectiones identidem ſuborientes non magni faciat, ſed maſculè & generoſè ſpernat, id quod inter remedia hujus morbi primum exiſtet: præterea ſobriè vivat, regulisque diæteticis obedire & velit & poſſit, queis ſine labor omnis irritus foret. Ceterum florens ætas habitusque corporis firmus atque floridus ſuccum nutritium non usque adeo vitiatum eſſe teſtantur: Ingerit, digerit, egerit, bono eſt animo atque hilaris, quæ proſpera quæque pollicentur. Dici enim vix poteſt, quantum metus, qui plerumque inanis, in hoc morbo faceſſat negotium, eundem augeat, falſasque & triſtes ideas multiplicet, cum maximo ægrotantium damno. Nec eſt, quod cerebro metuat aut apoplexam Illuſtriſſimus, cùm dolores capitis, ſcotomiæ & variæ nervorum vellicationes ſint evanidæ, nec duraturæ, hinc per conſenſum potius, quàm idiopathiam oriri videantur. Nec quoque eſt, quod ſibi metuat à miaſmate olim contracto. Etenim dolores, qui à tali cauſa oriuntur, prorſus alii eſſe ſoleut ab his, quos perſentiſcit Illuſtriſſimus: uti illi nonniſi noctu ſæviunt partibusque oſſium intermediis, ita iſti, quos ſentit Illuſtriſſimus, hinc inde vagantur, nec impediunt, quo minus quietas agat noctes. Cæterum dolor, qui inter mingendum nonnunquam percipitur quique corripit profluente aut ſemine aut urinâ, ſalibus potius, ſpiculis aut arenulis copioſè urinæ commixtis, collum veſicæ ſtimulantibus, adverſam ♀ri ſenſationem excitantibus, rectius, me quidem judice, adſcribitur, quàm latenti alicui in his partibus malo: Mucum quoque prolicere poſſunt veſicæ, aut exprimere ex veſiculis ſeminalibus materiam, qualis olim viſa fuit, nec quicquam monſtri alere mihi quidem videtur. Indicationum palmaria erit, ut concoctionis negotium reſtauretur & proſperè ſuccedat. Sperare enim licet hac reparata bonum ſuccum, ſanguinem laudabilem & proſperam valetudinem ſponte ſua fluxuram eſſe. Quo ſcopo ut potiamur, tollenda ſunt vitia in ſtomacho occurrentia ante enumerata, nimia ſc. irritabilitas lenienda, demulcenda, non exaſperanda, nec archæus ejus irritan-

ritandus acribus aut irritantibus, aut moleſtis concoctioni. Potius concoctioni velificandum & aceſcentia maſſæ alimentariæ ſolicitè præcavenda. Quid alii ſibi promittant à purgantibus & vomitoriis, aſſequi non poſſum, quin auſim dicere, affectum plerumque deteriorem fieri & ſi non periculoſa ſaltem eſſe noxia, ſiquidem Ventriculus magis laceretur ejusque irritabilitas intendatur, niſi fortè ſemel mucum acidum glandularum, poris impactum, excutere conſultum videatur. Vitanda igitur acria, irritantia, quæ ventriculo quocunque modo moleſtiam faceſſere videbuntur, frigida, cruda, dura, ſalſa, pinguia, butyro frixa, paſtæ farinaceæ, viſcida, piſces, olera, & legumina, fructus horæi, lacticinia & quæcunque ſtomachus moleſtè fert. Paucis: Veſcatur Illuſtriſſimus, præſertim noctu, ſelectis, ſtomacho gratis & concoctu facilibus, calidis præſertim & ſtatis horis juſculis, panatellis, carnibus juniorum animalium, pullorum, gallinarum, caponum atque perdicum, imprimis vitulina, conciſis, aut cum pane ſimilagineo in globulos coactis, omnibus ad palatum paratis ferculis. Maſticatio non negligatur nimiis diſcurſibus, ſine qua fruſtra concoctio expectatur. Bibat vinum quam minimè acidum, cum vinum aceſcat in ægrotante ſtomacho, totamque maſſam alimentariam acore imbuat. Hinc quosdam juvit, præſertim, Marchionem Badenſem, hauſtus vini generoſi ab initio paſtus, cum vel ſine aqua, prout ventriculo magis conducere videbitur. A paſtu ſibi temperet à ſeverioribus, potius grato oblectamento quodam Naturæ inducias concedat, ut concoctioni vacare poſſit. Exercitatio, Equitatio præſertim calorem nativum excitat, circulationem ſanguinis promovet ſpiritusque animales ad partes concoctionis derivat, ad incaleſcentiam usque inſtituta. Vitandi autem nimii motus & corporis ſuccuſſiones, præſertim à paſtu & pleno ſtomacho. Aër temperatus, ſerenus & ruſticanus, in locis amœnis & elatioribus, ſanitati conducit: Nocet craſſus, frigido-humidus, auſtrinus. Corpus, præſertim extremitates, contra frigus externum muniantur,

moeror

mœror omnis excutiatur atque metus, qui vanus & in hoc affectu multum negotii faceſſere ſolet. Alvus quotidiè ſuum faciat officium & in hunc finem ſella ſtatis horis, etiam non invitante Naturâ, adeatur & in ordinem redigatur. Sin minus reſponderit, clyſtere lenitivo perſuatur. Quosdam juvit Pilula Emanuelis unica, hora ſomni deglutita. Medicamenta (quæ propter cauſas ſupra memoratas moleſtè fert ſtomachus) pauca ſunto, ſelecta, ſtomacho non adverſa, ad ſuum ſcopum comparata & alimentoſa, juxta illud tritum: Fuge Medicum & medicamenta. Intereà quàm egregiè mihi præſtiterunt opem, nimiam ventriculi irritabilitatem demulcendo ſequentia, ſc. Gelatina Cydoniata manè horâ 7. & 9. poſt meridiem tertiâ & quintâ exhibita, quantum cochleare capit. Aliis profuit cremor hordei & avenaceus. Hoc quoque facit Gelatina CC. Eboris & Ung. Alcis: ſimplicia etiam juſcula galli veteris & conſummata perdicum, eboris, viperarum, ad normam infraſcriptam parata. Præmiſi autem manè cum fructu aut Pulverem, aut Pilulas acorem ſtomachi corrigentes, Antihect. Pot. ch. oſſ. hum. præp. cryſtal. ♀. ſmaragd. Juvi concoctionem, aceſcentiam inhibui eſſentia amaricante, ita & defectum bilis ſupplevi commodè & opportunè. Intercalavi identidem Balneum aquæ dulcis, ad collum usque, dum anni tempus tulerit, bis hebdomatim & tepidè, ex Hord. Malv. Violar. Oryz. Amygd. ad circulationem ſanguinis promovendam. Abhinc frictiones quoque artuum inſtitui. Capiti conducit ſpecificum Cephal. M. aut Spec. contra apoplex. c. vel ſine ⊖. vol. ſuccin. circa Lunæ mutationes, horâ ſomni, ▽. ceraſ. nigr. In ſubitaneis capitis aut ſpirituum animalium perturbationiqus odor ⊖. vol. Sylvii & CC. nonnullos juvit, aut Nodulus ex Ruta, Bacc. Junip. Camph. c. aceto. Plerumque autem flatus incarcerati in ſiniſtro hypochondrio urgent, quibus liquore CC. ſuccin. aut etiam clyſtere exitum paraſſe juvabit. Quæ impoſterum ad tincturam ſanguinis corrigendam utilia videbuntur, ipſum anni tempus & occaſio docebit. Quæ ut ſa-

Mm 2 lutaria

litaria ſint Illuſtriſſimo, faxit Divina Clementia. Imprimis ſucc. trifol. fibrin. c. chærefol. beccapung. in uſum vocari poſſent. Hanoviæ, die 27. Sept. Anno 1686.

JOH. CONRAD. BRUNNER.

FILUM CURATIONIS.

I.

Omni manè, vel quamprimùm Illuſtriſſimus Dn. Comes evigilavit & ſurrexit, corpusque ab omnibus s. v. excrementis liberavit, ſeq. juſculum haurire poterit:

℞. Gallum viventem, ſcuticâ probè agitatum, deplumatum, inciſum & lagenæ indendum
Perdices viv. ſimiliter ſcuticâ percuſſos n. ij.
carnis bubul. lib. ij.
vitul. lib. j.
hepat. vitul. lib. part. 4.
ebor.
CC. ana ʒß.
Viperar. num. j.
rad. Chin.
viſc. querc. ana ℥j.
Inciſa cum ▽. borrag.
flor. til.
ceraſ. nigr. conjunctim cyath.

(quibus nonnulli aliquot ☉. fruſta adjiciunt) probè obturata lagena vaſi ▽. fervente pleno per 4. aut 6. horas immittantur & bullire permittantur. Tandem per linteum craſſum colentur & exprimantur, omnibusque refrigeratis pinguedo removeatur. Hujus manè & veſperi duo cochlearia cum juſculo gallinaceo, in quó

aliquid

aliquid macis decoctum fuit, calidè ſumantur, ſumpto in primô cohl. pulv. ſmaragdino compoſ. quantum 1. vel 2. cultri cuſpidibus capi poteſt. Abhinc pannus aut linteum calidum regioni ſtomachi applicetur: Veſperi horâ V. idem repetendo & poſtmodum deambulando, equitando & prout in aliis Curis moris eſt, ſe movendo.

2. Sub prandio & initio ejus xij. guttæ eſſentiæ ſtomachalis, in quocunque vehiculo, ſumantur. Cibi ſint calidi, pauci, ſed confortantes, è juſculis, panatellis, carnibus juniorihus omnis generis, vitulinis ſc. & volatilibus, ſive ſimpl. ſive maceratis & in globulos per inciſionem formatis, vino & mace aliquantulum conditis, couſtantes, prout palato arridebunt. Omnia actu frigida, olera, pomacea, cumprimis acida, acria, ſalſa, fumô indurata, aliaque coctione difficilia vitentur. Potus ſit vinum generoſum, minus acidum, cum vel ſine aquâ, ut ventriculo gratum fuerit. In primô autem hauſtu vitrum vini abſinthitis ſumatur. Veſperi ſimiles cibi, in parca quantitate & nunquam ad ſatietatem, edantur, utendo ſimul hordeaceis & ex oryza paratis, ſi ventriculus illa retineat: Sin minus, abſint.

3. Noctu, dum lectum petit, ventriculus ipſumque caput balſamis appropriatis inungenda linteumque calidum imponendum. Quodſi caput & genus nervoſum afficiatur, pulvis ſpecificus Cephalicus, in ∇. ceraſ. nigr. aut ∇. flor. tiliæ conferet.

4. Balnea aquæ dulcis, tempeſtivè adhibita, proficua forent, cumprimis cum hordeo, oryza, amygdalis, malva, violaria &c. parata & ſingulis hebdomadibus bis, per horam inſidendo, moderateque calefaciendo. Poſt balneum lecto ſe committat æger partesque extremas cum linteis calidis & ∇. Reginæ Hungariæ, ad circulationem & influxum ſpirituum promovenda, nervosque confortandos, fricare jubeat.

5. Mutationes aëris deambulationibus, equitationibus aliisque recreationibus tempeſtivè & moderatè inſtituantur, abſtinendo à purgationibus & V.S. quæ ſine urgente neceſſitate nocent omnes. Alvus etiam indies reſpondeat. Nimia ♀. caveatur. Hæmorrhoides aperiantur, id quod tempore vernali & autumnali hirudinibus fieri poſſet.

6. Animi pathemata moderentur, cumprimis tempore prandii, cœnæ & ſomni, contra quæ animus indurandus eſt, ſiquidem mirum quantum negotium concoctionis turbare valent!

Sic negotium concoctionis, ut ſperamus redintegrari, chylus laudabilis dulcisque venis infundi & ſanitas omnium partium procurari poterit, id quod faxit DEUS!

P. S.

Quodſi ſuccos acres expreſſos commode tulerit ſtomachus, non ſtatim receptui canendum, cùm alio tempore vix haberi poſſint. Abhinc Eſſentiam genuinam Trifolii fibrini (quod in hoc affectu magni facio) quàm maximè commendatam velim, & præſertim diætam, quâ ſolâ plus in ſimili affectione proficitur, quàm ingenti medicamentorum farragine. Hyeme prodeſſet multis nominibus pulvis viperarum ʒß. pro doſi, qni tanquam egregium confortativum multis & præcipuis ætatis hujus Magnatibus maximo fuit & ſervit uſui. Sumitur cum brodio capparum, cum cochlearibus ij. Gelatinæ CC. Ebor. Unguæ alcis, tanquam nervinâ & balſamicâ.

NB. Apertio hæmorrhoidum, Naturâ monſtrante viam, non negligenda, Hippocratis dictamine. Ni ſpontè fluxerint, arte aperiendæ erunt.

IV.

IV.

CONSILIUM
DN. Du RIEUX, Arch. Reg. Suec.

REQVISITIO
DN. KREBSII, Adv. Cam. Imperial.

Titius, quinquagenarius circiter, perquàm calidæ, ideoque ſiccæ Naturæ, à pluribus, ſingulariter autem à ſeptendecim annis, in eminenti gradu Hypochondriacus, ex Tabaco ſternutatorio, Hiſpanico cumprimis, nimis frequenter hauſto, non leve ſibi damnum intulit, ariditate corporis vehementer aucta. Continui enim flatus & pertinaces alvi obſtructiones immenſam ſitim excitantes eò tandem illum redegerunt, ut ad tollendas enormiſſimas hypochondriorum obſtructiones & inde ſequi ſolita ſymptomata jam Deynacenſibus, jam Antonianis, jam Aquisgranenſibus & noviſſimè Svalbacenſibus acidulis uſus ſit, quarum ultimæ vertiginem capitis non levem intulerunt. Vinum illi potus eſt ordinarius, cui à juventute aſſuevit, non autem cereviſia, flatuum mater & obſtructionum. Dumque ſub his circumſtantiis vitam agit talem qualem, accidit anno ſuperiori, ſub medium octavæ veſpertinæ, ut aliquali capitis debilitate animadverſa, mox inſolitam brachii contracturam & tandem plenam quaſi impotentiam totius dextri lateris, pleniſſimè tamen compos ſibi, pateretur: cui tollendæ dum per applicationem in & externorum medicamentorum inſiſtitur & vena in oppoſito ſiniſtro brachio ſecatur, tam vehementes ſtatim poſt apertam venam ſubortæ ſunt convulſiones, oris etiam & linguæ contorſiones, per medicam circiter horam durantes, ut & Titium de menſa dejicerent & fermè ipſa vita privarent: Quibus tamen ceſſantibus reſpirare & ſenſim ſine ſenſu ita ſe habere

bere cœpit Titius, ut planè ſibi reſtitutus putetur, non tamen absque rationabili timore recidivæ, vel quod pejus eſt, apoplexiæ, dum idem adhuc durat aſcenſus humorum, indeque orta continua alvi obſtructio, cui mederi hactenus non potuerunt aut aperientia, aut laxantia, aut humectantia, aut clyſteres absque numero adhibiti. Cum igitur Titius in unum hoc collimet, ut obſtructio hypochondriaca reſeretur, alvus fluida reddatur & ita aſcenſui & deſcenſui humorum via aperiatur, quæritur:

(1). An accidens, quod ab anno paſſus eſt, hemiplegia vera fuerit, aut ſpecies aliqua? & cujus gradus ac nominis?

(2.) An juſtè adhuc timeri & non præcaveri & quibus mediis poſſit?

(3.) Quis potus ordinarius & cibus, ac quomodò ſumendus?

RESOLVTIO.

DIſcuſſis maturè omnibus, quæ in relatione continentur, mirum eſt, quod Titius quinquagenarius, aridus corpore, emiſſo ſanguine non fuerit è medio ſublatus. Ariditas enim nullam patitur phlebotomiam; & quotiescunque adeſt virium debilitas, ſeu ſpirituum imminutio (niſi illa à ſanguinis repletione proveniat) toties ſanguinis miſſio eſt mortifera. Idcircò non mirandum, quòd venâ apertâ ſubortæ ſint convulſiones & ut petitioni veſtræ fiat ſatis, dicam, oris & linguæ contorſiones fuiſſe Titio imperfectam hemiplegiam, ſeu paralyſin & timendum ſanè, ne illi apoplexia immineat. Hoc enim ſanguis cæterique ſucci naturales vitiati, pertinax alvi obſtructio, ætas & ſpirituum imminutio minantur. Nec illam avertent laxantia, ſeu quæcunque aperientia, multò minus aquarum uſus, utpote virium & ſpirituum imminutiva. Sed ſi funeſtum illud accidens vitare velimus, unicè incumbendum exiſtimo,

ſtimo, ut ſuccos interiores corrigamus, ariditatem corporis tollamus, humidum naturale & principium vitæ fortiter læſum reſtituamus, naturamque deviam revocemus & hoc non per laxativa, neque aperitiva, ut dixi, ſed mediante particulari & ſpecifico remedio, ſpiritibus animalibus & vitalibus innocuo & amico. His enim poſitis ceſſabit alvi obſtructio, ab humido deficiente inteſtinorumque digeſtione læſa proveniens, cæteraque ad priſtinam ſanitatem redibunt. Natura enim ſana ſuis præſidet functionibus & ſi illæſa ſervetur, tamdiu corpus ſanum habebitur. Prædicta verò ſi omittantur, nulla ſpes ſanitatis affulget, ſed pejora omnia timenda exiſtimo. Si cum Titio conferre liceret, plura ſuggeri & offerri poſſent, quæ probabiliter ad ſanitatem recuperandam multum facerent. Interim fugiat omnia acida, ſalſa, cibos ſalſos. Item abſtineat à piſcibus cujuscunque generis, leguminibus, piſis, fabis, fructibus & herbis, ſed utatur cibis boni ſucci, concoctu facilibns & humectantibus. Cùm vinum ſit illi potus naturalis, idcirco parcè & ſobriè eô uti debet. Longè à paſtu dormiendum fugiendusque ſomnus meridianus. Interea ut funeſtis quibuscunque accidentibus occurratur, ſuccique interiores vitiati corrigantur & deinde Natura reparetur, Liquor transmittitur, de quo Titius uti poterit, ſumendo quotidiè duo cochlearia, unum ſc. manè jejunè & alterum veſperi, eundo cubitum, in quatuor cochlearibus aquæ cichorei.

G. Du RIEUX, Med. D.

Emendatio & Eleuteratio
REQUISITIONIS
DN. D. SCHELLHASS, Arch. Cam.

Conſultiſſimi DN. Patientis corpus non aridum, ſed ſucci plenum. Morbus debellandus eſt malum Hypochondriacum,

inveteratum, nullis hactenus, niſi acidulis Swalbacenſibus, cedens remediis. Hæ autem poſthac tepidæ, non prout hactenus, frigidæ, præmiſſis præmittendis, hauriendæ. Cæterum appetitus adeſt naturalis & fortior, ſomnus quoque naturalis. ☉ Signa coctionis perfecta exhibet. Verbo: Viſcera principaliora ſunt ſalva. In Curâ primariò ad malum hypochondriacum reſpiciendum, quo ſublato ſymptomata ſponte ceſſabunt.

RESPONSIO ALTERA

D. Du RIEUX.

HÆc ſecunda morbi ſeries non reſpondet priori transmiſſæ, quandoquidem in hac patet morbum, de quo agitur, eſſe Malum hypochondriacum inveteratum, quod rectè dicitur opprobrium Medicorum, ex eô, quòd non ſatis ſæpe feliciter ſuccedit curatio. Attamen cùm acidulæ Swalbacenſes (hiç incognitæ) Domino laboranti ſemper profuerint (uti dicitur,) illarum uſus videtur continuandus, eæque ſint, ſi placet, tepidæ, utpote magis diluentes & aperientes. Verùm cùm in illo morbo ſtomachus cum inteſtinis non ritè officio fungatur (læſa enim eſt utrobique concoctio & ſucci proinde à naturali ſtatu ſunt devii, quod ab acido in primis viis hærente & fibras nervoſas afficiente provenit) idcircò poſt alicujus temporis uſum dictarum aquarum nil magis profuturum cenſeo, quàm ut Dominus ægrotus bis in die, manè ſc. & veſperi, transmiſſo liquore utatur, utpote ſpiritum volatilem in ſe continente, qui acidum prædictum, in primis viis occultatum, paulatim deſtruet; ſed illius uſus per 2. menſes ad minimum continuandus, & annuente Divino Numine ſtatus morbi mutabitur. Nec ingratus illius odor ſumentem repellat. Etenim ſi vitio tali laboret, plures in ſe continet virtutes & quidem innumerabiles, quæ mihi indies magis ac magis innoteſcunt & pendente illius uſu nec paralyſis, nec apoplexia timenda, quæ utplurimùm hunc

mor-

morbum conſequitur. Hæc ſufficere exiſtimo. Ad 1, & 2, autem punctum hic adhuc repetam fomitem morbi reſidere in ſtomacho, acidum ſc. flatus cæteraque accidentia, obſtructiones & contorſiones, producens. Ad 3. & ultimum, morbus hic non eſt Apoplexia, ſed malum Hypochondriacum, cui tamen niſi occurratur, ut ſuperius dictum, ſuccedere ſolet Paralyſis, Apoplexia, vel Hydrops.

G. Du RIEUX, Med. D.

V.

CONSILIUM

DN. D. FRANCKI á FRANCKENAU,

In eod. Caſu.

P. P.

QUæſtiones in Literis E. T. mihi probè traditis propoſitas κατὰ δύναμιν reſolvenda exiſtimo.

Ad I. Affectus eſt Malum Hypochondriacum, ex obſtructis minoribus vaſis hypochondriorum & lienis, à ſanguine craſſo, acri, partim bilioſo, partim melancholico, ſive tartareo. Uſus Tabaci ſternutatorii unam è cauſis remotis conſtituit, quo caput nimis calefactum, ſanguis exſiccatus & vapores attracti fuerunt, ſymbolumque ſuum addunt exhalationes, è liene æque ac ſtomacho, bile & ſucco pancreatico. Omnia hæc confirmant temperamentum, ſtatura, habitus corporis, ætas, vitæ genus aliaque plura indicia. Obſtructionum, quæ metuuntur, & flatuum intuitu, alternis diebus manè, jejuno ſtomacho, paſſulæ laxativæ Ang. Salæ in uſum adhiberi poſſent, quas ita præſcribo:

℞. Paſſul. purg. A. Salæ ℥iß. D.

Ad II. Præmiſſis purgantibus, ad obſtructiones in M. S. aperien-

riendas, de ſeq. mixtura manè & veſperi 60. guttæ, in juſculo aliquo, aut vino ſumi poſſent:

℞. Liquor. ſplenet. Schröderi ℥ß.
R. ♂. aperit. ℥ij.
M. D. S. Mixtura Aperitiva.

His per 5. ad 6. ſeptimanas continuatis poſſet & abhinc futurâ æſtate, DEO ita volente, cura acidularum genuina, ex legibus artis, ſubſtitui.

Ad III. Apoplexiæ præſervandæ, DEO bene juvante, tam Balſamum Apoplecticum, quàm Aqua Reginæ Hungariæ ſatisfaciet. Si verò paroxyſmus apoplecticus (quem Deus avertat!) forte ingruat, veſicatoria acria nuchæ ſunt imponenda: ſpiritus ⊖✱. urinoſus non tantùm naribus admovendus, ſed & guttæ quædam ori infundendæ & ſi neceſſitas efflagitaverit, vena ſtatim ſecanda, unà cum aliis remediis, quæ dexteritati præſentis Dn. Medici relinquimus.

Ad IV. Continua excretio in tantum bona eſt, ut pituita inutilis excernatur. Interim præſtaret, ſi ventriculo & morbo primario ſuccurreretur, ne pituita ejusmodi de novo generaretur.

Ad V. Febris propriè ſic dicta non adeſt, ſed alteratio quædam extraordinaria, ſeu φλέγωσις, h. e. ebullitio ſanguinis impuri, ex diverſa ejus craſi & particulis heterogeneis ſalinis in eo contentis.

Ad VI. Multum utique, ut jam ſupradictum, à melancholiâ & cholerâ profluit. Interim DEO ſit gloria! nulla usquedum apoplexia adeſt!

Ad VII. In diæta fugiantur omnia cruda, ſalſa, aromatiſata nimium acida, fumo indurata, ſive piſces ſint, ſive carnes: Carpiones item, ſalmones, braſſica muria condita, piſa, lentes &c. E contra carnes juniores & teneriores vitulinæ, hædinæ & bubulæ, (miſſis ferinis) ſpinachia, braſſica Sabaudica, florecaulis: Juſcula item cerefolio, acetoſa, borragine & bugloſſa condita, juſcula ex

hordeo & avena, paſtinaca, pruna Damaſcena, pruna de Brignoles &c. eligantur & acidularum potus, cum minus conſtipent, continuetur.

Ad VIII. Aqua Reginæ Hungariæ tam ad partes madefaciendas, quàm loco errhini adhiberi poterit.

Ad IX. Sicco, frigido & ſereno tempore veſtibus corpus probè muniendum ſicque paulatim exſpatiari, vel quod præſtat, rheda vehi expediet.

Ad X. Cerebrum quidem, ut ſupradictum, aliqualiter ab uſu tabaci ſternutatorii incommodatum fuit: attamen de novo humectabitur, ſi in accurata diæta emollientibus, refrigerantibus & aperientibus cibis, cum modico exercitio, uſus fuerit Dn. Patiens, quem DEI T. O. M. benedictioni relinquo & cum ſtipulatione ulteriorum ſervitiorum perſevero

N. T. E.

Heidelbergæ $\frac{2}{12}$ *Decembr.* 1684.

Officioſiſſ.

D. GEORG. FRANCK, PP. Univerſ. Vice Cancell. & Arch. El. Trevir.

VI.

CONSILIUM
B. DN. D. WEPFERI,

Affectus Exc. V. eſt COLICA BILIOSA, vulgo ſic dicta, ſiquidem non tam à bile ortum ſuum trahit, quàm ſerô acido-ſalſo, quod toti M. S. commiſcetur & in plexus meſenterii ner-

voſos ſe inſinuat, unde inteſtina, cumprimis tenuia, ſe contrahunt & neque flatus, neque alia contenta, deſcendere patiuntur. Dolor enim utplurimùm ſub umbilico in hypogaſtriô ſentitur, unde & ardorem urinæ excitat. Quodſi autem flatus adſcendant, reſpirationem difficilem cauſantur, quæ non prius remittit, quàm ructus erumpant. Sin verò iidem flatus deorſum verſus erumpant, E. V. benè ſe habet. Serum hoc abundanter in E. V. reperiri & univerſam M. S. inficere, confirmant porrò dolores hinc inde corpori moleſti, mox in hac, mox in aliâ parte, adeò, ut & auriculæ & dentes ab illis immunes non ſint. Idem confirmat ſpaſmus in digitis & urinâ ſ. h. quæ, ſi aquoſa pars evaporetur, ſal acre & acidum in fundo relinquit, licet pallida & aquoſa, absque ullo ſedimento, apparuerit. A tali humore colicam aliosque affectus oriri, inde clarum eſt, quod effluente è digito majori pedis ſiniſtri ſero per duos menſes remiſerit malum: intumeſcente verò de novo digito pedis, nec effluente ſero, idem in Excell. V. recruduerit & usquedum adhuc affligat. Unde & quî ſerum acido ſalinum generetur in M. S. prolixius eſt explicatu, quàm ut E. V. inde lucem quandam ſibi promittere poſſet absque confuſione. Illud certum eſt, iis, qui Anatomiam & motum ſanguinis lymphæque perſpectum habent, abſurdiſſimum videri, ſi quis de obſtructionibus vaſorum ſanguiferorum, meſenterii, lienis & hepatis, vel & de ſucco pancreatis multa blaterare velit, dum ne ſpeciem quidem veritatis habent. V. Exc. ſufficiat ſcire, acidum hoc generari in ſanguine, à temperamento connato, è vinis tenuibus calidioribus, acrem tartarum in ſe habentibus. Acredo autem per colicam augetur. Unde illi, qui ſemel eandem perpeſſi ſunt, facilimè quàm minimâ occaſione in eandem relabi poſſunt, partim, quòd acrimonia augeatur, partim, quòd plexus nervoſi laxiores & ad recipiendum promptiores reddantur: utut prior ratio præponderet, ut vel inde dignoſcendum, quoniam colicam ſæpius affligentem dolores artuum, dentium & ſpaſmus inteſtinorum, imò tan-

tandem contractura inſequuntur. Purgantia, colica hâc tantùm incipiente, de ſero hoc plus impellunt plexibus his, haud aliter ac ſi quis oculos inflammatos & rubicundos ſale iis inſperſo curare velit. Quantum Colici purgantibus & laxativis corrupti & deperditi fuerint, pluribus exemplis mihi conſtat, dum eadem certò certius pareſis, ſæpe & convulſiones univerſales & ipſa mors, ſecuta ſunt. Quapropter eò penes Exc. V. laborandum duco, ut 1. Serum ſanguinis, quantum fieri poteſt, edulcoretur & diſcutiatur. 2. Ut idem minus irritetur, quo in plexus meſenterii ſe refundat. 3. Quamprimùm conſtrictio fibrarum circularium ſe trudit, citiſſimè illa relaxetur & ſolvatur. Hunc in finem tempore æſtivo ad edulcorationem quam maximè conducunt acidulæ, ſerum lactis, aut juſcula carnis alterata. Autumno autem, Hyeme & primo Vere certæ pilulæ, quæ facilius & minori cum moleſtia, quàm pulveres, aſſumi poſſunt. Cumprimis Exc. V. acidulas valdè proficuas invenio, ſpeciatim Deinacenſes & Griesbacenſes. De Swalbacenſibus multa dicere non habeo, quùm ſcaturigini nunquam interfuerim, licet easdem deguſtaverim & aliis ordinaverim, etiam peregrè allatas indeque non ſine emolumento. Interim nullus dubito easdem ex ipſo fonte & ſcaturigine hauſtas efficaciores eſſe.

Quodſi E. V. hoc anno Acidulas bibere decreverit, neutiquam neceſſarium erit multa præparantia præmittere, multo minus repetita purgatio illi conferet, ſive ante, ſive inter, ſive poſt acidularum curam. Sin autem vel maximè opus eſſet laxante (quod amarities oris, nauſea carnis, vertigo, cephalalgia & ſimilia oſtendent) ſyrupus roſarum ſolutivus ſimplex optimus & tutiſſimus foret. Hujus autem mane hora V. uncias quinque, cum pauca quantitate ▽. borraginis dilutas, propino, remanendo per 2. horas in lecto. Licet etiam obdormiſcere. Quodſi hora 8. non laxet, ſuperaddo ℥iv. ſyr. prædicti, eadem aquâ diluti, ſic purgabit absque ullis torminibus. In potu acidarum E. V. manè ſucceſſivo

ceſſive doſin augeat vitro, cujus VI. menſuram efficiunt, usque dum vel 6. ad 7. vitra deventum fuerit. Tot ſi bene perferri poſſunt, illa per 12. vel 14. dies, tanquam maximam doſin, continuentur & abhinc indies vitrum decurtetur. Veſperi unum vel alterum vitrum pro lubitu ſumere poterit, ſub paſtu verò ab acidulis abſtinendo. Cuilibet vitro parum tragææ ſtomachalis interponere & à potu ejus deambulare convenit. Præſentibus obſtructionibus V. E. omnia purgantia miſſa faciat eaque, quæ infra dicentur, obſervet.

Primo Vere, hoc rerum ſtatu, præſentibus etiam torminibus, ſeq. juſculum herbarum quam maximè proficuum invenio: ℞. Herb. cochl. naſturtii hortenſis, chelidon. min. acetoſ. recentium aa p. j. conquaſſatis parum affunde quartarium dimidium juris carnis, aut gallinæ non ſalitæ, colentur citiſſimè: quod per 3. aut 4. ſeptimanas bene calefactum potetur, ſubſequente deambulatione.

Menſe Junio & Julio, dum E. V. acidulis non utitur, conveniret ſerum lactis, aut juſculum alteratum: ℞. rad. graminis ℥ß. F. agrimon. trifol. fibrin. ling. cervin. heder. terreſtr. flor. borrag. bugloſſ. aquileg. ana p. j. ſem. aniſi ʒj. coq. in ſeri lactis caprini lib. iij. aut tantumdem juſculi carnis non ſaliti. De hoc mane fere quartarium, veſperi paulo minus, per 3. vel 4. ſeptimanas calidè potare & corpus quodammodò movere poterit.

Autumno, usque ad Aprilem, V. E. indies manè, & urgentibus doloribus abdominis & artuum, manè in lecto & veſperi hora V. pilularum harum n. 5. in aqua flor. tiliæ ſumere & per aliquot horas à cibo abſtinere poſſet:

℞.	Pulv. antihect. Pot. ʒij.	Ungul. alc. præp. aa. ʒij.
	Cinnab. nativ. præp. ʒj.	Rad. Pœon. ʒiß.
	CC. Philoſ. præp.	⊖. vol. CC. ℈ß.

M. F. pulv. & cum Gelat. CC. F. Pil. ex ʒj. n. xxxx. conſperg. Pulv. ſantal. citrin. D. ad ſcat.

Exc.

Exc, V. fugiat purgantia ſummoperè, cumprimis diagridiata, magiſterium jalappæ & folia ſennæ, cum aloëticis. Abſtineat etiam ab omnibus medicamentis calidis, ſpiritu vini & ſimilibus. Maximè expediret V. E. ſi brachio ſiniſtro fonticulum inurere curaret. In cibis fugiat omnia probè ſalita, aromatiſata, aceto & ſucco citri condita. Cappares ſanitati adeo conducibiles non ſunt, uti putatur. Pinguia nimium & in butyro frixa nocent. E re eſſet, ſi E. V. vinum aquâ dilueret. Menſuræ aquæ aniſi ʒj. vel tantum fœniculi, aut rad. Chinæ incoqui poſſet, Acidulas ſub paſtu vino miſcere nocivum puto, novi enim id incommoda tuliſſe.

Urgentibus doloribus colicis ea quæ contracta ſunt absque ullâ morâ relaxanda & ſolvenda ſunt. Hunc in finem ſtatim ſeq. clyſter infundatur: ℞. Vitell. ovor. n. jj. ℴ℗. lini ℥jj. M. add. quartarium fermè decoct. hordei, aut lactis, calefiat aqua calida in veſica, donec calorem debitum acquiſiverit. Nil de ſale, ſaccharo, melle, nil de purgantibus addendum. Sæpè ſextâ quâvis horâ ſimilem clyſterem infundere jubeo. 2. Venter inungatur ℴ℗. lil. albor. per quadrantem horæ, ſingulis 2. vel tribus horis repetendo. 3. Singulis horis de ſeq. potiuncula cochlear detur:

℞. ▽. Flor. Til.
Pœon. aa. ℥jj.
~⊖*.
CC. ana ℈ß.
Pulv. March. ℈jj.
Cinnab. nativ. ℈ß.
Syrup. de Pœon. ℥j. M.

4. Vino prorſus abſtineatur. Coquantur ʒjj. rad. Chin. & ℥j. paſſul. min. in Menſ. jß. aquæ. De hoc Exc. V. bibat pro lubitu. Sæpe juſcula carnis efficacia edat, hordeum probè coctum & quidem in jure carnis. Ita continuetur, donec dolor remittat.

Filia Virgo, quatuordecim diebus ante tempus menſium, mane de lecto ſurgendo & veſperi 2. horis ante cœnam qualibet

vice cochl. iij. de ſeq. potione ſumat & per horæ ſpatium abhinc obambulet:

℞.	Limat. chalyb. ℥ß.	Cort. aurantior. ʒij.
	Cinnamom. acut. ʒij.	⊖. artemiſ. ʒj.
	Caryophyllor. ʒj.	Sacch. alb. ℥ij. M.
	Galang.	Ind. vaſi vitreo ampl.
	Mac. ana ʒß.	Vin. alb. opt. lib. ij.
	Croci gr. vj.	Aq. Meliſſ. lib. j.

Benè clauſa diger hor. 24. in loc. calid. Col. per Chart. Sub hujus uſu abſtineat ab acetariis & omnibus cibis frigidis. E re fuerit, ſi idem menſibus Septembri, Novembri, Januario & Martio reiteraverit. DEUS omnibus benedicat!

Heidelbergæ die 14.
April. 1684.

JOHANN JACOB WEPFER,
M. D.

VII.
CONSILIUM
DN. D. FURSTII, Archiat. Elect. Trevir.

CASUS.

Dominus quidam Patiens, 51. annorum, jam ab annis 17. Affectione Hypochondriacâ flatulentâ, cum alvi obſtructione pertinaciſſimâ aliisque ſymptomatibus, malum hoc ordinariè concomitantibus, laborans, ex abuſu nimio pulveris Tabaci Hiſpanici ſubtiliſſimi, per nares attracti, primò ſingularem capitis dolorem gravativum aliquamdiu ſenſit, dein convulſiones dextri brachii, quas tandem totius lateris illius reſolutio, ſeu paralyſis inſecuta eſt, ſine

ſine ſenſuum tamen internorum ulla privatione &c. Poſt adhibita à Medico ordinario remedia antiparalytica, tam interna, quam externa, in tantum quidem reſtitutus, ut tam pedem, quàm brachium lateris illius nonnihil movere denuô poſſit, cùm tamen membrorum horum uſus verus liber & perfectus ipſi adhuc denegetur, timeatque, ne ob continuum, quem adhuc patitur, dolorem gravativum, ac alvi pertinaciſſimas obſtructiones, &c. vera tandem ſequatur Apoplexia, vitæ brevi finem imponens &c. Quæritur, cùm ad dolorem Hypochondriacum alvique pertinacem obſtructionem nec ab humectantibus, nec à clyſteribus, multo minus à purgantibus levamen ſentiat, quid remedii adhibendum, ut alvus fluida conſervetur, & Dominus Patiens ab apoplexia, quam vel maximè timet, præſervetur? An Acidulæ, quibus diverſimodè ante hac ad tollendas Hypochondriorum obſtructiones uſus eſt, vel frigidæ, vel calidæ ſint adhibendæ? & utrùm Thermarum uſus ipſi ſit futurus proficuus? aut an ſine his, & quibus aliis remediis, Dominus patiens adjuvari priſtinæque ſanitati reſtitui poſſit?

RESOLVTIO.

Non immeritò fœcunda graviſſimorum morborum & ſymptomatum Mater, aut Genitrix, dici poteſt Affectio Hypochondriaca, malum certè admodum frequens & literatis vitamque ſedentariam degentibus vel maximè familiare, quod cum ſedem ſuam plerumque figat in primis viis, ventriculo ſcilicet & inteſtinis, illorumque digeſtionem depravet & diſturbet, tragœdiam ſuam ludit & tyrannidem exercet vel maxime in inteſtino duodeno & craſſo illo magno, quod dicitur colon; confluunt enim in duodeno humores diverſiſſimæ naturæ, nimirum bilis per ductum choledochum, egrediens per pylorum è ventriculo ciborum ſuccus, & lympha pancreatica, ex ductu Virſungiano, dicto pancrea-

tico; hi ſi vitio laborent, ſive bile nimis acri exiſtente, aut ſucco pancreatico nimis acido, aut ciborum chylo nimis feroci, viſcido acidoque, exoriuntur motus & fermentationes inordinatæ, & acria, quæ hinc exſurgunt, effluvia orificia ventriculi nerveæ texturæ lancinando ſpasmodicè convellunt (ſymptomata enim Hypochondriaca penè omnia ſpaſmodicæ fibrarum nervearum contractioni ac criſpationi debentur) hinc inteſtinalibus tunicis eodem ſpasmo affectis, flatus non ſolùm in copia generantur, ſed & alvus dura & pertinaciſſimè clauſa redditur, & propter impeditam hanc excrementorum ſeparationem, lympha ventriculi & inteſtinalis impurior facta digeſtionem diſturbat, & chylum crudum acidumque progignit, qui ſanguini communicatus illum craſſum & in motu ſuo circulari per totius corporis partes, maximè per viſcera depurationi & ſubtiliſationi ſanguinis inſervientia, (nimirum hepar, lienem, meſenterium &c.) tardum reddit & impedit, unde dictæ partes, ſanguine craſſo infarctæ, obſtruuntur & intumeſcunt, (cumprimis cùm ob ſtructuram venæ portæ ſanguinis regreſſus ex abdominis partibus ad hepar aliquâ ex parte difficilis impulſum ſatis validum requirat:) unde à ſanguine craſſo, & imminuta ejus circulatione, chylificationeque depravata, omnium ſymptomatum, imo & ipſius Paraplegiæ, ſive Paralyſis ratio petenda eſt. Ex craſſo enim & viſcido acidiore ſanguine ſpiritus animales in cerebro generantur craſſiores, qui ob craſſitiem tenuiſſimos nervorum tubulos non ritè permeare, nec in partes corporis, ad ſenſum & motum ibi excitandum, pertingere valentes, nunc, ſi dimidiam tantùm ſpinalis medullæ partem, vel in uno latere aliquot ſaltem nervorum propagines occupent, paraplegiam, vel paralyſin illius lateris cauſantur, nunc, ſi principium ſpinalis medullæ obſtruunt, Apoplexiam veram inducunt. Ad quos affectus non parum vi ſua narcotica & ſtupefactiva contribuere poteſt immoderatus pulveris Tabaci per nares attracti uſus, atque hinc meritò damnandus. Nunc ad quæſtionum propoſitarum Reſolutionem reſpondeo,

non

non eſſe mirum, quòd hactenus nec puris humectantibus, nec ſolis clyſteribus, multo minus purgantibus pertinax alvi obſtructio potuerit ſolvi, & dolor Hypochondriacus leniri, cùm per longam, quam habeo, experientiam mihi conſtet, malum hoc purgantibus, præſertim fortioribus, ſemper exacerbari & augeri, alvique obſtructionem reddi pertinaciorem; hinc ne quidem clyſteribus ulla purgantia ſunt admiſcenda, ſed per medicamenta temperata & blanda tantùm aperientia, balſamica, volatilia & nervina, quæ vi ſua balſamica chylum condire, ſanguinem blandè ſpirituoſum reddere, ſpasmodicas fibrarum nervearum convulſiones, tam in ventriculo, quàm inteſtinis, tollere vel impedire, & per conſequens flatuum proventum præcavere, alvi obſtructionem ſolvere à præſente paralyſi liberare, atque Apoplexia præſervare apta ſunt, curam inſtituendam eſſe cenſeo; quæ autem illa ſint, Medicus quilibet prudens & in materia Medica vel leviter tantùm verſatus noſſe debet. Si tamen Dominus Patiens cum nominis ſui revelatione à me petat, ut eorum formulas quasdam, cum methodo illa adhibendi, ſuggeram, paratiſſimum me ſemper inveniet, maximè, ſi ad Thermas Embſenſes, quarum tam internum, quàm externum uſum præ acidulis frigidis ſuadeo, proficiſci, & meo ibidem conſilio ulterius uti voluerit. Interim Dominum Patientem Divinæ protectioni, me verò perenni ejus favori commendans permaneo

N. N. Domini Patientis

Paratiſſimus Servus
JOH. ZACHARIAS FüRST, M. Dr.
Aulæ Electoralis Trevirenſis
Archiater mpp.

VIII.

CONSILIUM

DN. D. HERTII, Archiat. Haſſo-Darmſt. in eod. Caſu.

P. P.

Gratiſſimum mihi eſt auditu, Conſultiſſ. Dn. ſic ſatis ſalvum & incolumem Wezflariam rediiſſe, cui ſanitatem perennem voveo. Rebus ita ſe habentibus de cæterô nihil aliud agendum, niſi quòd juxta nuperrimum oretenus inter Nos factum concluſum iis potiſſimum inhæreamus, quæ digeſtionem continuò conſervant & chylum laudabilem ſuppeditant, ſimul tamen nervos & ſpiritus animales confortant & in influxu ſuo ſuſtinent; quem in finem commendatum nuper pulverem, manè jejunô ſtomacho, in doſi præſcriptâ, denuò ſuaderem, utpote qui ad omnia ſymptomata directus, atque acido hypochondriaco enervando par eſt. Juxta hunc ſubinde prandio, vel & cœnæ, Elix. ſtomach. Dn. D. Wedelii gutt. xxxx. in juſculo calido, aut & vino laudabili & generoſo, præmitti poſſent. Obſtructionum intuitu usquedum clyſteres domeſtici in uſum erunt adhibendi, cum pulpa laxativa, aut hujus loco, electuarium de Tamarindis cum fol. Orientalibus: Vel utrique grana xv. vel xx. ⊖☿. in ovo ſorbili, paulò ante paſtum, ſubſtitui poterunt. Aliis medicamentis melius abſtineret. Interim & metus ille inanis apoplexiæ deponendus erit, cùm paroxyſmus exantlatus nullam prorſus cum paroxyſmis apoplecticis convenientiam habuerit, ſed potius ſpecies lipothymiæ cujusdam fuerit. DEUS omnibus gratioſè benedicat, cui Nob. T. commendo admodum.

Honoratiſſ. Dn.

Darmſtadii, den 22. Jul. 1700.

Officioſiſſimus
J. C. HERT.

Medi-

Medicamenta ante præſcripta erant ſeqq.

α. & ω.

℞. Pulv. cacheԑt. Q.
correct, ʒvj.
ſtomach. Geilf.
ʒiij
M.
D. S. Pulvis manè ad ʒß. in jure calido ſumendus.

* * *

℞. Elix. cathol. ℥ß.
Arcan. ♀. dulc.
ʒij.
M.
D. S. Eſſentia ad gutt. XL. hora 1. prandium & cœnam præcedente ſumenda.

α. & ω.

℞. Pulv. analept. M.
Marchion.
ana ʒij.
Specif. cephal. ℈ij.
☍. deſt. lign.
ſaſſafr. g. ij.
M.
S. Pulvis confortans, veſperi ad 2. cultr. apic. in ▽. ceraſ. nigr. ſumendus.

FOR-

FORMULÆ.

* * *

℞. Decoct. cham. ℥x.
♂o. cum. g. V.
vitell. ovor. n. ij.
⊖. com. parum M.
F. Enema in Colicâ.

* * *

℞. ♂o. Lini dep. ℥ix.
F. Clyſt. in Ileo.

* * *

℞. ▽. menth. ℥iij.
Theriac. noſtr. ʒj.
♂o. cum. gr. ij.
extr. opii gr. j.
ſacch. ſyrupiſ. ℥ß.
M. F. Potio pro aliquot doſibus.

* * *

℞. Eſſent. caſtor. ʒj.
opii ℈j.
M. D. gutt. xv. bis de die.

* * *

℞. Miner. ♂. aut Lim. ♂. alcoliſat. ʒiß.
cinnamom. acer. ʒß.
M. F. Pulv. contra Malum Hypoch.

℞. Tinct. ♂. ☉. ʒiij.
D. ad vitr.
Sum. indies 40. ad 50. gutt. in eodem malo.

* * *

℞. Decoct. emoll. ℥viij.
carmin. ℥iij.
Elect. de bacc. lauri. ʒvj.
Extr. cathol. ℈ß.
♂o. lini ℥iß.
chamom. ℥j.
⊖. com. ʒj. M. F. Clyſt.

* * *

℞. ▽. chamom.
carm. Dornrc. aa. ʒiß.
∾. Ther. camph.
carminat. aa. ʒj.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. cort. aurant. ʒvj.
M. D. cochleatim.

* * *

℞. Specier. diacum Mynſ. ʒj.
Ocul. ♋. præp. ʒß.
Ægagropil. ℈ß.
Laud. opiat. gr. iij.
M. F. Pulv.

* * *

℞. Extract. carm. gr. vij.
Laud. opiat. gr. iij.
♂o. aniſ. g. ij. M.
c. ſyr. de cich. F. Pil. pro 2. doſ.

℞. Pulv. Cachect. Querc.
Stom. Birckm. aa. ʒiß.
Pulv. anal. Mind. ʒj.
M. F. Pulv. indies manè cum Malvat. ſumend.

CAP.

CAP. XIV.
DE
STERILITATE MULIEBRI ET VIRILI.

STERILITAS eſt voluptas ſine anima: **IMPOTENTIA** virilitas ſine viribus

- ***PHÆNOMENA***
  - In VIRIS aut cachexia aliqua, aut ſtupiditas adeſt, vel & teſtes deficiunt, aut p. n. ſe habent, deficit appetitus ♀. nec arrigunt cum Pamphilo, pendente lite in Impotentia, per inſpectionem ocul. probanda.
  - In MULIERIBUS vox obſervatur rauca, fluor albus, aut menſes nimii, obeſitas nimia, facies decolor, quæ ſemper adeſt in cachecticis.
  - UTROBIQUE autem, ſi abſolutè, non reſpectivè, ſteriles ſunt ἄτεκνοι vivunt.
- ***SUBJECTUM***
  - MORBI ſunt vaſa genitalia utriusque ſexûs.
  - CAUSÆ
    - M. S. in cachexiâ & fluore albô.
    - vaſa genitalia in aliis caſibus.
- ***CAUSA***
  - ***PROXIMA***
    - *FORMALIS* eſt conceptio & congreſſus impeditus.
    - *MATERIALIS*
      - PRIVATIVA, ovulorum, vel ſem. defectus.
      - POSIT.
        - ſemen effœtum, aut nimis acre.
        - humores p. n. uterum obſidentes.
        - pinguedo nimia.
        - polypus tub. Fallopianæ.
  - ***REMOTA***
    - Diſpoſitio hæreditaria: labor nimius.
    - ♀. abuſiva, uterum nimis lubricans.
    - Corpulentia nimia, fonticuli, Lithotomia.
    - Tumores teſtium, cachexia, uterus malè conſtructus.
- ***PROGNOSIS.***
  - Hæreditaria ſterilitas difficulter, aut nunquam curatur.
  - Rarò etiam ſanatur, ſi à mala uteri conformatione.
  - Facilior, quæ à cauſâ externâ & tumoribus oritur.
- ***CURA***
  - 1. Humores p. n. ſemen aut uterum vitiantes, educit
    - Purgantibus: Magneſiâ alba, ſenn. &c.
    - Diaphor. cumprimis volatilibus.
  - 2. Vitia partium Genitalium emendat, tollendo
    - Obſtructionem
      - Penis & vulvæ, per inciſionem.
      - Uteri per
        - Martialia, Acidul.
        - Thermas Embſenſes.
    - Tumorem Teſt. reſolvendo, vel incidendo.
    - Compreſſionem uteri, per diætam tenuem.
  - 3 Semen actuat, per ſpecifica aphrodiſiaca
    - *DOMESTIC.*
      - Nutrientia, Amygd. dulc. ova.
      - Aromatica, piperata, cinnam, &c.
      - Stimulantia, Borracem &c.
    - *OFFICINALIA.*
      - Spec. diatr. piper. Elect. dia-Satyr.
      - Pulv. Ruſtici contra ſterilit. p. 297.
      - Cantharides præpar.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In curanda Impotentia Virili cave ne cantharides aut ſine corrigentibus, aut in nimiâ quantitate adhibendo mictum cruentum, inflammationem veſicæ & ſimilia cauſeris, ut Seni apud *Henricum ab Heer, in obſervationibus oppido raris,* contigiſſe legimus.

II.

Cave quoque ne ſuperſtitiones aniles adhibendo dæmonium per Beelzebub ejicere coneris.

OBSERVATA & CONSILIA.

I.

Ruſticus 28. annorum, cùm in febre nimium aquæ ingurgitaſſet, incidit poſt eandem in dolores lumborum & veſicæ. Urinam ad me ferenti (quæ ſedimentum album, mucoſum, cum pauca urina continebat) & conſilium meum expetenti ſeqq. præſcripſi: Primo quidem potionem purgantem: ℞. Elect. bened. laxat. ℥vj. Aq. parietar. & veronic. ℥j. M. quâ bene dejecit: Inungebat ſimul regionem lumborum & veſicæ hoc oleo: ℞. ☍. ſcorpion. lil. alb. ana ℥ß. ſtillat. junip. ʒj. M. Adhæc ut hebdomatim bis ʒj. harum pilularum deglutiret, mandavi: ℞. Tereb. com. ʒß. rhabarb. pulv. ceterach. ſuccin. alb. præp. ſucc. liquirit. ana ʒß. M. F. Pil. n. IX. ex ʒj. Hiſce omnibus cum melius habuiſſet, nondum tamen erectio virgæ adeſſet, de qua re admodum ſollicitus erat (habebat enim juvenem uxorem,) obnixè rogavit, ut ipſi ſuccurrerem. Ordinavi ergò primò pulverèm ad ʒj. cum lacte, dum cubitum iturus, ſumendum:

℞. Rad.

℞. Rad. Pyrethri.
Cinnamom.
Zingib.
Piper. ana ʒß.
Sem. eruc. ℥ß.
Borracis ʒj.
Scincor. præp. ʒß.
Sacchari ℥j. M. F. Pulv.

Juxtà hoc ſeq. etiam unguento utatur:

℞. Piper.
Zingib.
Sem. ſinapi ana ℈iiij.
Euphorb. ʒß.
🜕. laurin. ℥ij.
de ſpic. ℈j. M.

Hoc inungebat regionem pudendi, præſertim inter anum & teſtes, cum levamine. *D. Schefferus l. c.*

II.

Dn. D. Fabricii, Archiatri Norimbergenſis, curam ſterilitatis per uſum viperarum *vid. in Obſervat. Gockelii pag.* 389.

III.

Experimentum Ruſtici contra ſterilitatem, quo maximum quæſtum faciebat, ita deſcribit *B. Dn. D. Sebizius in Colleg. Pract. MSC.*

℞. Zedoariæ.
Rad ſatyr.
galang.
calami aromat. aa. ℥ij.
gentian. ℥j.

Inciſa conjiciantur in ſacculum & infundantur vino,

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Amygd. Ambroſiac. ℥iij.
Nuc. Lampertian. ℥ij.
c. ſ. q. ▽. rub. idæi
F. Emulſio.
add.
ſcinc. præp. ℈iß.
ſacch. ſyrup. q. ſ. M.
D. pro aliquot doſibus.

* * *

℞. Borracis Venet. ℥j.
cinnamom. acerr. ℈j.
⊖ vol. vip. ℈ß.
M. Div. in 3. p. æ.
D. in ▽. Menthæ.

* * *

℞. Eſſent. ſuccini.
ambr. aa. ℥j.
M. D. gutt. xxx. in vin. Malv.
bis de die.

* * *

℞. ℴ℗. Nuciſtæ. ʒiß.
Zibethi ℈ß.
Moſchi.
Ambræ ana.
gr. vj.
c. ſ. q. balſ. Peruvian.
F. Balſam.
pectini & genitalibus
illinendum.

α. & ω.

℞. Amygdal. dulc. ʒiij.
Nuc. pin. piſtac. ana ʒj.
Sem. eruc. ℈ij.
c. ſ. q. ▽. naſturt. F. Emulſ.
add. Pulv. ſem. eruc. ʒß.
edulc. c. ſacch. perlato q. ſ.
D. pro aliquot doſibus.

* * *

℞. Pulv. analeptici
Mindereri ʒiß.
ſem. erucæ ʒß.
elæoſacch. citri ℈ß.
M. D. S. Stärckendes Pulver
auf etlichmahl.

* * *

℞. Rad. ſatyr. condit. ʒiij.
conf. anacardin. ʒij.
alkerm. ʒj.
Spec. diatrion. pip. ℈j.
ℴ℗. ♌. cinnam. gr. iij.
c. ſ. q. ſyr. cinam.
F. Elect.
bis de die quantitate nucis
caſtan. ſumend.

* * *

℞. Zibeth. ℈ß.
ambræ
moſchi aa. gr. v.
balſ. de copaib. q. ſ. F. balſ.
quo glans ſub cohabitatione
inungatur.

CAP. XV.

DE PASSIONE ET SUFFOCATIONE HYSTERICA.

PASSIO HYSTERICA eſt dolor abdominis graviſſimus, cum ſenſu globi adſcendentis & metu ſuffocationis, ab uteri & plexuum nervoſorum irritatione dependens.

- **ΦΑΙΝΟΜΕΝΑ.** Tormina urgent in abdomine vehementiſſima, cum ſenſu cujusdam globuli ex hypogaſtriò aſcendentis, quem manu ventrem premente inhibere ſæpe ſolent, ne ſurſum feratur, qui tamen jugulum petendo reſpirationem, cum metu præfocationis, cordis anxietate, animi deliquio, imò ſuffocatione, (ut mortuorum inſtar jaceant) intercipit. Sæpe & parturientium doloribus ſimilia tormina per ſpinam dorſi ad ſcapulas feruntur, cum frigore circa lumbos &c.
- ***SUBJECTUM***
  - Symptomatis ſunt plexus nervoſi, in abdomine & meſenterio convulſi.
  - Cauſæ, uterus & primæ viæ.
- ***CAUSA***
  - ***PROXIMA***
    - ***FORMALIS*** eſt irritatio partium abdom.
    - ***MATERIALIS***, humores acidi, flatus &c.
  - ***REMOTA***
    - Tenerior partium textura, aer calidior, aut frigidior.
    - Cibi & potus acidiores, crudiores, flatulenti. Motus nim.
    - Excreta p. n. retenta, ut menſ. & lochia.
    - Affectus animi vehementiores: ira, timor &c.
    - Colica, Nephritis, Tumores uteri.
- ***PROGNOSIS***
  - Raro jugulat, ſed chronicus ferè morbus eſt, ad mortem durans.
  - Periculoſa in gravidis, in quibus abortum infert.
  - In juvenibus à partu: In ſenibus poſt menſes ceſſantes ceſſat.
- ***CURATIO***
  - IN PAROXYSMO
    - Suffocatæ excitandæ, vid. de Syncop. & Apoplexia.
    - Dolores ſopiendi
      - Clyſterib.
      - *Hyſtericis*
        - Internis:
          - ▽ Menth. laud. hyſt.
          - Eſſ. caſt. &c.
        - Externis
          - Galbanetô.
          - Balſ. hyſt.
  - EXTRA PAROXYSMUM
    - 1. Acidum viſcidum incidendum & evac.
      - ⊖nis.
      - Pil. aloeticis.
    - 2. Alterandum, per ♂alia.
    - 3. Uterus confortandus per Hyſterica
      - ***DOMESTICA***
        - Pulv. cinnab. c. op.
        - ⊖. CC. vol.
        - Eſſ. caſtor. ⊖✱.
      - ***OFFICINALIA***
        - ▽. hirund. c. caſtor.
        - Balſ. embryonum.
        - Galbanetum &c.
        - Fum. Tabaci.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In hyſtericis curandis fugiantur nimis dulcia & fragrantia quæ utrobique nocent & paroxyſmum tam inferre, quàm exacerbare valent.

II.

Vitanda quoque purgantia violentiora, uterum & genus nervoſum irritantia: ſufficiunt laxantia.

OBSERVATIONES.

I.

Paſſionem hyſtericam, cum ſtupore brachii per conſenſum orto, curatam & *Anno* II. *Dec.* II. *Miſcellan. Acad. Nat. Cur. Obſ. CLV.* à me inſertam, vid. ibi *pag.* 383.

II.

Suffocationem pariter uterinam, per fumum Tabaci curatam, *vid. ibidem pag.* 384.

III.

CONSILIUM
DN. D. GEILFUSII Sen.
Archiat. Haſſo-Darmſt.

Fermentum ventriculi (in cujus fundo ſuccus acidus fixus & fermentativus, cum intermixta pituita, ſtabulatur) minus legitimè ſe habet. Hepar debilitatum bilem ſibi moleſtam & ſali acerbo maritatam non expellit. Lienis copioſæ arteriolæ ſuos, nocturno

no cumprimis tempore, patiuntur Manes. Ex halitibus hypochondriacis & flatibus uterinis vehementes & acerbi vapores altum petunt, diſtendunt pleuram & pulmones, adhuc illæſos, contrahunt ſpaſmodicè, unde reſpiratio difficilis redditur & à diaphragmate, quod ſterno æque ac inter ſcapulas ſpinæ dorſi cohæret, multum incommodi in pectore & auditu, cum tuſſi profunda, generatur, urgente ſimul tanta colli & quandoque ſimul ventriculi inflatione, ut fermè crepare rumpique videantur. Flatibus ſanè nil ſeditioſius.

Quùm igitur tenaces (ut modò dictum) imò polypoſi humores in fundô ventriculi hæreant, hepar nimis debile bilem depravatam non ſegreget, nec expellat: Lien ob defectum domeſticæ fermentationis exuvias ſeroſas non eliminet: Bilis ratione effervеſcentiæ horrendos flatus cauſetur, ſicque pituita per bilem rarefacta, una cum ſanguine accenſo & rarefacto, ut & flatus hypochondriaci & acerbiores vapores adſcendendo diaphragma ſurſum agant & ſpaſmodicè contrahant ſicque ſuffocationem hypochondriaco-hyſtericam producant; hinc Illuſtriſſima Comes humores illos impactos ſpeciebus hiſce laxando educat, oportet, infundendo illas tribus quartariis vini & uni quartario aquæ beccapungæ, ſumendo indies, vel alternis diebus, manè hauſtum, ita ut quatuor vicibus exhauriatur totum. Abhinc gallus vetuſtus, deplumatus & exenteratus radicibus hiſce impleatur, in 4. aut plurimis menſuris aquæ, ad 4. partis conſumptionem coquatur, & de juſculo indies, tempore matutino, hauſtus ſumatur & prout poſt vinum laxativum, corpus eundo leniter moveatur: quod decoctum nitroſitate ſua polypoſos & tenaces humores reſolvet. Tertiò ſub hypochondriaca hac ſuffocatione cochlearia aliquot mixturæ præſcriptæ ſumantur & ſubinde 9. guttæ tincturæ inſtillentur aq. gentianæ, hirundinum, hyſtericæ & hypochondriacæ ana, ſicque aſſumantur. Cibi ſint pauci, nec varii. Exulent flatulenti; & quoniam à vino omnia exacerbantur, hinc ejus loco aqua aliquo-

quoties chalybeata ſumatur, utpote quæ lieni & epati hic ſimul afflictis conducit, humores ſubtiles reddit, aduſtosque è liene & meſenterio educit, calorem in obſtructis hypochondriis exſtinguit & fermentum ventriculi roborat. Huic aquæ ferratæ, poſt ultimam chalybis igniti immiſſionem, cortices exteriores citri, aut aliquid rad. galangæ injiciatur & ſimul contra ſcorbutum aſſumatur ſequens aqua:

℞. Herb. Cochlear. rec.
Naſturt. aquat.
Nummular.
Mercurialis.
Herb. Beccapung.
Meliſſ.
Bugloſſ.
Flor. aquil.
Trinit. ana q. v.
Deſtill. cum vino l. a.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

a. & a.

℞. ∇. menth. ℥iij.
Eſſent. caſtor.
ꝏ⦶*. ana ʒj.
Extr. angelic. ℈j.
opii gr. iij.
Sacch. Syr. parum
M. D. S.
Stillendes Trâncklein offt ein paar Löffel voll zu nehmen.

a. & a.

℞. ∇. meliſſæ.
menth.
hirundin. c. caſt. ana ℥ij.
Eſſ. cort. aurant.
caſtor. ana. ʒj.
Theriac. cœleſtis ℈ß.
Syr. cort. aurant. ʒvj.
M. F. Potio, capiatur cochleatim.

℞. Eſſent.

* * *

℞. Eſſent. caſtor. ʒiß.
opii ʒß.
M. D. S. 15. bis 20. Tropffen des Tages zweymahl in Balſam-Waſſer zunehmen.

* * *

℞. Pulv. cinnabarini.
ʒiß.
⊖. CC. vol. ℈j.
Extr. opii gr. iv.
M. Div. in 4. p. æ.
D. bis de die, in ▽. menthæ.

* * *

℞. Unguent. virid. cathol.
ʒß.
☍. deſt. carui.
℈ß.
M. D. S.
Warm auf den Leib zureiben.

* * *

℞. Liquor. CC. ſuccin.
Eſſent. caſtor. aa. ℥j.
myrrh. ℈ij.
opii ℈j. M.
D. S. Stillende Tropffen des Tages etlichmahl 20. bis 30. zunehmen.

α. & ω.

℞. Rad. oſtrut.
ariſtol. rot. aa. ℥ß.
Herb. menth.
puleg. aa. Mj.
Flor. chamom.
ſambuc. aa. p. ij.
Sem. carui ʒiij.
Coq. in ſ. q. aq. ſimpl. col.
℞. ℥viij.
add. Elect. de bacc. lauri
☍. laurini aa. ℥j.
deſt. cumini g. vj.
Vit. ovor. Nj. M. F. Clyſt.

DESCRIPTIO.
BALSAMI UTERINI
D. STRAUSSII,
Giſſæ olim Celebris.

℞. Gummi Galban. in
✠. ſol. ʒß.
☍. nepetæ.
rutæ aa. ʒj.
Extr. caſtor. ℈j.
F. Balſamum.

DE
ABORTU.

ABORTUS eſt intempeſtiva & præmatura fœtus ejectio, ab uteri vellicatione atque ſpaſmô proveniens

- *PHÆNOMENA*
  - INSTANTIS ſunt extenuatio mammarum & abdomen (quod antea turgebat) concidens. Adhæc lac antea præſens deficit, aut ubertim effluit, cum pedum & lumborum gravitate, doloribus circa os ſacrum & horroribus crebriùs intercurrentibus. PRÆSENTE verò abortu ▽. & ſanguis, cum vel ſine fœtu, ex utero prorumpunt, præcedente ſæpius horrore febrili &c.
- *SUBJECTUM*
  - Eſt Uterus cum vagina.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt irritatio fundi uteri & eandem inſequentes ſpaſmi, cum p. n. & præmatura apertione.
    - *MATERIALIS* ſunt humores circulantes,
      - ſive peccent
        - quantitate in Plethorâ.
        - qualitate, in Cachexiâ.
        - motu, in exercit. vehementi, aut affectibus.
  - *REMOTA*
    - Tenerior corporis textura, aer æſtuans, aut frigidus, vel & halitibus fœtidis imprægnatus.
    - Cibus & potus, ſive quantitate, ſive qualitate peccantes.
    - Motus & itinera incondita, elevatio brachiorum & ponderum geſtatio.
    - Ira, terror, medic. draſtica & V. S. intempeſtiva.
    - Febris, convulſio, tuſſis, hæmorrhagiæ, dolores nimii, caſus ab alto, plagæ &c.
- *PROGNOSIS*
  - Plus negotii faceſſit, quàm partus naturalis.
  - Raró tamen lethalis, niſi hæmorrhagia uteri, ſyncope, aut convulſiones atroces acceſſerint.
  - Difficilior in ſenioribus, quam Juvenculis.
- *CURATIO* Remotis externis,
  - 1. Cauſas abortum inferentes eliminat
    - V. S. mediô geſtat: tempore, in Plethorâ.
    - Laxant. & vomitoriis, ſi à cacochymia.
    - Diaphoreticis, ſi à ſero exſuperante.
    - Pellentibus, ſi fœtus in utero ſeparatus fluctuet & hæmorrhagia uteri adſit, adhibitâ ſimul enchireſi obſtetricis.
  - 2. Fœtum & uterum confortat
    - Adſtringentib⁹
      - DOMESTICIS Pulv. ♂. & Cinnabar.
      - OFFICINALIBUS
        - Pulv. contr. abort.
        - corall. rubr. Pulv. Pann. rub.
    - Aromaticis
      - Nuc. moſch. caryoph. & anthoph.
      - Balſam. embryonum &c.
    - Cardiacis
      - Pulv. analept. Minderer.
      - Vin. Hiſp. & Malvat.
    - Externis
      - Unguent. Comitiſſæ.
      - Balſam. uter. placent. mellit.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Utut in præſervando abortu adſtringentia & confortantia ſint optima, iis tamen non fidendum, aut inſiſtendum, ſi fœtus jamdum ſeparatus in utero fluctuet & (quæ utplurimùm conjungitur) uteri hæmorrhagia adſit, quam ſolitis adſtringentibus tractando adeò non curabis, ut potius plures inde perierint.

II.

Quemadmodum ergò tali in caſu pellentibus & emmenagogis fœtus eſt promovendus, ut obſervatio in *Noſocomio* n. *Academico, Diſſ. de Hæmorrhagia uteri ab abortu* docet: ità cavendum eſt, ne, dum Obſtetrix ſimul fœtum extrahit, aut integræ ſecundinæ, aut portio illarum remaneat, intusque putreſcendo febres puerperarum lethales cauſetur.

OBSERVATIONES.

I.

Quædam Ludimoderatoris Uxor, cùm ex improviſo glirem, ſeu murem majorem, pedibus calcaſſet, inde perterrita tribus abhinc diebus hæmorrhagia corripiebatur, non ſine frequentibus animi deliquiis. Vocatus præviis ligaturis, in brachio factis, propinavi moretum ex diamoron, rob. mor. rub. id. ana ℥ß. ſyrup. corall. ℥ß. ▽. plantag. borrag. burſ. paſt. ana ℥ij. conf. alkerm. ℥j. M.D. cochleatim, quod aliquoties iteratum. Quartô die abortivit infantem XIII. ſeptimanarum, capite inſtar muris formatô, auribus etiam ſimilibus inſtructo, tandemque confortata convaluit.

D. SEBASTIANUS SCHEFFERUS,
in MSS. Practicis,

II.

Mulier xxxi. annorum, conſtitutionis phlegmaticæ, cùm quinquies abortiviſſet, conſilii cauſa ad me venit & rogavit, ut ulteriores abortus, cùm jam eſſet prægnans, præcaverem. Ordinavi igitur (1.) Emplaſtrum contra rupturam, ad ℥iß. ventri imponendum, cui prius unguentum Cornitiſſæ, cum ℴ︀℘. myrtill. inungendum erat. Abhinc utebatur (2.) his morſulis: ℞. Semin. Coriandri præp. ʒij. Rad. biſtort. Raſ. ebor. corall. rub. ana ʒj. Succin. præp. Gran. Kermes ana ℈ß. Sacch. aq. roſ. diſſol. ℥iiij. F. Conf. in Morſ. pond. ʒj. quarum unam quotidiè abſumſit.

III.

Alia Muliercula, cùm abortum V. menſium paſſa eſſet, ad me conſilii cauſa venit, quæ cùm frigidæ & humidæ conſtitutionis eſſet, his utebatur Pilulis: ℞. Maſſ. Pil. Angelic. ℥iij. ſuccin. alb. præp. maſtich. ana ʒj. agar. opt. ℈ß. ariſtoloch. rot. ℈ß. moſch. gr. iß. F. Pil. xv. è ʒj. Harum 7. vel 8. omni veſpere, per 3. vel 4. dies ſumſit, omni octiduo elapſo. Intermediis diebus manè hoc utebatur electuario: ℞. Conſerv. flor. rorismar. majoran. beton. ana ℥ß. Spec. diambr. diamoſch. dulc. ana ℈ß. cinnamom. ſiler. montan. NMoſch. raſuræ ebor. ana ʒß. M. c. ſyrup. menth. F. Elect. A meridie ſeq. balneo ſimul uſa eſt: ℞. Rad. valerian. bryon. ana ℥iij. Herb. malv. menth. matricar. Fol. laur. ana Mij. Flor. lav. ſambuc. roſar. ana Miß. balauſt. ℥ß. Coq. in ▽. ferratâ. Poſt illud ſuffimigium in uterum admiſit: ℞. Santal. citrin. cort. citri ſicc. NM. ana ʒij. gran. cherm. nuc. cupreſſ. ana ʒj. caryophyll. cinnamom. ana ℈ß. M. Inſpergatur parum carbonibus & per infundibulum recipiatur fumus. Tandem & thermarum uſu reſtituta eſt & prolem peperit incolumem.

D. GUILIELMUS ERNESTUS SCHEFFERUS,
in Man. Pract. Mſc.

FOR-

FORMULÆ.

ā. & ω̄.

℞. Pulv. n. ♂. ʒj.
Cinnab. ʒß.
Nuc. moſch. pſ. ℈ß.
M. F. Pulv. bis de die in potu ordin. ſumendus.

* * *

℞. ▽. roſarum
menth. ana ℥iſ.
Extr. Angelic. ʒj.
opii ℥r. ij.
ſacch. ſyrup. q. ſ. pro edulcor.
M. D. Cochleatim, ſæpius de die.

* * *

℞. ♁. Nucıſt. expr. ʒj.
deſtill. carui ℥r. vj.
M. Fiat Balſamum umbilico & abdomini illinendum.

* * *

℞. Placent. Norimb. mellit. N. j.
Madefiat Vino Hiſp. & applic. abdomin.

* * *

℞. Cruſt. pan. toſta
conſp. pulv. Nuc. Moſch.
Caryoph. ana
intingatur vino generoſo & applicetur.

α. & ω.

℞. Pulv. contra abort. A. ʒiß.
eboris ſine △. ʒß.
Terr. catech. ℈ß.
Ther. cœl. ℥r. v.
M. D. S. Anhaltendes Pulver des Tages 2. mahl ein paar Meſſerſpitz voll zu nehmen.

℞. ▽. flor. tiliæ
tormentill. ana ℥iß.
Corall. rub. præp. ʒj.
Maſtich. pſ. ℈ß.
Syrup. coralliot. ℥j.
M. D. cochleatim, ſæpius de die.

* * *

℞. Balſami embryon. ℥iij.
Syrup. corall.
flor. tun. ana ℥ß.

* * *

℞. Embl. de Galbano
Tacamah. ana ℥j.
c. s. q. balſ. Peruv.
F. Empl.
induc. ſuper alutam & abdomini applicetur.

℞. Balſam. hyſteric. D. Strauſſ. ℥ß.
♁ Nuc. moſch. ℈j.
M. appl. umbil. & abd.

CAP. XVII.
DE
PARTU DIFFICILI.

PARTUS DIFFICILIS eſt p. n. fœtus exituri retardatio, ab ejusdem aut uteri debilitate, aut obſtructione utplurimùm proveniens.

- *PHÆNOMENA.*
  - Tormina adſunt, quæ movent aliquid, ſed nil promovent, tormina ſc. ſeu dolores languidi, ad dorſum potius, quàm muliebria verſus urgentes (*falſche Wehen.*) Sæpe mater eſt nimis debilis: Sæpius autem foetus, ſive mortuus, ſive languidus, cooperari nequit, cumprimis, ſi ſitus ejus male ſe habeat. Tandem os uteri internum, in ſenioribus qſ. oſſeum, ſe aperire nequit.
- *SUBJECTUM*
  - eſt utetus, tam quoad fundum, quàm quoad orificia.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - FORMALIS eſt deficiens elater fœtûs & uteri occluſi.
    - MATERIALIS
      - PRIVATIVA
        - Humores deficientes.
        - Vires proſtratæ.
      - ſunt
      - POSITIVA
        - Fœtus debilis, aut mortuus.
        - Placenta uterum obſtr.
        - Membranæ craſſiores.
        - Mola & Tumores.
  - *REMOTA*
    - Textura tenerior & ſtatura nimis parva.
    - Aer nimis calidus, aut frigidus.
    - Alimenta adſtringentia ante partum.
    - Motus intempeſtivus, aut deficiens.
    - Excreta retenta, vias partus anguſtantia.
    - Timor, verecundia, ira parturientis.
    - Hernia umbil. vitia diaphragm. &c.
- *PROGNOSIS*
  - Periculoſus eſt ſtatus, quia aut mater, aut fœtus ſæpe perit, aut herniæ oriuntur.
  - Inter ſitus p. n. Agripparum facilior: ſi umbilicus primò ſe ſiſtat, omnium difficilimus.
  - Si viribus proſtratis ultra 4. dies duret, mors imminet.
- *CURA*
  - 1. Cauſas removet
    - Diætâ confortante, ſed tenui, excluſis carnibus & balneo.
    - Remotione excrem. per clyſteres emollient. Semicup.
  - 2. Fœtũ promovet, operâ
    - Parturientis, ad labores admonendæ.
    - Obſtetricis, vel Chir. Embryulci.
    - Medicamentorum
      - DOMEST.
        - Pulv. cinnab. in ſpaſm.
        - Bortace, croco, ▽. menth.
      - OFFICIN.
        - Spec. diaborrac. M.
        - Glac. Mariæ.
        - Hepar. muſtel. piſc. c. felle.
  - 3. Vires confortat, juſculis gallinaceis, non carneis &c.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In Partu tardiori, doloribus non continuis, ſed diu interruptis, caveat Obſtetrix, ne intempeſtivè & juſto citius ſellæ adſtringat, aut ad labores cogat puerperam, ſed genuinos dolores & effluxum aquarum expectet.

II. Caveat etiam, ne juſto citius membranas fœtus unguibus dilaceret, ſicque aquis effluxis partus viæ exſiccentur.

III. Maximè verò ſibi caveat, ne fœtum, in orificio uteri ex parte hærentem, pro mortuo habeat eumque quavis ratione mutilet, ut Francofurti olim vidi.

IV. In confortandis Puerperis noli Muliercularum mori locum dare, qui juſcula carnis, febribus puerperarum anſam miniſtrantia, obtrudere ſolent, quicquid etiam de propria ſua experientia deblaterent.

OBSERVATIONES.

I. Anno 1705. Alsfeldiæ fœmina partum demortuum & corruptum fruſtillatim per anum excrevit, obſtetricante ſæpiſſimè manu Chirurgica DN. Clebergeri, Conſulis illius loci. Particulam cranii aliaque oſſicula in Muſeo meo adhuc ſervo.

II. Aliâs partum, in Virginibus annoſis ordinariò difficilem, qaliuoties balneis emollientibus facilitavi: In ipſo verò puerperio diutius juſto reſtitantem fœtum borrace Venet. feliciter promovi.

III.
CONSILIUM
DN. D. WEDELII,
Pro
facilitando partu.

Quid de Conjuge partui jam proxima ad me ſcripſeris, una cum reliquis circumſtantiis ſpaſmum concernentibus, percepi & ut omnibus ſatisfiat ſequentia medicamenta transmittenda duxi: ℞ Rad.

℞. Radd. a'th.
malv.
lib. alb. ana ℥ß.
Herb. IV. emo l.
meliſſ.
agerat.
origan.
polygon.
ſerpill. ana Mij.

Flor. Chamom. Rom. Mj.
lil. alb.
melilot. ana mß.
Sem. lini
fœnugr. ana ʒiß.
aniſi ʒß.

quæ partim binis ſacculis (quorum alter dorſo, alter abdomini imponendus) partim in aheno, cum aqua coqui & alternis diebus loco balnei adhiberi poterunt. Finito balneo confortans aliquod, v. g. ℞. corall. ſumi debet, una cum linimento ex ℴ℘. Mo: mord. Jaſmin. ana ℥ß. ℴ℘. lign. Rhod. ʒj.

Abhinc (2) tempore partus ſeq. pulvis pellens ſumi poſſet:

℞. Borrac. Ven. ʒiß. vel ℈iv.
♁ nativ. ℈ß.
Croci gr. viiij.

ℴ℘. Cinnam. g. ij.
M. Div. in 2. p. æ.
D.

S:

Auf 2 mahl bey anſtehender Frucht und eignender Oeffnung zu nehmen.

Prima ſc. doſis ſtatim in initio, cum aqua pulegii, altera, ſi opus videbitur, ſecunda abhinc hora ſumatur.

Tandem (3.) Spaſmi intuitu è re erit, ut eo urgente alteri lateri incumbat, vel & plane ſurgat, dorſum & articulationes affectas unguento ſpaſmodico Mynſ. ℥j. aut ſeq. fricando:

℞. Balſam. Embryon. ℥j.
∽. formicar. ℥ß.
CC.
⊖✱. ana ʒj.

Eſſ. caſtor.
ℴ℘. Petrol. ana ℈ß. M.

IV. An in caſu deſperato liceat vim inferre fœtui, ut ſervetur Mater, ſeq. Epiſtolâ à Filio meo natu maximo *D. Chriſtophoro Bernhardo Valentini* ad *Dn. Meuschienium* datâ, ventilatur.

VIR SVMME REVERENDE,
DOMINE & PATRONE VENERANDE!

Terribilis, ſi non prorſus horrenda, Rabbinorum vox eſt: טוב שברופאים לגיהנם *Optimus inter Medicos ad Gehennam.* Rationem petunt ex *Talmud* circa finem libri *Kiddaſchim*: Non enim metuit à morbis, veſcitur laute, non confrin„ git cor ſuum Deo, aliquando etiam interficit homines, quando pauperes, quod poſſet, non ſanat. Quo facit illud *Plinii Hiſt. nat. l. XIX.* diſcunt periculis noſtris & experimenta per mortes agunt. Medicoque tantum homines occidiſſe ſumma impunitas eſt. Aſt ut poſterior hæc ratio manifeſtam ſapit calumniam (διαβολὴν) juxta *Hipp. lib. de rat. vict. in acut.* §. 8. ita in priori non tam optimus, quam peſſimus Medicus deſcribitur. Quicunque enim pauperes non curat, ille nec divitum ſed divitiarum curam gerit. *Peſſimus E. inter Medicos ad Gehennam.* Optimis econtra ſuum quoque inter Primicerios Judæorum locum fuiſſe, exinde conſtat, quod apud Iſraelitas inter Præfecturas viginti quinque templi quoque ממונה ער החולים *Præfectus ægrotorum ſ. Medicus* fuerit. Quoniam enim Sacerdotes jugiter in pavimento ſtare tenebantur, pluribus carnibus veſcebantur, nec in hora miniſterii veſtem aliam præter unicam eamque ſimpliciſſimam induebant, non poterant non colico dolore infeſtari: unde Præfectus illis jungebatur, cujus officium erat morbos illorum obſervare decenterque curare, vid. *Maimon Kelhammikdi* c. VII. §. 14. & *Seldon. de Syned. l. 3. c. II.* Interim aliud, idque magis forte ſtringens pro ſuſtinendo illo Rabbinorum dicterio momentum in *Coi* noſtri ſcriptis invenio, dum *lib. 6. Epid. ſect. 8.* §. 49. *Ed. Foeſii* Optimis Medicis ſimilitudines imponere dicit. Quemadmodum autem Jureconſulti illos caſus, qui expreſſa lege cauti non ſunt, per analogiam juris decidere ſolent: ita quoque Medici in mor-

bis abſtruſioribus ſimili analogia ſibi ægrisque conſulere tenentur: quæ cum optimis, ut *Hippocrates* loquitur, Medicis imponere valeat, hinc facile homicidium aliquod, ſi non doloſum, attamen culpoſum ſequi poſſet: cumprimis ſi adhibeantur remedia draſtica, corroſiva, Chymica. Aſt neque hac ratione ſalvari poteſt Rabbinorum convitium. Habent enim ſuas cautelas, quibus in caſibus intricatis ſibi proſpiciunt Medici conſcientioſi & attenti: Habent Seniores, quos ſibi jungant Collegas: Habent Juniores, quos conſulant in Arte verſatos. Hos ſi aut ſuperbia tumeſcentes, aut lucem fugientes neglexerint, mortaliter peccant, ut ex *Toleto* habet *Thom. Aët. de Infant. part. verbo: Medicus num.* 8. apud *Zacchiam QQ. Medico leg. lib:* 6. *Tit. I. Qu.* 3. *pag.* 490.

Quòdſi in caſibus difficilimis & conſcientiam intimius concernentibus ipſis Medicis quoque aqua hæreat, non conſultum modo ſed & neceſſarium erit tum Animarum, tum Juſtitiæ Sacerdotes in ſubſidium vocare. Exemplo ſit ardua illa & maximi momenti

Quæſtio:

An liceat vim inferre fœtui, ut ſervetur Mater?

Non enim de lana caprina, ſed de vita hic agitur, aut alteri, aut ambobus amittenda. Dignum mihi videbatur argumentum hoc, quod in actu nuperrimo Doctorali, in memoriam Jubilæi Evang. Univerſalis Giſſæ ſolenniſs. inſtituto, in tanto Virorum Illuſtrium celebritate reſolverem: verum cum ob temporis penuriam & Doctorandorum pluralitatem non omnibus licuerit problemata ſua ſolenniter expedire, hinc ſtatim animo mecum conſtitui Reſolutionem meam Typis exarare publicis, atque *SUMME REVERENDÆ TUÆ DIGNITATIS* (quam in ſubſelliis Pro-

cerum

cerum Academicorum tunc coram venerari licuit) judicio ſubmittere, ut eò majori confidentia & lætiori conſcientia quoad caſum hunc, in Praxi Medica toto die obvium, me extricare valerem. Patere igitur *VIR CELEBERRIME*, ut quæ oretenus & coram proponere non licuit, hac vice datis literis exponam Tuumque deſuper conſilium ſollicitem.

RESOLUTIO

his terminis concepta erat: Ardua eſt, quam proponis quæſtio, Puer optimæ ſpei,

an ſc.

Vis inferri poſſit partui, ſi matri aliàs aut utrique ſimul pereundum eſſet?

Non enim Medicorum tantum conſcientiam exercet, ſed & JCtis, imo & Theologis negotium faceſſere poteſt horumque conſilio indiget; adeoque præ aliis digna eſt, quæ hoc ipſo tempore, quo in perpetuam feſti ſecularis ſacri memoriam omnes & ſingulæ Ludovicianæ Facultates Promotionibus ſuis ſymbolum conferre ſuſtinent, pro virili reſolvatur.

Caſum talem dabilem eſſe, imo frequenter ſatis in Praxi occurrere, ipſa teſtatur experientia. Sæpiſſime enim accidit, ut Gravidæ ſeu Prægnantes per loca incondita ſtrataque horrida delatæ, affectibus animi vehementioribus diſtractæ, aut nimiis & intempeſtivis laboribus & onerum graviorum elevatione in cauſa ſint, ut placenta uteri ſive in totum, ſive ex parte, ſeparetur, ſicque è vaſis uteri hiantibus ſanguis per placentam uteri ipſumque foetum circulandus effluat & periculoſam uteri hæmorrhagiam excitet. Cum enim placenta uteri tantum eminentiis quibusdam papillaribus in alveolos uteri ſe quaſi per gomphoſin inſinuantibus utero adhæreat, fieri facile poteſt, us motu vehementiori inde quodammodo recedat, aut omnino excidat, unde ſanguis è vaſis quaſi hiantibus, qua data porta ruit ſicque periculoſam hæmorrhagiam uteri, quam vulgo das Hertz-Geblüt vocare ſolent, cauſatur.

 Quam-

Quamvis autem in priori caſu, quando ſc. quodammodo & ex parte dehiſcit & ſeceſſum tantùm minatur placenta uterina (id quod ex paucis guttis ſanguinis prodeuntibus conjicimus, (wann ſich das Geblüth nur zeiget) adſtringentia & confortantia conveniant, qualia ſunt Pulvis contra abortum Auguſtanorum , Pulvis Pannonicus rub. Syrupus Coralliorum, Granatorum, Unguentum Comitiſſæ & ſimilia, tantum tamen abeſt hæc in plenaria placentæ ſeparatione & hæmorrhagia uteri majori ſufficere, ut emmenagoga & pellentia ſuadeant alii & quidem Verſatiſſimi, tum Medici, tum Chirurgi, quum utero à fœtu intus fluctuante expanſo vaſa ejus continuo hient, nec prius occludantur, quam fœtu ejecto uterus concidat & orificia vaſorum comprimendo occludat. Agmen inter illos ducit Senex quondam & Machaon Anglorum Celeberrimus, *D. Theodorus de Mayerne*, qui *libro de Cura Gravidarum ſect. XI. pag.* 52. in tali hæmorrhagia feſtinandum eſſe ſcribit in ope ferenda, ne ægræ paucarum horarum intervallo exſpirent. Præſtantiſſimum, inquit, remedium eſt fœtus extractio, quam Matris liberationem vocat, cum uterus ſic concidat, qua concidentia patula vaſorum oſcula occluduntur, ſicque ſanguinis fluxus ſiſtitur. Huic conſimilis eſt methodus *D. Craanii* Belgæ, qui in *Praxi Medic. Reformata c.* 10. *pag.* 4. ſimili ſanguinis fluxu immodico urgente, in curatione partus provocandus, inquit, Chirurgice extrahendo fœtum per partes, præſcribendo ſimul pellentia ex Borrace Venet. Croco &c. Addo his Embryulcos & Chirurgos celeberrimos, è quibus palmam debemus *Dn. van Solingen*, qui lib. von dem Ambt und Pflicht der Wehemütter, *cap. XV.* in tali caſu fœtum ocyſſime extrahere jubet, ne Mater cum fœtu exſpiret. Conſentit huic *Dn. Mauriceau*, Chirurgus Gallus, artem obſtetriciam quondam ipſemet Pariſiis exercens, qui in *libello ſuo obſtetricio lib.* 1. *cap.* 21. idem ſuadet & adſtruit.

Quandoquidem vero hæc medendi methodus aliis, conſcientia ſcrupuloſa præditis, Medicis valde periculoſa imo prorſus illicita videatur, adeo quidem, ut citius matrem cum ipſo fœtu pe-

rire

rire ſinant, quam per fœtus ſive abactionem, ſive extractionem, Matrem ſalvari permittant: hinc orta fuit reſolvenda mihi Quæſtio:

An ſc.

Vis inferri poſſit partui, ſi Matri alias aut utrique pereundum ſit? ſeu ut brevius efferam: *An vis inferri poſſit fœtui ad ſervandam Matrem?*

Videtur quod non! Abortum enim provocare vetat *juramentum Hippocratis*, vetant leges tam divinæ, quam humanæ. Abactionem enim fœtus ſub pœna graviſſima in Republ. prohibitam eſſe, apparet ex *l. 39. ff. de pœnis l.* 38. §. 5. *ff. Cod. l. 8. ad l. Corn. de ſic. l.* 4. *ff. de extraord. crim. in Conſt. Carol. art.* 133. Hinc ut partus ſervetur, quæſtionem æque ac pœnam Matri prægnanti ante dictatam differri jubet *l. 18. ff. de ſtatu hom. l. 3. ff. de pœnis.* Imo ventris æque commodis proſpicitur atque ſi jam eſſet excluſus fœtus *l. 26. ff. de ſtatu hom. tit. ff. ſi ventris nom. in poſſ. miſſ.* & quamvis leges aliquam hic differentiam conſtituant inter abactionem partus animati & inanimati, illumque tantum, non vero hunc pro homine habeant, indeque prior ſub pœna capitali, poſterior vero ſub pœna exilii & arbitraria ſit prohibita *l. 39. ff. de pœnis & l.* §: 5. Cod. Conſt. *in art.* 133. dubium tamen eſt an in foro poli diſtinctio illa locum habeat, cum ex Orthodoxorum ſententia fœtus ſtatim poſt conceptionem animatus ſit dicendus. Hæc ſane talia ſunt, quæ antea laudatam methodum Medicorum modernorum, qua lethalem alias hæmorrhagiam uteri per fœtus abactionem curare ſicque matrem, nullo alioquin remedio ſalvandam, ex Orci quaſi faucibus eripere ſolent, valdè ſuſpectam, periculoſam, imo prorſus illicitam eſſe docere poſſent.

Aſt ſalva res eſt: omnibus hiſce non obſtantibus affirmativam potius eligerem, cum inhumanum, crudele, ſi non omnino impium ſit hic deſerere puerperas, vitamque quam Deus illis dedit, negligendo quaſi eripere. Quid enim aliud hoc eſt, quam antiqua-

tiquatis hic adſtringentibus & elumbibus confortantibus inſiſtendo dicere: moriatur ſecundum methodum? Quid aliud, quam opem denegare ejulantibus? Annon præſtat unius vitam ſervare, quam perire omnes? ipſa ſane natura hoc videtur dictitare, ejusque legibus omnino eſt conforme, ut Matri magis ſuccurratur quam Infanti: in quo conſentientem habeo Theologum & Philoſophum noſtro ſeculo Famigeratiſſimum, *Dn. D. Buddeum*, qui in *Elementis Jurisprudentiæ Univerſalis Lib. I. cap. VIII. §. V.* „*num.* 5. expreſſis verbis idem ſtatuit, dum non tantum ætatis re„verentia id exigit, ſed & in Matre finis & ſcopus iſte, cujus gratia „homo eſt, jamdum erat obtentus, qui an in prole queat, eo ſaltem „gradu, obtineri, adhuc valde dubium eſt; & quum aliâs liberos „potius pro Parentibus, quam hos pro illis mori ſit æquum, cur non major in caſu ejusmodi periculoſiſſimo ipſius Matris quam partûs ratio haberi deberet?

Ne vero ullus adhuc ſcrupulus ſubverentibus remaneat, notari velim, partum hoc in caſu tantum non ſemper eſſe emortuum, quum ob ſanguinem in uterum ſtillantem nutrimento ſolito defraudetur, ſicque vita deprivetur: unde & placenta uteri plerumque ſemiputrida apparet.

Hinc non tantum poteſt, ſed omnino debet vis inferri partui, ut vel medicamentis ejiciatur, vel enchireſibus Chirurgicis extrahatur, ſi Matrem quidem ſalvare velimus.

Methodum hanc feliciſſime ceſſiſſe liceat exemplis aliquot ex *ephemeridibus practicis* Venerandi Dn. Parentis mei demonſtrare, quorum primum jamdum typis eſt expreſſum in diſſ. de hæmorrhagia uteri *Noſocomii Academici p.* 633. verbis ibi: Matrona XL. circiter annorum, Dn. N. N. J. U. L. & Conſilii Principalis ſanctioris Secretarii Conjux honeſtiſſima, nata Behria, ſanguineo-melancholica, poſtquam à tribus, ut credebat, menſibus utero conceperat, una cum integra, quæ è Ducatu Würtembergico aliò transferebatur, familia, iter per viam non adeo commo-

dam

dam facere cogebatur, quo abſoluto A. 1695. menſe Septembre hic Giſſæ fluxum menſtruum, ab eo quidem tempore more ſolito emanentem, redire ſenſit. Cum vero aliquoties in Patria abortierit, adeoque vereretur, ne idem infortunium hic immineret, Medicum hujus loci D. & P. V. advocari jubet ipſique totum hoc negotium patefacit. Præſcribuntur ab eo confortantia æque ac adſtringentia v. g. *Pulv. contra abortum A. cum ther. cœleſt.* in vehiculo convenienti. *Syrup. Corall.* edulcorato, quo per aliquot dies continuato horrore corripitur inſigni, cum ſubſequente æſtu, crebris rigoribus interpolato; quæ febris malignæ (qua paucos ante dies ſublatus fuerat hoſpes) ſuſpicionem metumque injiciebant, contra quam *mixtura bezoardica* parabatur, qua nondum ex officina allata immani & horribili hæmorrhagia uteri corripitur ægra, quam *lap. hæmatit.* cum *blandis anodynis* interne, ligaturis vero ex ſerico (quod vulgus alias urget) rubro externe inhibiturus erat Medicus, quorum utilitatem præſentaneam in ſimilibus fere caſibus perceperat, ſed fruſtra. Accedunt potius tormina atrociſſima, doloribus parturientium ſimilima, ſanguine adeo confertim manante, ut præ nimia virium imbecillitate, poſt aſſumtam hoſtiam S. S. calicem benedictum à B. Dn. *Hedingero*, t. t. Prof. & Eccleſiaſte hujus loci porrectum, absque reſpiratione & mora interpoſita haurire vix potuerit. Verbo: Status Mulieris lamentabilis erat ac miſerrimus, eóque magis, quod Natura medicamenta non tantum non actuabat, ſed & omnino reſpuebat. Medicus Obſtetricem advocari eamque ſolutum in utero abortum extrahere jubet. Muliercula vero adſtans fœtum confortandum eſſe cenſet & *Syrupum Corall.* miris hunc in finem laudibus extollit. Medicus è contra fœtum non confortandum hic, ſed pellendum eſſe replicans *pulv. ex borrace, trochiſc. de myrrh. &c.* præſcribit & in ▽. *artemiſ.* propinat. (cujus primam tamen doſin vomitu rejecit ægra) inſimulque Obſtetricem officii ſui admonet, quæ tandem concretionem quandam membranoſam cum ſanguine plus

minus

minus coagulato extrahit, quo facto ſtatim quodammodo ſiſtebatur fluxus, ſucceſſive penitus remittens.

Alterum exemplum longe gravius & periculoſius erat & ita ſe habebat: Gravida, ſanguine mihi proxime juncta, A. 1700. circa finem Auguſti, ob terrorem & elevationem oneris gravioris, ſexto graviditatis menſe experiebatur eundem, de quo in præcedenti dictum eſt, fluxum, ſed modicum, qui per tres circiter ſeptimanas durans tandem die 21. Septembris in horrendam & immanem hæmorrhagiam uteri deſinebat, quæ ſeq. compeſcebatur:

℞. Pulv. hæmatit. præp. ℈j.
Laud. opiat. gr. j.
M. D. ex vino rubro.

℞. Pulv. contra abortum A. ʒj.
Lap. Hæmat. præp. ℈j.
Theriac. cœleſt. gr. iij. M.

D. p. 3. vel 4. doſibus in vehiculo appropriato.

℞. Unguent. Comitiſſ. A. ℥ß,
☍. myrthin. ʒj.

Pro inunctione abdominis.

Ita ſiſtitur hæmorrhagia, niſi quod guttatim quandoque adhuc incommodaret. Inducias ſic morbo indulgente per dies aliquot circumibat quidem Gravida, aſt ſingulis noctibus circa horã 2. majori impetu fluentem ſanguinem experiebatur, opiatis compeſcendum. Tertio vero die redibat hæmorrhagia prior. Repetebantur non tantum ante probata remedia, ſed & ſequens potiuncula è ſubcontrariis, à *Sylvio* laudata, addebatur:

℞. V. è

℞. ∇. è typh. cerv.
plantag. aa. ℥iß.
Balſam. embryon.
Acet. deſtill. aa. ℥j.
Corall. rubr. præp. ʒj.
Laudan. opiat. incompl. gr. iij.
Syrup. corall. ℥j. M.

Propinabatur cochleatim, ſed irrito conatu: viribus ſumme proſtratis præſcribebantur cordialia, nec intermittebantur ligaturæ digitorum & ſimilia externa, ſed fruſtra. Omnibus ergo deſperatis Obſtetrix vocatur, quæ os matricis internum penitus occluſum reperit parumque ſolatii relinquit. Sanguine circa mediam noctem fluenti inſtar erumpente & ſyncope jamdum accedente in tanta calamitate domeſtica alium è Dn. Collegis ſimul advocari juſſit *Dn. Parens* eumque conſulit, annon expediret fœtum moventia præſcribere, ut ſervetur Mater? Illo titubante axillasque ducente tempeſtivè ſimul advolabat Venerandus *Dn. D. Majus* (eo, quo hæc ſcribo, tempore, proh dolor! non facile reparabili damno Almæ Ludovicianæ beatiſſimè denatus) cui ſacris prius adminiſtratis ſimul hic conſcientiæ caſus proponebatur, qui ægram, alterum jam pedem in Charontis cymba quaſi habentem, non alia ratione ſalvari poſſe cernens, ſe nullum obſtaculum videre dicit, quo minus pulvis (qui jamdum ad manus erat) partum promovens ab ægra aſſumeretur. Erat autem ſeq.

℞. Borracis Venet. ʒi.
Cinnab. antimon. ℈i.
Myrrh. ℈ß.
M. pro 2. doſibus.

Propinata prima doſi in potiuncula cordiali, fœtus ſuperiora verſus quaſi propulſus, uno quaſi impetu deorſum ruebat & aquarum obſervabatur effluxus; unde & Matre ſemimortua & Obſtetrice officium ſuum utrobiq; ſæpius admonitis facientibus, ab ul-

Ss tima

tima extrahuntur prius ſecundinæ putridæ, & abhinc fœtus 7. circiter menſium demortuus, quo facto utero concidente vaſisque ejus compreſſis fluxus ſanguinis haud aliter ſiſtebatur, acſi obturaculum dolio, liquorem ſuum largiter fundenti, inpactum eſſet. Cordialibus igitur & refocillantibus aliquamdiu continuatis ex Orci faucibus quaſi eripiebatur Mater, usque dum adhuc in vivis exiſtens.

Poſſem alios hic & quidem plures enarrare caſus, ubi ex intermiſſa aut juſto ſerius adhibita hac methodo perierunt & Embryonibus ſuis ſarcophagi loco ſervierunt infelices mulierculæ: ſed exempla ſunt odioſa, neque de aliorum, ſed de mea jam conſcientia ſum ſollicitus, quam in ſimili negotio eo tranquilliorem reddes, *VIR SUMME REVERENDE*, ſi pro ineffabili Tua humanitate & benevolentia, qua Conſanguineos meos hactenus nunquam non benigne proſecutus es, Conſilio Tuo verè Theologico tenuitatem meam hac in parte non dedignatus fueris, à cujus arbitrio, multo varioque rerum uſu hactenus exercitatiſſimo, totus dependere amo, æternum permanſurus

SUMME-REVERENDÆ DIGNITATIS VESTRÆ,

Scrib. Giſſæ den 26. Jan. 1720.

Servus & Cultor indefeſſus

CHRISTOPHORUS BERNHARDUS VALENTINI, D.

FOR-

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. Borracis Ven. ʒj.
Myrrh. pſ. ʒß.
Croci ℈j.
M. Div. in 4. p. æ.
D. bis de die, in ▽. menthæ.

℞. Pulv. Cinnabarini ʒj.
Croci ℈j.
Div. in 3. p. æ.
D. ut ſupra.

℞. ▽. Menth. ℥iß.
Eſſent. caſtor.
ſuccin. ana ℈ß.
borrac. Ven. gr. xv.
D. pro doſi, repetendo ſi opus.

℞. Rad. lil. alb. ℥iß.
ariſt. rot. ℥j.
Herb. malvæ.
puleg. ana Mj.
Flor. malv. arbor.
cheiri ana p. ij.
Sem. lini ʒiij.
Inciſ. & contuſ. D. pro balneo.

* * *

℞. Cingulum corii humani, ℅.
ſ. ping. ſerpentum illitum, applicetur abdomini.

α. & ω.

℞. Spec. diaborrac. Myńſ. ʒj.
Glac. Mariæ ℈j.
Croci ℈ß. M.
Div. in 3. p. æ.
D. in ▽. pulegii, bis de die.

℞. ▽. menth.
pulegii.
hirund. c. caſt. ana ℥j.
borrac. Venet. ʒj.
⊖. vol. ſuccini ℈ß.
Syrup. d. canell. q. ſ. pro edulc.
D. pro 2. doſibus.

℞. Hepat. anguill. c. fell. pulv.
Borrac. Ven. ana ʒj.
⊖. vol. viper. ℈ß.
M. Div. in 4. p. æ.
D. bis de die.

℞. Eſſent. caſtor. ʒj.
ſuccini.
croci ana ʒß.
M. S. Treibende Eſſentz, 30. bis 40. Tropffen, in Poleywaſſer zu geben.

℞. Axung. Serpent. ʒvj.
℅. Ω. ſpic. ℈ß.
M. S. Auf den Nabel und Unter-Leib zu reiben.

PRAXEOS MEDICINÆ INFALLIBILIS
SECTIO IV.
DE
MORBIS SENUM.

INTRODUCTIO.

Tempora labuntur, tacitisque ſeneſcimus annis.

Non poſſunt autem non hoc temporis lapſu ſimul vires in effœto fragilique corporis ergaſtulo pedetentim collabi, quatenus tum mechanica partium ſubſtructio, ob fibrarum rigiditatem & atoniam, ruinæ proxima, tum humores circulati, acidi, vappidi & plus minus

nus viſcidi redduntur. Veriſſimè enim Regum Sapientiſſimus Salomo

- - *Gelidus* (inquit) *tardante ſenecta*
Sanguis adeſt hærentque effœta in corpore vires.

Quodſi ergò maſſa ſanguinea, aut ipſa lympha, plus minus viſcida, aut grumoſa, in vaſis ſuis per viſcera & glandulas ſegnius circulentur, ſtagnent, aut intercipiantur, in capite VERTIGO & APOPLEXIA: in Pulmonum follibus ASTHMA & RESPIRATIO DIFFICILIS: in partibus glandulosis RHEUMATISMUS & CATARRHI generantur; & cùm ob particularum volatilium & ſulphureo-balſamicarum depauperationem ſimul acriores, acidi & acerbi reddantur, non poſſunt non viſcera partesque ſolidas ſimul lancinare, unde in renibus NEPHRITIS, STRANGURIA, ISCHURIA &c. in artubus ARTHRITIS, PODAGRA, PRURITUS & ſimilia producuntur. Accedente tandem partium fibroſarum flacciditate & atonia ſpirituumque penuria illic PARALYSIS, TREMOR, INCONTINENTIA URINÆ, MICTUS CRUENTUS, DIABETE, FLUOR ALBUS: hîc AFFECTUS SOPOROSI ſenſuumque externorum, cumprimis VISUS & AUDITUS HEBETUDINES propullulant, ut in Tab. ſequenti ob oculos ponitur.

DE MORBIS SENUM.

AFFECTUS SENUM oriuntur ex debilitate partium, aut

- FLUIDARUM,
  - Sanguis & Lymphæ
    - Stagnantiū in
      - cerebro, & pulm, in
        - *Apoplexia.*
        - *Aſthmate.*
      - glandulis in
        - *Catarrhis.*
    - Irritantium
      - viſcera, in
        - *Nephritide, &*
        - *Stranguria.*
      - Artus, in
        - *Arthritide.*
        - *Podagrâ.*
        - *Pruritu.*
  - Spirituum, in
    - *Affectibus ſoporoſis & vertigine.*
- SOLIDARUM, cumprimis fibroſarum,
  - Flaccidarum, in
    - *Paralyſi & Tremore.*
    - *Vrina Involuntariâ.*
    - *Diabete.*
    - *Fluore* Albi.
  - Rigidarum, in
    - *Contracturâ.*
    - *Auditu difficili.*
    - *Viſus hebetudine.*
- Utrarumque in *Maraſmo.*

CAP. I. DE VERTIGINE.

VERTIGO eſt falſa circumgyrationis imaginario, à ſpirituum animalium motu vorticoſo in oculis & cerebro orta,

- *PHÆNOMENA*
  - Ægris irides ob oculos verſantur & non tantùm ipſi ſibi, ſed & objecta quævis externa circumgyrari videntur. Quandoque omni ferè lumine privari & in tenebris verſari videntur, in VERTIGINE TENEBRICOSA, & tandem, ni fulcimentis obviis ſe muniant, omninò in terram procidunt in VERTIGINE CADUCA.
- *SUBJECTUM*
  - SYMPTOMATIS eſt tunica retina & ∽. animales.
  - *CAUSÆ* verò
    - cerebrum ejusque vaſa & oculis, in Eſſentiali.
    - ſtomachus & Hypochondria, in conſenſuali.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt criſpatio tunicæ retinæ & hanc inſequens vorticoſa ſpirituum undulatio.
    - *MATERIALIS* ſunt
      - Humores turbulenti, M. S.
      - ♀. acidus & flatus in ſtomacho & hypoch.
  - *REMOTA*
    - Aer auſtrinus, ingluvies, ebrietas, inedia.
    - Rotatio corporis, meticuloſa fluminum inſpectio.
    - Excret. ſolitarum ſuppreſſio.
    - Malum hypochond. & ſcorbutus, ictus.
- *PROGNOSIS*
  - Recens & accidentalis facilè curatur.
  - Habitualis, & in Senibus certus Apopl. Prodromus.
- *CURA*
  - INTRA PAROXYSMUM
    - 1. Æger ad quietem diſponatur.
    - 2. Spiritus animales à motu inſolito revellantur, per
      - Clyſteres acriores, balſamum apoplecticum & antidinicum *Conerdingii.*
      - Interna ſpirituoſa, antapopl. & antidinica, ∽. lil. convall. ægagropil.
  - EXTRA PAROXYSMUM
    - 1. Cauſa mater. eliminanda,
      - Vomitoriis, in malo hypoch. aut per conſenſum ſtom. vel & venenis.
      - V. S. in Plethora:
      - Purgantibus in vertigine pituitoſa Senum.
      - Diaphoreticis, in Colluvie ſeroſa.
    - 2. Caput & ∽. confortandi, cephalicis & antidinicis
      - *DOMESTICIS*
        - ▽ Menthæ, ∽. CC.
        - Pulv. cinnab. Epil. cubeb.
        - Eſſent. caſtor. ſuccin.
      - *OFFICINALIBUS*
        - Ægagropil. viſcis.
        - Rad. Doronic.
        - Stercor. Pavon.
        - Spec. diambr. diacubeb.
        - Pulv. cacheƈt.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In curanda vertigine fugiantur purgantia fortiora, humores & ſpiritus magis agitantia; ſufficiunt laxantia, cumprimis, ſi malum per conſenſum ortum fuerit & vomitoria (quæ meliora) locum non habeant.

II.

Fugiantur quoque Sternutatoria, oculis jamdum inimica, cùm morbum potius augeant, quam imminuant.

OBSERVATIONES.

I.

Vertiginem per conſenſum in hypochondriacis aliquoties ſolo vomitorio & Martialibus curavi, ſuadendo præſervationis ergò crebrum cubebarum uſum.

II.

Nobiliſſimus DN. JOHANN von BODEC, Senior, conquerebatur de imbecillitate ventriculi, cum vertigine. Præmiſſa purgatione præſcripſi rotulas ſeqq.

℞. Extr. lign. aloës,
Ambræ gryſeæ ana gr. iiij.
Succin. alb. ℈j.
Moſch. gr. ij.
℅. Nuc. moſch. expreſſ. gr. V. c. s. q. ſacch.
F. conf. in Morſulis.

Ventriculus inungebator ℅. ſtomach. ℥ß.
mac. deſtill. ℈j.
menth. ℈ß. M.

Quotidie comedebat ſemen carui. Ita convaluit.

D. SCHEFERUS,
in Man. Pract. Mſc.

III.

III.

Nobil. DN. STEINACKER, Colonelli Locumtenens, vertigine aliquot annorum laboravit, quam ex inferioribus per conſenſum judicans hiſce pilulis ſanavi:

℞. Specier. hier. picr. ℈ij.
MP. arthrit. n. d. ʒß.
Eſſ. fum. ♂ at.
menth. ana gr. iv.
Extr. ligni aloës gr. ij.
⁂. carui. g. iv.
M. F. Pilul. n. xxvij.

Harum quotidie V. aſſumſit, quandoque tantùm alternis diebus, quibus intra menſem convaluit, *Idem ibidem.*

IV.

CONSILIUM

DN. D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII, Archiatri & PP. Jenenſis.

P. P.

E Literis Reverendæ Tuæ Dignitatis percepi, quòd hactenus cum vitioſo oris anhelitu, cui VERTIGO juncta, conflictata fuerit. Quum verò hæc à lympha putrilaginoſa, ſalibus ſcorbuticis fœta & ſpeciatim ad fauces decumbente oriantur; hinc ſequentia è re fore duxi; Primò quidem Mixturam conſulo hæmatocatharcticam, hora 8. matutina ad guttas xxx. in cereviſia ſumendam:

℞. Elix. antiſcorb. Wed. ʒij.
Eſſent. lignor. ʒj. Vel
♀. ♁. ʒß. M.

℞. Eſſent. cochlear. ʒiji
⁂. ligni ſaſſafr.
anethi.
aniſi ana gutt. j. M.

Tt 2. Pul-

2. Pulverem confortantem, veſperi horâ IX. itidem in cereviſiâ ſumendum:

℞. Hepat. rubr. Dresd.
Pulv. ſtomach. Qu. ana drachm. j.
Bez. ♂. ℈ß.
♁. nativ. præp. drachma ſ.
fumar.
☍. mac.
lign. ſaſſafr. ana g. j.
M. Div. in 8. Doſ.

3. Species antiſcorbuticas, tribus quartariis vini infundendas, quâ infuſione à meridiè alia medicamenta ſumi poterunt:

℞. Rad. Trifol. fibrin.
Chin.
Herb acetoſ. beccab.
beton. cochlear. ſalv.
naſt. aq. fum. Ther.
Flor. roſar. rub.
bugloſſ. borrag. ana p. ij.
Lign. ſancti cort. citri ana ʒß.
cinnamom. macis, coſti veri ana ʒß.
Inciſ. & contuſ. D. in ſindone rubro.

4. Pilulas purgantes pro una doſi:

℞. MP. ♀.
☿. dulc. ana gr. ij.
☍. ligni ſaſſafras.
Eſſent. fumar. q. ſ. F. l. a. Pil. n. 9.

5. Pul-

5. Pulverem dentifricium manè dentibus affricandum:

℞. ∇. catechu ℈iß.
Rad. ireos. Flor. biſtort.
tormentill. ana ʒß.
Oſſ. ſep. corall. rubr. ana ℈j.
O. uſti, maſtich, mac. ana ℈ß.
🝆. ligni Rhod. gutt. iij.

6. ∇. pro eluendo ore, poſt uſum pulveris dentifricii:

℞. ∇. Beccapung.
ſalv. ana ℥ß.
rutæ ℥j.
cinnamom. ℥ß.
🜄. roſ. ʒj
M. D. in vitro.

De cætero fugiat animi pathemata vehementiora, cibos durioris coctionis & aëris inclementiam.

FORMUL. & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Rad. ipecacuanhæ ℈j.
Cinnab. nativ. præp. gr. v.
M. D. S. Brech-Pülverlein Morgends früh auf einmahl zu nehmen.

* * *

℞. Pulv. cinnabarin. epilept.
♂alis ana ʒj.
Cubebarum pulv. ℈ij.
M. D. bis de die ℈j.
in ∇. menthæ.

α. & ω.

℞. MPil. aleophangin.
maſtich. ana ℈ß.
Scammon. 🜍rati gr. iij.
🝆. ♌. ſuccin. g. j.
C. Eſſent. ſuccin. F. pil. pond. gr. j.
conſp. pulv. cubeb. D. pro doſ.

* * *

℞. Specier. diacubeb. M. ʒij.
diambr. ʒj.
c. s. q. ſacch. in ∇. flor. Til. ſol.
F. Morſ. l. Rotul.

* * *

℞. Sem. carui ʒij.
Cubebar. pulv. ʒj.
Sacch. ad pondus omniũ.
M. D. in pane butyrato,
aliquoties de die.

* * *

℞. ∾. CC.
⊖*. ana ʒj.
M. D. gutt. xvij. bis
de die.

* * *

℞. ▽. menth. ℥iij.
Eſſent. caſtor.
∾⊖*. ana ʒß.
Extr. opii gr. ij.
Sacch. ſyrupiſat. q. ſ.
pro edulc.
M. D. cap. cochleatim.

* * *

℞. Rad. Pœon. Mar. pſ.
Viſci quern. ana ʒj.
Cubebar. pſ. ʒß.
Cinnab. nativ. præp. ℈j.
Ægagropil. ℈ß.
M. F. Pulv. D. bis de die.
in ▽. ceraſ. nigror.

* * *

℞. Eſſent. ambr. liquid.
caſtorei ana ℥j.
M. D. gutt. xvij.
in ▽. lil. conval.

DESCRIPTIO
BALSAMI ANTI = DINICI
D. Conerdingii.
vulgò Wilbel Balſam
dicti.

℞. ∘°∘. Nuc. expreſſi ℈ij.
deſt. rutæ g. xx.
lavendul. g. x.
ſalv.
majoran. ana
g. viij.
Camph. gr. vj. M.
F. l. a. Balſamum, ver-
tici illinendum.

CAP. II.

DE
APOPLEXIA ; PARALYSI ET APHONIA.

APOPLEXIA eſt omnimoda ſenſus & motus abolitio, cum reſpiratione difficili ac ſtertore, ab influxu ſpirituum animalium nhibito proveniens.

- *PHÆNOMENA*
  - Pereunt ſenſus, motus etiam, excepta reſpiratione difficili pulſoque pleno atque valido. Hinc ad terram concidunt, & ore hiante, cum ſtertore, reſpirant. Oculos aut clauſos, aut conniventes habent. Adeſt ſæpe ani reſolutio, ut neque recrementa, neque clyſteres retineant. Spuma circa os apparet, per quod, ut per nares, humida rejiciuntur. Artus flaccidi ſunt, vel in toto, cum frigore partium & atrophia in PARALYSI, remanente ſenſu in PARESI, vel in dimidio, in HEMIPLEXIA, vel in uno alteroque membro in PARAPLEXIA & APHONIA; Artubus duris & immobilibus exiſtentibus in CONTRACTURA.
- *SUBJECTUM*
  - SYMPTOMATIS ſunt cerebrum, nervi & fibræ obſtructæ, vel compreſſæ.
  - *CAUSÆ*
    - Cerebrum in Eſſentiali, tam privativa, quam poſitiva.
    - Arteriæ Carotides in ſanguinea privativa.
    - Stomachus in Poſitiva, à cauſis externis.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt impeditus ſpirituum influxus.
    - *MATERIALIS* ſunt
      - ſanguis ſtagnans in cerebro & carotidibus.
      - humores pituitoſi, vel ſeroſi in cerebro.
      - Gas carbonum & liquorum fermentantium, in poſitiva.
  - *REMOTA*
    - Aer nubiloſus, cibi quant. & qualit. peccantes, crapula &c.
    - Somnus & quies nimia, evacuat. ſolitæ ſuppreſſæ.
    - Affectus animi vehementiores, ictus, caſus, ♀ nimia &c.
- *PROGNOSIS*
  - Apoplexiam levem ſolvere difficile, fortem impoſſibile. Quo liberior reſpiratio, eò melior. Curata facile recidivat.
- *CURATIO*
  - INTRA PAROXYSMUM:
    - Clyſter acerrimus injiciatur in quacunque Apopl.
    - Capiti raſo ferrum candens (*ein Biegel-Eiſen*) applicetur, vel Moxa. V. S. in ſanguinea & privativa ſacra anchora. Vomitus in poſitiva à Gas. Ori infundantur ſpirituoſa antapoplectica.
  - EXTRA PAROXYSMUM dat
    - 1. Præmiſſis digeſtivis
      - Purgantia, in Apopl. Pituitoſa.
      - Diaphoretica, in ſeroſa.
    - 2. Cephalica antapoplect.
      - DOMESTICA
        - ⊖. vol. CC. ~⊖✱.
        - Eſſ. caſtorei, ſuccin.
      - OFFICINALIA
        - Liq. CC ſuccin.
        - ▽. apoplect. ambrat.
        - ⊖ vol. ☍ ſum. Sylv.
    - 3. Externè
      - Cucuphæ, thermæ, veſicat. caut. act. & pot.
      - ▽. artic. ad extr. Balſ. arthritic. paralytic. D. *Fürſtii.*

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. V. S. in Apoplexia ægro ante paroxyſmum nimis debilitato, vel ſanguine phlegmatico exiſtente, aut cautiſſimè, aut planè non adhibeatur.

II. In membris paralyticis cave à nimis pinguibus, quæ fibras magis flaccidas reddunt, niſi admiſceantur olea deſtillata.

III. In Pareſi à Colica fugiantur thermæ, quæ contracturam inferunt, ut in Centurione Cæſareo olim Philippoli obſervavi.

OBSERVATIONES.

I.

Apoplexiam & ſubſequentem Hemiplexiam in ANTONIO MARTENS, cive Francofurtenſi, B. DN. SEBASTIANUS SCHEFERUS in MSS. Practicis à ſe curatam eſſe teſtatur (1.) V. S. boni lateris. (2.) Clyſtere. (3.) Aqua apoplectica & cephalica cum caſtoreo. (4.) Oleis arthetic. caſtor. lumbric. ▽. Anhaltina & fomentatione iis præmiſſa ex herbis cephalicis. Tandem repetita purgatione per Pilul. arthrit. c. trochiſc. alhand. & veſicatoriis nuchæ pedibusque impoſitis latus ſiniſtrum paralyticum in integrum reſtitutum fuit.

Eodem modo Apoplexiam in Wilhelmo Sonnemanno curavit idem *ibidem*: ubi ſubſequens Epilepſia impedivit, ne Æger paralyticus fieret.

II.

Apoplexiam Privativam à Plethora, in Ædituo Megalindano, feliciſſimè curavi V. S. larga & Mixtura quadam antapoplectica.

III. CON-

III.

CONSILIUM
DN. JOH. CONRADI BRUNNERI,
Archiat. Elect. Palatin.
in
HEMIPLEXIA AB AFFECTU HYPOCHONDRIACO.

Affectus hypochondriacus maxima ex parte ab acido auſtero ſucco oritur, qui in ſtomacho cumprimis & ejus confiniis animadvertitur & non tantùm concoctionem lædit & turbat, ſed interdum quoque fermentationes, flatus & cum his ſexcenta mala, pro diverſitate ſubjectorum, diverſa excitat; quin & plus ultra tendendo una cum chylo ſanguini ſe miſcet, omnes ſuccos ex maſſa ſanguinis emanantes inficit, ſanguinem in circulatione ſua ſegnem efficit & impedit, imò & ſuccum nervoſum qualitate hac inficit, ut hic vel iſtic facilè intercipiatur & in motu ſiſtatur, unde conſequenter HEMIPLEXIA aliaque generis nervoſi ſymptomata ſequi poſſunt, quæ per violentum ſpirituum motum rurſus expediuntur & extricantur. Ab hoc acido auſtero proveniunt alvi conſtipationes pertinaces, cùm ſuccus glandularum inteſtinalium eodem inſpiſſetur. Unde verò hoc acidum auſterum obortum ſit? an temperamentum eò inclinet? cibi, victusque ratio in culpa ſint? aut an vitæ genus, ſtudia, labores, meditationes, vita ſedentaria &c. malum hoc excluſerint? in relatione non habetur. Interim illi maximè obviandum erit, alioquin dubio procul eundo creſcere pluraque accidentia cumulare poterit. Hemiplexiam tamen, ſi ab incraſſatione ſucci nervoſi oriatur, adeo periculoſam eſſe non duco, quàm ſi ab extravaſatione ſeri in cerebro profluat.

In

In curatione autem opera danda eſt, ut acido-auſterum corrigatur, temperetur, diluatur, humores fluxiles reddantur & in debitam fluiditatem atque motum redigantur. Optimus Aër vernalis: hic exſpatiando, equitando, aut curru vehendo, tempore ſereno, valdè conducet. Animus exhilarandus. Corporis commotiones & exercitia moderata proſunt. Cibi confortantes, pauci & digeſtione leviſſimi, legitimo tempore ſumendi, eligantur iisque vinum maritandum huncque in finem vinum Gallicum rubellum aptiſſimum eſſet. Purgantia crebriora, ut & omnia, quæ Naturam debilitare poſſunt, nocent. Nimium ſedere, ſtudiis vacare atque meditari damnoſum eſt. Acida, fumo indurata, carnes annoſæ, ferinæ, anſeres, anates, lepores vetuſti, legumina pleraque fugiantur. Econtra carnes animalium juniorum & volatilium, juſcula ſcorzonera & borragine, ſub jentaculo æque ac prandio temperata & diluta, cremor hordei & avenæ, poma dulcia ſimiliaque olera ſunt eligenda.

E medicamentis conveniunt ant-acida, aperientia: Oculi cancri, ebur, corallia, margaritæ præparatæ, imprimis autem Martialia v. g.

℞. Tinct. ♂. cum ſucc. pom. Borſtorf.
Mag. ♂. Mynſ. ana ℥j. M.

De hoc manè & veſperi, jejuno ſtomacho 30. vel 60. guttæ in cochl. Vini Hiſpanici ſumantur. Vel, ſi mavis, pilulæ ſequentes:

℞. Extr. Trifol. fibrin. ʒij.
Card. bened. ʒj.
Limat. Chalyb. ſubtiliſſ. &
recent. triti ʒvj.
c. ſolut. Tragacanth. F. Pil ex
ʒj. xxx. deaurentur. S.
Pilulæ manè & veſperi ix. ad xj.
cum vino Hiſp. ſumendæ.

Quibus aſſumptis motus corporis, cumprimis equitando inſtitutus, per integram horam, ſubjungendus, ut humores rurſus in mo-

motum agantur; & eò quoque tendunt plurimæ aquæ medicatæ, Embſenſes, Anthonianæ & cumprimis Swalbacenſes, quæ inſignem tincturam ♂. continent & ſimul hanc convenientiam & prærogativam habent, quod per fluidum acidularum longe profundius, quàm medicamentis ſiccis; penetrare poſſimus. Quapropter aut thermas Embſenſes, aut acidulas Swalbacenſes, ſed tepidas, cum uſu thermarum Berſtadienſium, vulgò ſerpentinarum dictarum, hoc anno ſuaderem, quibus omnibus indicationibus ſatisfieri poſſet. Alia nervina, cinnabarina, externa, clyſteres emollientes & cumprimis juſcula herbarum, dexteritati præſentis Domini Medici præſcribenda relinquo. DEUS verò ex alto benedicat!

JOHANN CONRAD BRUNNER, D.

IV.
ALIUD.
FRANCISCI JOSEPHI BURRHI, Itali, In APHONIA, ſeu potius RAUCEDINE.

Illuſtriſſime Domine.

Me tandem huc compulere ſæva, quis crederet? iratæ Pietatis decreta & arma hactenus imbellis, nunc metuendæ religionis. Sum hic oſſa relicturus, ni fatis melioribus protegat & revocet innocentiam meam ſuperior Germania. Si Illuſtriſſimæ T. Dominationi exterorum gratia viſitandi cultus & mores has luſtrare provincias lubebit eademque via ſanitati Tuæ libere à curis per trium menſium ſpatium proſpicere, dedico proprias hic conductas ædes meas & omnia requiſita & immunis erit ab omni pecuniarum cenſu. Mirabitur urbem; ſed fortaſſe etiam quæ latent Orbis arcana inviſa intra meos Lares. Verùm ſi Suæ Perſonæ liberæ hiſce partibus conceſſioni obſtabunt negotia do-

meſtica, favebis transmittere copiam Conſilii, quod in Sui utilitatem exaravi, nam eam nuper amiſi & neceſſaria, quæ mihi ſuperſunt, medendi arcana ſuperaddere non potui. Faveat meo nomine humillime Sereniſſimo & Eminentiſſimo Fratri ſuo ſalutem precari, in cujus diuturna confirmatione ſi, dum vacat otium, locupletius ea, quæ ſcripſi, cupiuntur exarata, nutibus etiam minimis ero pariturus ſimulque tunc erunt transmittendæ copiæ omnes Epiſtolarum & Conſiliorum; cujus rei obſequioſam fidem excipe hiſce oſculis, quæ manibus Tuis humillimè imprimo

Illuſtr. Domin. T.

Amſtelodami,
d. 17. Febr. Ao. *1661.*

Perpetuum mancipium
FRANCISCUS JOSEPHUS BURRHUS.

α, & *ω*.

Concurrunt ad perfectam in humano corpore edendam vocem duæ potiſſimum cauſæ, quarum prima eſt recta omnium ſpirituum vis, excitata per poros textiles telæ fibroſæ, qua circumveſtiuntur venæ, præſertim viſcerum & coſtarum thoracis, quod velamen ſi ex confluenti materia viſcoſa in ſuis anguſtiſſimis meatibus ita inſpiſſetur, ut ipſius raritas texturæ limoſis ſuccis incruſtetur, ſpirituum acceſſus & receſſus prohibendo, tandem ſonus eloquii mutilatur; & quamvis rotunditas capitis, amplitudo gutturis, œſophagi mundum oſtium & glandium pituitariarum in imis radicibus linguæ ſiccitas efficiant, quod vox acuta, ſonora & rotunda, clara vel obſcura excludatur, cùm tamen nunc conditio morbi rauci non requirat, quod in medio cognitio adferatur iſtarum differentiarum, ſed tantùm illarum, quæ vocem in Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino exſtinxerunt; ideò aſſero hanc vocalem amiſſionem ex cavitatibus repletis conglutinatorum viſcerum & terreſtri liquamine obrutis initium duxiſſe. Nam videmus

demus Echum receptas voces reddere magis claras, potius ex concavo montis marmoreo, vel lateritiis alicujus magnæ domus ſtructuris, quàm ex humida valle, arboribus multis obumbrata. Sed poſſet objicere aliquis imprudens oblatrator, quòd ſi ſtatuatur tantum in thoracis ſinu vocem radicalem vigorem turbinandi verba reſonantia aſſumere, medicamenta præſcribenda, per ſtomachum & inteſtinorum flexuoſum labyrinthum cùm deſcendere debeant, difficiiimè obſtructis cartilaginibus venarum, præſertim ſeſe circumvolventium, ad inducendas & alendas coſtas remedium integris adhuc qualitatum characteribus deferri poſſe, & ideò ſupervacaneam eſſe illius applicationem. Verùm valde allucinaretur ſciolus iſte Judex: Nam ipſamet alvus eſt ſecunda inter geminas illas potiſſimas cauſas, ſuperius indicatas, quæ per organa tortuoſa inteſtinorum mollia & vaporoſa primas potentias ejaculandi accentus pulmonibus aliisque viſceribus, tergemino motu, obliquo, recto & flexuoſo ſubminiſtrat, unde ſi hæc bene liberetur à ſuis ſuperaſſatis ſordibus, poterit feliciter per conſenſum evacuare pectoris immundas regiones. Hinc videmus ſuem, habentem ferè omnes partes interiores aſſimilantes humanorum viſcerum formæ & ſubſtantiæ, ex infarcta pinguedine circumobſidente inteſtina nequire hinnitum emittere perſpicuum, ut equus & canis, qui ex ſiccitate temperata, cum debita bilis tenuitate, implent rumoribus ſuis aërem & ipſe aër agitatus in objecta arborum folia allidens, nos docet, quod hominis voluntas, proprium ſpiritum torquens, ipſum ex frondibus venoſarum arborum erumpere cogit, quæ ſi magis denſa ſua ſubſtantia à ſuperveniente æſtate priventur, majorem in autumno percipimus vocis ſuſurrum ex iis. Verùm adhuc profundius vocis debemus conſiderare beneficia, à DEO ordinata & hac definitione continente vocalis facultatis in homine finem, illa explicare conabor. Vox eſt reductio omnium animalium ſpirituum ab omnibus venis ad ventriculum cordis, quod calefactum à ſenſitiva vel intellectiva virtute turgefa-

ciendo pulmones evibratur extra corpus & beneficium hoc præſtat, ut quodcunque animal repetitis ipſius ejulatibus clamoribusque phyſicas paſſiones minuat & augeat, adeò, ut in hoc verificetur illud adagium, quod proſint herbæ & verba. Nam videmus, quòd permultum, qui loquuntur, tandem laſſi fiant: qui languor nobis effluxiſſe à ſpirituum conſumptione & renovatione materiali oſtendit. Quamobrem muti & piſces ferè ſemper ſunt ſtulti & ſtupidi, cùm ſpiritus iſtos vocales non habeant & renovare nequeant, quia reſolubilis iſta vocis fuligo coercetur tota in centro ipſorum ſenſuum, idcircò amiſſam loquelam recuperare velle prudentis animi deliberatio eſt, nam inſtant multa incommoda, vitam hanc magis miſeram conſtituentia, imprimis negatæ excretiones defluentis pitutæ à capite & proſilientis à larynge & ſecundario diſcrimen magnum vitæ, ſi aliquando ſuperingruat in plethora accenſio & motus ſanguinis viſcoſi combuſti, quod DEUS avertat ſemper, durante hoc morbo. Nam apoſtema, cum non poſſit expurgari per fauces, ægrotantem ſine dubio interimeret. Nec minus conſideranda ſunt impedimenta ab hac interclusâ harmonia cardiacæ hilaritatis. Nam ſeſe dilatando dum vocem per diaphragma & ſeptum transverſum, opitulantibus pulmonibus, articulare contendit, ſuam ſuperfluam ſeroſitatem ad pericardium tranſmittit & illi homines ideò vocantur melancholici, quia parum loquuntur & albam ex pericardio derivatam urinam excludunt: & ego obſervavi Monachos religioſæ ſolitudini vacantes, ut Ciſtertienſes, factos fuiſſe ex ſanguineis atrabilares, à negata copia ſpiritum exacuendi ſermonibus & præ omnibus aliis ciborum nocivis qualitatibus. Quare viri ſenſitivi & iracundi ignem concepti fervoris ſi cogantur in ſe coërcere, nec verbis à centro cordis liberare, febri vel aliis corporeis afflictionibus corripiuntur. Ut igitur hæc omnia detrimenta fugiat Illuſtriſſ. & Reverendiſſimus Dominus meus, per has duas vias ſalutem ſuam priſtinam acquirere ſtudeat. Prima eſt alimentorum, quæ limoſitatem terre-

ſtris

ſtris viſci inſpiſſantis ſpongioſas telas venarum detergere poſſint. Hæc ſunt modicè dulcia & acria fercula, pinguia ratione conſiſtentiæ, non autem adipes, ut ſunt carnes ſucculentæ, ſeparatæ à propriis ſevis & inter eas ſternum pectoris animantium omnium, ſemper avium, quadrupedum & piſcium; ſed cervina, ſuilla, anſerina, gallinarum & belluarum ſeneſcentium cujuscunque generis omnino à menſa excludantur. Lac non medicatum, ova indurata, cancri, limaces, triticea artocrearum munimenta, caſeus, panis copia, nervoſa ligamenta, fragrantia, aromatica, condita nimio ſale & ſaccharo, non ſolùm ut immundæ craſſitiei in humoribus productores, verùm etiam ut ipſiusmet lentæ tenacitatis transmutatores in tophaceas excreſcentias, nunquam uſurpentur; & quia nullo modo dubitare debemus (ut aliqui Neoterici Chymici affirmare audent) vinum propria ardentis ſpiritus ſiccitate ſanguini tartarizandi vim non imprimere, ideo ipſius exaſperans ſapor corrigendus erit blanda inſipiditate alicujus optimæ aquæ putealis, ut durante morbo partes tres vini corrigantur cum duabus aquæ; & quia tetigi ſaporum qualitatem in cibis, erit optimum illud vinum in potu, quod juxta ciborum præſcriptionem inter dulcem & acidum ſaporem retinebit. Et poſſunt hæc haberi vel naturaliter vel artificialiter. Naturaliter in cibis voco ſimplicia, uti ſunt agreſta, acetoſa, exigua quantitate decocta in juſculis. Artificialiter ea, quæ cum aliquot guttis aceti, debita portione paſſularum Corinthiacarum, prunorum vel ſacchari condiuntur. Et eadem methodo poſſumus alterare vinum, imponendo in illud paſſularum majorum, vel prunorum, vel liquiritiæ raſarum radicum lib. X. in lib. L. vini, vel etiam ſandalorum citrinorum, permittendo quod intra XL. dies omnia ritè macerentur, dolium in die ſemel invertendo & ſi fors foret, quod nimium eſſet dulce, poterit corrumpi aliqua nova parte vini auſteri. Ex horum alimentorum uſu continuo aërea facultate præpollentium, ut norunt Muſici, vocem argutam & claram deſiderantes & ſubdulcibus ci-

bis utentes, inſenſibiliter fiſtulæ venarum deobſtruentur, conjunctim adjuvantibus medicaminibus, interius & exterius adhibendis. ℞. igitur Capram albam & nigram, propina ei ad manducandum omnes herbas componentes Syrupum meum Catholicum, emulge lac, quo utamur pro diebus tribus, corrigendo cum illis aquis ex prædictis herbis deſtillatis. Deinde utatur dimidia uncia electuarii lenitivi mei, poſtmodum per quatuor alios dies utatur ſero illius lactis, extracto ſecundum artem. Quibus exactis capiat electuarii lenitivi mei ʒvj. Poſt hanc methodum alteret ſerum, diſſolvendo in ipſius quantitate ℥vj. elect. ℥j. & clarificando juxta præceptum artis, bibat per continuos dies, quibus exactis, ſi morbus adhuc pertinax & vocales ſpiritus ſuffocat, iterum capiat prædictum ſerum medicatum, cum aquis & electuario, in quo tamen injectum fuerit dimidium cochlear aceti ſenna conducti, ita ut acetum ſit quantitate ℥xij, ſenna ℥iß. Quodſi adhuc ultimam victoriam non referat, fac hoc oxymel Magicum aëreum vocale: Imprimis caveam ex teſſelatis lignis confice, in medio ſuſpende ſaccum lineum, in quo mellis & ſacchari impoſitæ ſunt ℔j. ana & ſuppoſitum ſit vas vitreum, quod colligat effluentem liquorem, circumobrue ſubtus & ſupra & circa latera herbarum magna quantitate catholico nomine inſignitarum. Caveam ſuperimpone currui & expone vehementibus radiis ſolaribus, qui herbas in vapores quosdam nitroſos reſolventes intra decem dierum ſpatium mel in liquorem diſſolvent, ſecundum temporis majorem vel minorem claritatem & tunc variando methodum, videlicet aſſumendo de mane ſerum ſimplex ſine electuario, ſed cum aquis deſtillatis tantùm alterato, permixtum cum uno cochleari iſtius oxymellis nitroſi vocalis, per tres dies & de nocte aſſumendo Elect. lenitivum, hanc methodum repetendo, usque ad 15. diem: procul dubio morbus vel exſtirpabitur omnino, vel locum relinquet alicui aquæ ex thermis pretioſiſſimis quorundam reſolutorum mineralium, ad radices omnes fæcum gypſearum exſtirpandas in tho-

thorace,& hæc invenientur in pera viatoria *Franciſci Joſephi Burrhi.* Interim fæces omnes collectas ex ſero lactis compoſiti medicatas permitte quod putreſcant, & poſtea per deſcenſum in ſartagine emunge butyrum, cum quo ter & quater in die inunge pectus & favente DEI miſericordia Ars Medica, ipſius Vicaria in terris, non excommunicabit à conſortio loquentium Illuſtriſſimum DN. Baronem, cui hæc dictavi, dum Argentoratenſium ferrei mores me aureum ipſorum Medicum plumbeo calumniarum livore inquinaviſſent. dotesque benefici animi mei liberales imitari etiam verborum urbanitati recuſaviſſent, ut ſub umbra Sereniſſimi Archi-Ducis mei in Præfectura Ortenbergenſi adhuc virtutes meæ coruſcarent. Porro

℞. ℴℴ. expreſſi ex quatuor ſemin. maj. frigid. ℥j. cum hoc contunde ℥j. quinque minorum, ita ut fiat contuſio ſubtiliſſima, ex qua iterum exprimes oleum per tepefactum toreular. Cum hoc oleo compone ℥ß. ℴℴ. expreſſi & amygd. dulc. deinde æqual. part. miſce ſeq. Conſervæ : ℞. Sem. pap. alb. ſymphyt. majoris, coriandr. contuſ. pſyllii ana ℨß, ſacch. cand. ℥ß. ſimul omnia perfectiſſimè reſolve in pulverem, quem inſtar ſpiſſæ mucilaginis reddas, humectando illum gutt. x. aquæ tuſſilaginis, replicandas toties & tali diligentia, ut in mortario fiat inſtar unguenti, trajiciendo per ſetaceum ſubtiliſſimum. Deinde

℞. Conſerv. roſ. rubr.
violar.
flor. borrag.
malv. ana ℨß.

& hæc omnia componantur cum prædicto oleo, ita ut fiat mucilago inſtar ſaponis, qua utatur quotidie de mane, per dimidiam horam, antequam aſſumat Syrup. Cathol. ℥iij. nulla aqua diſſolutum, & per 3. dies utatur ſingulo manè. De nocte capiat bolos Elect. lenitivi mei ad quantitatem ℨvj. cui ſuperaddes ℈j. pulv. ſem. citri & ſic continuet hac methodo uſque ad 30. diem. Evacuatio

erit

erit in primis diebus excruciativa, & hoc erit indicium humorum aduſtorum, ſed poſtea ſequentibus diebus ita omnia facilè educentur, quod fiet ſine nauſea, ſpiritus inde liberabitur ſenſim ſine ſenſu & quando incipiet melius habere in pectore, ſentiet dolores in renibus. ℞. ▽. puteal. optim. Pimpinell. Coriandr. Paſſul. min. Corinthiac. Pom. dulcium, Ficuum ana ʒj. (Not. ▽. ſit menſ. j.) ſcindes tantùm illa omnia minutim, ſed non tundes: Fac inde infuſionem in ſtupha valdè calida, ſed longè à fornace, fiat extractio ſpatio 48. horarum, & antequam bibat hanc potionem, permittat, quod per duos dies frigeſiat, nam hoc temporis ſpatio fiet potio ſuaviſſima albicans & de hoc potu bibat pro lubitu.

RATIO VICTVS:

Prohibeo omninò uſum piſcium, quocumque modo conditorum & etiam in primis diebus abſtineat ab ovis. Capones, qui impinguati ſunt farina & lacte, maxime proderunt: Columbæ item quæ veſcuntur tritico & milio, ſed non fabis. Carnes hædinæ maximè & vitulinæ commendantur. Abſtineat ab acidis, aromatizatis, ſalitis, infumatis. Edulia omnia parentur vel per ſuffocationem in ollis, vel elixatione, vel etiam in artocreis, paratis cum pineis, uvis paſſis & ſimilibus dulcioribus, absque aromatibus & abundante ſale.

Pro fomento pedum quater in menſe applicando:

℞. Vini generoſi Malv. ℥vj. in eo diſſolv. Thuris & Myrrhæ ana ℥ß. Seri lactis lib. iiij. Calefaciat liquorem hunc & per dimidiam horam foveat pedes poſt cœnam.

Emplaſtrum contra ſtranguriam.

℞. 🝆. Scorp. ʒiß aneth. ℥iiij. cappar. ʒß: Axung. canis ℥ij. Sperm. ceti ʒß. Sev. cervin. hircin. ana ʒiß. Coq. lento igne & in fine add. ſucc. inſpiſſat. radic. urtic. bardan. ana ʒj. M.

V.

ALIUD
DN. D. ZELLERI, Archiatr.
Princip. Oettingenſis.
ſub formâ
RELATIONIS.

Infauſtus & lamentabilis ingreſſus durantis adhuc morbi in Sereniſſima Principe ſe trudebat die Mercurii, qui 2. Novembris erat, & quidem ſummo manè, cùm expergefieret, cephalalgia vehementi, cumprimis in occipite & nucha, binis item humeris, usque ad ſcapulas fermè: juxta quæ Illuſtriſſima de inſolita cardialgia & anxietate præcordiorum conqueſta fuit, cum vertigine & debilitate ſenſuum, imò & ſyncope, ſub uſu potus Thée accedente & ſemihoram ferè durante, priusquam ſe penitus colligere potuerit. Interim dolores ante memorati, tam in capite, quàm reliquis ſimul nominatis partibus, cum immani cardialgia & anguſtiis præcordiorum artuumque debilitate terribili usque ad diem Dominicam, 13. ſc. Novembris, durabant, utut doloroſa hæc ſymptomata mox intenſiora, mox remiſſiora apparuerint. Interea verò ab initio hujus morbi ad finem usque, ad 4. usque ſeptimanam, appetitus ſatis dejectus erat. Quapropter ad confortandas vires intra 24. horas conſummata, ſeu juſcula confortantia, quinquies aſſumta fuerunt. Equidem toto morbi decurſu nulla ſitis inſolita urgebat, lingua madebat, urina ſ. h. cum reliquis excrementis huc usque naturaliter ſuccedebat. Econtra interdiu non minus ac noctu ſub omnibus hiſce doloribus & debilitatibus parcus & nonniſi crebrioribus artuum ſubſultationibus ac terroribus permixtus ſomnus aderat, ita ut Theriaca cœleſti ad gr. iiij. hic neceſſario propinanda tempore ſomni, binis ſe inſequentibus noctibus, huic malo & quidem cum euphoria, obviam eundum fuerit. Octiduo poſt primum morbi inſultum menſes ſolito tem-

pore, aſt juſto parcius, apparebant, qui tamen ſub finem tertiæ ſeptimanæ de novo, & quidem in quanto & quali modoque confertius & melius fluebant. In pulſu vix unquam ſuſpecti quid ſentiebatur, niſi quod ſub augmento ſupradictorum capitis, nuchæ & in medullam penetrantium dolorum arthriticorum is juſto celerior, durior, ac major naturali fuerit. Reſpiratio nunquam non ferè naturalis, increſcentibus verò & urgentibus ſymptomatibus illis dolorificis ſemper laborioſior juſto, absque tamen ſtertore & excretione fuit, crebriori tantùm, vehementi & ſicca tuſſi interdum incommodante. Sæpe ex ſternutatione & ſuffracinatis quaſi, ſed aliquot tantùm vicibus obſervatis, naribus, gravedinis ſuſpicio aderat, ſed fruſtranea, cum nec durante hoc morbo, nec ante eum talis occurrerit, utut continua narium ſiccitas adfuerit. Poſtquam igitur, modo ſupradicto, dolores capitis vehementes & cumprimis illi, qui in occipite magis moleſti erant, imò cum ſpaſmo in nucha, ad humeros & ſcapulas, cardialgia & dolore artuum, maximè poſt expergefactionem ex ſomno, jam ſecunda vice ſubito & periculoſe ſe truſerant, ita, ut ſub exacerbatione hac in occipite non tantùm externè, ſed & quàm maximè internè, & quidem circa regionem cerebelli & medullæ ſpinalis dolor exquiſitiſſimus ſentiretur, ibidemque internè aut intra cranium aliquid inſtar gelatinæ tremere & ſubſultare, ſimulque inſtar aquæ ferventis urere, tendere & attrahere, imò per nares & oculos erumpere, malasque quaſi unguibus lacerare videretur. Quid quod tandem ipſa vertigo (quæ tamen aliis, iisque tolerabilibus diebus, dum Sereniſſima oculos ſubito convertebat, obſervata fuit) accedebat, cum ſyncope plenaria & vehementi, qua deſinente cephalalgia totalis & cumprimis dolor in nucha & inſtabat & incrementum capiebat.

Similis ſat vehemens, isque ordine tertius, paroxyſmus die Solis, qui 20. Novembris erat, quartus autem die 22. Nevembr. & quintus die Veneris, die 25. dito à meridie Sereniſſimam atrociſſimè

ſimè invaſit. Peſſimus ſcil. quintus, qui ad horam decimam quartam usque durabat, fatalem exitum hujus tragœdiæ penitus minabatur, dum miſerrima facies INSTANTIS APOPLEXIÆ, aut convulſionum inevitabilium & ſubitanearum ſucceſſurarum aderat, apparentibus jamdum veris & mortem pallidam annunciantibus ſymptomatibus, in V. hoc paroxyſmo ſolito vehementioribus, ſubitanea ſcil. intumeſcentia in mala ſiniſtra, vehementiſſima temporum pulſatio, ſignum notabile, & convulſio muſculorum faciei, cumprimis malæ ſiniſtræ, cum propulſione oculi ſiniſtri & colore atro rubeſcente utriusque, cumprimis autem malæ ſiniſtræ, ſenſuum perturbatione, corporis frigore, in manibus & pedibus maximè ſenſibili, pulſuque lethaliter quaſi debili. Quamvis autem poſt graviſſimum hunc paroxyſmum exantlatum ſimiles inſecuti non fuerint, attamen intra ſeptiduum circiter, uſque ad præſentem Menſem Decembrem, tres alii, utut mitiores, ſe truſerunt, dum præter ſymptomata ſupradicta Sereniſſima poſt ſomnum conſuetum nunquam non cum debilitate aliqua & languore expergiſcitur & dolores illos quodammodo perſentiſcit, licet præter omnem conſuetudinem ultimis diebus, etiam citra omnem anodynorum aut opiatorum uſum, à meridie per 3. aut 4. horas, noctibus verò inſequentibus plus minus, ſponte, placidè & naturaliter dormiverit. Toto autem hoc morbi decurſu, absque inſigni languore, aut pertimeſcenda ſyncope, ne quidem ad reparationem ſtragulorum, extra lectum ſe continere, multo minus ſtare aut progredi valuit. Nunc autem à binis diebus appetitus quodammodo rediit, ſolitique capitis & artuum dolores magis tolerabiles apparent. Tuſſis è contra ſicca plus incommodi creat & cephalalgiam intendit

CURA

Sereniſſimæ Principis in ſeqq. remediis internis & externis conſiſtebat:

ſtebat: Primò ſtatim die alvus per pilulas cephalico ſuccinatas laxabatur. Abhinc bis de die eſſentiam conſtantem ex

Elixirio aperit. Claud.
Eſſent. cort. aurant.
abſinth.
ambr. liquid.
⊖. vol. ○ſo cephalico Sylvii.

ſumebat; tandemque pro re nata noctu Theriacam cœleſtem, ut jam ſupradictum, ante tempus ſomni ſuperaddebat. Sub ſecundo paroxyſmo ſtatim ab initio ſerio commendata veſicatoria in binis brachiis applicata fuerunt, poſtquam in occipite atque nucha minus placuere. Cæterum ut ab initio hujus morbi, ſic in hunc usque diem juſcula conſummata, ut & alia ex herbis & radicibus recentibus parata juſcula alterantia, naſturcina, juxta cum gelatinis confortantibus, prout è re viſum fuit, alternatim, ſæpe autem interpoſitis juſculis gallinaceis, loci alimenti & medicamenti, adhibita fuerunt. Non minus interim varia, externa æquè ac interna, cephalica, nervina volatilia, tam aromatica, quàm urinoſa, ut & naſturcina ac balſamica, una cum interpoſitis graveolentibus (quæ poſtrema tamen Sereniſſima minus ferre poterat) maritatis debitis appropriatis, pro virili applicabantur; quemadmodum & præter hæc, in genere tantùm denominata medicamenta, in ſpecie quoque ſequens pulvis compoſitus ex

Pulv. analept. fr. Minder.
Diaphoret. ♃li.
Cinnab. ♁.
Eſſ. ambr. ſicc. cum tantillo ol. deſtill. convenientium.

debito tempore oblatus & ſimul cum eſſ. ambræ liq. & liq. CC. ſuccinat. bis de die propinatus fuit. Interea frictiones ſubinde in capitis vertice, in occipite & nucha balſamo apoplectico Burrhi, ut

&

& aquis ſpirituoſis antiſpaſmodico-antapoplecticis inſtituebantur partesque doloroſæ inungebantur. Veſicatoria in occipite & nucha applicanda ad nauſeam usque quidem commendata, ſed usquedum admiſſa non fuere. Die 20. Nov. lenis venæſectio in brachio ſiniſtro, cum inſigni quidem cordis, quod ante palpitabat, non verò capitis levamine adminiſtrata fuit. Ahhinc die 25. Novembris, in atrociſſimo affectus increſcentis paroxyſmo, ſub aure ſiniſtra ſanguiſuga applicabatur, quo tempore gravis ſopor accedebat malaque ſiniſtra ex atro rubeſcebat & intumeſcebat, ſimulque oculus modo ſupradicto protuberabat, imò ſigna cujusdam apoplexiæ & motus convulſivi in oculo & latere ſiniſtro ſe trudebant. Quandoquidem verò Princeps Sereniſſima inſolitis ſibi cephalalgiis antea ſæpiſſimè nihilæquè magis proficuum, quàm arteriotomiam in temporibus & ſanguiſugarum applicationem experta fuit, prætereа quoque obſervabatur ſanguinem in partibus capitis, vicinis & externis valde ſtagnare: adhæc in ſanguine per V. S. extracto ſubſtantia quædam viſcida & glutinoſa, paucum verò ſerum occurrebat, ita, ut glutinis tenacis inſtar digitis adhæſerit, ſupradictis juſculis alterantibus non tantum, ſed & aliis pulveribus, ex ſpecifico cephalico D. Mich. cum pauco cinnab. ♁. & diaphoret. ♂ialis, cum eſſent. ambr. & ſuccinatis inſtabatur. Quum vero Sereniſſima pulveres diutius acceptare recuſaret, ſed ab illorum aſſumtione neſcio quam exacerbationem ſentiret, illorum loco, ter de die, eſſentia illi propinabatur

ex Eſſent. Trifol. fibrin.
abſinth.
cortic. aurant.
ambr. liquid.
Elix. aperit. Claud.
⊖. vol. ♂ſo Sylv. &c.

quam optimè ferre & aſſumere valet. Interim ſimul decretum

 eſt,

eſt, ut Tinctura Martis aperitiva, cum eſſent. trifol. fibr. vel & cum Magiſterio Martis aperitivo Mynſ. præſcribantur. Neque reticendum eſt in paroxyſmo vehementiſſimo die 25. Novembr. per tincturam ☉. eſſentialem, à Sereniſſimo Marchione Onoldino ſuppeditatam, Naturam debilitatam egregie adjutam & de novo quaſi excitatam fuiſſe, poſt cujus uſum & menſes confertius meliusque fluxerunt.

JOH. ZELLER, D.
SGRETA de ZAVORZIZ,
M. D.

VI.
ALIUD.
DN. M. A. BRUMMII,
Chymici Haſſo-Darmſt.
IN
PARALYSI.

P. P.

Transmiſſum caſum quod concernit, Viro Nobiliſſimo optarem, ne ſive meo, ſive aliorum auxilio indigeret. Quoniam verò rebus ſic ſtantibus igniculus ſub cineribus etiam conquiritur, breviſſimis me expediam, dicendo Ægrum paroxyſmo quodam apoplectico correptum fuiſſe, quod convulſiones poſt V. S. obortæ inter alia teſtantur. DEO autem gratiæ debentur, quod PARALYSIS non pejôr, quàm accidit, obſervata fuerit. Quoniam ergò

ergò ſimilia accidentia facilè recidivant, cumprimis, ſi, ut in præſenti caſu, æger naturæ calidioris eſt (ubi ſub talibus circumſtantiis fieri ſolet, ut poſt iram aut alias nocivas fermentationes, ubi bilis caput exſerere ſatagit, ſi non iisdem ſymptomatibus redeat malum, attamen membra ad motum inhabilia reddendo, convulſiones aut tremores excitando, in Apoplexiam facile degeneret) hinc DN. Patiens eo reſpiciat, ut alvus ſemper ſit obediens, cui ſcopo pilulæ meæ univerſales (ſeu Beccherianæ) quam maxime inſervient, ſumendo 14. dies aut 3. ſeptimanas indies VII. plus minus, prout effectus ſe exſeret. Elapſis tribus ſeptimanis, alternis ſaltem diebus, per XVI. aut XVIII. dies continuari poterunt & abhinc ſingulis ſeptimanis ſemel, tamdiu pergendo, quoad è re viſum fuerit. Quodſi forte in artubus debilitas, ſtupor aut immobilitas aliqua percipiatur, ſive fiat cum, ſive ſine dolore, ∽⊖✱. cum ▽. Reginæ Ungariæ bonæ notæ illis externè affricari poterit. Internè ⊖. vol. oleoſum aliquod, è cinnam. macere horumque oleis deſtillatum aſſumi illique de oleo ſpiritus vini paucæ guttæ maritari poterunt, quod licet Pharmacopœis vulgaribus fere incognitum ſit, novi tamen eodem Senem octogenarium eo quam maximè ab Apoplexia & paralyſi curatum & ad ſextum abhinc annum conſervatum fuiſſe, omnibus aliis medicamentis in caſſum adhibitis &c.

V. V. Dominat.

Darmſtadii d. 29. Jan. 1700.

Officioſiſſimus

M. A. Brumm.

FOR-

α. & ω.

℞. Vini Rhen. lib. j.
bulliant in eo
Sem. coloc. ℥j.
croc. metall. ʒß.
Col. D. pro Clyſtere,
quo moram nectente
in abdomine, ſternutatorium infletur nari-bus.

Vel &
∽⊖✱. naribus admoveatur pro excitatione.

* * *

℞. Liq. CC. ſuccin.
∽⊖✱. ana ʒj.
M. D. guttæ ad xv. ad xx.
in vehiculo quocunque.

* * *

℞. ▽. menth. ℥iij.
∽. CC.
⊖✱. aa. ʒß.
Eſſent. caſtor ʒj.
M. D. cochleatim.

α. & ω.

℞. Flor. paralyſ. Mj.
Rad. pyrethri ℥j.
Pulv. coloc. in pet. ʒj.
Sem. eruc.
aniſi aa. ʒij. Inciſ. & cont.
Coq. in ſ. q. ▽. ſ. col. ℞. lib. j.
adde
Elect. Hier. c. ag. ℥iß.
∘ dest. junip. ʒß. M. pro Clyſt.

* * *

℞. ▽. ſalviæ.
apoplect. uſit.
hirund. cum caſt. ana. ℥j.
Balſam. nervin. D. Scheſferi
∽⊖✱. vol. aa. ʒß.
Syrup. flor. tun. ʒvj. M.
D. cochleatim.

* * *

℞. Spec. diambr.
diamoſch. dulc.
Sem. eruc. pulv. ana ʒj.
c. s. q. ſacch. in ▽. ſalv. ſol.
F. l. a. Morſ. illin. ∘. deſt. cinnamom.
D. ad ſcatul.

℞. The-

℞. Theriac. n. camph. ℥ij.
Sem. eruc. contuſ. ℥j.
Rad. pyreth. pulveriſ. ℥ß.
dil. cum 🜄. & ⁓⊖*.
M. illin. & applicetur linguæ.

Vel

℞. Taleol. rad. Angelic. rec.
impon. linguæ.

* * *

℞. Formic. major. Mi.
Flor. paralyſ.
Herb. roriſm. aa.
Mß.
Inf. in s. q. 🜄. Rhen.
appl. partibus paralyt.

Vel

Fiat Balneum ex
acervo formic.
c. ovis.

DESCRIPTIO

Balſami Arthritico-Paralitici

D. FüRSTII.

℞. 🜖. lini puri lib. 4. in eo extingue aliquot fruſta ferri puri, candefacta toties, donec oleum à ferro candente non amplius ſtrideat, tecto quavis vice vaſe, ne flammã concipiat. Oleo ſic præparato tantum ♃ imiſce, ut qſ. paſtam ſpiſſiusculam conſtituat, ex qua effinge globulos, injice ♌ lutatæ, igneque primum lento, ac deinde fortiori deſtilla ad totalem 🜖. exſudationem: Egreſſum 🜖. adhuc ſexies per ſe cohobando, rectifica demum & adde Rad. pyrethri
caſtor. veri ana ℥ij.
gummi galban. ℥iv.
& per decem & plures dies in fimum equinum ad putrefaciendum colloca & ut eò magis ſubtileſcat, adhuc ſemel deſtilla.

DE TUSSI CHRONICA, ASTHMATE & CATARRHO SUFFOCATIVO.

ASTHMA eſt crebra & difficilis reſpiratio, cum ſibilo, ab obſtructione, aut ſpaſmo pulmonum ortum.

- *PHÆNOMENA*: In TUSSI fortior & violenta adeſt exſpiratio, cum facie ſanguine perfuſa in TUSSI CONVULSIVA ſ. FERINA, *Schenckione* Quinta, (vulgò Gincks-Huſten) dicta: Accedente vomitu in TUSSI STOMACHALI: Juncta difficili reſpiratione in DYSPNOEA, quæ cum ſibilo & ſtertore ASTHMA, cum palpitatione cordis & metu ſuffocationis ORTHOPNOEA, cum pectoris dolore gravativo, pulſu tardo, anxietatibus & ſuffocationis metu CATARRHUS SUFFOCATIVUS audit: Ubique ſive cum, ſive ſine rejectione muci viſcidi, cujus intuitu vel humida, vel ſicca dicitur.
- *SUBJECTUM*:
  - SYMPTOMATIS ſunt muſculi thoracis, abdominis, diaphragma & pulmones.
  - CAUSÆ:
    - Fauces & pulmones in malo per eſſentiam & cumprimis in catarrho ſuffocativo:
    - Ventriculus & nervi in tuſſi, vel aſthmate ſtomachalia, convulſivo.
- *CAUSA*:
  - *PROXIMA*:
    - *FORMALIS* eſt: Stagnatio ſanguinis in pulmon. in catarrh. ſuffoc. Irritatio, obſtructio & elater convulſivus partium reſpirationis.
    - *MATERIALIS* ſunt: Sanguis & lympha in faucibus & pulmonibus hærentes. Hydatites in diaphr. glandulæ coriaceæ. Pituita, calculi, mucro, nata cartilago introrſum flexa &c.
  - *REMOTA*: Aer ſive rarior, ſive denſior. Cibi auſteri. Potus fauces illabens. Otium, ſomnus. Excretionum conſuet. ſuppreſſio, mœror. Inflatio inteſtinorum, inflammatio pleuræ, ſcabies retropulſa, hydrops &c.
- *PROGNOSIS*: Tuſſis diuturna phthiſin minatur. In teneris herniam, in gravidis abortum cauſatur. Aſthma inveteratum in juvenibus difficulter, in ſenibus nunquam curatur. Ita & catarrhus ſuffocativus, qui peſſimus, ſi à febre maligna oriatur.
- *CURATIO*:
  - INTRA PAROXYSMUM:
    - V. S. larga ſi à plethora & evacuat. ſuppreſſis.
    - Clyſtere acriore: Vel & vomitu, ſi ſtatim à paſtu oriantur.
    - Antaſthmaticis, ▽. aſthm: ∿. ⊖ ✱. fulig. elix. antaſthm. *Fürſtii*, elix. pector. *Wedelii* &c.
  - EXTRA PAROXYSM. ſanguis & lympha reſolvantur & educantur:
    - Digeſt. & Purgantibus, ſi à colluvie feroſa, aut pituitoſa.
    - Diaphoreticis cum vel ſine ſudore:
      - fixis, ocul. ♋. pulv. cont. caſ.
      - Volatilibus, ⊖. vol. ſucc. ∿ ⊖ ✱.
    - Pectoralibus:
      - Incidentibus.
        - DOMEST. Pulv. 🜍reo pectoral. eſſent. enulæ. ∿ ⊖ ✱.
        - OFFIC. Spec. diaireos A. ∿. gum. amm.
      - Demulcentibus:
        - DOMEST. oleo amygd. dulcium, op.
        - OFFICIN. Pulv. anon. rec. Aug. diacodium *Mont.* fl. 🜍.
    - Nervinis, ut Cinnab. Pulv. contr. Tuſſ. inf. Mynſ. liq. CC. ſuccin.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In Tuſſientibus & Aſthmaticis omittantur, quantum fieri poteſt, medicamenta frigida & ſicca. Præſtant calida & humida, citò ſe diffundentia.

II. In Aſthmatis paroxyſmo caveas Tibi à purgantibus, ægrum in majores anguſtias præcipitantibus.

III. Reſolventia non facile dentur ſine expectorantibus, ne moveas aliquid, ſed non promoveas.

OBSERVATIONES.

I.

ASthmatis periculoſiſſimi paroxyſmum ita ſe curaſſe refert D. *Sebaſtiauus Schefferus* b. m. in MSS. Practicis:

℞. Syrup. de praſio
Oxymelit. ana ℥iß.
Extr. helen.
liquirit.
ireos ana ℈j.
Extr. croc. gr. iij.
Gummi ammon. in 🜄 aſthmat. vel 🜄. ſolut. ʒiß. M.
de quo ſæpius cochl. j. vel alterum dedit.

Abhinc, ſi opus, addidit ſeqq.

℞. Rad. ireos
aſari ana ℥ß.
angelic.
glycirrhiz. ana ʒij.
Coq. ad rem. ℥viij. adde
Syrup. de praſio ℥ij.
gum. ammon in ſuperiori decoct. ſolut. ℈iß.
croc. ℈ß. M.

Hoc in deſperatis optimè profecit. Tandem purgavit eos vino vel hydromelite purgante & capiti impoſuit empl. contra rupturas, cum caranna. *vid. c. l.*

II.

Anno 1703. menſe Octobr. Dn. D. MAJI, Theologi Giſſenſis, Conjux pientiſſima tuſſi graviſſima & aſthmate corripiebatur,

quæ nullis pectoralibus cedebat. Cum verò pedes inſigniter tumerent, ita, ut foveam impreſſam diu retinuerint, ſicque hydropem minarentur aquæ diaphragmati incommodantes, præſcripſi

(1.) Infuſum è laxantibus & pectoralibus, ſed absque inſigni effectu.

(2.) Pulverem purgantem, Sydenhamio in hydrope familiarem.

(3.) Elixir pectorale Wedelii, cum R. ♀.

(4.) Infuſum cinerum geniſtæ, cum ⊡, parcior quoque flueret. Tandem cum in vomitum inclinaret, à vomitorio autem abhorreret, præſcripſi aliud purgans, ex pulv. jalapp. c. gr. j. ♀. emet. quod optime contulit, tumore remittente & reſpiratione faciliore reddita, nunc prorſus ſana Matrona.

III.

Aliam de Aſthmate convulſivo, à polypo cordis, obſervationem, *vid. ſupra in Sect. III. Cap. VII.*

IV.

CONSILIUM DN. D. WEDELII, Pro Aſthmatico.

P. P.

LIteræ Tuæ pluribus certiorem me reddunt Te ASTHMATICO quodam AFFECTU conflictari, qui, cum ab acri & impuro ſanguine non minus ac pituita viſcida, bronchia pulmonum obſtruente oriatur; hinc ſeqq. medicamenta illi opponenda duxi:

1. Mixtura eſt pectoralis reſolvens & incidens, de qua manè hora xii. in vehiculo calido & à meridie hora iv. in tepida cereviſia xxx. ad xxxiiij. guttæ ſumi poterunt.

℞. Eſ-

℞. Eſſent. lignorum Eſſ. myrrh. balſ. ana ʒß.
Elix. pector. n. ana ʒj. anodyn. ℈ß.
♃. bez. ⚲. lign. ſaſſafr. g. ij.
M. D. ad vitr. S. ut ſupra.

2. Pulverem reſolventem & expectorantem, veſperi hora 9. in cereviſia ſumendum:

℞. Pulv. pector. præcipit. ʒiß.
balſamic. ʒß.
⚲. lign. ſaſſafr. g. j. M. Div. in 6. p. æ.

Vel: ℞. Sperm. ceti ʒj. Milleped. præpar. ℈j.
♂. diaphoret. Cinnab. nativ. præp. ℈ß.
Rad. ari ana ℈iß. M. Div. in 6. p. æ. D.

3. Demulcentem & expectorantem Pulticulam Pectoralem, pro lubitu, urgente cumprimis reſpiratione difficili, ſumendam:

℞. Syrup. de Eryſ. ℥j. Elix. pectoral. ʒj.
jujubin. Balſam. ♤. aniſ. g. iij.
hyſop. Eſſent. anod. ʒß.
papav. rhœad. Trochiſc. becch.
glycirrh. ana ℥ß. Spec. diatragac. frig.
Extr. glycirrh. diair. ana ℈ij.
agrimon. M. F. l. a. Linctus, D. cum
ſarſapar. aa. gr. v. bac. Liquiritiæ.

Vel: ℞. ▽. hyſopi. ▽. aſthmat. ʒvj.
tuſſilag. Elixir. pector. ℈ij.
marrub. ana ℥j. loch. ad aſthma uſit.
cerefol. oxym. ſcillit. ana ʒiij.
rorell. Eſſent. anodyn. parum
botryos ana ℥ß. M. F. Potio.

Juxta hæc fugiantur in Diæta cibi acidi & viſcidi, ut & aura frigida & humida &c.

V.

ALIUD

CONSILIUM
PRO ASTHMATICO SCORBUTICO.

REQVISITIO.

PAſtor quidam 37. annorum, temperamenti calidioris & ſiccioris, ante 9. circiter annos, menſe Auguſto, Lipſtadii incepit laborare tuſſi violenta & ſicca, expectorat viſcida liquida, quæ poſt opiata atque ſudorifera, ſine effectu adhibita, continuavit usque ad diem Paraſceves, unde circa noctem, præcedente per 14. dies orgaſmo humorum flatulentorum circa regionem ventriculi & hypochondriorum (der Patient ſagt: Er habe etwan 14. Tage ſein Nacht-Camiſol wegen einiger Donnigkeit des Leibes, eröffnen müſſen) ſequitur aſthma, quod tamen brevi ceſſat, verum omni 6. hebdomadum præterlapſo ſpatio recurrit, interdum majori, interdum minori reſpirationis moleſtia, per 8. vel 14. dies continuans & ſucceſſive remittens, cum excretione paucioris & craſſioris albæ & flavæ materiæ. Tandem ante aliquot annos vocatus huc Bilefeldiam ulterius hic quærit auxilium. Quæſitus itaque de loco affecto, pulmonis cubilia oſtendit ſcitque nullam aliam hujus mali cauſam, quam tuſſim ſuperius dictam & aſthma. Extra paroxyſmum tuſſis quidem non adeo frequens atque moleſta, expectoratque facilius materiam pituitoſam, utplurimum minutisſime globulatam, olim etiam aliquoties nigram, ſi lucubrando diutius candela uſus fuit: Accedente vero paroxyſmo tuſſis vix adeſt ſtertorve vel quicquam materiæ in bronchiis pulmonum ſentitur, vel etiam quid expectoratur, niſi remittente paroxyſmo. Utplurimum antecedit paroxyſmum repetita ſternutatio & gravitas capitis, interdum anomalia quædam febrilis, ſequiturque ſucceſiivè inexplicabile quoddam reſpira-

ſpirationis impedimentum, concomitantur tenſiones hypochondrii ſiniſtri aut dextri, ructus, pulſus eſt debilis & frequens, urina rubra, facilè deponens fæculenta rubra. Extra paroxyſmum aliquando etiam bis vel ter in anno tumore catarrhali tonſillarum, harumque præcedente reiterato horrore inflammatione laborat, unde difficilis juſculi deglutitio linguæque motus.

Quibus conſideratis Medicus, præſente atque urgente paroxyſmo vocatus, aſthma magis ſiccum concludit materiamque peccantem minus hærere in cavitatibus & bronchiis, ſed magis in ipſa ſubſtantia pulmonum, mediante ſanguine & lympha ad pulmones, tusſi violenta maximè debilitatos, depoſitam genusque nervoſum pulmonum aut thoracis inſigniter lædentem, quæ minus in paroxyſmo expectoranda, ſed quæ potius per ſudorem maximam partem & urinam reſolvenda & ſimul alteranda: violentus autem atque inordinatus ille pectoris & reliquorum fluidorum motus ad pulmones à partibus mandantibus aliquali modo opiatis blandis & theriacalibus ſufflaminandus, mixtis ſpecificis cephalicis atque nervinis: remittens verò paroxyſmus incidentibus & expectorantibus, confortantibus pulmones, vulnerariis ſc. ac balſamicis & ſimul hiſce præcavendus paroxyſmus & externè veſicatoriis & fonticulo orgaſmus humorum flatulentorum ex primis viis, pro re nata, evacuandus, cumprimis vomitoriis, & ventriculus confortandus aromaticis & carminativis; abhinc iterum imminens paroxyſmus reiterato, ſi opus, vomitorio ac opiatis ſuſpendendus & repetitis ſuperioribus reſolvendus, quæ omnia etiam per aliquot annos legitima methodo, per DEI gratiam, bono cum ſucceſſu ſunt adhibita, ut Dominus Magiſter, in meliorem ſtatum redactus, per unum & alterum annum bis aut ſemel tantum verni & autumni, vel ſolum autumni tempore ſentiat paroxyſmum brevi remittentem. Laboravit autem ante 8. dies iterum inflammatione tonſillarum. Diætam non amplius tam accuratè obſervat; alias abſtemius jam parum vi-

ni

ni aſſumit, tamen vel quadrantem hujus loco menſuræ non bene perferre poteſt. Interim ſperat & optat, ſi DEO ita placuerit, hujus mali omnimodam remiſſionem & reſtitutionem, propterea hiſce ſimul alterius Medici implorat conſilium.

Datum Bilefeldiæ;
d. 15. Febr. Ao. 1702.

P. S.

Puellus quidam, cocochymicæ conſtitutionis, trium circiter annorum, ante annum excrevit urinam ſanguinolentam, quam mater ipſius binis vicibus obſervavit, tandem elapſo circiter ſemeſtri ſpatio Parentes ejus inſignem ſentiunt moleſtiam poſt & circa ejus urinæ emiſſionem, ſæpius omni ferè horæ quadrante urgentem, interdum citius, interdum tardius, ſæpius cum conatu egerendi excrementa alvi horumque interdum ſolutione: Für dem Urin-laſſen fänget der Knabe an zu vveinen, und beym Laſſen mit den Füſſen zu trampeln, und das Gemächte zu drücken, bis das Laſſen fürbey iſt. Urina, quæ ſæpius cochlearis, vel etiam majori aut minori quantitate fluit, eſt cruda vel parum alba, parum purulenta & turbida. Quibus conſidetatis Medicus vocatus concludit prius læſionem ex caſu & ſubſequentem exulcerationem veſicæ fundi, vel hujus colli interioris, tentatque curam, præmiſſis univerſalibus, acrimoniam ſc. humorum temperantibus, purulentiam abſtergentibus, diureticis atque travmaticis, in potionibus atque decoctis præſcriptis, verum ſine ullo effectu, niſi quod dolores parum ſedati; Hinc aliam adhuc cauſam latentem atque inſigniter lædentem, præſentiam ſc. calculi in veſica præſupponit, qui attritu ſuo doloroſo atque gravitate ſua fundum, vel collum veſicæ læſerit, unde primo mictus cruentus, tandem ſucceſſivè exulcerarit, inde

pus

pus & conatus egerendi urinam & excrementa alvi ; quare dictis medicamentis ſimul addit calculum frangentia, in minore tamen quantitate, quibus vero nihil promotum, niſi quod dolores magis exaſperati ſint, hinc à cura abſtinuit & malum irritare noluit, appellatque alterius Medici judicium atque conſilium.

RESPONSUM
FACULTATIS MEDICÆ GISSENÆ.

Equidem utriusque morbi Hiſtoria nobis communicata tam qua theoriam, quam qua therapiam ſatis exactè atque curatè à præſente Domino Medico delineata, ipſaque Curatio tam dextre hactenus inſtituta eſt, ut eapropter ſuperflua ferè videatur Conſilii noſtri expetitio. Quia tamen plus vident oculi quam oculus & quoque Plurimum-Reverendus Dn. Æger omnimodam mali ſui remisſionem ac plenariam in integrum reſtitutionem, ſiquidem ulla ratione iſthæc obtinere queat, exoptat ac deſiderat: hinc honeſto ejus deſiderio atque petito, quantum in Nobis eſt, minime deeſſe voluimus.

Quod igitur (1.) ad ipſius Plurimum-Reverendi Viri affectum attinet, videtur ille Nobis non tam idiopathicus, ſive per eſſentiam pulmonum πρώτως, ſive primario & per ſe, affectorum, ſed potius ſympathicus, ſive per conſenſum (aliarum corporis partium) talis; ac proin *Aſthma ſiccum, convulſivum hypochondriaco-ſcorbuticum* (quales plerique literati ſunt) dicendus eſſe. Idque (1.) quia periodicus hactenus fuit & per intervalla tantum Ægrum afflixit; (2.) quia primum paroxyſmum aſthmaticum per 14. dies præceſſit orgaſmus humorum flatulentorum circa regionem ventriculi & hypochondriorum, quorum tenſiones quoq; cum ructibus paroxyſmos hodiernos utplurimum comitantur; (3.) Ob ſedimentum urinæ rubeum, loturæ carnis, aut farinæ

lateritiæ ſimile , quippe ſcorbuticis & hypochondriacis familiare atque ſolenne. (4.) Quia paroxyſmum utplurimum antecedit repetita ſternutatio (quæ quia ſpaſmodicum ſive convulſivum quid eſt, Epilepſia parva quibusdam audit) & capitis gravitas; tum quoque bis vel ter in anno recurrens tonſillarum uvulæque tumor catarrhalis & inflammatio, deglutitionem pariter ac linguæ motum reddens difficilem.

Ad ipſam ergo curationem quod attinet, alia quidem ipſi paroxyſmo debetur, alia extra eum inſtituenda eſt. In paroxyſmo, præter illa quæ à præſenteDn. Medico recte hactenus & cum ſucceſſu adhibita fuere, commendamus inſuper Elixir pectorale Michaelis & Wedelii, Spiritum CC. ſuccinatum, à B. D. Ettmüllero (in Valetudinar. infantil.) & Dn. Jüncken (in Lexic Pharmacevt.) deſcriptum, Spirit. ⊖✱ci aniſat. ∽um ſanguinis cerv. vel antapoplecticum Cloſſ. ap. Schröder. Eſſent. caſtor. Balſamum 🜍is aniſat, & inprimis etiam Balſamum vitæ, intus ∇. lign. Saſſafr. comp. Tim. à Güldenklee, ∇. lumbricatam B. D. Geilfuſ. in Aquis pectoral. pnevmonic. antiſcorbutic. & antapoplecticis exhibenda; It. ſperma ceti, ſic dictum, recens, cum fœcul. bryoniæ, flor. benzoin. 🜍is myrrhat. ⊖e vol. ſuccini & croci momento, cum ol. amygd. dulc. rec. expreſſ. & ſacchar. cand. vel penid. remixt. vel è brodio carnis aut gallinar. calidè hauriendum. Inter Opiata, cautè tamen & prudenter adhibenda, excellunt hoc in caſu Pilulæ de Cynogloſſa Favent. & de Styrace Cloſſæi ap. Schröd. Theriaca cœleſtis &c.

Extra paroxyſmum vero & προφυλακτικῶς diligentem Martialium cum cinnabari ♁ii, vel nativa vera, (qua de videantur Grembſ. Gothofr. Schulz. & Frid. Hoffmann) maritatorum uſum, ac verno autumnalique tempore Apozema aliquod, aut Infuſum antiſcorbutico - hypochondriacum lenitivum, item Serum lactis ſuccis antiſcorbutic. rec. expreſſis alteratum, vel Thée aliquod ſpecificum ex herbis antiſcorbutic. & pectorali-

bus

bus cum ſalvia, chærefol. veronic. betonic. &c. It. Decoctum Galli decrepiti, cum appropriatis præparatum. Butyrum potabile rubr. & virid. cum cereviſ. vel vino calido hauſtum, & ſimilia ſanguinis coagulum ipſumque cordis, vel arteriæ aortæ polypum præcaventia, vel imminuentia; Mixturam it. antihypochondriacam, Elixir vel -tum antiſcorbuticum ſimpl. vel compoſ. Eſſent. lignorum, lumbricorum; Et quæ apud Williſium in de Morbis Convulſiv. & Pharmacevt. ration. de Aſthmate convulſivo in ſpecie obvia ſunt egregia remedia, ſemetipſa commendantia.

Vomitoria etſi in Aſthmate humido ac pituitoſo laude ſua non careant, caute tamen heic, nec nimis crebro adhibenda ſuademus, ne fortè per venulæ aut arteriolæ alicujus ruptionem hæmoptyſin periculoſam vel lethalem aliquando concitent.

Tonſillarum & columellæ inflammationi præter V. S. Gargariſmi, à Lotichio in Obſervat. med. & à Mynſichto in Armamentar. deſcripti, ſpecificè proſunt. De Topicis, ut Emplaſtro de meliloto & Cataplaſmate de Nido hirund. Mynſ. non eſt ut multa dicamus, cum per ſe nota ſint.

Pediluvia medicata, revulſionis gratia, itidem utiliter interdum adhibere poterunt.

Ad præcavendam autem frequentem ejusmodi inflammationem Cucuphæ appropriatæ uſus & potus frigidi frigorisque nocturni æquè ac diurni evitatio fortè conducent.

Reliquæ Diætæ ordinationem præſentis Domini Medici curæ committimus. Vinum, propter acidum occcultum, quo pleraque abundant, non admodum conveniet, niſi parce ac moderatè ſumtum. Lucubrationes nocturnæ cane pejus & angue fugiendæ.

Jehova Medicus ſupremus tum hiſce, tum aiiis remediis ō-mnibus ex alto benedicat & Plurim. Reverendum atque Clariſ-ſimum Dn. M. Paſtorem Ecclesiæ, Reipubl. Sibi ac Suis incolumem ſalvumque diutiſſime præſtet!

Quod autem II. ad filioli ferè trimuli morbum attinet, omnia ſane ſigna ab ordinario Dn. Medico in Caſu enumerata indubiam *Calculi veſicæ* præſentiam arguunt, ſive is in renibus primordia ſua cœperit & per exilia illorum vaſcula in ureteres ipſamque veſicam, forma ſabuli acutioris, transeundo mictum cruentum ante annum in puello excitaverit; ſive in ipſa veſica ſenſimque concreverit eandemque ac urethram anguloſis ſuis cuſpidibus excoriaverit. Hinc ab acrioribus calidioribusque lithontripticis, in paroxyſmo præſertim dolorifico, tutius abſtineri autumamus, eorumque loco demulcentia & paregorica, tum in- tum externa, v. gr. oleum amygdalorum dulc. rec. expreſſum, cum ſyrupo dialthææ Fernel. & paucis guttulis ∽us ⊖. dulcis, vel ∽us ex ovo ſtruthiocameli, aut Elixir. nephritici Schröd. it. Eſſentiam anodynam, tum Decoctum contra Calculum Foreſti, â Zvvelffero & Deckero in Not. ad Prax. Barbett. correctum & laudatum, & decantatum illum pulverem contra Calculum B. Dn. D. Volckameri internè: Externè vero præter Clyſteres ex lacte, terebinthina & vitell. ovi, cum melle roſar. vel herbæ ☿ialis, inſeſſus ſ. balnea aquæ dulc. fluviat. vel pluvialis cum herbis, radic. & ſeminib. emollient. parat. nec non injectiones in veſicam, ex decoctis emollient. & paregoricis, cum terebinth. vitello ovi diſſolut. de meliori commendamus.

Quæ omnia ſi præter ſpem & expectationem noſtram voto minus reſpondeant, in Sectione, prævia exploratione debita, à perito Lithotomo adminiſtranda, ſpes omnis, ſecundum DEUM

DEUM unicè collocanda erit. Qui puſionem lepidiſſimum, Parentum gaudium atque delicium, ſalvum ſoſpitemque faciat, ſerio præcamur.

Dabantur in Alma Ludoviciana
III. Calend. Martias M DCC II.

JUSTUS FRIDERIC. DILLENIUS,
D. PP. & h. t. Ordinis Med.
Decanus & Senior.
MICHAEL BERNH. VALENTINI,
Med. D. Ejusdemque &
Philoſ. Natur. PP. O.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Pulv. ♀rei Pector. ʒiß.
Cinnabarin. ʒß.
M. D. S. Bruſt-Pulver täglich ein paar Meſſerſpitz in Ehrenpreiſs-Waſſer zu nehmen.

* * *

℞. ▽. Veron. cum Vino ℥iij.
Eſſent. enulæ
⊖*. ana ʒß.
Extr. liquirit. ℈j.
Pulv. pector. ℈j.
ſacch. ſyr. q. ſ. pro edulc.
D. S. Bruſt-Tränckleín öfftters ein paar Löffelvoll zu nehmen.

α. & ω.

℞. Rad. enulæ ℥j.
ireos Florent. ℥ß.
Herb. ſcabioſ.
hyſſopi ana Mj.
flor. pap. errat. p. iij.
Sem. aniſi
fœnicul. ana ʒiß.
Coq. in s. q. aquæ ſimpl.
col. ℞. lib. ij. adde
Oxymel. ſimpl. l. ſcillit.
pro grato ſap. S.
Auflöſender Bruſt-Tranck nach Belieben zu nehmen.

℞. Pulv. Anon. rec. A. ʒiß.
diaireos ʒß.
Flor. ♀.
benz. ana ℈j.
Liquirit. coct. pulv. ʒj.
M. D. S. Sonderliches Bruſt-Pulver, des Tages 2 mahl in Ehren-Preiſs-Waſſer zu nehmen.

* * *

℞. Eſſent. enul. ℥iß.
ſuccin. ℥j.
℞. ⊖*. ℈j.
M. S. Vermiſchte Alant-Eſſentz, 30. Tropffen in Hyſſopen - Waſſer zu nehmen.

* * *

℞. ☍. amygdal. dulc.
Syrup. pap. errat. ana ℥j.
c. s. q. ſacch. cand. M. D. S.
Dicker Safft offt davon in Mund zu nehmen.

DESCRIPTIO ELIXIREOS ANTASTHMATICI DD. FURSTII.

℞. 🜍. vivi, ⊖♀. ana ℥iij.
Pulveriſata liqueſcant ad △, ſpatula continuo movendo, uſquedum colorem ſubrubeum acquiſiverint, cavendo tamen, ne flammam concipiant. Tum remove ab △. & frigefacta pulveriſa: huic pulveri adde in cucurbita:
Gummi ammoniac.
aloës ſuccotrinæ,
myrrhæ rubræ ana ℥j.
croci Orientalis ℥ß.
℞. Vin. ♀riſat. ℥xxviij.
eſſent. meliſſ. ℥ix.
℞. ⊖*. urinoſ. ℥iß. ʒiij.
ſtent optimè clauſa in digeſtione, ad plenariam ſpecierum reſolutionem tincturæque extractionem, deinde filtretur & uſui reſervetur.

ELIXIR PECTORALE *Wedelii*.

℞. Rad. helen. ℥iß.
Herb. rorellæ ℥iß.
Benzoini ʒvj.
Myrrh. Glycirrh. ana ℥iß.
Gummi ♓. ℥ij.
Sem. aniſi ℥ß.
Croci ℥iij.

Conciſ. & contuſ. M. Extrahe 🜄R. ſimpl. vel pectorali, ad ſufficientem ℞. in Tuſſi, Aſthmate, Raucedine & ſimilibus, ad gutt. xxx. dandum & pro re nata cum ℞. anodina, in febb. catarrhalibus & ℞. benz. propinandum.

CAP. IV.

DE NEPHRITIDE.

NEPHRITIS eſt dolor renum acerbiſſimus, ab inflammatione illorum & calculo proveniens.

- *PHÆNOMENA*
  - Præcedente horripilatione crebris vomitibus obnoxii ſunt, inſequente inſultu febrili & doloribus in lumbis, continuo urgentibus. Urina difficulter prodit eaque flammea, aut & aquea: Ob ſpaſmum ſe neque erigere, neque incurvare valent, quæ utrobique deorſum verſus, ſecundum ureterum ductum, ad veſicam tendunt. Stupor cruris lateris affecti ſequitur, ſitis item, cephalalgia, vigiliæ &c.
- *SUBJECTUM*
  - ſunt Renes, quoad membranam pelvis interiorem, non tamen excluſis ureteribus
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt irritatio & criſpatio renalium fibrarum & hanc inſequens interceptio M. S.
    - *MATERIALIS* eſt calculus & ſanguis abund. aut acrior.
  - *REMOTA*
    - Senium, plethora, aer inclementior.
    - Cibi & potus acidi, motus & equitatio viol.
    - Nimium ♀ exercitium, ſcorbutus, febris &c.
- *PROGNOSIS*
  - Nephritis à ſtagnatione ſanguinis haud difficulter curatur.
  - Si diu durer & à calculo majori oriatur, aut epilepſia, aut ulcus renum hocque ſequens Phthiſis renalis relinquitur, de qua in *Noſocomio Acad.*
- *CURATIO*
  - INTRA PAROXYSMUM dolorem ſiſtit
    - Clyſtere
      - DOMESTICO, ex lacte & Terebinth.
      - OFFICIN. ex carminativis, emoll. & antinephrit.
    - V. S. ſi à plethora.
    - Demulcentibus
      - Internis, Mucilaginoſis abſorb & anodynis, Troch. alkek, Extr. opii. Sem. Nymph.
      - Externis, Unguent. dialth. baln. ex polenta & ſtram. aven.
  - EXTRA PAROXYSM.
    - Sanguis ſtagnãs reſolvẽdus
      - DOMEST.
        - ☿. diaphoret. Pulv. bezoard. cinnab.
        - Pulv. pector. 🜍. antifebr.
        - Mandib. Luc. piſc. ~⊖*.
        - ⏀ depurat. ▽. Veron. ⊖. vol. CC.
      - OFFIC.
        - Milleped. præp. ocul. ♋.
        - mandib. lucii piſc. Ludus *Helm.*
    - Humores acriores eliminandi,
      - Purgantibus lenioribus
        - Pil. de Terebinth.
        - Magnes alb.
      - Diureticis & Lithontripticis
        - Tinct. ♀ liq. Nephr. diur. ex nucl
        - Rad. pareira brava.
        - Fol. acmellæ, Lap. manati.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In Paroxyſmo Nephritidis fugiantur Lithontriptica, malum (ſpaſmo nondum remittente viisque nondum præparatis) exaſperantia.

II. Terebinthinata, cumprimis 🜍. & ⚬⚬. Terebinthinæ, caute & moderate intus propinentur, ne M. S. inflammetur febrisque continua inducatur.

III. Nec ⚬⚬. amygd. dulc. aut commune in nimia quantitate ſumantur, ne ventriculi tonus lædatur.

OBSERVATIONES.

I.

Vir quidam, Gemmarius Francofurtenſis, Matthæus Schmid, graviter laborare cœpit Nephritide. Cum nollet admittere clyſma, ad promovendos calculos præſcripſi: ℞. Fol. agrimon. veron. herniar. ana mj. rad. alth. liquir. aa. ʒvj. ſem. aniſi ℥ß. M. F. Decoct. ad ℥ix. col. adde ſyr. de alth. ℥iß. ⚬⚬. amygd. dulc. ℥ij. M. pro tribus doſibus, à quibus multos calculos excrevit. Febris vero cum rediret, tertio die purgatus eſt Elect. bened. laxat. ʒvj. & bibit ▽. fragor. cum euphoria. Cum autem arenæ copioſæ adhuc adeſſent, ordinavi has pilulas: ℞. Terebinth. ʒiij. ammoniac. acet. ſquillit. ſolut. ʒß. ſem. geniſtæ ʒij. ♀. ⊕lat. ʒj. ⊖. prunell. borrac. coag. lepor. aa. ʒß. M. F. Pilulæ n. vij. pro ℈j. Tantum ſumſit quolibet die & plurimos lapillos cum arenulis hoc pilularum uſu excrevit & ſanatus eſt. *D. Guil. Erneſt. Schefferus in MSS. Pract.*

II.

Vir juvenis, Juſtus Popelier, Aurifaber, graviter dolere cœpit circa lumbos & regionem veſicæ. Aderant & tormina ventris. Præſcripſi 1. clyſma ex Rad. alth. petroſel. aa. ℥j. Herb. malv. parietar. veronic. fl. ſambuci, violarum ana Mj. ſem. lin. fœni-

fœnicul. petroſelin. ana ℥iij. M. F. Decoct. ℞. Col. lib. i. adde E-lect. bened. lax. ʒvj. flor. caſſ. pro clyſter ℥ß. mellis roſ. o°. chamom. anethi ana. ʒ. ⊖. ℈j. F. Clyſma, quod injectum parum operabatur, cùm non diu retinuerit. Ad propellendum calculum hunc potum bibit: ℞. Rad. aperit. ana ℥ß. ononid. liquir. ana ʒvj. Fol. herniar. agrimon. heder. terreſtr. pariet. flor. malvæ ana Mj. ſamb. mß. bacc. alkekengi ʒij. lauri ʒß. ſem. aniſi, leviſtici aa. ʒj. M. coq. in aq. pluv. col. ℞. lib. j. add. ſyrup. alth. ℥ij. liq. nephrit. ℥j. M. hoc pro 3. vicibus bibit & multum lapideæ materiæ excrevit. Dolores leniebantur o°. ſcorp. chamom. lil. alb. & inſeſſione ex Rad. alth. petroſel. & ſim. quæ egregiè profuerunt. *Idem ibidem.*

III.

CONSILIUM

D. GEORGII BALTHASARIS MEZGERI,

Prof. Giſſ.

Ap Requiſitionem

D. JOH. TACKII, Arch. Darmſt. & PP.

Pro

NEPHRITICO.

Nobiliſſime, Excellentiſſime, Experientiſſime Vir,

DN. Collega & Fautor

perquam ſuſpiciende!

Transmiſſum Conſilium Medicum legi & ut vides ſubſcripſi. Pauca hæc, ne nihil egiſſe videar, jamdum memorem mo-

neo. Intet purgantia Riverius in Praxi magis amat bolos & electuaria hoc in caſu, quàm potiones, ſed cogentes ejus rationes, meo quidem judicio, non ſunt, alias facilè in rem præſentem bolus confieret ex terebinthina, caſſ. rhab. pulv. glycirrh. &c. ſed qui forte cum majore ægri nauſea exhiberetur. Interim in potione præſenti putarim ſufficere ſenn. ℥ij. ad ſummum. Alias Terebinthina quocunque modo exhibita valde mihi hic placet. Inter abſtergentia præ aliis commendo ex propria experientia decocti hordei cum liquirit. ut & ſerum hoc modo præparatum, quo cum vinum ad lubitum miſceri, vel & per ſe dari poteſt, Acidulæ, ob rationes omnibus notas, mihi ſuſpectæ ſunt. Lac etiam, cumprimis caprillum, ubi abſtergendum, ſi ventriculus ferat, laudo, præſertim manè propinatum. Ubi verò conſolidandum, eligerem ovillum, cum quo exhiberi poſſunt tabulæ Plateri, in exulceratione renum laudatiſſimæ: Vel Trochiſ. Gordonii Auguſtanorum de halicacabo: Vel etiam alio in conſilio adducta proficua medicamenta. Non malè etiam, ut ſpero, occurreret urinæ ardori præſens pulvis, ſi urgeret:

℞. Fruct. alkekengi N. xij.
Sem. pap. alb.
cucum. ana ℨß.
Sacch. ad pondus omnium
Doſ. ℈ß.

Hujus acrimoniam etiam externa unguenta refrigerantia in renibus mitigant. Sed nolo Soli lucem inferre. Tu, Vir Excellentiſſime, bene vale & age!

Excell. T.

Giſſ. d. 4. Jun. 1660.

Addictiſſimus
GEORG. BALTHASAR
MEZGER, D.

IV.

IV.

ALIUD
DN. D. GEILFUSII Sen.
Arch. Haſſo-Darmſt.

In eodem caſu.

Nobiliſſimi DNN. Profeſſores.

Quoniam Medicina opinabilis aliter, quàm Geometria (quæ indubitatis nititur argumentis) ſtatuit, hinc probabiliter difficilis affectus Nobiliſſimi DN. à Carben, ex annotatis ſymptomatis, loco affecto doloroſo, urina cruenta, cum mucido & purulento ſedimento &c. cauſam ulceroſæ potius renum diſpoſitioni ac acrimoniæ humorum, quàm calculo adſcripſi, quia talis urina citra motum & exercitium, cum ſimili ſedimento ſemper profluit. Exin, prognoſticando difficilem curationem, etiam in juvenili hac ætate &c. has indicationes curatrices texui: Hepar eſſe aperiendum & roborandum, renes ulceroſos modicè abſtergendos, exſiccandos & conſolidandos: ideò ſequentia concinnari curavi, quæ ſine alleviatione prædictus Nobilis hactenus aſſiduè ſumſit. Monitus ab emenſo octiduo à Generoſo de Franckenſtein de contributione meæ opinionis expediente gratificari & deſiderio morem gerere volui. Si nodum Gordium non reſolvi, nec tempeſtatem mali attigi, ad minimum non culpandus, ſed caſus ambiguus, difficilis & varius deplorandus potius. Hiſce felicem & omnis infortunii expertem annum vovens voveo & ad ulteriores præſcriptiones ac conſultationes me offero. Butisbaci 7. Jan. 1660.

Obſequioſiſſimus

J. G. GEILFUSIUS.

V.

Die 26. Sept. 1659. præſcripta ſeqq.

HAUSTUS LAXATIVUS

Ex Manna
Caſſia
Extr. agarici.
c. ♁. amygd. dulc.

DESTILLATUM

Ex Renalibus,
Fr. alkekengi
Sem. citri.
cum Malvatico.

It.

Syrup. dialth. Fern.
oxym. diuret.
ſyrup. de cich. c. Rhab.
ſang. conſol. maj.

It.

℞. Terebinth. vit. ov. ſol. ʒß.
Mell. roſ. col. ℥ij.
Vini boni ʒvj.
Sacch. roſ. tabulat. ʒß.
M.

DECOCTUM

Ex Rad. Alth. Liq.
Eryng. Gram.
Cicer. rubr.
Paſſul. major.
Fol. malv. frag.
herniar.
pariet.
ceterach.
lichen.
capit. papav. cum quo emulſio ex ſem. 4. frig. maj. facta & cum ſyr. dialth. F. ac oxym. diuret. mixt.

PILULÆ

Ex Terebinthina cum Pulv.
ſarſapar. thuris
troch. alkek.

UNGUENTUM

Ex ſucc. parietar.
cerefol. c.
Axung. porcin.
coct. & ♁. ſcorp.
ac dialth. mixt.

PULV.

Ex Trochiſc. Alkekeng.
Lapid. ♋.
ſem. herniariæ,
c. ſaccharo.

Cereviſiæ injecta ſunt : Fragaria, Hepatica, Sanicula, Veron. Virga aur. Agrimonia. Sarſapar. Raſ. eboris.

FOR-

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Lact. caprilli, vel
Urin. pueri ℥xij.
Terebinth. in vitello ovi ſolut. ʒvj.
⊖. vol. CC. ℈j.
M. F. Clyſter, injiciatur tepidè

* * *

℞. Ocul. ♋. præp. ʒiß.
Mandibul. luc. piſc. præp. ʒß.
♂. diaphor. ℈j.
⊖. vol. CC. ℈ß.
extr. opii gr. v.
M. Div. in vj. part. æquales, ſumatur ter de die, in ▽. fumar. vel veronicæ, manè expectando ſudorem.

* * *

℞. ℴℴ. Amygdal. dulc. ℥ij.
carui g. iij.
D. pro aliquot doſibus, cum vel ſine ſaccharo.

α. & ω.

℞. Rad. alth. ℥j.
lil. alb. ℥ß.
Herb. parietar.
malv.
petroſelin. aa. Mj.
Flor. geniſtæ.
chamom. aa. p. iij.
Coq. in ſ. q. ⊟. pueri Col. ℞. ℥xij. adde
Caſſiæ pro Clyſt. extr. ℥j.
ℴℴ. Terebinth. ʒß.
Lil. alb. ℥iß.
F. Clyſter, injiciatur tepidè.
Vel
Inſuffletur Clyſter. Tabacinus.

* * *

℞. Lap. ♋. ʒiß.
Manati ʒß.
Sem. petroſelin.
M. Div. in 4. p. æquales.
D. bis de die, in ▽. petroſelini.

* * *

℞. Infuſ. foliorum Acmellæ ℥iij.
Extr. liq. q. ſ. pro edulcorat.
D. bis de die
Sumi in hoc poterit ſequens.

* * *

℞. Tinctur. ♀. ʒiß.
∽⊖✱. ʒß.
Eſſ. opii ℈j.
M. D. gutt. xxx. bis de die.

* * *

℞. Unguent. cathol. virid. ℥ß.
☍. lil. alb. ʒij.
catui g. iij.
M. F. Linimentum dorſo illinendum.

* * *

℞. Polentæ Miiij.
Stram. aven.
q. ſ. F. inſeſſus.

SPECIFICUM ANTI-NEPHRITICUM
BECHERI.

℞. ⦶. purificat.
∽. ⊕. aa. lib. j.
Solve deſtill. ad tertias, linque in loco frigido & invenies cryſtallos: hos inde ✠bulo, adde ♃ fruſtula, effunde & erit maſſa alba.

℞. Hujus
⊖. abſinthii ana,
☍. aniſi
ſuccini ana. ʒj.
Singulis diebus quinque vel ſex cuſpides cultell. ſumptæ reſolvunt calculum.
ex commun. DD. Schelhaſſ.

CAP. V.

CAP. V.
DE DYSURIA, STRANGURIA & ISCHURIA.

ISCHURIA eſt omnimoda 🜕 ſuppreſſio, ab obſtructione, convulſione, aut paralyſi viarum urinariarum orta.

- **PHÆNOMENA**: Ægri inter & ante mingendum ardoris ſenſum percipiunt in DYSURIA, ita tamen, ut 🜕 ubertim fluat. In STRANGURIA verò non tantùm inter migendum, ſed & poſtea dolor urget, urina nonniſi guttatim prodeunte, licet perpetuus, ut in Teneſmo, ſtimulus adſit. Urinam verò prorſus non reddunt, licet perpetuò urgeantur, in ISCHURIA, ita, ut in VESICALI gravitas & dolor in perinæo ac regione pubis, cum tumore, ad inſtar veſicæ, globoſo: In RENALI autem 🜕. turbida & ſanguinolenta calculique ſigna præceſſerint.
- **SUBJECTUM**: AFFECTUS ſunt
  - Renes, ureteres & veſica in Iſchuria.
  - Veſica cum urethra in Dyſuria & Stranguria.
- **CAUSA**:
  - CAUSÆ M. S. atque lympha, imò & primæ viæ.
  - **PROXIMA**:
    - *FORMALIS* eſt obſtructio, irritatio, ſpaſmus, aut paralyſis viarum urinariarum.
    - *MATERIALIS*: Sanguis quantit. aut qualit. peccans, 🜕 nimis ⊖ſa, aut acida in ſcorb. Pus, aut humores acres, in Lue ♀. Pituita, aut nutrimentum proprium elapſum. Arenulæ, calculi, tumores, caruncula in pene.
  - **REMOTA**:
    - Aer frigidus borealis, alimenta acida, cereviſia recens.
    - Excrementorum alvin. retentio, otium, verecundia nimia.
    - Dyſpepſia, cachexia, paralyſis, convulſio, nephritis.
    - Calculus, Lues ♀rea, ulcera urethræ, &c.
- **PROGNOSIS**: Dyſuria & ſtranguria non periculoſa, difficilis tamen in ſenibus, ob diſpepſiam. Peſſima cum febre. Iſchuria renalis magis periculoſa, quàm veſicalis, quæ ultra 7. diem durans jugulat ægrum. Iſchuria à calculo aut paralyſi plerumque lethalis.
- **CURANTUR** remotis externis
  - 1. Humores peccantes evacuando
    - V. S. Si à plethora, aut ſuppreſſ. evac. ſolit. Per vomitum, ſi à mala digeſtione & cruditatibus: Purgantibus & Clyſt. Terebinth. aut ☿rialibus, in Lue ♀. Diaphoreſi à ſero acri & ſanguine grumoſo, Diureticis & ſuctu, ſi à calculis & arenulis, aut pituita.
    - Lithontripticis
      - *DOMEST.*: ⊕. depurato, ⊖. fix. cathol. ∽⊖. dulc. ℴℴ amygd. dulc. Eſſent. ſuccini
      - *OFFICNALIBUS*: ℞. 🜕. ∽. Tereb. Malv. junip. Fol. acmellæ, ſyrup. dialth. Eſſ. diuret. D. *Fürſtii*, Rad. Pareir. brav.
  - 2. Eosdem temperando
    - Præcipitantibus: Ocul. ♋. Lapid. Manati. Demulcentibus: Emulſ. ſem. 4. frigid. violar. ſyrup. dialth. Nervinis: ▽. artic. ad extra, ∽⊖✱. thermis, Eſſ. alkek.
    - Balſamicis: Terebinth. balſam. de copaiba &c.
  - 3. Exulcerationes in viis 🜕 removendo.
    - Internè
      - Balſam. 🜍. Tereb. balſam. *Locatelli.*
      - Malvatico juniperino. Extr. veron. alkek.
    - Externè
      - Inject. lacteis in veſicam: candel. cerea.
      - Inunct. perinæi c. axung. hirc. & ℴℴ. ceræ.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Qui ſtranguria aut iſchuria laborant, ſummoperè ſibi caveant à potu frigido, cum & aër borealis & frigidus illis nocere poſſit.

II. Diuretica non dentur, priusquam M. S. imò & primæ viæ prius depuratæ omniaque obſtacula fuerint ſublata.

OBSERVATIONES.

I.

Anno 1703. menſe Decembr. Filius Coqui Giſſenſis, Rothii nomine, ſuppreſſione ⊡. corripitur, cui ſummo labore excretæ materia albicans commiſta fuit. Hanc pro ſemine habens Medicus Giſſenſis ægrum *Gonorrhœa* laborare pronunciat, contra quam Decoctum lignorum aliaque adſtringentia præſcribit. Alius Medicus, aſt ſerius juſto advocatus, calculum adeſſe dicit, interim moritur æger. Aperto cadavere calculus ℥j. ponderans & urethræ orificium obſtruens invenitur, Ureteribus ad inteſtini amplitudinem diſtentis: Renibus purulentis magnisque adeo, ut unicus lib. j. ponderaret; quæ omnia ab ⊡. partes has nimium quantum extendente ſuborta fuerunt, quæ immiſſo cathetere facile emitti potuiſſet.

II.

Anno 1706. die 15. Octobr. DN. D. RIESII, Conſiliarii Regiminis Uxor intenſiſſima Stranguria corripiebatur, cum torminibus hyſtericis. Noctu vocatus præſcribo ſeqq.

℞. ▽. menth.
melIſſ.
petroſelin.
hirund. c. caſt. ana. ℥j.
Eſſ. caſtor.
∽⊖✱. ana ʒß.
Trochiſc. alkekeng. ʒij.
Ther. cœl. gr. iij.
Syr. cort. aurant. ℥j. M.

Hæc cochleatim propinata, regionem pubis illinendo unguent. dialth.

dialth. c. ℥. ſcorp. Cum autem potiunculam hanc nauſearet, à dulcibus abhorrens, ſeq. Clyſterem parari juſſi:

℞. Decoct. cham. Rom. ℥x. ⊖. vol. CC. ℈ß.
Tereb. in vit. ovi ſol. ʒvj. M. F. Clyſt. injiciatur tepidè.

Quem cùm ſtatim rejiceret, de novo præſcripſi Pilulas ex Theriaca cœleſti ad gr. iij. quas aliquoties ſumens obdormivit & abhinc convaluit. In aliis ſolo ~. Tereb. mala hæc curavimus.

III.

CONSILIUM
DN. D. JOH. CONRADI BRUNNERI.

Utrum remora ſeu impedimentum ſit in veſica, quò urina minus libere profluat, an verò in renibus latitet? in Hiſtoria morbi, ſeu Caſu transmiſſo, non ſatis declaratur: cùm tamen evidentia hujus rei indicia neceſſaria exiſtant, facilè à perito præſenti detegenda. In veſica tale quid latere, indicio eſſe poteſt, quod urina non citra ingentem, ſi quæ excernitur, reddi dicatur dolorem. In renibus autem vitium hærere exinde colligitur, quia Patiens jam olim ſimiles, circa regionem renum, in lumbis ſenſit dolorem, à quo calculorum ſeu lapillorum plures, quos adhucdum ſervat, excreviſſe dicitur; ſimilis autem dolor recruduit modò & præſentis calamitatis fecit initium, unde ſimile malum hariolari liceret.

Præterea alibi & per poros exſudare dicitur ſerum ſalſum, id quod ex veſica non poteſt redundare. Cum igitur in renibus mali cauſa ſubſiſtat, inquirendum, quid ſit illud, quod obicem ponit & effluvium urinæ impedit. Contingere equidem poteſt, ut, cùm meatus urinarii partes ſint maximè ſenſiles & fibris motricibus præditæ, à quacunque cauſa laceſſitæ convellantur, conſtringantur & meatum recludant, id quod à peculiari veſicæ meati-

busque urinariis infenſa urinæ qualitate fieri poſſe intelligitur; quæ quidem acrimonia ſenibus imprimis multum doloris & moleſtiæ creare poteſt. Idem tamen à calculo, aut ſaburra calculoſa, fieri poſſe concipitur. Neque negligenda neque deſpectui habenda penitus hæc mali cauſa videtur, eoque magis, quia dolor, qui ante hos 30. annos afflixit, quo lapillorum plures excreviſſe dicitur, hujus præſentis morbi fecit initium. Præterea ſi à ſola urinæ acrimonia ſenili dependeat malum, non video, qui contingat, ut non niſi in alterutro unam pariat moleſtiam, alterum autem relinquat ſanam; quæ quidem acrimonia ſenibus eorumque veſicæ potiſſimum infenſa ſolet eſſe. Poteſt tamen utraque concurrere cauſa & urinæ intendi acrimonia & calculoſa adaugeri in renibus progenies. Nec enim facilè contingit, ut diſpoſitio generandi calculi deleatur penitus, ſi vel ſemel ingenita fuerit renibus. Poſſe quidem attemperari & diætæ corrigi ſtudio, vix autem penitus deleri, experientia teſtatur. Non mirum igitur grandi hac, tum urinæ acrioris, tum fortè calculi irritatione perculſas partes urinoſas conſtringi perperam, percolationem ſeri, ſeu urinæ impediri, unde non poteſt non redundare illa, ad partes varias ferri, transſudare, aut ad pedes reſtagnans tumorem inferre. Quæ autem hic nonniſi ratione, alias mihi oculis uſurpare licuit, in inſpectione cadaverum, qua præter vitioſos renes calculorum ſæpius deprehendi ſaburram, aut calculos grandiores in renibus. Cautè igitur agendum atque prudenter apud noſtrum ægrum, partibusque afflictis afflictio non eſt addenda, id quod irritantibus Diureticis & dictis Lithontripticis metuendum: dum ſalinam potiſſimum eamque ſtimulantem habent qualitatem, unde proritatis magis fibris nerveis atque motricibus calculus nonnunquam in majores adigitur anguſtias, aut inflammatio non citra periculum excitatur, ſed & inſuper tantum abeſt, ut urina pellatur, ut potius proritatæ fibræ pertinacius convellantur viasque urinarias arctius conſtringant.

(1.) Præ-

(1.) Præferrem Ego quidem temperantia, urinæ acrimoniam mitigantia, meatus urinarios laxantia atque demulcentia: Ex quorum numero eſt oleum amygd. dulcium recentiſſimè expreſſum, remixtum cum ▽. fragariæ & ſyrupo dialth. Fernel. ana, cujus mixtura unum vel alterum cochleare identidem capeſſere poſſet.

(2.) Clyſteres anodyni & demulcentes identidem ſingulis 6. vel 8. horis infundantur, merè anodyni ex lacte cum vitell. ij. ovorum & oleo lini vel raparum: Vel amygdal. dulc. ad cochl. vj. abſtinendo ab omnibus acribus & ſtimulantibus.

(3.) Bibat interea aut Decoctum Foreſti, aut ſub noctem præſertim, emulſ. amygd. cum ſem. viol. pap. alb. Melon. cum decoct. hord. paratum, addito ſyr. viol. vel alth. pro lubitu. Veſcatur hordeatis, panatellis, ovis recent. ſorbilibus, butyro rec. & ſimilibus.

(4.) In extremis cruciatibus & fibrarum criſpaturis laudani ℈r. j. furorem Archæi ſedante fibrarumque conſtrictarum relaxationem procurante juvabit, aut emulſione, aut cum pulv. lap. ♋. ♁. ☿. remixto, prout Medico præſenti opportunum videbitur.

Quæ dum fiunt, externè unguentis oleoſis, v. g. ℴℴ. ſcorp. balneis, it. ſemicupiis, ex meris emollientibus atque lenientibus paratis, internis remediis velificari licet, ita tamen, ut balnei fervore non nimis æſtuent, aut partes affectæ magis irritentur, non citra inflammationis periculum.

Cæterum Specifica, ſi quæ dantur, remedia non deſpicienda ſunt, præſertim ſi noxæ nihil aut damni inferre queant, ex quorum numero videtur decoctum fl. cyani, calcatripp. &c. & hac quidem methodo acquieſcam lubentius. Vidi tamen re planè deſperata urinam, incommoda ejus ſuppreſſione, moviſſe Tinct. vermium majalium, aut ſcarabæorum unctuoſorum ad gutt. xx. xxx. & tandem LX. ſumtam, cum ▽. ſeu Mixtura aperi-

tiva, quæ Francofurti proſtat. DEUS T. O. M. ſuam addat benedictionem. Düſſeldorffii die 3. Martii 1619.

JOH. CONRAD BRUNNER, D.

IV.

ALIUD

DN. D. STEIGERTHALII,

Archiat. Brunſvv.

in Eodem Caſu.

Salutare DN. D. BRUNNERI Conſilium eſt, modò cum circumſpectione laudanum opiatum & Tinct. vermium majalium, ſive ſcarabæorum, exhibeantur. Hæc enim non rarò veſicam, æque ac cantharides, inflammant doloresque ſummos concitant: Illud autem nunquam ſine Diureticis dandum, ne omnimodam urinæ ſuppreſſionem inducat. Cæterum in hoc affectu urinæ crebra inſpectio judicium de viis urinariis affectis optimè feret. Aſſertio tamen, quæ ab Hebræo illata eſt, non ſufficit ad accuratam morbi cognitionem & determinationem medicamentorum. Sæpè enim remedia, quæ tartaream, ut vocant, aciditatem corrigunt, ventriculo moleſta ſunt ejusque tonum deſtruunt, illaque ipſa, quæ incidunt & reſolvunt, ob alias circumſtantias, noxia, præſertim ſi in renibus majores calculi, vel ulcus (quæ exinde exaſperantur,) obſtructiones ab acido factas concomitantur. Ut de omnibus certiores reddantur Medici abſentes, anteactus ſanitatis & morborum ſtatus detegatur & imprimis, quomodo impræſentiarum Dominus valeat?

An venter inflatus pedesque ita tumeant, ut prementibus digitis cedant & foveas oſtendant?

In qua regione corporis dolor ſit, an in dorſo, an in pube & qualis, an gravativus, pungens vel rodens?

An febris lenta comitetur affectum, quæ ex calore à paſtu, ſiccitate oris, pulſu & cæteris ſignis innoteſcit?

An

An ventriculus ad quævis oblata alimenta bene ſe habeat?

Quale ſedimentum in urina, an inſtar farinæ, muci narium? & quinam color ipſius ſeri ſupernatantis, an citrina, an turbida? &c.

Quomodo alvus officio ſuo reſpondeat & à medicamentis datis ut ſe habeat excretio?

Paroxyſmo Nephritico ſublato Decoctum Foreſti ad vaſa urinaria depuranda & præcavendam Nephritidem utile & ego judico, præſertim ſi Tinct. ♀. gutt, 15. 20. & plures, bis de die, manè & hora 4. inſtellentur. Cæterum vapor V. tumorem pedum quidem diminuit, cavendum tamen, ne nimîum corpus inde incaleſcat omnesque impuritates viſcidæ, quas Naturæ deorſum ablegavit, in vaſa recipiantur & alia incommoda excitent. Omni enim opera enitendum puto, ne Renes iterum inflammentur, ut materia calculis generandis præſcindatur. Quicquid etiam de comminutione calculi jam facti & ſolidi hactenus tentatum, inutile & absque ſucceſſu obſervavi, niſi plures calculos minutos fragilesque viſcida pituita & limo conjunctos diureticorum ope iterum ſejunctos medicamentis fractos afferant Empirici. Hos enim ſola diæta & largiori potu aqueo excluſos & èxpulſos in Batavia notavi. Interea cum in dorſo decubitus ſupinus & in curru vectio Dominum non incommodent cæteraque relata ſymptomata nihil arguant de magno renum & veſicæ calculo, nullum video indicium. Diſpoſitio tamen ſatis manifeſta ad calculum ulcusque renum incutit metum, ne ſucceſſu temporis vaſa urinaria prioribus ſymptomatibus debilitata & impoſterum ad dies vitæ ſua ſentiant incommoda, quibus ut arte præveniatur & jam relatis remediis, tam ab aliis Doctiſſimis, quàm à Me præſcriptis, ſuccurratur, eſt quod maximè coopto & voveo. D. Cellis 10. April. 1699.

J. G. STEIGERTHAL, D.

V.

ALIUD

DN. D. EBELII, Archiatri Luneb- Cellenſis.

In Eodem Caſu.

Affectus Illuſtr. Viri, meo quidem judicio, eſt Urinæ difficultas ab acida & viſcida pituita, ad veſicam ad vias urinarias vergente, dependens. Senibus in hiſce Regionibus Septentrionalibus hic morbus admodum familiaris eſt, ob acidam pituitam ibi prædominantem. Per ſe parum periculi affert, utut ob ſenium & in illo defectum particularum ſanguinis balſamicarum ſæpe usque ad finem vitæ protrahatur. Interim non omnis ſpes curationis eſt abroganda. Potius balſamicis & quorum interventu pituita nimis acida temperatur & ſanguis ſpiritibus vitalibus orbatus refocillatur cauſæ morbi obviam eundum eſt. Baccæ juniperi, benè maturæ, tritæ ſub forma potus Thée in aqua calida non exigui erunt ſolaminis. Spiritus è baccis junip. per fermentationem paratus ad ℥j. & amplius uno hauſtu ſumptus profuit. Salia volatilia oleoſa, Sylvio dicta, ſæpius uſurpata juvant. Elæoſaccharum quoddam cinamomi cinnabarinum, e. ☉. ſoluto junctum, cujus portionem ſub ℞. ☉. ſiccæ titulo præſens Tabellarius afferet, magni erit uſus. Singulis 6. vel 8. horis xv. vel xx. grana ejus propinanda in cochl. 3. aquæ cinamomi, cum aq. cordialibus præparatæ: nec ab uſu ejus deſiſtendum, donec effectus ſentiatur, qni intra 8. dies & forte citius fiet. Faxit DEUS, ut Patiens hic brevi valetudinem recuperet!

Cellis, d. 11. *April.*
Ao. 1699.

EBEL, D.

FOR-

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Pulv. alcal. invert.
Cinnabarin. aa. ʒj.
Extr. Opii gr. ij.
M. Div. in 4. p. æq.
Dentur in vehic. domeſt.

* * *

℞. ▽. veron. c. vin. ℥iij.
Tinct. ♀. ʒiß.
Eſſent. ſuccini ℈j.
opii ℈ß.
Sacch. ſyrupiſ. q. ſ.
D. pro aliq. doſ.

* * *

℞. Sacch. Melit. ℥j.
c. ℴℴ. ♌. carui
F. Elæoſacchar.
D. pro aliquot doſibus.

* * *

℞. Malvat. juniperini
℥ij.
Extr. opii gr. v.
M. D. cochleatim.

Malvaticum Juniperi.

℞. Rob. junip.
ebuli ana ℥j.
affunde ∽. juniperin. ℥xij.
M.

℞. Rad. Pareir. brav. ℥ij.
Fol. acmell.
Thée aa. p. ij.
Inciſ. & cont. D. p. per infuſ.
in aq. calid.

α. & ω.

℞. ▽. fragar.
gramin. ana ℥iß.
Ocul. ♋. præp.
Trochiſc. alkekẽgi aa. ʒß.
Syrup. dialth. Fern. ℥j.
M. D. Cochleatim.

℞. R. ♀. ʒiß.
Eſſ. opii ℈j.
M. D. gutt. xxx.
bis de die.

℞. Sem. violar.
milii Solis ana ʒiß.
amygd. dulc. ʒij.
c. s. q. ▽. violariæ.
F. Emulſio.
add. ocul. ♋. præp. ʒj.
edulc. c. ſacch. perlati
D. pro aliquot doſibus.

ESSENTIA DIURETICA
D. D. Fürſtii.

℞. Baccar. junip. contuſ. ℥iv.
⊖. ♀.
✱. ana ʒj.
Mixtis affunde in cucurbita
▽. fl. ſamb. ∽ junip. ℥ij.
cochl. aa. ℥iij. ♀. fœt. ℥j.
Stent per ℘, vitr. bene clauſo, infuſa in loco moderatè calido, ſeq. die, poſtquam frigefacta, cola c. expreſſione, filtra & uſui ſerva.

CAP. VI.

DE ARTHRITIDE, PODAGRA ET PRURITU.

ARTHRITIS eſt dolor articulorum, ſive fixus, ſive vagus, ab acido acri p. n. nervos & fibras irritante, ortus.

- *PHÆNOMENA*
  - Plerumque cum horrore invadit, quem inſequuntur dolores in articulis per univerſum corpus, & quidem vagabundi in ARTHRITIDE VAGA: Vel fixi cum calore, aut totius, inſtar febris, aut articulorum qſ. flammeo motusque voluntarii læſione in ARTHRITIDE VERA: qui ſi pedes occupent, PODARAM: Sin os iſchii, DOLOREM ISCHIADICUM: Sin manus CHIRAGRAM conſtituunt; quibus omnibus tumores tophacei ſæpe juncti ſunt.
- *SUBJECTUM*
  - CAUSÆ eſt M. S. aut Lympha.
  - SYMPTOMATIS ſunt nervi, fibræ motrices & perioſtium.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt vellicatio partium nervoſarum, harumque Strictura.
    - *MATERIALIS* Sanguis & Lympha acres, acido ſalſi, 🜿rei.
  - *REMOTA*
    - Diſpoſitio hæreditaria. Aer inclementior. Cibi & potus acres. Quies & ſomnus nimius. Excretiones ſolitæ ſuppreſſæ. Ira, terror, ♀ nimia.
    - Apepſia, ſcorbutus, calculus &c.
- *PROGNOSIS*
  - Senes Arthritici difficillime curantur. Juvenes qui nondum callos habent, ſanari poſſunt. Sedata inflammatione dolores intra 40. diem finiuntur.
- *CURATIO*
  - INTRA PAROXYSMUM humorum ferociam temperat,
    - Internè
      - Præcipitantibus
        - DOMEST.
          - Pulv. alcal. invert. cinnabarin.
          - 🜍. citrin. l. albo *Burrhi.*
        - OFFIC.
          - ♁. diaph. ♂ali.
          - Specifico cephal.
          - Pulv. cont. arth. vag. *Moll.*
      - Anodynis
        - Opiatis, lacte & ſaccharo lactis Ital.
        - arcano duplicato, 🜍. ⊕. anod.
      - Balſamicis, ut infuſ ariſt. long. 🜖. certiſſim.
      - Antiſcorb. cumprimis lumbricalibus, formicis.
    - Externè
      - Cataplaſmate ex mica Pan. *Sydenhamii.*
      - Emplaſtro antipodagr. *Tackii.*
      - Balſamo antipodagrico *Rhumelii.*
      - arthritico Paralytico *Fürſtii.*
      - ▽. artic. ad extra, ☊⊖* ▽♆. canthar. Moxa.
  - EXTRA PAROXYSM. digeſtionem primam promover,
    - Stomachicis temperatis.
    - Theriacalibus, cumprimis Elect. *Sydenhamii.*
  - *Nota.* Antiquiores præmittebant Laxantia, cumprimis Pilul. artheticas *Schefferi, Sebizii, Beccheri.* Hodie Decoct. Lignor. Vienn. pro diaph. laudatur.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In curandis arthriticis Topica fugiantur frigida & acida, quæ ex hoſpite faciunt incolam.*

II. Fugiantur quoque viſcoſa & alia poros obſtruentia, quæ transſpirationem impediendo tartari generationi & ſucceſſive contracturæ anſam largiuntur.

III. In Podagra nodoſa fugiantur thermæ & ſalivatio, quarum illæ contractos reddunt, hæc verò ad Charontis cymbam podagricos deducunt.

IV. In diæta exulet internè vinum, externè frigus.

OBSERVATIONES.

I.

Mulier Gieſſena Ao. 1708. menſe Aprili doloribus & ſpasmis intenſiſſimis, noctu diuque urgentibus, in crure & pede ſiniſtro corripitur, quæ frigidiora magisque flaccida, quàm reliqua membra illi videbantur. Cùm verò ſimul tormina abdominis adfuerint, præſcripſi Eſſentiam caſtorei cum ℞. opii in ▽ menthæ, quibus dolores quidem ſedati ſunt, aſt crebrius recidivantes. Utebatur ergò variis & inter illa formicis majoribus, internè vino infuſis, extenè in balneo vaporoſo artus abhinc ▽R. affricando, cum levamine. Omnium optimè verò ſe gerebat ſeq. pulvis:

℞. Cinnab. nat. præp. ℥iß.
🜍. ſelectiſſ. ʒj.
Talp. combuſt. ʒß.
Extr. opii ℈ß.

M. Div. in 8. p. æquales D. in vehic. quocunque.

II.

Arthritidem vagam ſcorbuticam, præmiſſis præmittendis, ſæpiſſimè curavi internè per eſſent. contra arthritidem vagam Timæi, externè per ▽. articul. ad extra, cum ♎⊖✳. ſuadendo ſimul infuſum Trifolii fibrini.

III.

CONSILIUM
FRANCISCI JOSEPHI BURRHI
contra PODAGRAM.

Unctuoſa aduſti ſanguinis impuritas, genita à victus & potus abuſu, in viſceribus Tuis calloſi generis varias obſtractiones agglomeravit & calida liquefactione cerebri ſubſtantiam, qua nervi omnes aluntur, contaminando viſcido fæcum fermento ſpiritus animales interclusit, inertiaque ſenili vegeti corporis Tui motricem facultatem ſepelivit. Porro ſubſecuta eſt halituoſa melancholia, tremulos & palpitantes affectus, ut arbitror, muſculis inducens, â quibus, quum nunquam ope medicamentorum divulſa fuerit, ſpuriæ arthritidi in nervis, fibris & cartilaginibus fomitem præparavit.

Quùm autem diæta ſit membrum conſubſtantiale ordinis medendi, genera omnia ferculorum glutinoſa, ab extremitatibus & capitibus animantium deſumpta & à carnibus muſculoſis, vel mucoſis, uti ex bobus, ſuibus, carpionibus & anguillis, tineis & cancris, caſeo & ovis induratis dapibusque pipere & multo ſale conditis, ſimul & copia eſus panis & leguminum cæterisque obſoniis farinaceis & frixatis Tibi cavendum eſſe jubeo. Sed vini ſandalini uſum in potu, quod juxta ſequentem deſcriptionem parandum erit, maxime commendamus. ℞. Muſti bullientis menſ. C. ſandalorum omnium ℔ß. minutim conciſorum. Ligna hæc incluſa ſacco demittantur in dolium, ut ſubſideant in ejus medietate, permitte ut hæc in infuſione permaneant per XL. dies, quibus exactis evacuetur vinum & novo dolio imponatur, cum libris x. ſacchari puriſſimi, optime dolium agitando, ut ſaccharum in vino bene diſſolvatur & permiſceatur, & erit potus ſalubris & maxi-

maximè accommodatus ad roborandos nervos, præcipue, ſi corrigatur cum tertia parte aquæ putealis, in qua decoctus fuerit ſeminis coriandri pugillus unus. Poſt elapſos decem dies à ſimili victus regimine, quod ſubminiſtrabit liquidum & tenue alimentum aridis venis Tuis, tunc venenum iſtud coagulativum in ſanguine appropriatis medicaminibus erat exſtinguendum, ſubducendo annoſas & recoctas mucoſitates, infixas & impactas viſcerum omnium tuorum ductibus & pathematibus, urgente tamen neceſſitate, qua compelleris cito uti præſidiis pharmaceuticis. Fiat ℞. decoctio ex ſandalis omnibus, ad quantitatem ℥j. ex ſingulis ſumendæ & ʒij. ſeminum coriandri præparatorum in ℥xxviij. aquæ cichorii decoctis, percoletur & liquefiant in ea ℥vj. ſacchari puriſſimi, poſtea evaporetur ad conſumptionem tertiæ partis, ſervetur in loco frigido & in potu vini ordinarii albi permiſceat; de hoc manè ℥iij. & totidem de veſperi: ſed tutius erit interea præparare, dum autumnus ferret, ſuperius indicatam vini potionem. Igitur poſt præparationem hanc per alimenta, quæ in univerſum debent eligi ex juvenilibus animantium carnibus deſumpta, minimè opus eſt, quòd deterrearis, ſi ad recuperandam Tuam valetudinem tibi adhibenda eſſe adhuc minorativa quædam purgantia, liquidos humores, in quibus vivimus, conſervantia, vitreos & phlegmoſos reſolventia, in quibus vitæ lucida hilaritas ſuffocatur, neceſſarium cenſeam, quia puto hos nunquam remotos fuiſſe à liquefactivis aliorum Medicorum pharmacis, à quibus abſtinendum, ut chronicis valetudinariis præſcribere ſoleo. Cùm verò leniter acrium humorum virulentam exſiccationem demulcentia medicamenta, tanquam amanuenſes viſcerum culinarii, nempe ſtomachi ſervi ſint recipienda, hæc partim deſcribentur in bolis hiſce ſequentibus, partim per ſuavem ſimul uſurpandam die ſequenti hanc brevem decoctionem: ℞. Syrupi fumariæ depurati ʒij. ſennæ Orient. ʒß. turbithorum gummoſorum, hermodactylorum, aloës ſuccotrinæ, agarici, rhabarbari ana ℈. iiij. florum

caſſiæ recenter extractorum ℥ß. pulpæ ex tamarindis ʒj. ſem. citri recentium excorticatorum ℈j, omnia exactiſſimè in porphyrio marmore triturentur & per ſpiſſum ſetaceum trajiciantur, formentur boli, deglutiendi per horam ante cœnam, ſimul cum ℥j. olei ab amygdalis dulcibus excorticatis recenter extracti: lapſa hora cœnet pro more, ſed caveat ab exceſſu. Mane ſequenti habeatur in promptu parata ℥iß. hujus decoctionis. ℞. Seri lactis caprilli, depurati per ovi albumen & tantiſper aceti ſufficientem quantitatem, in qua decoque galli, ætatem habentis 4. annorum, ſtrangulati & ſi fieri poterit, nigræ, plumæ, carnes conciſas, abjectis pedibus, alis, capite & inteſtinis, ac promoveatur ignis, donec carnes omnino deciderint ab oſſibus, tunc ſuperadde novam aliquam recentem copiam ſeri ejusdem depurati & probè per manicam Hippocratis clarificerur; in hoc liquore claro leniter fac ebullire cicoreæ, endiviæ, borraginis, bugloſſæ, fumariæ, ceterach, pentaphilli, lactucæ, tuſſilaginis, florum cordialium omnium, fl. ſambuci, paſſularum majorum & minorum ana Mj. & ſequi hora exacta à leni hac præſcripta ebullitione iterum depuretur liquor ſecundum artem, poſtea ſuperaddatur ſyrupi de liquiritia, ſyrup. viol. ſyr. dè pomis ſimplicis, oxymellis ſimpl. ana ℥ij. & ad juſtam apozematis conſiſtentiam reducatur hæc decoctio, quæ in frigore condenſabitur inſtar gelatinæ, continuet immediatè ab aſſumptis bolis veſpertinis, ſine intermiſſione ulla, ad ſeptem usque dies, capiendo per tres horas ante prandium præſcriptam doſin ʒiß. & exactis hiſce ſeptem diebus iterum fiant boli, prima nocte uſurpati & devorentur per horam ante cœnam. Tutiſſimè poterit uti hac medicamentorum methodo, quater replicando uſum ipſorum, videlicet ſpatio integro unius menſis, absque intermiſſione. Nam etſi occurrent aliquæ auxietates, melancholiæ & breves alvi dejectiones, ſymptomata hæc erunt effectus materiæ ſiccæ & præcipuè à venarum anaſtomoſibus: nec dubito, quin à morbo libereris, ſi magnanimitate in ſuſcipiendis iſtis medicamentis & prudentia in ſervanda diæta ſpiritum Tuum ut decet, armabis: Et ut generoſius in curatio-

ne

ne procedas, jam etiam aliquod inſigne unguentum Tibi ſum deſcripturus, exterius partibus affectis applicandum. ℞. Cerebelli cervi juvenis, hepatis, pulmonis, cordis, genitalium, renum & lienis ejusdem, omnia minutim concide, & ſi verbi gratia pondus horum viſcerum erit unius libræ, decoques illud in lib. V. axungiæ ejusdem belluæ, frixando per horas tres, ut interdum bulliat & interdum tantum foveatur hæc compoſitio & in fine concoctionis remaneant fæces ſiccæ & nigræ, ſed benè olentes: Cola axungiam per pannum & per torcular fortiter exprimendo fæces, quas projice & ſuperadde axungiæ huic magiſtratæ olei recenter extracti ab amygdalis dulcibus, à piſtaceis, à pineis, à nucibus avellanis ana ℥iij. ſpermatis ceti ℥j. & hiſce omnibus igni appoſitis lentiſſimo ſimul cum axungia adde malvæ, parietariæ, dentis caballini, hepaticæ, mercurialis, betæ, braſſicæ nigræ, linguæ cervinæ, florum ſambuci, fl. cordialium, fl. malvæ, fl. nimphææ, fl. chamæmeli, fl. liliorum alb. hypericonis, primulæ veris, pœoniæ, papaveris erratici, fl. anthos, cheiri ana p. j. leniter ebulliant per quadrantem horæ, iterum percoletur oleum & fortiter per torcular exprimatur & liquefac in eo libram dimidiam ceræ flavæ, permitte ut infrigidetur & in cella ſervetur per annum, & cum eo inungas corium pariter cervinum, emandum à Coriariis, cum quo facies tibi ſubinduſium, carni immediatè applicandum, ita ut membra nuda ab eo foveantur: renovetur bis in hebdomade iſtius axungiæ applicatio in corio, cum ſpatula optimè eandem extendendo, & quando corium inciperet fœtorem contrahere, eluatur à ſordibus per aquam tepidam, ſed non bullientem, vel valde fervidam, quia corrumperetur & iterum eo utere; nam quo vetuſtius fit corium, eo efficacius ſuam operationem exercet. Per totam hyemem continuet hanc inunctionem. Hæc diligenter dictaviſſe, ſi pari ſedulitate à Pharmacopœo perficientur & ab ægrotante conſtanter adimplebuntur, mihi glorioſa eique commoda fore futura, licebit, favente Divina gratia, ominari.

DESCRIPTIONES

SECRETORUM ANTIPODAGRICORUM.

PILULÆ ANTIPODAGRICÆ *D. Sebizii.*

℞. Aloës roſat.
Trochiſc. alhand.
Diagrid. præp. ana ℥iij.
Extr. ligni al. ℥ß.
opii ℈j.
c. ▽. ſum. F. Pil. inſt. piſi, S. Gicht-Pillen alle Tage 5. auf einmahl.

Abſumunt humores p. n. confortant nervos, nec ♀. generationi locum dant, ſi fides habenda Patronis.

PILULÆ BECCHERIANÆ.

℞. Extr. abſinth. myrrh. rubr. card. ben. tereb. Ven. cochl. aa. ℥iß. fum. aa ℥j. crem. ♀. ℈ij
Gum. heder. Benz. jun. aa. ℥iij. flor. ♀. aloës aa. ℥j.
cum Eſſent. abſinth. F. Maſſa. Doſ. Adulto 10. ad 20. gran. Ad integram curam ſumantur 24. doſes: Ad dimidiam XII. Parallelæ ſunt Stahlianæ.

Noviſſimum Epiſc. Monaſterienſis.

℞. Rad. Ariſt. longæ ℥iij. Inciſ. inf. ∽. junip. vulg. Menſ. j. ſtent in loc. calid. per 12. hor. ſerv. pro uſu.

Capiat æger quavis aurora Cochl. iij. manendo in lecto per 1. vel 1½. horam, expect. lenem ſudorem, continuet per 2. menſes, hinc bis in ſeptim. iterando. Pedes tibialibus craſſ. induantur, quæ nunquam laventur, ſed penes fornacem exſiccentur.

α. & ω.

INFUSUM ARTHETICUM

D. Backmeiſteri.

℞. Flor. Lavendul. Man. ij.
Opii ℥vj.
🜄 Rectificatiſſimi q. ſ.
ad eminentiam, vitro optimè clauſo per ♂. in arena calidè locetur & abhinc exprimatur. Opium autem in mortario probè terendum & 🜄 commiſcendum. Applicatur linteis triplicatis loco dolenti: Internè ſumendo SPIRITUM 🜍. COAGULATUM ad ℈. 1. horá ante cœnam in vit. ovi. Is 🜍. eſt puriſſimum, candidiſſimum absque ulla flavedine, ob volatilitatem in vitro optimè obturato ſervandum. Poteſt etiam inter cibum loco ⊖. in conſerv. roſ. aut ℞. roſ. ſumi. Romæ venditur inter arcana Burrhi, à Conſanguineis & Hæredibus ejus.

SACCHARI LACTIS Deſcriptionem Vid. in *Præfat. Diſſ. Domeſt.*

α. & ω.

BALSAMUM ARTHRITICO-PARALYT.

D. D. Fürſtii.

℞. 🝆. lini puri lib. 4.
in eo exſtingue aliquot fruſta ferri candefacta, toties, donec 🝆. à ferro candente non amplius ſtrideat, tecto quavis vice vaſe, ne flammam concipiat. Oleo ſic præparato tantum ♃. ſubmiſce, ut quaſi paſtam ſpiſſiuſculam conſtituat, ex qua effinge globulos, lutatæ retortæ injiciendos, igneque lento ac deinde fortiori deſtillandos, ad totalem 🝆. exſudationem. Egreſſum 🝆. adhuc ſexies per ſe cohobando rectifica; demum adde

Rad. Pyrethri, Caſtorei veri ana ℥ij.
Gummi Galbani ℥iv.

& per 10. & plures dies in fimum equinum ad putrefaciendum colloca & ut eo magis ſubtiliſetur, adhuc ſemel deſtilla.

SPI-

* * *

SPIRITUS ARTHRITICUS.

Ejuſdem Backm.

℞. Flor. lil. conv. Miij.
rorism. Man. ij.
Sem. Erucæ ℥ß.
Cochleariæ.
Caſtorei ana ʒvj.
Superinfundatur 🜅. optimè rectificatns, digerantur per triduum, deinde exprime fortiter & adde Spirit. lumbric. terreſtr. ℥iß. ʒij.
Camphoræ ʒij.
M. omnia diligenter
Hoc ~. aliquoties de die membra fricari poterunt.

Ex communicatione Sereniſſ. Princip. Oettingenſis Gratioſiſſima.

DECOCT. ANTIPOD. VIENNENSE

Vid. in *Triga antipodagr. Medicinæ noſtræ Nov antiq.* ſubjuncta. Modum utendi autem in *Viridario Reformato.*

* * *

BALSAM. ANTIPODAGRIC. Rhumelii,

tectis ab eo verbis deſcriptum.

℞. Coaguli 🜔. animalis & alcali, h. e. Saponis ℥ij.
Gummi ☿. & 🜔. Naturæ, h. e. Camphoræ ℥ß.
Q. E. Vegetabilis h. e. 🜅. q. s.
Digerantur per 8. dies, defæcentur & applicentur.

* * *

EMPASTR. ANTIPODAGR. D. Tackii.

℞. Caſtor. Sapon. Ven. ℥iv.
Maſtich. Cret. magn. pug.
Ter. aa. ℥ij. 🜊. vini lib. j.
His ita diſpoſitis ſapo ſcindatur in fruſta & reponatur cum Terebinthina in olla nova vitreata, ut liqueſcant ſuper △. Dein caſtoreum injiciatur diſſectum, poſt aliqualem liquationem affundatur acetum & agitentur ſimul; hinc Saponis nigri Colonienſis ℥j. addatur cum creta & decoquantur ſimul ad horam unam & dimidiam, ut habeas emplaſtrum molle, apponendum loco dolorifico & renovandum intra 24. horas, ubi exſiccatum eſt, licet hoc ſpatio tollatur Paroxyſmus.

CAP. VII.

DE URINA INVOLUNTARIE EFFLUENTE ET DIABETE.

DIABETE eſt exceſſiva urinæ aquoſæ aut dulcis excluſio, cũ ſiti & quandoque febri, à fuſione M. S. orta.

- *PHÆNOMENA.* Stragula permingunt noctu, aut & interdiu lotium retinere nequeunt, ſub INVOLUNTARIA ⊡ EXCRETIONE. Potum autem aqueum & urinam inſipidam maxima quantitate & ſæpiſſimè excernunt in DIABETE VERA: Dulcem & copioſiſſimam, cum ſiti intenſa, tabe & febri continua in DIABETE SPURIA.
- *SUBJECTUM*
  - SYMPTOMATIS ſunt Renes & quam maximè veſica ⊡.
  - CAUSÆ verò utplurimum
    - M. S. in DIABETE SPURIA.
    - Ventriculus & Renes in DIABETE VERA.
    - Veſica urinaria in URINA INVOLUNT.
- *CAUSA*
  - *PROXIMA*
    - *FORMALIS* eſt reſolutio partium urinariarum atque fuſio M. S indeque orta receſſio ſeri, veſicam copia ſua ſtimulantis.
    - *MATERIALIS* eſt ſerum copioſum, ⊖ quoddam acre & plus minus corroſivum, M. S, compagem colliquando ſolvens.
  - *REMOTA*
    - Diſpoſit. hæreditaria & textura tenerior. Renum & veſicæ (imo & ventriculi) tonus debilitatus. Frigus externum & cumprimis mora diuturna in ∇. frigida. Potus nimius, acidularum & ſucci betulæ abuſus. Cantharidum abuſus internus ac externus. Obſtetricum violentia, Lithotomia &c. Scorbutus, tuſſis, paralyſis veſicæ.
- *PROGNOSIS*
  - Urina involuntaria, vitio cerebri aut nervorum contingens, eſt periculoſa, cumprimis in Senibus. In morbis acutis lethalis. In puerperio contingens difficulter: In pueris ætatis ſucceſſu cedit.
  - Diabete
    - Vera nihil habet in receſſu, nec periculoſa eſt.
    - Spuria non contemnenda, cumprimis inveterata, lenta tabe ad mortem deducens.
- *CURA*
  - 1. Cauſas occaſ. removet diæta craſſa, lactea, abſtinentia.
  - 2. Humores pecc. elim. Vomit. Rad. ipecacuanh. ♁. vom. &c.
  - 3. Acrimoniam M. S. demulcet
    - Præcipitantibus; Corall. rubr. Ocul. ♋. Opiatis Tr. d. carab.
    - 🜍reis & oleoſis; Emulſionibus ex ſem. 4. frig. cannab.
  - 4. Tonum viſcerum, ⊡. ſecretioni dicatorum, confortat
    - *DOMEST.*
      - Pulv. noſtr. ♂al. & cinnab.
      - ∇. veron. ₒ°ₒ. amygd. dulc. ∇. ♆.
    - *OFFICINALIBUS*
      - Internis: Pulv. minus in lectum. Succin. præp. Tragac.
      - Externis: Thermis, Unguent. Comitiſſ. Cingul. *Nuckii.*

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

Quicunque ad diabeten ſive ſpuriam, ſive veram inclinant, caveant ſibi ab acidulis, à quibus ſtatim abſtinendum, ſi diabete ſentiatur.

II.

Inter adſtringentia hoc in affectu exulent cydoniata; quamvis enim ſtomachi tonum (qui ſæpiſſimè ſimul læditur) confortent, hic tamen, cum urinam quoque ſtimulent, neutiquam conveniunt.

OBSERVATIONES.

I.

Diabeten ſpuriam in me ipſo crebro coralliorum pulveriſatorum uſu curavi & diæta lactea ulteriorem acceſſum inhibui.

II.

Vir quidam generoſus & ſtrenuus, doctiſſimus ſimul, annorum XL. temperamenti ſanguineo-cholerici, ad ſitim & calorem p. n. quem ex nimio aromatum ac vini generoſioris uſu ſibi contraxerat, exſtinguendum, cereviſiæ triticeæ ſecundariæ, in cœna & prandio ſingulo duas fere menſuras aſſumens, urinam hinc ſingulis noctibus ultra quadruplum reddebat, nimirum ad menſuras decem, duodecim & ultra, quæ colore & odore potum exactè referebat. Unde ipſe rerum Medicarum non adeò ignarus diabete ſe laborare judicans mihi accerſito totam rem enarrat, ac ſingulo manè ad lectum accedenti dictam lotii quantitatem, prævia nocte excretam, oſtendit, toto hinc corpore emaciatus, cibos licet avidè ingerens. Accedit ſitis immoderata, continua oris ſiccitas, lumborum

borum dolor &c. Auxilium petenti, ad æſtum viſcerum temperandum, initio dedi tincturam mineræ ♂. ☉rem, hinc interpolatis lenientibus tinct. terræ catechu, tinct. corall. & aliam ♂. adſtringentem. Veſperi eundo cubitum ſumſit partem pulveris ex antiheƈt. Pot. ebor. ſine △. croco ♂. addito grano uno vel altero laudani opiati; quibus per menſem continuatis ab hoc malo plenariè convaluit. *D. Jacob Schmidt in Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. p. 279.*

III.

Puer XVI. annorum, Sartoris filius, cum Parente celeri greſſu aliquot milliaria peragrans, in æſtate tam ingentem ſitim incurrit, ut obvium quemcunque rivum ſitibundo ore aggreſſus hauſerit aquam copioſiſſimam, quæ tamen ſtatim ad mare microcoſmicum derivata foras amandata fuit; quod negotium durabat per aliquot ſeptimanas diu noctuque, ita ut aliquando una nocte quindecim menſuras frigidæ eminxerit, quamprimùm ingeſta fuiſſet, ſitim tamen non levabat, imò tantus ardor aliquando in pectore ortus, ut appoſita nive & glacie pro refrigerio opus habuerit. An hæc aquæ copia per ſolitas circulantis ſanguinis vias ad veſicam delata fuerit, valdè dubito. Curavi illum per adſtringentia & ſitim exſtinguentia, *D. Adamus à Lebenwaldt in Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec. II. Anno X. p. 243.*

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & ω.

℞. Rad. ipecacuanh.
Corall. rubr. præp. ana ℈j.
M. D. pro doſi.

α. & ω.

℞. Gummi Arabic. pulveriſ.
Tragac. pulveriſ. aa. ℥ß.
Sacch. penid. ad pondus omnium
D. bis de die ad ʒj. & quidem in ▽. plantag. vel portulac.

 ℞. Pulv.

* * *

℞. Pulv. n. ♂.
alcalin. invert. aa ʒj.
Nuc. moſch. pulveriſ. ℈ß.
extr. opii. gr. iij.
M. D. manè & veſperi ad ℈j.
in ▽. veron.

* * *

℞. ▽. ♃. lib. ß.
roſar. ℥iij.
ſacch. roſ. parum
D. pro 3. vel 4. doſibus.

* * *

℞. Sem. cucurbit. ʒiij.
papav alb. ʒj.
c. s. q. ▽. roſ. F. Emulſ.
add.
Pulv. n. invert. ʒj.
edulc. c. ſacch. ſyrup.
D. pro aliquot doſibus.

* * *

℞. Unguent. nervini ℥ß.
🜕. expr. nuciſt. ℈ß.
M. F. Unguent.
Regioni renum & pectini illinendum.

* * *

℞. Decoct. hord. cum rad.
Symphiti. ſicc. lib. j.
Amygd. dulc. ʒiij.
Sem. pap. alb. ℥j.
F. l. a. emulſio, detur bis de die.

* * *

℞. Pulv. minus in lectum ʒiij.
extr. opii gr. iij.
M. Div. in 4. p. æ.
D. in ▽. ferrata.

* * *

℞. Unguenti Comitiſſæ ℥ß.
🜕. myrtin. ʒij.
caſtor. pulveriſ. ℈ß. M.
F. linimentum pectini illinendum.

Pulvis minus in Lectum Brunſwicenſium, ſeu Pulv. Montagnanæ.

℞. Stomach. Gallin. præp. ℥ß.
Agrimon. pulveriſ. ℥j.
Erinac. combuſt. ℥iiij.
M. Doſ. ʒß. ad ʒj.
in jure l. vino.

CAP. VIII.

DE FLUORE ALBO.

…UOR …BUS eſt …uoris mox …icantis, …x flave… …ntis, per …uralia …lierum, …uxus, à …ndularum …ginalium …cciditate… …t irritatio… prove…ns.

- **PHÆNOMENA**: Ex glandulis uteri vaginalibus aut perpetuò, aut periodicè profluunt humores pituitoſo-ſeroſi, mox albicantes, mox flaveſcentes, modò cum, modo ſine vellicationis ſenſu, marcore corporis, pallore, debilitate: conjuncta ſæpè cephalalgia, dorſi & lumborum dolore, inappetentia, ⊡, turbida, floccis albicantibus referta &c.
- **SUBJECTUM**: Eſt vagina uteri hujusque glandulæ botriformes.
- **CAUSA**
  - **PROXIMA**
    - FORM: eſt aut vellicatio, aut flacciditas glandul. vaginalium. de quibus in *Ep. noſt. ad D. Widtium.*
    - MATERIALIS eſt ſerum quant. & qual. peccans.
  - **REMOTA**: Diſpoſitio hæreditaria & textura corp. tenerior. Corporis nimia humectatio. Cibi & potus viſcidi, ſaliti. Somnus nimius & vita ſedentaria. Menſes ſuppreſſi aut naturaliter emanentes A. ætat. 50. Mœror, apepſia, cachexia, obſtetr. violentia.
- **PROGNOSIS.** Moleſtum magis, quàm periculoſum malum. Inveteratum, ob poros nimium hiantes, difficillimè ſanatur. Plerumque in tabem abit.
- **In CURA imperata diæta**
  - 1. Serum plus nimis acre corrigatur
    - Martialibus
      - DOMEST.: Pulv. ♂ali noſtro min. ♂.
      - OFFICIN.: ℞. ♂. ☉ri. Pulv. cachect. Quercet. ♁. diaphor. ♂ale, antihect. Pot.
    - Aromaticis, ſpeciebus diagalang. aromat. roſat.
    - Alcalibus
      - fixis, ⊖. abſinth. artemiſ. abrotan.
      - volatilibus, ~⊖✱. fulig. ℞♀. ♁
  - 2. Educatur.
    - Purgantibus
      - DOM. Magneſ. alb. extr. aloes.
      - OFF. Pil. de ſuccin. Crat. Pil. Angel. fœtid. Senn.
    - Diaphoreticis, Decoct. lign. Eſſent. lign. ſancti.
    - Diureticis, ℞. ſuccini, ⊖ vol. ſucc. CC.
  - 3. Uterus ejusque glãdulæ confortentur
    - Internis
      - Adſtringentibus
        - DOM. Pulv ♂. cinn. terr. ſigill. bolo.
        - OFF. Eb. præp. ſpod. in ▽. Galeopſ.
      - Nervinis: Salv. roremarino &c.
      - Traumaticis: Eſſent. hypericon. & decoct. vulner.
    - Thermis, Suffitibus ex carab. maſtich. ſantal.
    - Inject. & evap. ex
      - uterinis: Mentha, matricar.
      - adſtring. roſ. rubr. fl. balauſt.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In curando fluore albo fugiantur purgantia fortiora, quæ malum exaſperant, adeò, ut obſervante *Platero* iisdem excitatus fuerit in iis, quæ nunquam antea malo huic obnoxiæ fuerunt.

II.

Fluxus hic non ſubito & intempeſtivè ſiſtendus, cumprimis ſi habitualis fuerit; hinc ad ſpecifica & adſtringentia nonniſi præmiſſis præmittendis eundum.

III.

V. S. tamen exulet, quæ partes flaccidiores reddit magisque debilitat.

IV.

Fugiant quoque fluore hoc detentæ ſupinum decubitum *vid. D. Mich. in Praxi.*

OBSERVATIONES.

I.

Fluorem album in puella VI. annorum (cujus mater illi quoque obnoxius erat) heîc Giſſæ vidi, eumque contumaciſſimum, ut nullis ferè remediis coerceri potuerit.

II.

Fæmina quædam Nobilis, annorum XXIII. Vidua, conquerebatur de fluxu albo, facies pallebat, caput dolebat, hypochondria tremebant, cordis palpitationes frequentes aderant.

Hæc

Hæc multis fruſtra tentatis remediis tandem frequenti uſu coralliorum, & pulv. cach. Quercetani ſanata eſt, ac modo iterum deſponſata, gravida prolem expectat. Aliam mulierem à fluore albo curatam vidi anno 1689. per uſum tincturæ coralliorum & pulverem terræ ſigillatæ. *D. Lanzonius in Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec. 3. A. 1. Obſ. 39. pag. 58.*

III.

Opem tulimus A. 1691. fœminæ generoſæ ac plurium liberorum fœcundæ matri, quæ quotiescunque menſtrua periodus imminebat, lecto decumbere neceſſe habuit, ob cruorem copioſè primis diebus, interpolatis quandoque fruſtis, ſeu, ſi mavis, congrumato ſanguine, profluentem, adeo, ut ab animi deliquiis immunem ſe ſæpius vix præſtiterit. Hæc cum prius faciei roſeo colore amorem ſui commendaret, formoſa & alacris, jam triſti pallore Medicorum conſilium efflagitavit, de cordis palpitatione, appetitus proſtratione & ubi altiora ſcandere oportebat, reſpirandi difficultate conqueſta fuit, quibus cum ♂ialibus & quæ ex coralliis atque ſang. dracon. veri aliisque anti-cachecticis parantur, nunc ſub pilularum, nunc tragematum, quandoque & ℞rarum forma, non omiſſis juſculis herbarum ⊖. vol. blando turgidarum, medelam feliciter paraſſemus, Matrona optima fluxus ſeroſi, octiduo circiter poſt, finitis menſibus, obruentis & ſubito ingruentis cauſam noſcere unice deſideravit, quo ſæpius menſuram ſemis laticis aquoſi, acriuſculi & ſi probè meminimus, quandoque virideſcentis excrevit, quod ipſum tamen incommodum ex prædictorum medicamentorum uſu maximam partem ceſſavit. Pariter etiam alias honeſtiſſimas Dominas novimus, quas ex ſoluto vectigali menſtruo dimanans ejusmodi lympha non parum divexerat, imò erodendo naturalia non raro exulcerarat. Anno eodem puellam

puellam XVII. annorum in orphanotrophio vidimus, quæ orbata menſtruo fluxu à ſero hoc profluente atque (quod negligentius mali hujus curam habuit) acrimoniam inſignem acquirente, adeò læſa fuit, ut ſumma cum difficultate incederet fœtoreque, quem naturalia ſpirabant, unà adſtantibus reliquis moleſta eſſet. *D. Joh. Jacobus Harderus, in Miſcell. Acad. Germ. Curioſ. Dec. III. Anno II. Obſ. CII. pag.* 129.

FORMULÆ.

α. & α.

℞. Magnes. alb.
ʒij.
Emulſ. ſem. cucurb.
℥iij.
ſacch. candi
q. s.
pro edulcorat.
D. pro doſi.

D. S.
Laxirende Milch auf einmahl.

α. & α.

PP.
℞. Pulv. Cacheſt. Quercet.
ʒiß.
☿. diaph. ♂.
ʒß.
Specier. diagalang.
℈ß.
NM. pulveriſat. ℈ß.
laud. opiat. incompl.
gr. j.
M. D. S.
Pülverlein alle Morgen 3. Meſſerſpitze in Spaniſchen Wein zunehmen und darauf zu ſpatzieren.

℞. Pulv.

* * *

℞. Pulv. ♂alis
invertentis alcalin.
n. d. aa. ʒj.
Extract. opii ℈r. iij.
Detur bis de die, in vehiculo
domeſtico.

* * *

℞. Tinct. ♂. ☉is ʒij.
opii ℈j.
M. D. g. xx. in ▽.
menthæ.

* * *

℞. Corall. rubr. præp.
Terr. ſigill. Laub. ana ʒj.
c. s. q. conſerv. roſ. ⊕lat.
& ſyrup. corall. F.
Electuarium, quantitate nucis
caſtan. ſumendum.

* * *

℞. Herb. ſclareæ Miij.
coq. c. butyr. recent. q. ſ.
Exprime & adde
℘. Nuciſt. expr. ʒß.
M. Linim.
Pectini & muliebribus par-
tibus illinendum.

* * *

℞. Lapid. Oſtecoll. ʒiij.
carneol. præpar.
corall. alb. præp. ana
ʒj.
ebor. ſin. Δ. ℈j.
Ther. cœl. ℈r. v.
c. s. q. conſerv. roſ. alb.
& ſyrup. granat.
F. Electuarium
S.
Lattwerg alle Morgen
einer Caſtanien gros zu
nehmen.

* * *

℞. Eſſent. hyperici
R. terr. catechu ʒß.
opii ℈ß.
M. D. à meridiè g. xvij.

* * *

℞. Unguent. Comitiſſ.
Aug. ℥ß.
℘. maſtichis ʒj.
NM. expr. ℈ß.
M. F. Linimentum,
Partibus muliebribus illi-
nendum.

CAP. IX.
DE AFFECTIBUS SOPOROSIS.

***AFFECTVS* SOPOROSI ſunt perpetua ad ſomnum propenſio, à fixatis plus minus ſpiritibus animalibus oriunda.**

- ***PHÆNOMENA***
  - INSTANTIUM ſunt dolor capitis gravativus: Inſolita ſomnolentia: ſenſuum hebetudo, vertigo: PRÆSENTIUM aut invincibilis (ut utinanis) ad ſomnum propenſio in COMATE VIGILI, aut ſomnus continuus, ita tamen moderatus, ut excitati ad interrogata reſpondeant, ſed mox iterum in ſomnum relabantur in COMATE SOMNOLENTO: Nullas autem perceptionis notas oſtendant, vellicari licet, in CARO, juncta ſimul oblivione, febre & delirio in LETHARGO: Ubique tamen difficulter reſpirando.
- ***SVBJECTVM***
  - AFFECTUS ſunt ſpiritus animales, ſeu fluidum nervoſum.
  - CAUSÆ in Comate eſt M. S. in Caro ventriculus & in Lethargo cerebrum.
- ***CAVSA***
  - ***PROXIMA***
    - F. eſt immobilitas & fixatio ſpirituum animalium eorumq; influxus imminutus. M. Humor glutinoſus aut colluvies ſeroſa, cerebrum aut obſtruens, aut comprimens. Sulphur it. naroticum 🜈, opium & gas liquorum fermentantium.
  - ***REMOTA***
    - Ebrietas & abuſus 🜈.
    - Otium & vita ſedentaria.
    - Evacuationes ſolitæ ſuppreſſæ.
    - Triſtitia, narcot. gas narcot, febres.
- ***PROGNOSIS***
  - Somnus modum excedens malus, *Hipp. aph.* 3. *Sect.* 2.
  - Facilior curatu carus ab externis: Gravior lethargus.
  - In febribus, ſi poſt ſomnum diuturnum melius ſe habeant ægri, evadunt; pereunt, ſi contra.
- ***CVRATIO***
  - INTRA PAROXYSMUM fit excitando
    - Ligaturis repetitis.
    - Suffitibus graveolentibus.
    - Inunctionibus rerum volatilium.
    - Sternutatoriis & mixturis ſpirituoſis.
    - Clyſteribus, ſuppoſitoriis & V. S. ſi à plethora.
  - EXTRA PAROXYSMUM
    - 1. Humores peccantes evacuandi
      - Vomitoriis ut 🜖. emet. Gilla *Parac.*
      - Purgantibus phlegmagogis, aut Diaphoreticis.
    - 2. Remanentes corrigendi, acidis & caſtoreatis.
    - 3. Spiritus volatiliſandi,
      - DOMEST.
        - ∼⊖✱. ∼CC. ⊖. vol. CC.
        - Eſſent. ſuccini.
      - OFFIC.
        - Spec. diambr. diamoſch.
        - Liq. CC. ſuccinat.
        - ∼. cephal. &c.

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I.

In Curatione affectuum ſoporoſorum vitetur extra caſum plethoræ V. S. cùm in ſanis quoque iis qui V. S. admiſerunt ſomnus obrepere ſoleat.

II.

Cave ne in Lethargo naribus immittas peſſos, aut naſalia, cùm ægri à terrore facilè apoplectici evadant. Præſtat exhibere ▽. apoplecticam, cum ⚶. volatilibus. Vid. *Johannes d' Haine Tr. de Morbis aſtralibus pag.* 24.

OBSERVATIONES.

I.

Dyſenterico cuidam exceſſiva eſſentiæ opii doſi propinata tantus conciliatur ſomnus, ut ferè nunquam evigilare potuerit. Conſultus præſcribo ſeq.

℞. Aceti vini acerrimi ℥ij
Eſſent. caſtor. ʒiß. M.
D. cochleatim.

Fronti & teſtibus ſimiliter acetum applicare jubeo, ita ſenſim exſuſcitatus fuit.

II.

Dominus Vogelius, Studioſus Theologiæ, Giſſæ conquerebatur de nimia ſomnolentia poſt prandium æque ac cœnam, ita ut ſtudiis ea, qua vellet, opera vacare non poſſit. Suaſi frequentem infuſionis Thée uſum, qui eundem ad actiones debitas alacriorem reddidit.

III.

Studioſus quidam, Theologiæ Myſticæ deditus & hic degens, affectui cuidam ſoporoſo per annos complures ſæpe obnoxius fuit, quem nemo Medicorum hactenus dignoſcere, multo minus percurare potuit. Aliquoties ſc. de die aura quaſi frigida ſe afflari ſentit: quo facto vires proſternuntur, Scotomia quadam afficitur (es wird ihm ſo wunderlich vor den Augen) tandemque in ſomnum quaſi prolabitur, ita tamen, ut ſe omnia percipere fateatur, licet ne verbulum quidem reſpondere valeat. Jacet ut ſyncopticus, libera tamen reſpiratione, pulſu magno & valido exiſtente. Quamprimum paroxyſmus accedit, ex adſtantium obſervatione facies rubore perfunditur, mox rurſus palleſcens. Paroxyſmus ½. ferè horam durat, quo finito artus tremunt, utut ſtudiis ſtatim de novo incumbere valeat, cætera ſanus. Olim palpitationi cordis quoque obnoxius fuit, quæ usquedum exulat. Paroxyſmo autem ſupradicto ſtando, ſedendo, dormiendo, vigilando corripitur, eoque bis quotidie. In Itinere per anni quadrantem vix bis eundem eſt perpeſſus. De malo hypochondriaco tutus eſt, neque ſe melancholicum profitetur. Uſus eſt caſtoreatis, ⌒⊖* internè & externè, ſed omnia fruſtanea erant. An forte Ecſtaſeos ſpecies fuit? Ex relatione enim Dn. D. NN. Theol. Prof. Ord. idem Halæ Saxonum in compitis viarum alta voce clamaverat: Thut Buſſe, thut Buſſe!

FOR-

FORMULÆ.

α. & ω.

℞. ▽. largo ⊖. imprægn. lib. j.
⊖. vol. CC. ℈j.
M. F. Clyſter, injic. tepidè.

* * *

℞. Rad. helleb. nigr. pulveriſ.
flor. lil. conval. ana ʒj.
caſtor. pulveriſ. ℈j.
☍. ſuccin. g. j.
M. F. Pulv. ſternut. naribus inſufflandus.

* * *

℞. ▽. menthæ ℥ij.
acet. vin. acerr. ℥j.
Eſſent. caſtor. Unc. ß.
Sacch. ſyrupiſ. Unc. j.
M. D. cochleatim.

* * *

℞. ⊖. dulc.
Eſſ. caſtor. ʒj.
M. D. gutt. ix. in vehiculo domeſtico.

* * *

℞. Empl. veſicat. q. ſ.
induc. alut. & applic. nuchæ.

α. & ω.

℞. Rad. pyrethri ℥ß.
Fol. rut. rec. Mij.
Semin. nigellæ ʒiij.
pulp. col. in pet. lig. ʒiß.
Coq. in s. q. ▽. ſimpl. col. ℞. ℥x. adde
⊖. gemmæ ℥j.
vol. ſucc. ℈ß.
Elect. hier. c. agar. ℥j.
M. F. Clyſter. excitans. injiciatur tepidè.

℞. Herb. rut. rec. Mß.
Sem. Nigellæ
Caſtor. ana ʒj. Inciſ. & contuſ. F. nodul.
✠. rut. immergendus & naribus applicandus.

℞. ▽. ſerpilli
majoran.
✠. rutac. ana ℥j.
Eſſ. caſtor. ʒiß.
Oxym. ſcillit. ℥ß.
M. D. cochleatim.

℞. Succi rut. rec. expreſſi ℥ij.
Semin. rut. pulveris. ʒij.
pulv. caſtor.
aſ. fœtid. ana ʒß.
c. s. q. ✠. rutac. F. Epithema.

 CAP. X.

CAP. X.
DE
LÆSIONIBUS VISUS.

LÆSIONES VISUS ſunt vitia oculorum ab humorum in oculis obſcuratione membranarum & fibrarum irritatione, aut vulneratione orta.

- ***PHÆNOMENA.***
  - Oculus rubet doletque / Fluentibus continuo lachrymis / Excreſcente tunica inſtar unguis / quæ corneam protſus tegit / floccis ob oculos poſitis — in:
    - OPHTHALMIA.
    - EPIPHORA, ſeu LIPPITUD.
    - PTERYGIO.
    - PANNO.
    - SUFFUS. INCIPIENTE.
  - Viſu omnino pereunte
    - cum oculi perverſione in CATARACTA.
    - citra externum oculi vitium in GUTTA SERENA.
- ***SUBJECTUM***
  - Tunica
    - adnata in Ophthalmia & Panno.
    - cornea in Pterygio & Panno.
  - Glandula lachrymalis in Epiphora & Lippitudine.
  - Humor aqueus & cryſtallinus in Glaucomate & Cataracta.
  - Nervus opticus in Gutta Serena.
- ***CAUSA***
  - ***PROXIMA***
    - FORMALIS eſt vel
      - irritatio oculorum,
      - obſcuratio humorum,
      - obſtructio nervi optici.
    - MATERIALIS eſt
      - Sanguis ſtagnans in Ophthalm.
      - Lympha acris in Epiphora.
      - Nutrimentum proprium elapſum in Cataracta.
  - ***REMOTA***
    - Diſpoſitio hæreditaria. Aer inclementior.
    - Cibi & potus acriores. Excretiones ſolitæ ſuppreſſæ.
    - Febres, convulſiones & variolæ.
- ***PROGNOSIS***
  - Quo magis externæ, eo faciliores curatu, cumprimis recentiores, In Senibus difficiles.
- ***CURA*** fit
  - 1. Humores p. n. evacuando
    - V. S. in Ophthalmia.
    - *DOMEST.* Pilul. aloeticis cum ſuccino.
    - *OFFICINALIBUS*
      - Pil. lucis, de ſuccin.
      - Inf. ſenn.
    - Diaphoreticis ut ⊖. vol. ſuccini & liqq. CC. ſucc.
  - 2. Læſiones oculorum reſtituendo
    - Pharmaceuticis
      - internis, ut rad. Valerian. Euporiſto Lindani Euphraſia.
      - externis
        - collyriis
          - blād. ex Tutia, ping: Serp. ☿, camph. Sacch.
          - acrior. ⊕. alb. & Cypr.
        - cataplaſm. & fotibus ex pom. putr. croc.
    - Chirurgicis
      - Veſicat. Setaceo. Depoſit. cataractæ c. acu.
      - Pertuſione Sacci lachrym. in Fiſtula.
      - Cauteriis, vid. *Bartitſchii Augendienſt.*

CAU-

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. Cave ne in affectibus oculorum nimis acria collyria adhibeas, ne tunicis irritatis malum augeatur:

Non patitur jocum, fama, fides, oculus.

II. Fugiantur quoque, eandem ob cauſam, nimis frigida aut nimis calida.

— — — medium tenuere beati.

III. Ab omnibus verò abſtrahe, ſi vel minima cancri ſuſpicio latet, qui nonniſi oculi exſtirpatione curatur.

IV. Noli quoque cataractam imperfectam & immaturam, uti loquuntur, h. e. incipientem, acu tentare, qua majores turbas in oculo ciere ſolent imperiti.

OBSERVATIONES.

I.

Ophthalmiam Epidemicam cataplaſmate è fimo vaccino recenti curatam inſeruimus olim *Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec.* 2. *A.* 3. *p.* 186. ſicut hydrophthalmiam & hypopium punctura acus feliciter curata recenſuimus *ib. Dec.* 2. *A. V. p.* 187. *& ſeq.*

II.

Filiolus *Dn. D. Schefferi* Senioris, Sebaſtianus, poſtquam per 9. menſes fiſtulam lachrymalem paſſus eſſet, variis in caſſum adhibitis, ſeqq. à Dn. Parente curatus fuit:

℞. Croci Metall. ℈j.
Infunde ▽. Verben.
rosar.
euphraſ. ana Unc. j.
Col. per chartam emporeticam. Hoc cum canthum laviſſet, pauculum de ſeq. Linimento intruſit:

℞. Aloes, Thuris,
Sanguin. dracon. ana ʒß.
Plumbi uſti & loti
Tutiæ.
Lapid. hæmat. ana ℈ii.
O. ℈j.
Eſſent. ariſtol. rot.
plantag. ana ʒj.
Excip. melle & Tereb. F. Linim.
Ita in totum reſtitutus eſt.

Vid. Ejus MSS. Practica p. 41.

III.

III.

Abſceſſum oculi, rupta cornea, effluxo pure & aqueo humore (unde caecitas 4. ſeptimanarum orta) ſeq. linimento curavit idem: ℞. Aloes, Sarcocoll. Tut. præp. corn. cerv. præp. margarit. præp. ana ℈j camph. gr. v. cum mucilag ſem. cydon. aqua plantag. extracta F. linimentum.

IV.

Extract. è Lit. à D. Abrahamo Vatero,

Lugduno Batav. die 19. *Jul.* 1710. *ad me datis.*

P. P.

Ut novi quid è re Medica communicem, noviſſima jam in Gallia controverſia de cataracta & glaucomate agitatur, cui Briſſovius (Briſſeau) quidam, tractatu in publicum edito, occaſionem dedit, quo rationibus non minus quàm experientia fretus demonſtrare ſuſtinet, quòd cataracta ſit obſcuritas & opacitas humoris cryſtallini, glaucoma verò humoris vitrei & conſequenter depoſitio cataractæ fiat & facta ſemper ſit per ſeparationem humoris cryſtallini, mediante acu, à fibris ciliaribus & protruſionem ejusdem ad latera humoris vitrei. Controverſia quoque hæc Mathematicos in Gallia eo jam deduxit, ut demonſtrare conentur, quòd humor cryſtallinus ad viſum non ſit abſolutè neceſſarius. Plura vid. in *Tr.* de glaucomate ſ. *catar. Dn. D. Heiſteri*, Prof. Altorph. nunc Helmſtad.

CONSILIUM
D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,
in affectu Oculorum complicato.

REQVISITIO.

ÆGer ſequentibus ſymptomatibus conflictatur: (1.) Oculi inſtar

inſtar ſpeculi halitu afflati apparent, quibus tanquam per nebulam videt. (2.) Nebulæ exiguæ ſæpius ob oculos verſantur, quæ tamen mox evaneſcunt. (3.) Mane humor viſcidus & ſalſus canthis inhæret, manu abſtergendus. (4.) In oculis ſæpiſſimè compreſſio, acſi arena perſperſi eſſent, ſentitur, mox etiam cedens. (5.) Cilia ſæpe tremunt. (6.) Oculi poſt cibos quosdam, piſa ſc. lentes. cepas & aſellos obſcuriores redduntur, (7.) Tempore maturino ſæpe penitus clauduntur, aut multum pituitæ, vel arenæ rejiciunt, utut eloti clareſcant &c.

RESPONSIO.

Affectum hunc prævia curata ponderarione pro SCOTOMIA catarrhis acribus comitata habeo & pro malo hoc avertendo seqq. medicamenta è re fore duco (1.) Collyrium eſt, de quo manè & à meridiè gnt. 1. vel 3. oculis immitti poterunt, illinendo tempore veſpertino aliquid de Linimento. (2.) Pulvis indies poſt paſtum in pane ſimilagineo vino intincto ad 2. vel 3. cultri cuſpides inſpergendus & comedendus. (3.) Hora 3. pomeridiàna Pulv. C. in cerevisia & veſperi alter ſumi poterit. Seq. die manè guttæ 30. Mixturæ lit. D. expectando ſudorem ſumantur, à meridiè autem hora 3. tertius pulvis & veſperi 30. guttæ mixturæ repeti poſiunt. Abſumptis ſuperioribus medicamentis Mixtura manè & pulvis tempore veſpertino contiuuari poterunt. Octavo ab uſu horum die de pilulis laxat. veſperi VI. ad VII. reliquæ autem manè in vehiculo quocunque ſumi debent. His ſi malum non cedat, Veſicatorium applicetur. Tandem nodulus 2. cantharis vini, aut cerovisiæ, injiciarur, de puo manè horâ 9. & à meridiè hora 3. hauſtus ſumatur:

℞. ▽. Verben.
euphraſ.
fœnicul ana ℥ß.
Croc. metall. ℈ß.
Perl. præp.
⊕. alb. ana gr. ij.
Tut. præp. gr. iv. M.
℞. Rad. Helen. Valer. aa. ʒj.
Fol. euphr. roſmar.
rut. nepet. ana ℥ß.
Sem. aniſi fœnic.
ſileris mont. ana ℈ij.
Lign. al. cubeb.
ſuccin. ⊖. euphraſ.
ana ℈j.
Spec. diaxyl. ℈iv.
ſacch. ad pondus omnium.
M. S.
Pfaffen-Futter.

℞. ♁. diaph. ʒß.
CC. uſti ℈j.
♁ nat. ℈ß.
M. D. in 3. p. æ. Lit. C.
℞. Eſſ. ſuccin. ʒj.
ℛ. bezoard. ʒß.
S.
Schweis-Mixtur.

* * *

℞. MP. d. ſuccin. Crat.
Extr. panchymag. Cr.
ana ℈ß.
Reſ. ſcam. gr. iv.
c. Eſſ. ſuccin. F.
PIL.
℞. Canth. ſ. alis & ped. ℈j.
Sem. ammi ʒß.
ſinap. ʒj.
Ferm. acerrim. q. ſ. M.

℞. Rad. caryoph. fœnic.
Valer. elen. ana ʒij.
Fol. nepet. beton.
roriſm. rut. ana mß.
Fl. calend. beton. ana p. ij.
Sem. aniſ. fœnic.
ſiler. mont. ana ʒj.
Fol. ſenn. ſin. ſtip. ʒvj.
agar. trochiſcat.
ſem. carthami ana ʒiij.
cardamom. ʒß.
Conciſ. & contuſ. D. ad chartam.
S.
Speçies zu 2. Kannen Bier oder Wein.

FOR-

FORMULÆ.

D. WESEMIO

(quem Francofurti olim Medicum Ocularem, vulgò den Augen-Doctor, vocabant) uſitatæ.

Contra Ophthalmiam.

℞. ▽. flor. cyani
cich. ſylv. ana ℥j.
Tut. præp. ʒj.
⊕. albi gr. vj.
M. S. Augen-Waſſer, Morgends und Abends einzutropffen.

* * *

℞. Tab. arom. roſ. ℥j.
S. Haupt-ſtärckende Taffeln, alle Morgen eine zu genieſſen.

* * *

℞. Boli Armen. ℥j.
Trochiſc. de Terr. ſig. ℥ß.
Farin. vol. ʒij.
M. S. Zum Uberſchlag.

Contra Suffuſionem incipientem.

℞. Pil. de ſuccin. Crat. ʒj.
Extr. Luc. maj. ℈j.
helleb. nigr. ℈ß.
diagrid. 🜂, gr. v.
🝆. fœnic. g. iij.
M. F. Pil. inſt. piſi min. conſperg. pulver. liq.

* * *

℞. Spec. diambr. diamoſch. arom. roſ.
ana ʒj.
Summit. euphraſ. ʒiß.
ſacch. ℥ß. M. F. Pulv.

* * *

℞. ▽. Hirund. c. Caſt. ℥j.
euphrag. ℥ij.
flor. cyan. ʒvi.
♁. diaphoret. ℈j.
⊖. viperar. gr. v.
Margar. præp. gr. vij.
F. Collyrium.

DESCRIPTIONES

EUPORISTON LINDANI contra quosvis oculorum affectus.

℞. Sacch. q. ſ. cum
Limat. ♃. tere exactiſſimè, ut forti illo tritu ramentis ♃. ſaccharum impraegnetur. Solve hoc ſaccharum in ▽. quadam ophthalmica pro collyrio.

AQUA OCULARIS D. Lautenſac, Brunſwicenſium.

℞. Vini Malvatici lib. iß.
Rad. gentian.
⊕. alb. ana ʒß,
Caryophyllor. ʒiß.
Camphor. ʒj.
Lap. calamin. ʒij.
inf. & col.

AQUA OPHTHALMICA D. Conerdingii.

℞. Herb. & rad. phu M. iv.
Summit. fœnicul.
euphraſ.
chelidon. maj.
ana Mij.
Fol. ſabin. miß.
rut.
meliſſ. ana Mj.
Flor. cyani
fab.
roſ. ana p. iij.
Sem. fœnic. ʒiij.
Mac. caryoph. ana ʒij.
Contuſ. rec. & inciſ. c. 🜄.
Rhen. F. inſtar. pultis,
adde mellis roſ. ℥ij.
Dig. in MB.
per 12. horas, poſtea in eodem lento △. deſtill.

NOTA.

D. Fürſtius his addebat
⊖. ♀.
✱. ana ℥j.

CAP. XI.

DE
LÆSIONIBUS AUDITUS.

[AUDITUS] [L]ÆSIO[N]ES ſunt [a]urium vitia [ex] defectu au[ri]culæ, ob[ſt]ructione [co]nchæ, aut [ir]ritatione [p]artium ner[vo]ſarum in [a]ure ſcatu[ri]entes.

- **PHÆNOMENA**
  - Ægri aut difficulter audiunt obverſa aure, aut ore hiante (*Sie hören mit Maul und Naſe*) in OBAUDITIONE: Vel ſimul dolor auris in OTALGIA, cum ſibilo in TINNITU: Nequicquam autem percipiendo in SURDITATE.
- ***SUBJECTUM***
  - AFFECTUS ipſius eſt auricula, vel concha auris interior.
  - CAUSÆ vel
    - auris, in malo per eſſentiam.
    - ſtomachus & hypochondria, in ſurd. per conſenſum.
- ***CAUSA***
  - ***PROXIMA***
    - ***FORMALIS*** eſt vel
      - Obſtructio nervi auditorii, aut labyrinthi.
      - Vellicatio & paralyſ.
      - Convulſio Nervi Acuſtici.
      - Auriculæ abſentia &c.
    - ***MATERIALIS*** ſunt
      - Tympanum coriaceum.
      - Ceruminis abundantia.
      - Sanguis & lympha ſtagnantes.
      - Humores per metaſtaſin eò delati.
  - ***REMOTA***
    - Diſpoſitio hæreditaria: Sonitus nimius.
    - Cibi & potus vaporoſi.
    - Vitioſa auris conformatio, aut defectus.
    - Catarrhi, apepſia, febres, Lues ♀, percuſſio, &c.
- ***PROGNOSIS.***
  - Nativi aurium defectus incurabiles.
  - Hæreditarii difficiles: Critici ſalutares.
  - Læſiones ab illapſis, febribus & per conſenſum faciliores curatu.
- ***CURA***
  - 1.
    - Defectum auriculæ reſarcit per
      - Aurem chartaceam.
      - Vel
      - Conchas acuſticas artificiales.
    - Illapſa meatui auditorio eximit auriſcalpio.
  - 2. Humores p. n. eliminat
    - V. S. ſi à plethora.
    - Purgantibus ſi à colluvie ſeroſa
      - ***DOMEST.***
        - Magn. alba.
        - Extr. aloet.
        - Pil. de ſucc.
      - ***OFFICINALIBUS***
        - Infuſ. Sennæ c. cephal.
        - ☿ dulc.
        - extr. helleb. nig.
  - 3. Nervos & fibras auris confortat
    - Internis
      - Decoct. cephal. vel lignorum.
      - Eſſent. lignorum.
    - Externis
      - ∘o∘ acuiſt. Wedel. ∘o∘ Verm. quercini.
      - ~ acuiſt. Mind. Eſſ. caſtor. ambr.
      - Moſcho & Ambra in goſſyp.
      - Maſticatoriis & Veſicat.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. In affectibus aurium fugiatur nimius medicamentorum uſus, quæ malum aut exaſperant, aut chronicum reddunt.

II. Cumprimis aquoſa & oleoſa exulent, excepto ☍. amygdalarum amararum & dulcium, quorum illud, ubi incidendum, hoc ubi mitigandum, convenit.

III. Fugiantur topica frigida, nervoſis partibus nociva: præſtant calida, cumprimis ſicca.

IV. Nocent quoque Sternutatoria, quibus maſticatoria longis paraſangis præferenda ſunt.

V. Præſtat univerſalibus & internis uti, quàm externis.

I.

OBSERVATIONES.

Surditatem à piſo aurem illapſo deſcripſimus in *Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. A. 2. p.* 374.

II.

DN. PRAUNIUS, Philiater Giſſenſis, acutiſſimo dolore aurium corripiebatur, cum tumore extus retrò aures apparente. Aderat calor febrilis, ſitis, alvus obſtructa: Noctes inſomnes agebat, ⊟. rubicunda exiſtente. Præmiſſo laxante præſcribo Diaphor. ex Specif. cephal. ſuccino, CC. externè imponendo Empl. de meliloto & folia Tabaci. Immiſi ⌒. acuiſt. Minder. ▽. anhalt. &c. Tandem materia ſuppurata auri effluit, cum ſymptomatum levamine, niſi quod hemicrania remaneret, quam fol. Tabaci impoſitione ſuſtuli. Reliqua vulnerariis expedita ſunt. Alias otalgiam contumaciſſimam ſolo lacte materno infuſo curavimus.

III.

Filiolus V. annorum lippitudine adeò laborabat, ut pupilla ferè obliteratur. Auris ſiniſtra ſimul multum purulentæ materiæ emittebat. Huic præſcripta ſunt 1. ſeq. Potio: ℞. Cort. rad. Cichor. Rad. fœnicul. ana ℥iſ. Fol. fumar. Miß. Euphraſ. beton. ana Mj. Flor. viol. p. ij. Sem. aniſi, coriandri ana ʒiß, Sil. montan. ℈j.

Paſſul.

Paſſul. p. j. Prunorum Damaſcen. N. v. fol. ſenn. ℥vj. Tart. alb. ʒij. agar. troch. ʒiß. M. F. infuſ. per noct. poſt decoq. in ℔iß. ▽. ad medietatem, coletur & exprimatur, aromatiſetur cum ℈j. cinam. opt. & ſacch. edulcoretur. 2. Veſicatorium in nucha appoſitum. 3. Hoc collyrio uſus ℞. ▽. roſ. fum. euphr. Fœnic. ana ℥j. tut. ℈ij. ſacch. ſiniſſ. ℈j. M. 4. Auri indidit: ℞. Sem. cep. mell. roſ. col. ana ℥vj. M. 5. Hunc potum quotidianum uſurpavit: ℞. Rad. Chin. ℥j. Corn. cerv. uſt. ℥ß. cinam ʒiß. Sem. aniſi ʒj. Rad. Liquirit. ʒß. M. Coq. in lib. IV. ▽. puriſſimæ. *D. Scheffer. in Man. Pract. Mſc. pag.* 40.

IV.

CONSILIUM
D. D. WEDELII.

P. P.

E Literis Tuis Affectum aurium Ægro incommodantem ſufficienter percepi. Quemadmodum verò eundem maximam ad partem à ſalſis frigidisque defluxionibus, nervos & membranas aurium afficientibus dependere & dum eò inclinant nec exitum inveniendo meatus aurium obſtruere auditumque imminuere exiſtimo; ita ad hæc aliaque avertenda ſequentia medicamenta præſcribenda duxi, ſc. I. de pulvere alterante ſanguinemque depurante manè hora VII. in vehiculo calido, veſperi verò hora IX. in cerevifia frigida doſis ſumi & donec totus abſumptus fuerit continuari poterit:

℞. Specif. cephal. | Conchar. præp.
♁. diaphor. ana ʒj. | Succ. alb. præp. ana ʒß.
Ambr. gr. iij. M. Div. in IX. p. æ.

A meridiè hora 3. de ſeq. mixtura guttæ XXX. in cerevifia ſumi poterunt: ℞. Eſſent. caſtor. | Eſſ. ligni aloës
carmin. | ſuccini ana ℈ij. M.

His ad medietatem uſurpatis pilularum purgantium, in quocun-

que

que vehiculo, hora v. veſpertina N. quinque, reliquæ autem manè, prout viſum fuerit, ſubjungi poterunt:

℞. M.P. de ſuccin. Crat.
Extr. Panchym. Cr.
ana ℈ß.
Reſin. ſcammon. gr. v.
℅ aniſi g. ij. c. Eſſ. caſt. F. Pil. 15.

Sub uſu horum medicamentorum è re fuerit ſeqq. ſpecies partim ſacculo inſuere & calide aures fricare, partim vino incoquere & vaporem in aurem immittere: ℞. Rad. ir. Florent. Zedoar. helleb. alb. galangæ ana ʒj. Herb. beton. abſinth. ſalv. majoran. aſar. meliſſ. origan. ana Mß. Fl. cham. Rom. perſic. ſtœchad. Arab. p. ij. Sem. 4. carmin. ana ʒiß. bacc. lauri ʒß. ambr. moſch. ana gr. ij. ℅ carui gutt. iv. M. Noctu antequam cubitum erat ſeq. pulverem carbonibus ardentibus inſpergi & fumus auribus excipi poterit:

℞. Farin. fabar. ℥j. S. Rauch-Pulver.

Hoc facto de ℅. manè & veſperi gutt. iij. vel iv. goſſypio inſtillari & auri immitti poterunt: ℞. amygdal. amar. perſic. ana ℈ß. ℅. deſt. car. aniſi ana gutt. vj. Eſſent. ▽. apopl. caſtor. ana g. vij. M. Quodſi præter ſpem catarrhus his non cedat, haud inconveniens erit nuchæ veſicatorium imponere veſicamque per aliquot dies apertam ſervare. De cæterò Æger auram frigidam, victum ſalſum viſcidumque, ut & potum nimis ſpirituoſum fugiat.

FORMULÆ & DESCRIPTIONES.

α. & α.

℞. Pulv. cinnab. ʒj.
♁. diaphor. ʒß.
⊖. vol. CC. ℈ß.
M. Div. in 3. p. æ.
ſumantur 3. diebus ſucced.
mane c. ſudor.

α. & α.

℞. Fellis Luc. piſc. in cliban. in maſſ. panis ſol. q. v.
immitte guttatim.

℞. ℅. Vermium quercin. ℥ij.
deſtill. abſinth. ℈ß. M.

℞. ⏝. acuiſt. Minder. ʒiß.
Eſſent. caſt. ʒß.
ambræ ℈j. M.

℞. ⦶*.

℞. ⊖*. pulver.
♆. ana.
terantur in vola manus & applicentur auri.

℞. ⌒⊖*. ℥ij.
D. in vitro anguſti colli, auribus crebro admovendo.

℞. ▽. vitæ cochl. j.
Succ. cepar. cochl. ß.
Eſſ. caſt. ʒj.
M. & auribus tantillum inſtilla.

* * *

℞. ⚯. amygd. dulc. ℥j.
carui g. v.
M. & cum bomb. auribus inſere.

* * *

℞. Ambr. gryſ. ver.
vel & Eſſ. amb. ſicc. g. ij.
inſere goſſypio & cauitati auris immitte.

℞. ⚯ acuſtici D. Wedel. ʒiß.
ſpic.
coſtin. ana ʒß.
M. &c. aq. apopleƈt. dilut. auri cum goſſypio applica.

℞. Ova formicarum contrita,
Succ. cæparum q. ſ.
M. & auri immitt.

DESCRIPTIO OLEI ACVSTICI, Dn. D. Wedelii.

℞. ⚯. Amygd. amarar.
Nucl. perſic. ana ʒß.
deſt. aniſi.
carui ana g. vj.
M. D. in tinnitu, ſibilo & dolore aurium, e. ▽. apopl. immittendum.
Vid. Ejus polychreſta Mſſ. num. XCIX.

Tantum de morbis ultimæ ætatis, ſc. ſenilis, cui Italorum judicio tria C. fatalia & funeſta ſunt, cum Senes plerumque interfici dicantur d' un Catarrho, d' una Caſcada, ò d' una Cacada. Vid. *Gerbezius in Chronologia Medico-Pract.*

FINIS.

Coronidis loco ſubjungo *Conſilium ad vitam longævam* D. JONÆ GüNTHERI, Medici quondam Lignicenſis.

RELATIO
Actuarii Acad. Giſſenæ, DN. RHüDELII Sen.

POſtquam ad Avunculum meum Dn. *Jonam Güntherum*, D. Med. h. t. Phyſicum Lignicenſem, antehac autem Sereniſſimi Principis LUDOVICI, Ducis Sileſiæ Archiatrum ſcripſeram eumque requiſiveram, ut, cum XIV. liberorum Parens vitam absque ullis fere morbis ad tantum Senectutis gradum deduxiſſet, mihi, non tam extraneo, ſed proxima affinitate juncto aperiret, qua methodo vivendi uſus fuerit? datis die 3. April. 1696. Lignitio ad me literis ſeqq. reſpondebat:

Annum ætatis LXXII. Deo benedicente inſtante 7. Aug. complebo, quod non tam diætæ, ſed DEI miſericordiæ & gratiæ unicè adſcribo.

Interim quæ ſeqq. verſibus comprehenduntur, ſtricte obſervavi:

Lympha, Cinamomum, Jejunia, Vinaque Sorbus,
Motus, Juniperus, Borſtorfia mala, Tabacum.
Alcali cum Juſclis, Pediluvia: Cuncta fuere hæc
Queis ad jucundam vitam benedixit Jova

Jehova nimirum eſt vita noſtra & longitudo dierum noſtrorum.

Quoniam vero è generalibus his pauca comprehendere poteram, uberiorem illorum explicationem denuo ab illo petii, quam in ſeq.

EPISTOLA

mihi non denegavit:

Gratiam Divinam in Chriſto!

COGNATE.

In ultimis tuis clavem deſideras eorum, quae ceu adminicula ſanitatis nuper brevibus communicavi.

Ex his Lympha longe nobilior eſt (*ſcripſeram enim an per lympham forte balnea intellexerit?*) quam ut ad externas tantum ſordes abluendas adhibenda ſit. Mallem internum ejus uſum, pro ſalibus ſylveſtribus & quibuscunque excrementis abſtergendis.

I. Cum auſpiciis Maii, usque ad finem Auguſti, omni mane hauſtum aquæ ſumo è fonte noſtro ab halecibus *der Heringsbrunn* dicto, utpote qui Lignicii optimam ſuppeditat aquam.

II. Subjungo ſtatim motum ad blandum ſudorem & in prandio juſculum calidum aſſumo.

III. Hora prima ante cœnam vnam vel duas fiſtulas Tabaci exſugo.

IV. Hora ſomni cochl. j. Spiritus baccarum juniperi claudo.

Sub autumno & durante hyeme aquam calidè haurio.

V. Vino nunc modicè & parce utor: quotidie ſc. hora 3. pomeridiana vitrum unicum: quoniam tunc chylus elaboratus eo permixtus eo citius & facilius maſſæ ſanguineæ permiſcetur.

VI. Jejunio diem unum cujusvis hebdomadis tribuo, aſſumens tempore matutino ſolitum hauſtum aquæ: hora xij, meridiana vero utor

VII. gutt. aliquot ℴ℘. cinamomi, in jucundo vehiculo;

Immediate autem ante ſomnum

VIII. Pediluvium ex ▽. fontana applico & hauſto prius cochleari uno ſpiritus juniperini quieti me trado.

IX. Ex ſorbi baccis Spiritum per fermentationem elicio, qui Deo benedicente à calculo renum me hactenus præſervavit. Jujunus ejus cochleare unum hora 8. matutina capio, & abhinc hora

X. hauſtum aquæ ſolitum ſuperaddo, quæ reliqua, ut ſupra dixi, ſequuntur.

XI. Pomorum Borſtorfianorum unum, aut ad ſummum duo, poſt unumquemvis paſtum comedo, quamdiu illorum particeps fieri poſſum.

XII. Alcali è cineribus clavellatis paro, infundendo illis libram (quæ quartam menſuræ partem & quid amplius capit) aquæ fontanæ frigidæ, illicque tamdiu relinquo, donec aqua lixivioſa reddita eſt: abhinc filtro & ſic aquam alcalinam obtineo, quam *Cornelius Bontekoe* ſatis deprædicare nequit. Doſis eſt a cochl. ß. ad j. in primo hauſtu cereviſiæ, vel & aliis vehiculis acceptis.

XIII. Juſcula accepta & tenuia ſub initio cujusque prandii aut cœnæ abſorbeo.

Et hæc XIV. Adminicula ſunt longævitatis, pro illis, quibus Deus hanc concedere & ordinariis his remediis gratia ſua Paterna benedicere voluerit. Ex Antiquioribus *Aetium* & *Meſuem* aquam ſimplicem quamplurimi facere obſervo. Potus Thee hodie receptus id confirmat, ſiquidem aquæ, ut *Pechlinus* non ſine cauſa ſtatuit, plus quam foliis Thee adſcribendum eſt.

Quid quod CHRISTINA, Regina Sueciæ, à *Petro Bourdelotio* potu aquæ fontanæ curata fuit, teſte *Thoma Bartholino Cent. 2. Epiſtolarum Medicinalium xx. xxj.*

PRO

PRO APPENDICE AD CAP. XI, SECTIONIS IV. SUBNECTERE HIC PLACUIT *DISPUTATIONEM INAUGURALEM* DE CONVULSIONIBUS

ANNO 1680. *GISSÆ à me habitam.*

INTROITUS.

CORDATIS εὐέχειν.

DUplex eſt hominum, tum Philoſophorum, tum Medicorum genus, quod non ſemper usquequaque mihi placere potuit: Unum eorum qui receptis Antiquorum dogmatibus ita adhæreſcunt, ut á combibitis ſemel opinionibus (rationi non minus, quam experientiæ ſæpiusculè repu-

 gnantibus,)

nantibus,) nullo unquam modo ſe abduci patiantur. Alterum vero illorum, qui relegatis penitus & ad Caucaſum religatis Veterum doctrinis, Recentiorum principiis in tantum ſuperbiunt, ut ad aliorum dicta, quæ vel *Carteſium* vel *Helmontium* prima vice minus ſapere videbantur, nauſeent fermè, quodque magis veſanum eſt, cultores illorum, ut Lernæum quoddam malum devitare ſoleant. Eos vero magis probavero. qui cum Ulyſſe Homerico ἐπαμφοτερίζουντες neutri ſtatim, neque in totum accedunt parti, verum ipſius Adraſteæ juſſu πάντα δοκιμάζουσι, τὸ καλὸν κατέχουσιν. Adeo enim vaſtus eſt Naturæ pariter ac Artis Medicæ Oceanus, ut in unius vel alterius ætatem non facilè cadat, univerſam ejus emetiri peripheriam: Singulis eò allaborandum, ut aliquid conferant ad ejus dimenſionem. Quin & ipſis Veterum dogmatibus Neotericorum experimenta dulci conjugio ſunt maritanda, facto quodam Syncretiſmo, à Celeberrimis hodierni ſeculi Medicis jamdudum ſummè commendato. Ecquis enim tam peregrinus in ſtudiis hiſce fuerit hoſpes, qui neſciat, quantæ nunc iis per Modernorum indefeſſos labores factæ fuerint acceſſiones? Enimvero, miſerabilis penitus & abjecta Philoſophiæ Naturalis olim erat facies, quoad ſub Scholaſticorum dictatura quodam qs. fræno

nō coercebatur & inſuper habitis veris effectuum naturalium cauſis, abſtractitiarum notionum vanitatibus theatricisque vociferationibus unice abſolvi videbatur; adeo quidem, ut non abs re ſuum exinde pudorem fateatur *Celeberrim. Williſius*, Præfat. *in Anat. Cerebri*, dum puduit, inquit, me hactenus precario fuiſſe Philoſophum & Po-ticam quandam Phyſicen auditores meos & me ipſum deliniviſſe & utrisque noſtrûm ceu incantamento & præſtigiis feciſſe fucum. Excuſſo vero tandem à generoſis quibusdam pectoribus ſupino hoc ſervitutis jugo, mirum, quanta, tam exigua temporis intercapedine, ſuſceperit incrementa! Juvabit fortè hiſtoriæ hujus quadantenus refricaſſe memoriam: Primus E. omnium qui de vulgari Scholarum Philoſophia dubitare eique cordatius nonnihil contradicere cœpit, fuit *Renatus des Cartes*, nobilis Gallus, Mathematicus certè incomparabilis. Cum vero plura Carteſii dogmata, ingenioſe licet excogitata, non tam indubitatis demonſtrationibus, quam vix ſemper probabilibus inniti viderentur hypotheſibus, aliam inſuper viam tentarunt Anglorum nonnulli, qua per certas experimentationes rerum natura ſic inveſtigari & ad oculum qs. demonſtrari poſſit, ut nolentes volentes quoque ad aſſenſum trahere valeant; id quod jam-

jamdudum ſeriò optaverat Vir inexhauſtæ eruditionis *Franciſcus Baro de Verulamio*, Angliæ Cancellarius. Hunc in finem curioſiores in Academia Oxonienſi, *Williſius*, *Walliſius*, *Boyleus* & alii, privatim hanc experimentandi viam excoluere, idque tam felici ſucceſſu, ut, cum fama illorum ad Regem Angliæ perveniret, ipſe rei nobilitate permotus, circa annum 1660. Societatem Regiam Naturæ Curioſorum Londini inſtituerit, tantisque eandem donaverit privilegiis, ut Magnatum plurimi Procerumque etiam iis ſeſe jungerent & parvo temporis intervallo maxima illis facta fuerit acceſſio. Ortum & progreſſum Collegii hujus Anglico idiomate tradidit *Thomas Sprat*, Tr. *Hiſtoria Regiæ Societatis Londinenſis*, cujus ſummaria referunt *Transactiones Anglicæ anni 1667. Menſ. Septembr.* Præſidem hodie venerantur *Robertum Boyleum*, Regis Armigerum, Philoſophum noſtro tempore Famigeratiſſimum. Aſſeſſorum vero & Collegarum catalogum fusè enumerat *Kunckelius in Append. Obſerv. Chymic.* Hoc Anglorum inſtitutum brevi totam peragravit Europam, ſuaque celebritate ita mortalium accendit pectora, ut ſingulæ penè Nationes ad ſimile Philoſophandi ſtudium non tam contenderint, quam

quam penitus graſſati fuerint. Inde enim Galli, (ut gens eſt maximè æmula,) Academiam Pariſienſem, in Linguæ Gallicæ culturam primitus inſtitutam, ad Philoſophiæ naturalis ſtudium transferre, ſimiliave hinc inde Collegia formare non dubitarunt. Ediderant ante *Ephemerides*, ut vocarunt, *Eruditorum*, Gallico ſermone, quarum maximam partem, utiliſſimo ſane conatu, in Latinam convertit nuper Magnum Ludovicianæ Noſtræ Decus, *Dn. D. Frid. Nitſchius*, Mathematicus & JCtus toto Orbe Celebratiſſimus: hæ verò cum in deſuetudinem jam abierint, earum loco meræ nunc Relationes Phyſicæ prodeunt, interjectis tamen nonnunquam recenſionibus librorum, res Phyſicas concernentium, ſub rubrica: *Memoires concernans les arts & les ſciences.* Diſtrahuntur hinc inde quædam earum verſiones, minus tamen accuratæ. Quæ vero in iis continentur, maximam partem ſunt peregrina, nec in ipſa Gallia nata, cum Societas Regia, neſcio qua de cauſa, hactenus ſupprimat experimenta à ſe obſervata. Porro nec vaſtis Galliæ limitibus circumſcribi potuit hic Philoſophandi impetus, ſed & Alpes brevi transvolavit. Hinc in diverſis Italiæ locis ſimiles quoque ſanxerunt Societates.

Romæ equidem ſingulis fere menſibus, pari omnino ratione ac in Anglia, prodeunt nonnulla Naturam concernentia. Florentiæ itidem lucem quædam aſpexerunt de natura aeris, ſub titulo: *Saggi di Naturali Eſperienze fatte nell' Academia del Cimento.* Sed hæc talia raro ad nos transportari ſolent. Hac E. ratione in peregrinis oris, non ſine Exterorum celebritate, Rerum Naturalium ſtudium ſatis fatigatum, utinam non penitus fuerit defatigatum! Tu vero reſupinata facie quieſceres, Nobiliſſima & à fortitudine olim notata Germania? Non te movebit fama Anglorum, Gallorum gloria, Italorumve celebritas? Equidem maluerunt forte lineamentis, ab Exteris jamjam efformatis, colores addere, quam laudabili eorum cœpto inciviliter obicem ponere Germani noſtri dilectiſſimi. Quare convocatis tandem è vaſtiſſima S. R. Imperii circumferentia Curioſis magnamve partem Doctis Viris, junctis manibus inſtituere Collegium illud Naturæ Curioſorum, hodienum celebratiſſimum. Incunabula quidem ſua habuit & ſub cineribus quaſi gliſcere cœpit circa annum 1652. Reſtauratum vero poſtmodum in apertam flammam erupit anno 1669. Edunt ſingulis fere annis Germani *Ephemerides* ſuas *Natu-*

ræ Curioſorum, obſervationes, experimenta variasque hiſtorias referentes, additis ſubinde prolixis Commentariis, loca parallela continentibus. Horum ad exemplum Haffnienſes in Dania & hactenus evulgarunt nonnulla, ſub inſcriptione: *Acta Haffnienſia*; quæ ſanè nobiliſſimas non raro communicant obſervationes, res Anatomicas non minus, quam Chymicas concernentes. Quin imo ſi experimenta paſſim in Germania, penes Operatores Chymicos, quos Laborantes vocant, latentia, in publicum prodirent, multis certè paraſangis aliarum Gentium famam ſuperaret Teutonica natio. Sic felici tandem ſucceſſu Natura, non tam ſaltum, quam potius gradum amans, longa annorum ſerie, Recentiorum induſtriæ ſe nonnihil manifeſtare voluit, qui laudabili omnino fervore arcana ejus rimati, tantis eam cumularunt augmentis, ut plurimas jam difficultates ſuperatas fore magna utique ſpes nobis facta fuerit, quæ fortè tamdiu nos minimè fallet, quamdiu cœptus ille Philoſophandi impetus, ut facilè ſolet, non deſeruerit plerorumque animos, qui jamdum magnam mihi partem deferbuiſſe videntur. Simile planè, quod Philoſophiam hactenus

tenuit fatum, experta quoque eſt Nobiliſſima Ars noſtra Medica, quæ olim vili omnino incedens habitu

- - - vultu triſtive ſevero,

jam demum in jucundum ſe induit florem & utiliſſimis Recentiorum, *Sylvii, Williſii* &c. inventis nobilitata, caput hodie tantum extulit,

quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Interim abſit, quo cuncta jam penitus expedita credamus, ita quidem, ut metas jamjam ponendas, cancelliſque quibusdam definiendum exiſtimemus ſacram Artem; quin potius & poſteri habebunt, quibus ingenium porro ſuum utique exercere poterunt. Hinc jam quilibet ſuo (id quod magnum Prudentiae Medicæ argumentum) abundet ſenſu, cum omnino certum ſit, Medicinam Artem eſſe conjecturalem. Quin imo totus, ut dicitur, Mundus regitur opinionibus. Hæc ideo, (juſto fortè prolixius) præfari debeam, ut faciliorem nonnihil ſe præbeat Lector Benevolus, ſi videat me talia quandoque Theſibus hiſce Inauguralibus inſeruiſſe, quæ tritis hactenus dogmatibus minus videri poſſent conformia. Animavit me in eo conceſſa hactenus & à Veteranis etiam, quod miror,

ror, intaminata Philoſophandi libertas. Quodſi vero eadem paradoxa videantur, excuſet me illud *Seneca de Tranq. animi cap. ult.* aliquando & inſanire jucundum. Sicubi enim nonnulla, liberioris exercitii gratia ſtudio admiſta, apodicticè non ſunt demonſtrabilia, ſufficiet mihi, ſi non omni careant probabilitate. Enimvero, cum ſcorbutus, turbulentus ille & verſipellis hoſpes, hactenus corporis mei ſuccos in confuſionem egerit & hæ cogitationes, mediam inter curam, deambulando ſubinde ſurrepſerint, ipſemet vereor, ne ſcorbutici quid lateat; verum & illud non minimum fuerit, pro impetranda venia argumentum.

Faxit DEUS ut omnia feliciter!

DISPUTAT. MEDICÆ INAUGURALIS
DE
CONVULSIONIBVS IN GENERE
SECTIO I.
TRADENS CONVULSIONIS DEFINITIONEM.

§. I.

HAud equidem eſt de nihilo penitus ea, quæ juxta modernos Artis Apollineæ Myſtas nunc fere obtinuit conſuetudo, ut in affectuum p. n. tractatione, analytice qs. procedentes, φαινόμενα eorundem primo omnium recenſeant, quo commodius in cognitionem cauſarum devenire queant. Ut enim taceam, methodum hanc analyticam, artibus (ſub quarum numero Medicina quoque notorie continetur) magis eſſe propriam, quis quæſo non viderit, hac ratione omnis generis morbos facilius longe cognoſci, tum denique felicius percurari poſſe? At verum enim vero, quamvis hæc tractandi ratio haud incommoda videatur in ſpecialiori morborum reſolutione, cum interim noſtra de convulſionibus diſſertatio generalius nonnihil ſeſe habeat variaque ſpaſmorum genera ſub ambitu ſuo complectatur, ad evitandam omnium confuſionem methodum quodammodo ſyntheticam obſervare commodius forte fuerit,

rit, cujus ductu, facto à cauſis initio, varias poſtmodum convulſionum differentias enodabimus & omnium denique curationem, Politioribus & Felicioribus Practicis hodie approbatam, plano quidem & aperto dicendi genere, generatim annectemus.

§. II. Circa nomen convulſionum hoc quidem monendum cenſeo, quod in præſens non ſaltem convulſiones vulgo ita dictas, ſed latiori & generaliori nonnihil ſignificatione etjam quoslibet motus convulſivos, cum *Williſio* & aliis, ſub eodem intellectos velim. Quod autem etymologias varias, ſynonymias, hymonymias & hujus farinæ alia concernit, in iis quidem adeo prolixus non fuero. Vereor enim, ne cramben in ſcholis toties recoctam propinando, emunctioris naris hominibus nauſeam procreaturus ſim. Quibus vero hæc talia placuerint, præter varios & tantum non innumerabiles lexicorum ſcriptores, *Sennerti, Rolfincii* aliorumve opera, verbalibus hiſce ſpisſius ſuffarcinata, conſulere poterunt & habebunt, quibus animum curioſitatum harum avidum abunde ſatiare queant.

§. III. Declinato jam Grammaticorum foro, ad inevitabile Logicorum tribunal peremtorie citatus, cauſam dicere jubeor de definitione, quam ſi Eridos quoddam pomum dixero, à vero forte non multum aberravero. Sunt enim plerumque tales definitiones, turpi quodam iſtarum abuſu, primus fons & origo inutilium rixarum & quæſtionum, ut cum *Galeno* loquar, Logicarum, quibus tantum abeſt, ut lux aliqua affundatur rebus ipſis, ut potius res, alias facile decernendæ, magis magisque intricentur. Neque enim de nihilo penitus, quod incomparabilis ingenii Philoſophus *Renatus des Cartes Lib. I. Princip. Philoſ. Part. I. §. X. p. m.* 3. de rixis ejusmodi fert judicium: Sæpe adverti, inquit, Philoſophos in hoc errare, quod ea, quæ ſimplicisſima erant, ac per ſe nota, Logicis definitionibus explicare conarentur, ita enim ipſa obſcuriora reddebant. Miror ſane, quantæ ſæpe lites, quantæ animorum excandeſcentiæ oriantur circa definitionem aliquam, vel nuce caſſa non redimendam:

Interea

Interea cum tam anxie circa corticem hæremus, nucleum ſæpiuſcule intactum relinquimus. Sed ecce! aurem vellicat trium literarum Tyrannus, MOS ſc. cui, ut & nos morem geramus, fabricanda primo omnium eſt convulſionis definitio, quod nimirum ſit: Motus animalis p. n. auctus, inſigniter tamen inſimul depravatus, ab irritatione partium fibroſarum & hinc introducto ſpirituum animalium orgaſmo, potisſimum proveniens.

§. IV. Per motum animalem omnem omnino intelligo motum, machinæ microcoſmicæ convenientem, cujus intuitu membra magnitudinem, ſitum & figuram diverſimodè commutare ſolent, ad functiones C. H. ſeu vitales, ſeu animales easque vel cum, vel citra voluntatis imperium, ſubeundas. Organon ſeu inſtrumentum hujus motus, tam ſ. n. quam p. n. ſeſe habentis, non incommodè forte diſtinguat quispiam in proximum, vel immediatum & remotum, ſeu mediatum: Hoc nervi, illud fibræ omnis generis conſtituunt.

§. V. Nervorum doctrinam, ſpinoſam ſatis & intricatam, felicisſime & accuratisſime proſequitur *Williſius*, Tr. *Nervorum deſcriptio & uſus*, qui hoc in ſcribendi genere, caret ſuo compari. Fibras vero motrices quod concernit, hæ quidem duplicis generis eſſe ſolent: vel enim ſeparatim exiſtunt, ſibique relictæ, quæ utplurimum circuli in modum ambiunt partes, ut in œſophago, ventriculo, inteſtinis & aliis partibus ad oculum demonſtrari poſſunt, idque eo felicius, ſi ▽ ferventi prius immergantur, ita enim ſingulæ fibrarum ſeries manifeſtiſſime apparent: vel arctius nonnihil in unum ſyſtema colliguntur, quod muſculum communiter appellare ſolent.

§. VI. Texturam vero muſculorum quod attinet, magni ſane nominis viri hoc in negotio plurimum deſudarunt: palmam

mam tamen cunctis fere præripuit *Nicolaus Stenonius*, qui Tr. *Myolog. Specimen*, ſeu Structura Muſculi Geometrica omnia plus quam curioſè perſequitur, adeo, ut ob nimias & ſupervacaneas ſubinde ſpeculationes penè vapulet ab *Ammanno*, *in Parænesi ad Diſc. p.* 52. Duabus conſtat partibus conſtitutivis, carne ſc. & tendine. Ex copioſis nimirum contexitur fibrilis, in medio ſui ſanguineo coagulo circumveſtitis, à quo rubedine quadam tinguntur fibræ motrices, ut facilè ſuſpicari potuit *Bohnius Exercit. Phyſiol. XXIII.* §. 11. Frequenti enim cum ▽. ſimpl. lotura rubedinem penitus amittunt & ut reliquæ nervoſæ particulæ in totum albeſcunt.

§. VII. Hæc tam mirando artificio fabricata muſculorum ſtructura eo tandem tendit, ut machinarum quarundam & trochlearum ritu, mechanica fibrarum textura & apparatu plus quam automatico magis habiles reddantur ad actiones ſuas, motus puta, aptius ſuſtinendas, prout id fuſius Carteſii Sequaces explicare ſolent. Qua ratione tamen ſeſe habeant motus organa in ipſo actu exercito, profecto non caret difficultate. Hoc quidem omnes unanimi calculo confitentur, tum demum omnem muſculum fibrasque motrices agere, quando quoad corporis ſui dimenſionem nonnihil abbreviantur & in ſe quaſi contrahuntur, ita ut propria eorum actio ſit ſui contractio, quam poſtmodum ſequitur partis annexæ motus ejusque mutata ſituatio. Quænam autem hujus contractionis, tam in ſpontaneo quam non ſpontaneo motu vera ſit cauſa, fuſius nonnihil eſt perſpiciendum, id quod fiet in

SECT. II.

DE CAUSA EFFICIENTE PROXIMA CONVULSIONUM.

§. I.

TRitum eſt in ſcholis Peripateticorum axioma: Quicquid movetur, movetur ab alio: Nihil enim movetur à ſe ipſo. Conſideremus itaque, quænam motus animalis, tam naturalis, quam p. n. ſeu violenti, vera, proxima & immediata cauſa ſit conſtituenda? Ubi quidem primo ſtatim intuitu apparet, illud eſſe cauſam ejus, quod provida mater Natura, per argenteos illos funiculos, ut nervos deſcribit Sp. S. *Eccleſiæ cap.* 12. §. 6. omnibus partibus machinæ microcoſmicæ proportionaliter diſpertiit, Spiritus nimirum Animales, quos Hippocrates ſub impetum facientibus, Diocles vero ſub deferentibus dubio procul comprehendunt: Illum enim C. H. in continentia, contenta & impetum facientia: Hunc vero in deferentia & delata diſcriminaſſe, conſtabit iis, quibus Veterum dicta, veritate cumprimis & modernis experimentis conformia, non penitus ſordere ſolent.

§. II. Pro exiſtentia Sp. animalium cum utrobique & à priori & à poſteriori ſufficientia militent argumenta, nil quicquam hactenus obtinere potuerunt, qui eandem in dubium vocare auſi ſunt, Rationes in contrarium fusè enumerat *Mœbius in Fundam. Phyſiolog. cap. VI. pag.* 67. *& ſeqq.* Maſcule vero eadem eneruavit *Rolſincius in Diſſert. Anatom. l.* 4. *cap. XXI. & ſeqq.* Quæ cum ſua luce radient, in præſens ſaltem de origine eorum & multiplicatione pauca memorare haud abs re fortè fuerit. Ortum ſuum debere ſpiritibus Parentum, nemo facile negabit

gabit, qui generationis hiſtoriam paulo penitius perſpectam habuerit. Poſtquam enim Sp. genitales, ex Sp. vitalibus & animalibus peculiari textura combinati & hinc non incommodè à *Brunone in Dogm. Med. Gen. p.66.* vitanimales dicti, ſub maſculini ſeminis tegmine, ſanguini materno communicantur, eundem peculiari ratione fermentant, ut fusè probat *Bartholinus* junior *Ep. de Ovariis Mulierum p.m.* 31. *& ſeqq.* hincque ordinario ſang. circulo, ad ovarium muliebre penetrantes, ovulum unum vel alterum blanda quadam titillatione vellicare, fœcundare & ſucceſſive in motum ciere inchoant, donec ab ipſa tuba Fallopiana facta quadam exoſculatione, à *Graeffio* erudite & feliciter demonſtrata, exceptum, in uteri concamerationem devolvatur. Tum demum Sp. illi primigenii & revera innati, ſui juris facti, in colliquamentum ovuli oleoſum agendo, particulasque ⊖nas in eodem latitantes volatiliores & plus minus activas reddendo, junctis manibus oleoſam colliquamenti partem magis magisque incidunt & reſolvunt, donec blando hoc diſſolutionis & fermentationis motu particulæ fluidiores novam texturam adeptæ purpuram induant, & liquor noſter vitalis, quem ſanguinem vocant, exinde generetur: non aliter ac in Chymicis Ol. vel Sulphura cum ⊖. vol. diſſoluta colorem rubicundum repræſentant, quod Celeberr. *Boyleus* Tinct. Sulph. volat. probat *Tr. de Color. p. 3. experim. XXXIV.* Cui ſi acquieſcere nolis, en! aliud experimentum mehercle certiſſimum: Dig. nimirum & ♌a artificioſè ~. ⊖. *ci cum ſ. q. caryoph. prodibit Tinct. inſtar ſanguinis rubicunda & habebis ~. ⊖. *. caryophyllatum, in affectibus apoplecticis, ſoporoſis, quin & convulſivis admirabilem. Sanguine hac ratione generato, reliquæ particulæ volatiores & ~tuoſæ ſenſim auctæ, primum circa propriam axem rotatæ, acceptis paulatim ab influo ſanguine materno ſuppetiis, ſeſe quaquaverſum expandere & explicare conantur, ſuisque excurſionibus ſtamina & fibrillas ſingularum partium, in ovulo jamjam delineatarum, ut egregie probat *Bohnius in Exerc. Phyſiol. XXV. §. 2. &*

 ſeqq.

ſeqq. & nos nuper heic αὐτοψία docuit, ſubintrant, diſtendunt, ipſisque ſucceſſive debitam magnitudinem, poſituram & figuram, vi ſua elaſtica, vel ſi mavis, plaſtica, h.e. variis ſuis motibus conciliant, ſicut juxta mechanicas motuum leges illud ingenioſisſime proſequitur *Ren. des Cartes* Tr. *de Formatione Fœtus.*

§. III, Erat hæc ſpirituum origo. Jam de multiplicatione eorum paucis diſſerendum. Poſtquam nimirum teneræ embryonis partes ad debitam conſiſtentiam ſunt perductæ, ita ut aptæ natæ ſint muneribus ſuis jam adoriendis, cerebrum, artificioſum illud naturæ ſecerniculum, ſp. animalium multiplicationem ſtrenuè promovet, ſecernendo eosdem à ſp. vitalibus, ex ſanguine arterioſo, per continuam fermentationem elevatis. Sicut enim ex planta, absque additione Spir. Vin. nullum ſperare poſſumus ♁m, niſi prius fermentetur, ita pariter in ♁uum C. H. generatione fermentatio quædam præcedere debebat. Secretio vero eorundem peragitur in ipſius cerebri convexo, quod duplici quidem gaudet ſubſtantia, cineritia nimirum, quam corticem vocant & albicante, ſeu medullari. Priorem è copioſiſſimis glandulis minutulis, ovalis figuræ, inſtar mali Punici combinatam eſſe, obſervavit Oculatiſſimus *Malpighius* Epiſt. *de Cerebro* & Tr. *de Struct. Viſcerum cap.* 1. *p.* 78. *& ſeqq.* quarum diſtinctionem in cerebro moderate cocto nemo non obſervare poterit, modo affuſo atramento & goſſipio leviter deterſo intercepta ſpatiola denigrentur, ſic enim circumſcriptas glandulas facilius exhibent. Poſterior ſubſtantia, medullaris ſcilicet, fibroſa, ſtriata ac cannulata eſt, ex filamentis innumeris & fibrillis, à glandulis corticalibus oriundis certaque textura combinatis, conſtructa, quam fuſè perſequitur *Williſius* in *Anat. Cereb.* & Tr. *de Anima Brutorum.* Fibrillis hiſce, cum ſua ſubtilitate viſum facilè ſubterfugiant, majorem conſiſtentiam conciliari ipſisque oculis ſubjici poſſe, ſi in ♂o. artificioſè decoquantur, felici experimento tentavit *Franciſcus Bayle,* Gallus, Tr. *de Apoplexia*

cap.

cap. 10. *p.* 20. Viſa jam cerebri ſubſtantia, quæritur, in quanam ejus parte potiſſimum generentur ~. animales? forte in utraque? Non exiſtimavero, cum à diverſitate ſubſtantiæ ad diverſitatem uſuum merito concludere liceat. Quin potius corticem glanduloſum officinam ſp. animalium immediatam jure dixero. Spiritus nimirum vitales, ſub ſanguinis arterioſi vehiculo, per arterias carotides æquè ac vertebrales earumque ramuſculos capillares, in dictas cerebri glandulas hiantes, verſus τὸ ἐγκέφαλον delati, minimos glandularum porulos ſubeunt, eosdemque per ſubtiliſſimæ non minus, quam agilimæ cujusdam filtrationis modum penetrantes, tranſeunt in ipſam cerebri medullam, relictis particulis craſſioribus, cum ipſe ſanguis arterioſus, tam ob pororum mechanicam, quam oleoſam, plus minus viſcidam, cerebri ſubſtantiam, penitus excludatur, adeo quidem ut generatio ~. anim. fortè haud aliter fiat, ac quando in Chymicis per ſpongiam ℅ imbutam à Sulph. ſuo ſeparatur, & ut loquuntur, rectificatur S. V. puriſſimus, ~. noſtris maxime analogus. Conf. *Sylv. Diſp. Med. IV. §. xxix. p. m.* 20. Generati hac ratione ~. animales per ſtriatas cerebri fibrillas ſtatim intus ſcaturiunt, ſuisve luminoſis expanſionibus variisque excurſionibus, functiones proprias, ſenſus & motus, ſtrenue obire & adminiſtrare ſatagunt.

§. IV. Spiritus hi, analogicè ita dicti, naturæ ſummè volatilis, plus minus lucidæ, adeoque maximopere activæ, certa ſerie & connexione indicibili, cum ſp. vitalibus, in purpurea M.S. ſubſtantia diſcurrentibus, combinati, actuant, vivificant & ut loquuntur, informant machinam microcoſmicam hydraulico-pnevmaticam, numero, pondere & menſura à Summo & Omnipotenti omnium rerum Plaſte, tam mirabili proportione fabricatam, ut in ſtatu ſ. n. absque inſigni conamine omnes C.H. particulas, eo jam diſpoſitas, adeoque in propenſione ad motum, ut Carteſius egregiè ſæpe loquitur, conſtitutas, huc illuc movere, earumque ſitum, connexionem & figuram variè modificare valeant. Hinc nodum in ſcirpo mihi ſæpius quæſiſſe videtur Magni

gni alias Nominis H. S. Medicus, *J. D. Major*, Prof. P. Chilonienſis, cui *Diſp. publ. de Ærumnis Gigantum anno* 1676. habita, in quibuslibet actionibus, etiam ſ. n. ærumnas quasdam pati gigantes, i. e. ſpiritus, profiteri amat. Ut enim taceam hoc contra vim vocis Gigantis dici, quid quæſo aliud hoc eſſet, quàm continuam introducere ἀειπάθειαν, quid aliud, quam ſanitatem facere morboſam, σιδηρόξυλον medicum? Quin potius placide ſuas obeunt vices & actiones, membris & viſceribus ſingulis textura ſua naturali ſponte qs. ad easdem inclinantibus.

§. IX. Ratum itaque eſt, ſp. animales, machinam microcoſmicam impetu facto moventes, motus animalis eſſe cauſam proximam, formalem. Quo vero modo fibras motrices ipſosque muſculos variè dislocare ſoleant? & qualis illis, ab ipſis ſpiritibus, in motus animalis actu exercito, imprimatur modificatio, illud eſt, quod ſpeculationibus ulterioribus è profundo Democriti puteo hauriendum. Hoc quidem certum eſt, craſſius nonnihil & corpulentius evadere muſculorum ſyſtema, propiusque ad ſe invicem accedere eorum extrema; unde autem illa craſſities proveniat, non caret difficultate. Tria tamen, ut mihi quidem videntur, hoc ad negotium ἐπιβάλλον μέρος conferre ſolent: I. Ipſa fibrarum textura, quæ probabiliter talis eſt, ut aptæ natæ ſint aliquo modo ſeſe contrahendi & lumbrici, vel fidium extenſarum inſtar ſeſe corrugandi. Accedit II. Sp. animalium influxus, cum fibras ſubinflantes quaſi earum ἐνέργειαν magis adaugent. Dum verò fibræ hac ratione dislocantur, inſtertitiaque earum majus acquirunt ſpatium, ſanguis arterioſus III. qua data porta ruit & cùm ob muſculi dilatationem minorem inveniat reſiſtentiam, ſingulas ejusdem rimulas & interſtitia ſubintrat, hinc inſignis illa muſculi turgeſcentia. In hac poſitura, ut ita loquar, conſtituto muſculo, fibræ, tanquam totidem vectes & funiculi, ſuper ſanguinis interflui maſſam, trochlearum inſtar, varie ſeſe movere ſolent, hacque motitatio-

titatione tendines ſibi approximantes, membra iis affixa ſimul attrahunt & hac ipſa ratione motum animalem abſolvunt. Plusquam mechanicum ſc. hic vides motus animalis apparatum, adeo, ut Mathematici rotulas & trochleas ſuas, ponderibus elevandis alias deſtinatas, concinnuis coordinare & diſponere minimè valeant.

§. VI. Ordinarius hic fibrarum & muſculorum motus &ſi juxta ſuetas naturæ leges placidè & absque inſigni labore procedat, ubi tamen quacunque ratione irritatur & qs. in furorem agitur archeus, vel ſi mavis Sp. animales, non absque inſigni impetu partes motui animali deſtinatæ ſpaſmodicè potius convelluntur, quàm legitimè moventur: unde non raro horrendæ ſequuntur concuſſiones & convulſiones, quarum atrocia etiam tanta eſt, ut fulmine qs. tacti corruant ægri, miſerriméque torqueantur, adeò, ut *Williſius* in eas devenerit cogitationes ſp. animales, cum copula quadam elaſtica, ex particulis nitroſis, à ſanguine arterioſo communicatis, conſtante, inſtar pyrii pulveris incendi & explodi. Hinc & alii convulſionem fulmen microcoſmi appellare non dubitarunt: quæ tamen opinio, cum nitroſas ejusmodi particulas in ſanguine formaliter exiſtere nondum evictum fuerit, ulteriori fortè indigebit demonſtratione. Hoc interim certum eſt, ſp. anim. irritatos plus minus incandeſcere & p. n. illas producere convulſiones. Cauſas illos variè irritantes conſiderabimus in ſeq.

SECT.

SECT. III.

DE CAUSIS CONVULSIONUM OCCASIONALIBUS & REMOTIORIBUS.

§. I.

Apum inſtar ſeſe habent Spiritus animales, quæ libertate ſolita gaudentes, nec in excurſionibus œconomicis impeditæ, placidè ſuum, in colligendo melle, hominum nectare, munus obire ſolent: ubi verò petulanter easdem laceſſiveris, ira percitæ ſtatim ſui quærunt vindictam, neque remittunt ſæpe, donec injurias ſibi illatas fortiter retorſerint, parque pari retulerint. Simili planè ratione ∽. animales ſibi relicti œconomiam animalem optimè & quietè moderantur; ſicubi verò eosdem crabronum inſtar irritaveris, impetu facto in ſui ultionem devolvuntur, variosque dolores, imò convulſiones exinde producere ſolent.

§. II. Cauſæ archeum irritantes, ejusve furori occaſionem ſuggerentes, occaſionales hinc *Helmontio* dictæ, plurimùm variare ſolent. Prout enim ∽. animales vel immediatè, vel mediante fomite quodam & apparatu morboſo, hinc inde in variis membris nidulante, afficiuntur, variè quoque convulſionum cauſæ diſpeſci ſolent. Nobis, cùm ſæpiſſimè vel à violentia externa, vel ſuccis recrementoſis, in C. H. generatis, producantur, placet diviſio cauſarum in externas & internas.

§. III. Externæ tantùm non inenumerabiles ſunt, prout multiplex eſt fortunæ volubilitas: Vel enim ab ictu vehementiori, à caſu ab alto, nervoſarum partium vulnere, contuſionibus, vel aliis quibuscunque violentiis, convulſiones oriuntur, quas fuſè enumerant autores, qui caſus à ſe obſervatos magno

cum

cum commodo eorum, qui ad praxin jam aſpirant, conſignatos reliquerunt. Ad hanc claſſem refero quoque convulſiones à terrore, ira aliisque gravioribus animi pathematibus productas; quarum frequentiſſimæ ſunt illæ, quæ à terrore incutiuntur, pueris cumprimis, in quibus certè, quid valeant terrores ejusmodi, triſtis experientia teſtatur. Peſſimè profectò puerorum ſanitati conſulunt ancillæ noſtrates, quibus infantum cura à ditioribus committitur, quando ſuis ſubinde ſubligaculis faciem oblarvantes & neſcio quæ ſpectra Diabolica mentientes, ſubitaneo eosdem ſuffundunt terrore, vel crebro de terriculamentis & μορμολυκείοις (von den Butzen-Männern) iisdem loquuntur. Ut enim taceam vanos hoſce terrores & ex pelvi fulgura in animis puerorum firmas agere radices, quo inani quodam timore lactati quaſi nimis poſtmodum meticuloſi & puſillanimes reddantur, compertum ſanè præterea eſt, crebras convulſiones epilepticas vel primo ſtatim momento, vel in ſomno, cum eadem ruminare ſolent, ortum exinde traxiſſe, adeo quidem, ut integro vitæ curriculo terroris hujus incommoda, magno ſuo damno, luere cogantur innocentes puelli; conf. *Binningerus Cent*. I. *obſ*. I. *p*. I.

§. IV. Cur autem convulſiones ab extra illatæ, remota omni omnino cauſa proxima materiali, perdurent nihilominus, & eos, qui ſemel iſtas perpeſſi ſunt, longo ſæpe tempore, quin & toto vitæ decurſu paroxyſmatim torquère ſoleant? de eo altum inter authores eſt ſilentium. Affectus enim iſti fortè non ſemper præſupponunt cauſam aliquam materialem, ſed ſublata eadem remanet nihilominus diſpoſitio quædam & habitus qs. convulſivus in ſyſtemate nervoſo: Id vero, qua ratione contingat, obſcurum utique eſt, cùm hactenus nos lateat certa ∽uum indoles & natura. Probabile mihi videtur ſeriei ſpirit. animalium quandam imprimi ideam & characterem ſpasmoidem, qui ∽. animales ad tales motûs anomalias & eccentricitates inclinet ſub-

inde & neceſſitet. In quonam autem hujus ideæ conſiſtat formale, quærat mens ſciendi cupida? Equidem plurimorum φαινομένων rationes hactenus in hanc vel illam ideam fuere rejectæ; ubi verò quid ideæ hujusmodi ſint, determinare debemus, hic opus, hic labor eſt. Qui per imaginem quandam in ~uum lumine depictam exprimere ſatagunt, mihi quidem ſatisfacere non potuerunt. Cùm enim ſp. animales propria, eaque non exigua, luce radient, vereor ne lumen eorum, tanquam majus, picturam ejusmodi minorem obliteret & extinguat. Cæterum, cùm plurimæ actiones, ut in tota rerum natura, ita pariter in machina microcoſmica occurrentes, potiſſimum vero functiones ſp. animalium, in motu quodam, pro diverſitate actionum diverſo, conſiſtant, & ſenſus tam externi, quàm interni, à ſp. animalium motu magnam partem proficiſcantur, probabile videtur ideas ejusmodi peculiari ſpirituum undulatione & motu vim ſuam exſerere, in quo naturam earum conſiſtere exiſtimat inde Dn. *Croonius* apud Williſium *de motu muſculari*. Ita enim pag. 13: Illæ ideæ ſunt tot diverſi motus, (ut maxime probabile) in diverſis totidem cerebri particulis conſervati. Interim cùm plerumque ad tempus remittant & longo temporis intervallo intercedente revertantur paroxyſmi epileptici, non exiſtimarem eas in motu actuali continuo conſiſtere; nulla enim apparet cauſa, cur & convulſio non ſit continua: quin placeret potius diſtinctio Nob. *Carteſii*, inter motum ipſum & propenſionem ad motum, ſeu uti *Princip. Philoſ.* *§. LXIII.* exprimit, preſſionem ſeu primam præparationem ad motum, etſi forte eam motus non ſequatur.

§. V. In hac E. propenſione ad motum, ſeu, ut Ariſtotelicis loquar verbis, motu potentiali ſpirituum animalium, potiſſimum ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ cohabitantium, idearum rationem formalem conſiſtere ut ſtatuam, nullus dubito: quam inclinationem

ſeu

ſeu propenſionem haud incommodè per flammiformem quandam ∾. anim. plicam exprimerem, modò vox hæc in Foro Philoſophico jam recepta foret. Interim, cum omnino ſecundum ſæpius laudatum *Ren. des Cartes Part. III. Princ. Phil.* §. *LIII. p. m.* 69. nomina rebus, non propter ipſas, ſed tantùm ad noſtras de iis cogitationes explicandas imponere ſoleamus: Nemo mihi vitio vertet, ſi quando impoſterum hanc ſp. animalium plicam fuſius explicavero. Hæc E. plica, in ſerie ∾uum eorundemque textura radicata, tamdiu latere ſolet, donec commoda data occaſione ſeſe explicare & in nóvum paroxyſmum, (è potentia in actum deducta,) erumpere cogat archeum. Hinc novus tragœdiæ actus. In ſimili ∾uum plica (id quod in tranſitu delibare liceat) i. e. idea cauſam latere exiſtimo, cur ad unum hominem amandum, citra manifeſtam cauſam, magis, quam ad alium feramur? prout Poetæ verſus ſonant:

Non amo te Voluſi, nec poſſum dicere quare,
Dicere ſed poſſum, non amo te Voluſi.

Hujus rei duas animadvertebat rationes *Carteſius Part. I. Epiſt. XXXVI. pag.* 83. unam in animo, alteram in corpore, peculiari ſc. cerebri plica, certaque fibrillarum textura, in quarum plicatione, a ſpirituum ex glandula pineali reſilitione formata, memoriam quoque radicatam exiſtimat *Le Grand. Part.* 8. *Inſt. Phil. art. XXIII.* Verum enim verò, cùm cerebri maſſa ad ejusmodi complicationem, (forte absque inſigni conamine non facilè poſſibilem,) minus ſit diſpoſita, ſufficiat nobis plica ſpirituum, ad eandem ſuſcipiendam magis habilium, in qua quidem idearum naturam probabiliter conſiſtere, ſalvis aliorum hypotheſibus, in præſens ſtatuere minus vereor.

§. VI. Hactenus de cauſis fortuitis externis convulſionum. Præter verò eas varia inſuper in ipſamet corporis œconomia

mia generantur recrementa morboſa, quæ morſicando, rodendo, pungendo, ſcindendo partes nervoſas, archéum in furorem agere, frequentesque convulſiones producere aſſolent. Suntque vel animata vel inanimata. Per animata vermes multiplices & lumbricos intelligo, quos in pueris hanc tantum non ſemper ludere tragœdiam, experientia quotidiana loquitur. Aſt præter lumbricos res pariter inanimatæ, calculus v. g. tam renalis, quam veſicalis & ſ. p. frequentes etiam inferre ſolent convulſiones, quemadmodum Practicorum teſtantur caſus & obſervationes.

§. VII. Frequenriſſimè verò ex cauſis internis peccare ſolet acidum p. n. plus minus acre, corroſivum, quod vel in primis viis ſtabulando, vel in reliquas machinæ microcoſmicæ partes penetrando & fibris nerveis muſculorumque ſuperficiei ſeſe affricando miſerè eosdem arrodere, ſpirituumque ordinem in varias motuum anomalias præcipitare valet. Probant id plurima φαινόμενα convulſiones tam antecedentia, quàm concomitantia: Probant juvantia & nocentia, cum pleraque antepileptica de alcalium ſint proſapia, ſive ſint volatilia, ut ⊖. vol. cranii humani, ⊖. vol. C. C. ſuccini & alia: Sive fixa, ut ☿alia, cinnabarina, & quæ ſunt alia hujus farinæ ſpecifica. Nocent è contra acida, ſalſo muriatica &c. Probant & alia brevitatis ſtudio non memoranda. Hinc eſt, cur hypochondriaci & ſcorbutici (in quibus notoriè peccat acidum) tam crebris ſint obnoxii convulſionibus. Hinc eſt, quod Podagrici tam frequentibus vexentur ſpasmis. Hinc eſt, quod pueri tot infeſtentur convulſionibus & epilepſiis, utpote qui plerumque ex nimia addiphagia acidum plus minus viſcoſum in ſinu alere & fovere ſolent.

§. VIII. Acor talis epilepticus generatur utplurimùm vitio digeſtionis primæ: Et quamvis fermentum ſtomachicum ſua natura blandam ſapiat aciditatem, ubi tamen p. n. augetur & extra

tra ſtomachi concavitatem circumvagatur, proh! quantas non in omnibus fermè partibus excitat turbas! cum omne acidum extra ſtomachum nervis ſit inimiciſſimum. Inde enim in inteſtinis tormina, in dentibus odontalgiam, in artubus arthritidem, podagram &c. acidum illud ſylveſtre producere ſolet.

§. IX. Duplicis autem ſolet eſſe naturæ: vel enim fixum magis partibus fibroſis tenaciter adhærens, vellicando rodendove archeo moleſtum, quod tanta non raro gaudet corroſivitate, ut & poſt obitum in ipſa adhuc furiat oſſa, id quod meis oculis obſervavi. Vel volatilius nonnihil in vaſa, tam ſanguifera quam nervoſa penetrans, ipſisque ⁓. animalibus immediate copulatum, violentas quaſi exploſiones excitat, quod *Williſius* copulam elaſticam appellat; quæ hypotheſis, ſi cum grano ⊖is accipiatur, fortè non planè de nihilo erit: *Sylvius* verò eleganter per ⁓. acidum volatilem id explicat in *Prax. Lib. II. cap. XX.* §. *LXXXIX. p.* 425. noviſſimæ edit. Belgicæ.

§. X. Acidum hoc vel in prima, vel privata cujuslibet partis digeſtione generatum, repetitis paroxyſmorum reciprocationibus ſucceſſivè adaugeſcit porro & coacervatur, adeò, ut niſi principio hujus mali obſtiteris, multos ſæpe duret in annos. Dum enim partes C. H. tam gravibus contunduntur convulſionibus, plorant ſubinde nutrimentum ſuum proprium, quod poris eorum elapſum, varie degenerat, aceſcit, fibrisque ſe affricando morbum contumaciorem reddit. Neque id etiam de nervis aſſerere dubito, qui, ubi ſuccum proprium nutricium, (præter quem alium forte ignorant) crebris ſpaſmis ſibi emungi patiantur, ſuum quoque ſymbolum huc afferre poterunt. Tantum enim abeſt, ut nervi, ordinario naturæ curſu, ſuccum quendam nutricium aliis partibus diſpenſent, prout Anglorum fert opinio, ut potius ſummè nocivum exiſtimem, ſi nervi ſuccum ſuum nutricium in easdem effundant. An & ſp. animales extravaſati coagulari & aceſcere poſſint, certò quidem determinare non audeo, quamvis coagulatio

corum

eorum forte adeò impoſſibilis non ſit. Etſi enim in ſtatu ſ. n. ſint ſummè alcooliſati, in his tamen ſubjectis fixiores nonnihil & ▽ſiores eſſe poſſunt; ſicut enim ignis craſſior & vel ſubtilior igne, ita pariter ~us ~ibus puriores eſſe poſſunt: Conf. *Wirdigius* in *Med. Spirit. lib. II. c.* 1. §. 4. *pag.* 6.

§. XI. Ex rebus non naturalibus acidum illud fovere poterunt omnia acida fixa, auſtera, pontica, acetum, fructus acidi, ⊖ commune, carnes & olera muria condita, mellita nimis & ſaccharata, acido occulto impregnata: Potus acidus, vina pendula: Aer nubiloſus, ſomnus nimius & ſexcenta alia, politioris literaturæ Philiatro minus incognita.

SECT. IV.
DE
CONVULSIONUM DIFFERENTIIS.

§. I.

Varia ſunt in Foro torturarum genera, majora, medioxuma, minima. Quodſi enim homunciones maleferiati facinora à ſe perpetrata obſtinatè inficias eant, juxta prov: ſi feciſti nega, multiplicibus remediis veritatem in faucibus hærentem Judices elicere ſolent. Vel enim ferreis quibusdam paronychiis, (cochleas pollicales vocant) digitos adornantes, unà cum ſanguine purpuream veritatem eliciunt & emungunt: Vel aliis inſignioribus tormentorum generibus eandem expiſcari norunt. Pari omnino ratione in Republica Microcoſmica tantùm non indefinita torturarum genera, prioribus proportione reſpondentia, reperire fas eſt. Quid enim convulſiones aliud ſunt, quàm inevitabiles generis humanæ torturæ? inevitabiles dico, cùm fortè nullus inter mortales

les torturis hiſce ſit exemtus. Quis enim erit, qui non huic vel illi obnoxius fuerit dolori? De natura autem doloris eſt ipſa convulſio, cùm ejus eſſentia vix absque ſpaſmo explicari poſſit. Hinc fortè adeò paradoxus minimè forem, ſi ſtatuerem, nullum omninò reperiri morbum, qui non de convulſione plus minus participet, imò neminem ſine hujusmodi mori tortura: Ita nempe quilibet mortalium proprium ſibi in ſinu fovet carnificem.

§. II. Prout E. vel tota corporis machina, vel plures aut peculiares ejusdem articuli torturæ huic ſubjiciuntur, convulſiones cum *Sylvio pag.* 442. *Praxeos Edit. nov.* diſtinguo in univerſales, ſemuniverſales & particulares, quarum ſingulæ vel tonicæ ſunt, vel atonicæ. Univerſales atonicas conſtituunt variæ epilepſiarum ſpecies. Univerſalis tonica vocari ſolet tetanus. Semuniverſales ſunt emproſthotonus & opiſthotonus; quibus jure forte quispiam catalepſin & incubum annumeraret. Particulares vero innumerabiles ferè ſunt; de ſingulis quædam ſeorſim.

§. III. Epilepſia quid ſit, nemo forte ignorabit. Vulgus noſtras à magnitudine eandem vocat die groſſe Kranckheit, die ſchwere Noth, das böſe Werck, imo per excellentiam die Kränck. Hodie vero apud ditiores & lautioris fortunæ homines non amplius epilepſia audit, ſed civiliter admodum animi appellitant deliquium, Es ſind Ohnmachten, ſcilicet! ita pudet nos adhuc noſtræ miſeriæ, quaſi vero ignominioſum eſſet, ditiores etiam corripi convulſionibus. Quàm miſerabilis ſit affectus, primo ſtatim intuitu apparet, dum miſerrimi homines omni fermè ſenſuum exercitio privati, deſubito in terram præcipitantur, ut humi bos, membra torquentur, contunduntur, & quis ejusmodi tragœdiam ſufficientibus deſcribet verbis? Neque enim una admirabilis hujus mali indoles eſt & natura, ſed præter ſpeciem ejus communiorem, ſtupenda quaudoque concurrere ſolent φαινόμενα. Sic *Bootius*

Tr.

Tr. *Affect. omiſſ. cap. VI.* obſervat epilepſiam curſoriam, ſicut ſimile novi exemplum de fabro ferrario quodam in vicinia, qui paroxyſmo correptus inſani inſtar decurrere coactus eſt, adeo quidem, ut de officina tandem præcipitatus vitam miſere finierit. Pariter obſervavi epilepſiam rotatoriam, ut ita dicam, in uxore cujusdam Paſtoris, quæ primo paroxyſmi inſultu turbinis inſtar in gyrum agitata, cum murmure quodam inarticulato & ſpuma circa labia hærente, paulò poſt humi proſtrata fuit, donec ſenſim ſenſimque ad ſe redierit: Taceo alias epilepſiarum ſpecies, cùm in praxi rarius occurrere ſoleant.

§. IV. Tetanus convulſio eſt perpetua totius corporis, quod cautis inſtar Marpeſiæ rigidum in neutram ſe inclinare valet partem, cum ſimultanea vice omnes muſculi antagoniſtæ, potiſſimum vero capitis, anteriores æquè ac poſteriores, verſus principium ſuum ſeſe contrahant: hinc ad nullum poteſt converti latus, ſed immobile penitus & intractabile permanere ſolet. Alias in leviore ejusdem ſpecie caput modo annuit, modo renuit, non tamen abſque inſigni ægrorum dolore vel tortura.

§. V. Catalepſin verò morbis convulſivis à me accenſeri, mirum fortè videbitur & paradoxum, cùm unanimi Medicorum, quotquot hactenus legere contigit, conſenſu ad ſoporoſos communiter referatur affectus, adeoque ad ſymptomata, uti loqui amant, actionis imminutæ: ubi tamen in Ilas itur ſectas, acriter (*) inter ſe diſceptantes. Prima eſt Galenica, quæ ſp. animalium quandam congelationem, ſi non propriè, ſaltem analogicè talem, &

(*) Hæc controverſia tum temporis intet B. *Waldſchmidium*, Prof. Marburgenſem, & B. *Strauſſium*, Prof. Giſſenſem, vigebat quorum hic Galenicam, ille verò Carteſianam hypotheſin ad ravim usque defendebant, adeò quidem, ut res tandem ad ſcripta Satyrica, à Sereniſſimis Principibus interdicenda, devenerit.

& hinc introductam motus eorum ſufflammationem accuſare ſolet: Altera vero Carteſiana, quæ cauſam pariter in imminuto ſp. animalium motu, ob impeditam animæ rationalis determinationem, juxta præconceptas ſuas hypotheſes, explicare & quærere ſatagit, & hæc priorem de congelatione ſpirituum ſententiam, tanquam impoſſibilem penitus, falſè ridet & explodit. Vid. *D. Cranius de Natura Hominis*. It. *Diſp. de Catalepſi.*

§. VII. Totum negotium, ubi accuratius nonnihil penſitaverimus, neutra forte ſententia usquequaque locum habere poterit. Neque enim in ſp. animalium immobilitate, ſed motu potius inſigniter aucto conſiſtere morbi hujus cauſam, facilè patet ex ejusdem Natura. Hinc non tam ad ſoporoſos, quàm potius convulſivos affectus catalepſin referri optimo jure poſſe, exiſtimo: Ut paucis me abſolvam, putarem cauſam proximam formalem catalepſeos conſiſtere in aucto ~uum animalium motu, inſigniter tamen inſimul depravato, adeo quidem, ut in utrumque muſculum antagoniſtam ſimultanea vice excurrant, hincque contumacem illam membrorum rigiditatem producant. Hanc ſententiam probare videntur 1. Antecedentia, cùm non rarò à nimio deſiderio, iracundia, amore aliisque gravioribus animi pathematibus oriri ſoleat, in quibus affectibus ~uum motus neutiquam imminuitur, ſed maximè potius adaugetur & intenditur. 2. Concomitantia ſeu ſymptomata. Unde enim inſignis illa membrorum rigiditas, niſi ab aucto Sp. animalium influxu? 3. Demum confirmant quoque juvantia & nocentia: Tota enim eò dirigenda curatio eſt, ut impetuoſus ille Spirituum motus compeſcatur, archei iracundia placidè demulceatur, adeoque in ordinem redigatur confuſa Spirituum ſeries. Ita pariter remedia utplurimùm in hoc morbi genere proficua, ſunt antiſpasmodica, ut exinde facile appareat, mirabile hoc morborum ſchema convulſivis morbis jure meritò accenſeri poſſe; Q. E. D. Idem pariter de *Incubo* dicendum.

§. VII. Emproſthotonus & opiſthotonus affectus ſunt quodammodò contrarii: In illo enim corporis truncus, magis tamen caput, anteriora verſus convellitur, mentumque pectori arctiſſimè affigitur, id quod à violenta muſcul. maſtoid. conductione oriri videtur. Hinc pecorum inſtar proni ſedere, vel incedere coguntur ipſi ægri. Forte hoc morbi genere mulier illa, cujus mentio fit *Lucæ* 13. à Satana, infenſiſſimo humani nominis hoſte, tentata & afflicta fuit. Opiſthotonus verò conductio eſt muſculorum occipitis, qua caput dorſum verſus reſupinatur & reclinatur. Sed rarò occurrunt hæc convulſionum genera, ad frequentiores E. earum ſpecies tranſitum faciamus, oportet.

§. VIII. Hactenus de convulſionibus univerſalioribus. Præter verò easdem communiores ſunt in ipſa praxi particulares quædam, ob varietatem earum fermè innumerabiles. Huc enim omnes dolores, arthritis, podagra, odontalgia & ſp. referri poſſent, ſi latius nonnihil divagari velim, cùm impoſſibile ſit, quendam mente concipere dolorem absque ſpaſmo. Interim ne & in hoc paſſu paradoxologiam commiſiſſe videar, ſpasmos vulgò & communiter ita dictos hîc ſaltem attingam, inter quos agmen meritò ducit ſpaſmus cynicus, eique adjunctum φαινόμενον riſus Sardonius. Sequitur hunc Priapiſmus ſeu Satyriaſis, Venereæ petulantiæ ſchema & argumentum. Tandem denique concludant varii articulorum, digitorum cumprimis, ſpaſmi convulſivi, quos vulgus den Krampff nominare ſolet. Et hæc ſunt convulſionum genera, tam univerſalia, quàm particularia in Foro Medico hactenus potiſſimum graſſantia.

§. IX. Dividuntur porro convulſiones in externas & internas. In illis membra exteriora magis convelluntur, caput, brachia, pedes &c. In his verò viſcera partesque membranoſæ, in tribus C. H. regionibus utplurimùm torqueri & miſerabilirer ſubinde cruciari ſolent; quò pertinere videtur palpitatio cordis, quæ revera ejus eſt convulſio. Speciatim verò in abdominis concavitate

vitate frequentiſſimè dominantur convulſiones internæ, in torminibus variis, Colicis & aliis, in quibus non inteſtina tantùm, ſed & annexum iis menſenterium doloroſè ſubinde convelluntur. Convulſionibus hiſce internis quàm maximè ſubjecti ſunt infantes, quas mulierculæ noſtræ non incongruè vocant: die ſchwere Noht im Leibe, quæ cùm plerùmque tandem in veram deſinant epilepſiam, erumpere iis dicuntur: die innerliche Noht bricht aus: unde

§. X. Tandem 3. obſervanda quoque diſtinctio convulſionum per eſſentiam & per conſenſum enatarum. Convulſio per eſſentiã alias dicitur Veteribus, quando cauſa morbifica ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ latitat, quæ chronicum utplurimum & diuturnum malum eſſe ſolet, cum perpetua capitis gravitate, ſtupiditate & deſperata non rarò melancholica conjunctnm. Per conſenſum verò oriri dicitur, quando ex partibus inferioribus ſpaſmi primùm inchoati ad cerebrum usque continuo tractu derivantur, ubi ~. animales poſtmodum in plenariam confuſionem aguntur. Hæc quidem proh dolor! in praxi ſatis frequens eſt & pueris imprimis ſæpiſſimè ſtruit inſidias, ob tenellam ſc. nervorum texturam; hinc non ſine ratione in omnibus ferè eorum ægritudinibus matres timidiuſculæ verentur, ne epilepſia tandem, der böſe Mangel, ut loquuntur, ſuperveniat. Alias tantùm non ſemper ex primis viis oriri ſolet, ob inſignem ventriculi inteſtinorumque cum reliquo nervorum ſyſtemate conſenſum. Teſtantur id ſuo damno hypochondriaci, ſcorbutici & alii morbis chronicis obnoxii. In ſexu verò ſequiori morbis uterinis non rarò conjungitur, in ſuppreſſione debiti lunaris, ut *Helmontius* eleganter menſtrua deſcribit, ob fermentum uteri minus volatile, vel nimia exſiccatione exhauſtum, wenn ſie über den Feuer-Töpffen ſitzen, vel ubi ſtructura uteri materialis non ritè ſeſe non habet. Hinc quoque parturientium dolores, ſpaſmi uterini inevitabiles, non rarò in horrendas deſinunt convulſiones & epilepſias, quæ ſi radices egerint in ſyſtemate ner-

voſo, plicamque quandam & habitum convulſivum induxerint Sp. animalibus, ad ultimum non raro vitæ terminum perdurare ſolent. Oriuntur etiam convulſiones per aliarum partium conſenſum, de quibus, ſi placuerit, conſulatur *Sennertus* in *Med. Pract. de Epilepſia.*

§. XI. Conſenſus hujus ratio & natura radicata videtur magnam partem in materiali nervorum fibrarumque textura, quæ ita ſeſe habet, ut, ſi in unico puncto tangas eosdem, inſtar fidium vel chordarum diſtenſarum, per totum ſui tractum criſpentur, motumque inibi impreſſum ad principium usque nervorum continuent; quo facto deſubito omnis Spirituum ordo vel ſyſtaſis loco movetur & plus minus confunditur, hinc illæ lachrymæ! Ubicunque nimirum acor ille epilepticus partes nervoſas vellicaverit, inibi ſenſim inchoatur nervorum criſpatio, levis primò & vix perceptibilis: ubi verò porrò porróque continuata augetur, adeo quidem, ut criſpatura hæc in principium & originem nervorum usque pertingat, ipſosque ſp. animales, illic excubias agentes, turbaverit, tum demum ira perciti agmine facto in ſui vindictam reſolvuntur & violenter qs. exploduntur, hinc horrendæ membrorum convulſiones. Hanc conſenſus rationem & ſucceſſivam fibrarum criſpaturam vel ipſi ægri ſentire ſibi videntur, qui neſcio quos fumos & vapores ex partibus inferioribus ad caput aſcendere perſentiſcunt, ad id fortè perſuaſi à vaporoſis Galenicorum quorundam dogmatibus, qui ſanè, cùm artificioſa nervorum textura iis adeo quidem perſpicuè cognita non fuerit, ac modernis NCtis, φαινόμενα hæc non aliter explicare & expedire potuere, quàm per fumoſas quasdam exhalationes: ſed meri nervorum ſpaſmi ſunt, iique in principio leviores, ut ſub vermiculationis ſenſu ſeſe manifeſtent. Patet hinc cur hypochondriaci & hyſtericæ ſæpe ſibi conſulant ſtricta lumborum ligatura, non, quaſi fumi talis aſcenſum impediant, ſed quòd inchoantem nervorum criſpaturam nonnihil ſufflaminent.

§. XII.

§. XII. Sunt inſuper plures convulſionum diviſiones, v. g. in habitualem vel chronicam & accidentalem &c. verùm cùm hæc talia vel ex ipſis innoteſcant terminis, peculiari etiam careant difficultate, brevitatis ſtudio meritò tranſeo & ad alia ſcitu magis neceſſaria citato curſu contendo. Sit itaque

SECT. V.

DE SIGNIS CONVULSIONUM tam DIAGNOSTICIS, quàm PROGNOSTICIS.

§. I.

Duo ſunt veri & genuini Medici officia, à pſeudo-Medicis eum diſcriminantia: Morbos ſc. accuratè, clarè & diſtinctè cognoſcere, eosdemque cito, tuto & jucunde percurare. Utrumque quàm difficile, quàm res periculi plena ſit, nemo forte Medicorum ignorare poterit. Non enim circa ligna vel ſilices operatio Medici verſatur, ſed de corio humano luditur, juxta *Galenum, Comment. in Aphor. Hippocr. Sect. I. aphor.* 1. Hinc ut eò tutius procedat Medicus conſcientioſus, non immeritò omnia probè ſupputare tenetur; Ac ne tandem illud de nobis dicatur, quod *Job.* 13. §. 4. legitur: Ihr deutet es fälſchlich, und ſeyd alle unnütze Aertzte, hinc nemo nobis vitio vertet, ſi ad ipſam curandi methodum felicius inſtituendam, ſigna quædam, tam diagnoſtica, quàm prognoſtica, in ſubſidium vocemus, de quibus jam pauca addenda.

§. II. Signa convulſionum ſunt triplicia, imminentium, præſentium & remittentium. Iſta conſtituunt φαινόμενα, ceu præludia tragœdiam illam antecedentia: Capitis nimirum gravi-

tas, ἀγρυπνία, oculorum ſcintillationes & coruſcationes, conf. *Bartholinus Cent. III. Hiſt. Anno* 45. Porrò aurium tinnitus, turbata terrificaque inſomnia, quæ, ſi unquam, hic ſanè accuratè ſunt obſervanda, ut de paroxyſmi acceſſione certiores fieri eundemque nonnihil mitigare poſſimus; ſomniant plerumque luculentos ignes, fulmina, tonitrua &c. Novi exemplum cujusdam Amici, qui præcedentibus noctibus ante mali invaſionem plerumque fulgura quædam & igniformes coruſcationes ſomniare ſolebat. Hæc enim inſomnia, ut & reliqua enumerata ſymptomata, innuunt jam confuſum plus minus ~uum animalium motum, qui cum ſua natura ſint quodammodo lucidi, dum hac ratione ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ absque ordine variè diſcurrunt, non poteſt non evenire, quin radii eorum luminoſi ſe quandoque in uno puncto multipliciter interſecent & concentrentur qs. prout in ſpeculo concavo fieri ſolet & hinc ignes ejusmodi, tanquam chaſmata totidem microcoſmica phantaſiæ repræſentantur, quæ minimè otioſa, eadem magis magisque adauget & ex muſca, quod dicitur, elephantem facere ſolet, unde terrifica illa φαινόμενα, convulſiones præcedentia, generantur. Cùm vero jam propius imminet ipſa Morbona, accedit indicibilis quædam animi iracundia, hinc torvum vident, ſehen ſcheel aus, citra manifeſtam cauſam: Supervenit auctus cordis motus, pectoris anguſtia, cibi faſtidium &c. quæ omnia infallibiliter acceſſuras eſſe convulſiones jam teſtari poſſunt. In pueris non raro præcedunt crebri pavores in ſomno, formidines, membrorum tremores, quibus ſi juncti fuerint extremorum ſpaſmi, vel tendinum ſubſultus, wenn ſie zücken, parvo temporis momento ſuccedet epilepſia. His igitur apparentibus ſignis, extemplo propinari debent generoſiora quædam antepileptica, is etenim

Turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes.

§. III. Præſentes vero jam convulſiones, ut ſorices, ſemet ipſas utplurimum prodere ſolent, maximè vero tonicæ, quarum ſigna

ſigna jam in earum differentiis magnam partem recenſuimus. Internas arguunt murmura & borborygmi abdominis, ab inteſtinorum annexorumve viſcerum contorſione nati, hinc & ſæpiſſimè, præcipuè in pueris, umbilicus interiora verſus retrahitur, ut profunda in ejusdem regione formetur fovea. Non raro etiam abdomen tympani inſtar diſtenditur & elevatur, adeo quidem, ut tactui fortiter reſiſtat, unde durius mulierculis dicitur: das Leibgen iſt gantz hart. Ex hac abdominis tenſione convulſiones indicibiles ejusdem ſequuntur dolores, quibus tandem in adultis, hypochondriacis & hyſtericis, ſuccedit nonnunquam difficultas reſpirandi, quin & periculoſus ſuffocationis ſenſus, quaſi laqueo quis colla ſtrangularet; hinc enim querula & ſemianimi voce ingeminant: Es will mir den Hals zuziehen: quæ ſymptomata ex conſenſu plexus meſenterici magni cum nervis intercoſtalibus eorumque ramificationibus oriri ſolent. Vid. *Williſius in Nerv. deſcript. & uſu Tab. IX. & XI.*

§. IV. Externæ vero convulſiones & epilepſiæ oppido ſe manifeſtant violentis membrorum jactationibus, concuſſionibus, aliisque motibus p. n. Non raro tota C. H. machina quaſi fulmine deſuper tacta, in terram, ſubito proſternitur, cùm omnes ferme corporis muſculi, qui alias erectum illud & in æquilibrio conſervare debebant, actionum ſuarum obliviſcantur qs. adeoque neque pes, neque manus, ut habet *Comicus*, ſuum amplius faciant officium. Concurrit præterea ſenſuum internorum atque externorum, ſi non commoda ceſſatio, inſignis tamen perturbatio. Sp. enim animales in ipſa cerebri concameratione confuſo agmine diſcurrunt: quin imo, ſi hariolari fas eſt, forte plane ſuas, in cerebri anfractibus obeundas, ſtationes deſerentes, turbatio p. n. ordine confertim per nervos elabuntur, ut ipſius cerebri, ſpiritibus jam orbati, poruli concidant, fibrillæque alias modicè tenſæ, flacceſcant, ut non mirum ſit ſenſuum exercitium ad tempus ſufflaminari, usquedum priſtina quærant domicilia. Dum itaque hac

ratione

ratione reſupinati torquentur, nulla fermè C. H. pars eſt, quæ non & ſuos inſimul patiatur manes. Hinc enim oculos varie contorquent, verwenden die Augen: ſpuma circa labia elevatur, cùm ⊖iva à violenta tum linguæ, tum annexorum muſculorum convulſione, juſto copioſius emungatur & ab aëre intermiſto in ſapiformem ejusmodi maſſam coaguletur. Quin & plura obſervari poſſunt ſymptomata, v. g. ſtertor, clamor, involuntaria & fœda excrementorum, urinæ, imò & ſeminis excretio &c. Quæ omnia maximam illam in C. H. Republica exortam rebellionem facile oſtendunt.

§. V. Hujus tragœdiæ ſcena tamdiu luditur, donec ~. impetum facientes, vindictæ pleni, receptui canant, priſtinaque occupaturi habitacula, ad placidam ſe componant quietem. Hinc æger ſenſim ſibi reſtituitur, omnia in capite ſereniora nonnihil redduntur, ſenſus interni pariter ac externi aliquo modo ſeſe rurſus exſerunt, redit loquela hactenus ſufflaminata, paucis multa: Omnes actiones tam vitales, quam animales ſolito vigori reſtituuntur. Liberati hac ratione motibus & torturis epilepticis ſentiunt quidem male ſecum actum fuiſſe, eorum tamen, quæ ſub paroxyſmo agebantur, neutiquam reminiſcuntur, cùm ob ſummam Spirituum confuſionem φαινόμενα talia memoriæ nec offerantur, nec repræſententur, hinc ab eadem neque ruminari neque menti denuo explicari poſſe mirum eſſe minime debet.

§. VI. Cognita jam convulſionum idea, determinandum tandem, quisnam ſub mala iſthac herba latitet anguis? quò perterrefactæ plebeculæ, prædictionibus avidiſſimè inhianti, quadantenus ſatisfacere poſſimus. De tribus autem utplurimum ratio reddenda Medico eſt: I. De morbi eventu, an ſit curabilis, an incurabilis, an ad ſalutem, an verò ad mortem & Charontis cymbam deproperet? Statim enim quærunt: Was dünckt den Herrn Doctor, kan er es wohl ausziehen, ſolte er wohl davonkommen? Hæc inſtar Examinis Rigoroſi ſe habent, ubi ſi quis judicium ſuſpen-

ſuſpendat & certi quidpiam determinare recuſet, proh! actum eſt de ejus eruditione. II. De duratione morbi plerumque inquirunt, præcipuè vero avari; timent enim, ne diuturno medicamentorum uſu crumenam ipſis emungant Pharmacopœi. Tandem III. Eventus ratio accurate perſcrutanda, an una vice per criſin, an verò pedetentim, per λύσιν, remiſſurus ſit ipſe morbus, quod imprimis in moderanda methodo medendi ſuo non caret uſu.

§. VII. Quoad I. Particulares convulſiones & articulorum ſpaſmi nullum poſt ſe trahunt periculum. Univerſales vero & omnis generis epilepſiæ periculoſi utique ſunt affectus. Quamvis enim in ſe lethales ſemper non ſint, metuendum tamen omni momento, ne ex violento quodam caſu & præcipiti lapſu ſi non plane pereant ægri, in maxima tamen pericula incidant. Imprimis vero epilepſiæ per eſſentiam contumaciſſimi morbi ſunt & ferè utplurimum incurabiles. Niſi enim ante pubertatem mutationem recipiant, poſt eandem certè ad mortem uſqne comitantur, juxta *Hippocr. Sect. IV. Aphor. VII.* Porro in febribus acutis convulſiones, malum, *Sect. IV. Aphor.* 66: cum in propinquo mors ſit, *Sect. IV. Aphor.* 49. Melius enim convulſioni febrem, quam febri convulſionem ſupervenire *Sect. II. Aphor.* 24. cum longè facilius ſit materiam morboſam è M. S. quam è genere nervoſo deturbare. Convulſio quoque vulneri ſuperveniens lethalis *Aph. II. Sect. V.* Quando ſub paroxyſmo ægri poſt inſufflata ſternutatoria non moventur, lethale ferè eſt, naturam enim ſuccumbentem denotat. Plures prædictiones brevitatis ſtudio non memorandas vid. in *Aphoriſmis Hipp. Sect. V.* & aliis.

§. VIII. Tempus II, convulſionum quod attinet, quæ per eſſentiam oriuntur, cum chronicæ utplurimum ſint, ſæpiſſimè in tumulum uſque comitantur ægros. Per conſenſum vero dicta convulſio facilius curatu, ſi mature convenientibus remediis præveniatur, ne malum radices agat in genere nervoſo plicamque

& habitum convulſivum inducat ſpirituum ſeriei, non vero, ut plerumque fieri ſolet, malitioſe negligatur.

§. IX. Tandem III. & modus eventus erat determinandus. Verum cùm is non tam in chronicis, quam potius morbis acutis, ocyſſimè ſua tempora abſolventibus, ſit perceptibilis, nihil fere dicendum reſtat, niſi quod convulſiones epilepticæ aut ægri ſuffocatione ad mortem terminentur, aut in paralyſin vel melancholiam deſperatam deſinant, quæ poſtmodum in maniam non raro degenerans totalem tandem fatuitatem inferre ſolet. Nos miſſis ulterioribus prolixitatibus recta pergimus ad CURATIONEM.

SECT. VI.
DE
CURA CONVULSIONUM GENERALI,

§. I.

Non nudæ duntaxat civilitatis argumentum, ſed & magnum imminentis ſubinde calamitatis mollimentum eſt vulgaris illa & à longis retroſeculis ad nos usque propagata conſuetudo, qua ſternutantibus ſolemus comprecari ſalutem; id quod Tiberium Cæſarem ſanxiſſe primitus nonnullorum fert opinio. Rem enim ſacram ſternutationem arbitratus, omne id, quod dirum aut nefandum imminere videbatur, optata ſalute averti, ſibi firmiter perſuaſit: hinc & varia è ſternutatione præſagia (ut ruſtica Gentium tulit ſuperſtitio) prout vel manè, vel à meridie, vel circa initium aut medium ſympoſii, vel una, vel iterata vice, idque pro diverſitate ſexus diverſimode, obtigerit, hauſiſſe, teſtis eſt *Homerus Odyſſ. Lib.* 17. quas tamen ridiculas Ethnicorum ſternutationes,

ran-

tanquam ſacrilegas, meritò damnat B. *Auguſtinus de tempore ſerm.* 241. Nos, qui ſub Chriſti nomine in hac mundi palæſtra militamus, miſſis Barbarorum ſuperſtitionibus, morem tamen illum, longa hactenus obſervatione retentum, non penitus inſuper habere debemus, cùm, ut Practicorum teſtantur obſervationes, ſternutationi contumaciori (quam parvam epilepſiam vocare ſolitus eſt *Avicenna*, teſte *Foreſto lib. X. Obſerv. CXXVII.*) immanes ſæpe ſupervenerint convulſiones, quas pio ejusmodi voto deprecari ſategit veneranda olim antiquitas. Cæterùm, cum ſolitariis hiſce ſaluti-precationibus majores convulſionum ſpecies non facilè obedire ſoleant, hinc non tam verbis, quàm potius herbis, h. e. tutis & efficacibus remediis, furor earum compeſcendus, ipſeque æger hac ratione in integrum reſtituendus, in quibus cura convulſionum unice conſiſtit, quæ jam demum plenius nonnihil perſtringenda.

§. II. Primum autèm univerſales, tanquam totius C. H. torturas, adoriemur convulſiones, in quarum curatione duo diverſi ſtatus & tempora accuratè ſunt obſervanda: Vel enim in ipſa correptione, quam paroxyſmum vocant, ægri ſunt conſtituti, vel extra eam, in ſtatu pacatiori, i. e. remiſſione. Sub ipſa paroxyſmi carnificina omnes nervi eo ſunt intendendi, ut inordinatus ~uum impetus cohibeatur valideque coerceatur. De induciis igitur cum ipſo malo ad tempus eſt paciſcendum, quo cauſam & fomitem morboſum eo felicius poſtmodum extinguere liceat. Hunc in finem inſtituantur blandæ plantarum frictiones, membra incurvata in integrum reſtituantur, digiti fortiter complicati rurſus explicentur, & altis vociferationibus propriique nominis acclamationibus ægri exſuſcitentur, cavendo tamen à notoriis vulgi ſuperſtitionibus. Huc referendus bombardarum ſonitus, quo, obſervante *Binningero*, epileptici exſuſcitari poſſunt. Hinc in campo vel alibi, pro conditione loci, tubi manuales, quos Piſtolen oder Puffert nominant, prope aures eorum explodi poterunt. Ubi

hac ratione ad ſe redire voluerint; ▽∼uoſæ ori ſunt infundendæ, v. g. ▽ antepil. Langii, ▽ apopl. & ▽ carbunculi externè. Quandoquidem vero utplurimum arcte conſtringant dentes & labia, ob temporalium muſculorum convulſionem, hinc os prius aperiendum, admovendo pollicem cum añulari ad oris latera compreſſa, ita enim facile diduci poterunt maxillæ, vel mediante quodam oris ſpecillo id commodè effectui dari poterit, cujus deſcriptionem & effigiem tradit *Scultetus* in *Armamentario Chirurgico.* Hoc facto infundantur ▽. antedictæ, ⊖. vol. CC. ſuccini & aliis quandoque acuatæ, quin imo in malo contumaciori vomitorium aliquod in forma liquida, potiſſimum verò, ſi convulſio fuerit ex conſenſu ſtomachi. Propinato pharmaco cochlear in ore relinquatur, vel ejus loco, in ditioribus, ſacculus rebus aromaticis & volatilibus turgidus dentibus inſeratur, ne linguæ aliquod immineat periculum. Vomitus verò, ubi tuto adminiſtrari minus poterit, ei ſurrogandi ſunt Clyſteres nonnihil acriores, quibus feliciſſimè ℈j. ⊖. vol. ſuccini, vel ⊖. CC. admiſcetur, quæ certè mirum præſtant effectum, cumprimis vero, quando convulſiones internæ ſimul fuerint conjunctæ. Conveniunt etiam ſternutatoria cum caſtoreo naribus inſufflanda, ſed cautè, ne malum non tam mitigemus, quàm potius exaſperemus, cùm & ipſa ſternutatio revera ſit convulſio. Adhibeantur E. potius naribus ol. Ω. ſuccini &c. vel ∼. volat. penetrantes v. g. ∼⊖✱ci, cum vitro anguſti & oblongi colli, cui ſubtus admovetur candela, ſic enim penetrantiſſimus redditur: vel etiam ſuffitus fieri poſſunt ex caſtoreo, ſuccino & aliis.

§. III. Superato demum paroxyſmi cruciatu, eo porro Medici cura eſt impendenda, ut fomitem convulſivum, in intimis non raro viſcerum receſſibus nidulantem, exſtinguat, è tota C. H. peripheria eliminet, & tandem, ſi qua nova mali recidiva pertimeſcenda foret, convenientibus prophylacticis muniat & præſervet. Quæ ut eo felicius procurari poſſint, conſiderandnm primo, an convulſio fuerit habitualis, an vero accidentalis? Hæc vel unico

ſpecifi-

ſpecifico ſæpe feliciter percuratur. Illa vero ſatis contumax eſſe ſolet, ut non immerito opprobrium Medicorum dixerim. Hinc ſi habituales ejusmodi epilepſias radicitus evellere voluerimus, curandæ omnino ſunt ad inſtar aliorum morborum chronicorum. Enimvero, cùm acidum illud morboſum, plus minus volatile, ferè ſemper ſua in primis viis agnoſcat incunabula, niſi his primo omnium proſpexeris, in caſſum fortè laboraveris. Præmittantur itaque digeſtiva, acidum illud morboſum fortiter incidentia & abſorbentia. Talia ſunt ♋na, marina, &c. oculi ♋. corallia rubr. & alia. ⊖ia item alcalia fixa lixivioſa, v. g. ⊖. abſinth. C. B. rutæ & ſ. p. Potiſſimum vero Tartarea, cremor & cryſt. Tart. Tartarus Vitriolatus Tackenii, vel eodem parabilius arcanum duplicatum Mynſichti, terra foliata Tart. ejusve liq. p. d. Faciunt huc etiam gummata, gummi ✱cum, galbanum &c. in forma pilularum deglutienda: Aromatica item & herbæ variæ aperientes, hepaticæ, ſpleneticæ, vulgo ita dictæ, vino vel cereviſiæ infundendæ. Præmiſſis hiſce merito ſubjungatur vomitus, apparatum morboſum quaſi vectibus excludens, ſine quo nemo facilè chronicam curare valebit convulſionem; hinc neſcio quo jure rarius eum movendum eſſe contendat Celeberr. *Sylvius Prax. Med. cap. xx. §. CL. p.* 428 M. E. Vomitoria inter excellunt ♁alia, vel in forma liquida, v. g. ▽. Benedicta Rulandi, infuſ. variæ cum croco metall. vitr. ♁. &c. ubi elegans inprimis eſt ſyrupus emeticus, à *Ludovico in Pharmacia p.* 212. deſcriptus: Vel in forma ſicca, ubi excellit Tart. emeticus Mynſichti, qui inſtar omnium. Doſis ejus alias à gr. ij. ad iij. aſcendit: In hiſce verò affectibus ad 4. 5. imò 6. gr. progredi licet, cùm acidum ventriculi exaltatum efficaciam ejus obtundat & enervet. Alias non facilè augenda, neque etiam minuenda eſt doſis comunis. Si enim infra gr. ij. propinaveris, tantas ægro movebis cardialgias, ut nihil ſupra, quod novello cuidam Practico nuper contigiſſe, probè novi. Hinc & valdè mihi diſplicuit illud medicandi genus, quod ad provocandum appetitum olim nonnemo arcani loco

commendabat, ut ſc. patienti ℈r. ß. vel ℈r. j. Tart. emet. propinemus, quo vellicatis ſtomachi fibris nolenti volenti etiam ventriculo appetitus redeat & hoc ipſo ſummam in Medici perſonam famam & gloriam redundaturam, plusquàm Oratoria gravitate promittere non dubitabat. Verùm enim verò, cum anorexia, ſi non ſemper, certè plerumque pro cauſa agnoſcat fermenti ſtomachici penuriam, quid, ubi hac ratione naturæ impoſueris, fieret exinde? certe omnis generis cruditates, imò Lerna malorum! cautius igitur mercabitur hoc in caſu Practicus ſapiens, cui hac vice ſat! Cæterum, quandoquidem vomitus ubique locum habere non poterit, ejus loco blanda per inferiora inſtituatur purgatio. Ubi imprimis convenit extractum helleb. nigri, in omnibus capitis affectibus ſpecificè proficuum, evacuans & corrigens omnem morborum chronicorum fomitem & cauſas materiales. Paratur menſtruo largiter ▽ſo, quia magis ⊖na eſt radix illa: v. g. infund. ▽. aniſi cum ol. Tart. p. d. particula acuatæ, poſt extract. ſufficientem inſpiſſetur blanda evaporatione ad conſiſtentiam extracti, ut artis & moris eſt. Porro ☿. dulcis, dulce non minus quàm efficax eſt remedium; cùm autem dentibus ſit infenſus, vel in forma boli cum conſerva roſar. fl. anthos &c. eſt exhibendus, vel cum extr. helleb. nigr. vel panchymag. Crollii in forma pilulari eſt propinandus, hoc fortè modo:

℞. Extract. Helleb. nigr. vel Panchym. ℈j. ☿. dulc. ℈r. xv. vel xx. c. ſ. q. ℅. ♌. ſuccin. F. Pil. min. pro doſi.

§. IV. Univerſalioribus hiſce adminiſtratis progreſſus fiat ad ♂alia, acidum in hypochondriis oberrans penitus abſorbentia. Subiectis robuſtioribus, ruſticis & aliis limatura ♂. cruda propinetur, quæ cùm fæces aterrimo tingat colore, inſigne iis perſuadere poteris periculum, ſi fortè curam, ut facilè ſolent, continuare recuſent. Quodſi in aliis etiam affectibus ditioribus & emunctioris naris hominibus hoc modo palpum obtrudere velis, propinare licebit ℈r. quædam ☉. fulmin. quod idem præſtare ſolet. Cæterum

cum

cum delicatiores, quorum ventriculi tenerioris ſunt texturæ, non facilè ferant ♂alia cruda, hinc varia in uſum vocanda ſunt ex eo præparata: Croci, Tinct. Eſſent, Extract. &c. In quibus omnino cavendum, ne à menſtruis acidis nimium exſaturentur, ita enim virtus eorum caſtrari ſolet. Elegantiora ſunt: Extract. ♂. c. ſucc. pom. dulc. ſucc. rad. cichor. vel alio appropriato. Loco hujus etiam eſſent. ♂. liquida c. ſucc. pom. Borſtorff. convenit, medicamentum ſuaviſſimum non minus, quàm efficaciſſimum in morbis chronicis, ut aliquoties obſervavi. Cui fere ſimilis eſt ſyrupus chalybeatus D. D. Horſtii, qui tamen eſſentiæ modo laudatæ efficacia facile cedit. Nec ſua quoque laude caret ſanguis ♂. Feliciſſimi D. D. Geilfuſii. Excellit verò Vitriol. ♂. cum per ſe, tum varia ex eodem præparata, v. g. Tinct. Vitriol. ♂. Zwelferi, quæ cum delicata admodum ſit, virginibus (generis humani deliciis) difficulter menſtruantibus, aliisq; tenerioribus ſubjectis, apprimè convenit: Cum vero in aliis quandoque languidior juſto reperiatur, ejus loco vitriol. ♂. cum crem. Tart. in corpus ⊖num roobiforme redigi poteſt & à ℈ß. ad ℈j. propinari. Huc pertinet ⊖. ♂. Compoſ. Conerdingii. Quin & ſol. vitriol ♂. Dctio cum S. V. vel alio ∽. appropriato, adjecta particula Tart. depur. egregiè, ut novi, operatur, quale Dctm. ſub ſpecioſo Tinct. vitriol. ♂. titulo hinc inde venditare quæſtusque inſignes exinde ſperare nuper ſolebat nonnemo, qui hanc ſuam cocturam inter nobiliora numerat arcana, ſcilicet:

Tantæ molis erat decoctum tingere ♂tis!

Loco ♂alium etiam conveniunt alia ex Sole, Luna vel Saturno remedia, ſicut ſolutio ⊙. cum ∽. Nitr. certo modo parata, ſummarum eſt virium: verum hæc pretioſiora nimis, in tanta moderni ſeculi penuria, fortè locum habere non poſſunt; quin conſultius longe, ut nobis ex medicamentis aurum, quàm ex auro medicamē-ta parare diſcamus. Ubi verò hæc omnia exſpectationem Medici fallere velint, ablegandus eſt æger ad acidulas, omnia fermenta

acida

acida p. n. ex intimis viſcerum receſſibus potentiſſimè eluentes; ſub quarum, ut & reliquorum ♂alium uſu, ſtudendum omnino, ut alvus ſemper ſit aperta. Hinc iis crebro interponenda ſunt quædam laxantia, v. g. Pil. aloëticæ, potiſſimum famoſæ Francofurtenſes, quæ cum ſimpliciſſimum aloës extractum ſint, mihi quidem maximè placent, eoque magis, quod ventriculi tonum quoque amaritie ſua nonnihil confortare valeant. Æquivalent iis Glaſſianæ, quæ utique non contemnendæ. Quibus vero pilulæ minus placuerint, conſulere ſibi poterunt prunis vel paſſ. laxat. infuſion. & decoctis fol. ſennæ cum paſſ. tamarind. &c. quæ omnia prudentis Medici judicio ubique ſunt moderanda.

§. V. Cura hac per ſeptimanarum aliquot ſpatium continuata, tandem acceſſus fiat ad appropriata antepileptica, acido convulſivo textura ſua ſpecificè contraria, ut apparatus morboſi reliquiæ penitus exterminentur. Ingrediamur E. Tria opulentiſſima NATURÆ Gazophylacia, Minerale, Vegetabile & Animale, è quibus ſelectiora, felici hactenus obſervatione recepta, hauriamus remedia, miſſis inutilibus, dubiis, ſuperfluis. Non enim copia juvat ſed ſelectus. Hinc non male Celebris ille per △. Philoſophus *J. B. van Helmont*, quodam in loco, pauca, inquit, Medicum nobilitant. E minerali vero regno tria nobis facile ſufficere poterunt. I. eſto ♁. non quidem crudum, ſed varia Spagyricè ex eodem concinnata. Quamvis enim *Dn. Ludovici Pharmac. p.* 203. à nonnemine ad gr. iij. in ſubſtantia propinatum fuiſſe memoret, & quidem non ut emeticum, ſed ut ſpecificum antepilepticum, quis tamen id impune tentabit? non hominum, ſed pecorum medicina ſit ♁. crudum, cujus ʒj. avenæ permiſta equos modicè purgat, eosdemque ſubſequente ſudore egregiè curat. Vid. *Tranſact. Anglicæ*. Conveniunt E. magis Sulphura ejus artificioſè fixata, de natura ☉. plus minus participantia. Sit v. g. Sulph. ♁. ☉ratum, non quidem vulgari, ſed ſecretiori modo paratum, quod in curandis epilepſiis mira præſtat, adeo, ut Lipſienſibus κατ' ἐξοχὴν pulvis epilepti-

lepticus ♁alis audiat. Præcipitatur è ſcoriis reguli ♁. cum ∽. ⊖. *. & ſic allium redolet. Huic ſuccedat cinnabaris ♁. accuratè præparata & 8ies vel 10es ſublimando purgata. Huc referenda meritò eſt Panacea ♁. Glauberi, cujus deſcriptionem genuinam ab autore exoravit literisque è Batavia datis accepit *Dn. Kriegsmannus*, Senex in rebus Chymicis verſatiſſimus, Battenbergæ in Comitatu Leiningenſi olim vivens, qui, ut ipſe mihi, dum inibi hærebam, retulit, deſperatiſſimos quosdam tum epilepſia, tum aliis affectibus decumbentes, vel ex ipſo agone, revocavit eadem panacea, quæ tamen nihil aliud mihi videtur, quàm 🜍. ♁. auratum ſingulari modo paratum & panaceæ titulo à *Glaubero* inſignitum. Si enim panaceas hujusmodi commendatiores & ſaniores paulo penitius inquirimus, utplurimum nil niſi ♁ale quidpiam, (alias nec ignotum, nec ſingulare) continent, eoque ipſo proſapiam eorum bene noſcentibus, quousque pertingere poſſint, monſtrant, judicio Nob. Dn. *Ludovic. Pharmac.* ſæpe laudatæ *p.* 115. Cinnabari ♁ali ſubjungenda meritò eſt Cinnabaris nativa, vera ☿. minera, quæ tantum in curandis epilepſiis efficit, ut à Cratone, trium Imp. Archiatro, Magnes epilepſiæ dicatur. Profectò primo ſtatim momento videri poſſet non parum de ☉. in eadem contineri. Debet a. 10es ſublimari, ita enim tutior non minus, quàm purior redditur. Cinnabarinis hiſce merito accenſendum cenſeo ſpecificum cephalicum D. J. Michaëlis famoſum, idque revera ſatis ſpecioſum. Deſcriptionem ejus genuinam tradit *Frid. Hoffmannus in Clav. Pharm. Schröd. pag.* 293. Tandem III. Claſſem hanc concludat Vitriolum & ejus ∽. arcana ratione volatiliſatus. Sic Excellent. ac Experient. D. D. Strauſſius, RECTOR, h. t. Academiæ noſtræ MAGNIFICUS, Fautor, Præceptor & Patronus æternum obſervandus, ut olim nobis retulit in Lect. Publ. novit Pharmacopœum epilepſiæ alias obnoxium, qui ∽. vitriol. certo modo parato ſeipſum priſtinæ ſanitati reſtituit. Huc pertinet ∽. vitriol. epilept. D. D. Michaelis, vel ∽. vitriol. vol. ad imita-

tionem Hartmanni, cum urin. humana volatiliſatus, quod bene procedit; nam alcali urin. diſſolvit ſulph. metallicum, ut cum eodem & ☊. proprio in forma ☊. vitr. volat. prodeat, qui efficacior longè erit, ſi vitriolum blanda calcinatione in ☉. prius fuerit calcinatum, vel ſi ſumatur C. M. vitriol. aëri aliquamdiu expoſitum. Hæc hoc in ſelectu Medici intentioni abundè ſatisfacere poſſunt, niſi his fortè annumerare velis marina varia, corall. rubr. & alia, alias polychreſta, acidum epil. invertentia, ſeu ut Sylvius loquitur, ☊. acidum vol. ⊖. ſuo ſixo potenter figentia: quam tamen ætiologiam meam non facio, cùm non abs re dubitent plurimi, an hæc ſubjecta terrea ⊖. quodam ſcateant.

§. VI. E vegetabilium regimine commodiſſimè ſelectui noſtro accedere poterunt ▽æ, ex variis herbis & floribus antepilepticis artificioſe ♌atæ, quæ pro vehiculis, in quibus alia potentiora ſpecifica commodè aſſumi poſſunt, utiliſſimè omnino nobis inſerviunt. Sunt quidem nonnulla, quæ in forma pulveris quandoque non incommodè ſumuntur, qualia ſunt: Pœoniæ maris radix & ſemen, viſcum quernum, ut & corylinum à ℨß. ad ℨj. propinandum; carbo item arthemiſiæ rubræ & quæ ſunt alia. Verum, cum iſthæc ſolitariè aſſumpta, niſi valentioribus acuantur, ſpem ſæpe Medici defraudare ſoleant, hinc, ut antè monui, placent magis ▽. & ☊. ♌. v. g. ▽. & ☊. liliorum convalſ. florum tiliæ, ſalviæ, ceraſ. nigr. &c. niſi fortè opium his accenſere velis, quo paroxyſmos epilepticos nonnunquam fortiter ſufflaminare poſſumus, cautè tamen procedendo. Excellunt ejus extracta & eſſentiæ: Laud. opiat. Extract. opii per fermentationem Dn. Langelotti, vel per digeſtionē cum ⊖. Tart. vel ol. ejus p. d. & quæ ſunt alia. Unum adhuc eſt, è vegetabilium proſapia oriundum, remedii genus, quod efficacia ſua ſe facile commendare poteſt: Tartarus ſc. genuina vini ſoboles, cujus ☊. merito in curandis convulſionibus commendat *Sylvius Prax.* pag. m. 427. Efficacior autem eſt, ſi per ſe crebro à C. M. fuerit cohobatus, ita enim nanciſceris ☊. Tart. volatilem pene-

trantis-

trantiſſimum. Pari paſſu ambulat ejusdem ⊖. volatiliſatum, de cujus elaboratione conſulatur *Dan. Ludovici, de volatilis.* ⊖. *Tart.* It. *Davidis van der Becke Epiſt. ad Joelem Langelottum de* ⊖. *Tart. aliorumve fixorum volatilizatione.*

§. VII. Tandem nec animalium reſpublica prætereunda, efficacia non minus è penu ſuo nobis depromens ſpecifica antiſpaſmodica. Eminent hic ⊖ia volatilia, ex variis animalium partibus legitimè ſublimata earumque ∽us, v. g. ∽. & ⊖. vol. CC. viperarum, potiſſimum verò cran. hum. quod ipſum, ut & reliqua microcoſmi oſſa in pulverem redacta feliciſſimè non raro quoque exhibentur. Hic verò Paracelſus in ſpecie miris effert laudibus oſſiculum illud triangulare, quod ſutura lambdoides duplicata quandoque, ſed rarò, efformare ſolet: verùm non video, quamnam præ reliquis cranii particulis habeat prærogativam. Reperire nuper idem licuit in cranio parricidæ cujusdam, aliquot abhinc annis decollati & à D. D. Heilando cultro Anatomico ſubjecti, epilepſia graviter correpti: an autem omnes id, juxta Paracelſi effatum, contineant epileptici, ulteriori indiget obſervatione. Fortunæ fortè liberalitati debemus, quod ejus conſpiciendi nobis copia facta fuerit. Huc pertinet etiam ſanguis humanus, ab homine recenter decollato collectus, cujus ∽. ⊖. vol. & ol. egregia non minus ſunt antepileptica. Illud verò belluinum magis, quàm humanum eſt medicandi genus, quod eundem non raro vulgus recentem & ſub ipſius carnificis acinace calentem adhuc, non ſine nauſea, ingurgitet: cujus rei periculum fuſe demonſtravit *Thom. Bartholinus* Tr. *de Sanguine vetito.* Huc referunt quoque ſecundinas humanas earumque ∽. & ⊖. vol. Verum rectius forte ſacra hæc humani generis incunabula obſtetricum relinquerentur œconomiæ & eorum loco alia, certiora non minus quam acceptiora, in uſum traherentur; ſicut profecto ∽. Urinæ ejusque genuinus frater ∽⊖✱. potiſſimum ſuccinatus, huic ſcopo abundè ſatisfacerent. Succedant hic remedia generoſa ex CC. parata, ∽. ejus & ⊖. vol. è quibus,

cum ⊖. vol. ſuccini liquorem ſuum CC. ſuccinatum combinavit Celeb. Practicus D. D. Michaëlis, qui in convulſionibus puerorum æque ac adultorum neminem facile deſeret. Deſcriptionem ejus legitimam tradit *Michael Ettmüllerus*, Practicus Lipſienſium Feliciſſimus, *in Valetudin. Infant. de epilepſia.* Non reticendum hic eſt caſtoreum ⊖. vol. oleoſo turgidum, quod una cum Tinct. & Eſſent. ejusdem in omnis generis convulſionibus, imprimis uterinis, ſingulare eſt ſpecificum, præcipue vero ſi ad imitationem *Barbette* in *Prax. cap. 1. pag.* 13. jungatur ⊖. vol. ſuccini, CC. cran. hum. &c. inque S. V. circuletur, ut exinde fiat Tinct. epileptica nobiliſſima. Vel etiam infundatur ⌒⊖*. & egregiam habebis Eſſent. anticonvulſivam. Commendant vulgò quoque ſtercora varia: Pavonis, nid. hirund. &c. verùm quibus hæ placuerint lautitiæ, ad nauſeam uſque iisdem exſâturentur; cumque plura, jucundiora non minus, quàm præſentiora, in promptu ſint remedia, quid ægros fatigatis ſtercoribus, merdoſi Medicaſtri? itane ſorditie tali fatigandus eſt æger afflictoque afflictio ſuperaddenda? certe non abs re ſordidum hoc medendi genus jam dudum è Foro Medico eliminare & hoc Augiæ ſtabulum cordate purgare auſus eſt Nob. *Dn. Ludovici l. c. p.* 112. E contra neque nimis pretioſis illis facultates Proximi ſunt exhauriendæ & dilapidandæ, v. g. Unicornu, Lap. Bezoar, tam Orient. quàm Occident. &c. cum alia proſtent præcipitantia hujusmodi, viliora longè, non minus tamen efficacia. Certe Celeb. & venerandus Senex *D. Simon Pauli* ingenuè profitetur, in *Quadripart. Botan. p.* 16. ſe per integram vitam vix ac ne vix quidem ʒam lap. Bezoar. præſcripſiſſe, feliciſſimè nihilominus ſuos curans patientes. Ut taceam fraudes, quæ circa eadem occurrunt, quas jamdudum ex profeſſo detexit *Deuſingius Tr. de Lap. Bezoar*, & Tr. *de Unicornu.* Ubi verò ditiores ſuperſtitione quadam occupati eorum uſum ſtrictè urgent, ne aliquid prætermiſiſſe videamur, illorum deſiderio quid dandum exiſtimo; ſic etenim non raro mundus, ut dicitur, vult decipi.

§. VIII.

§. VIII. Hæc ſunt ſelectiora & ut mihi videntur efficaciora medicamenta, quibuscunque convulſionibus curandis facile ſufficientia: ubi tamen inſimul tenendum, ut in convulſionibus per aliarum partium conſenſum, vel per epigeneſin aliis morbis ſupervenientibus, ſemper admiſceantur partibus & morbis iſtis appropriata, uterinis uterina, ſcorbuticis anti-ſcorbutica & ſic porro: Vel ea ſunt præſcribenda, quæ utrique ſcopo ſatisfacere valent, ſicut in convulſionibus ſcorbuticis ♒⊖✳. utraque facie ſe commendat, non ſecus ac in hyſtericis epilepſiis caſtoreum. Hoc verò cùm ſemper fieri non poſſit, concinnandæ ſunt tum demum formulæ, pro cujusvis Practici judicio variæ, quarum unam vel alteram in medium producere juvabit: Sit v. g. Mixtura antepileptica:

℞. ▽. Flor. Tiliæ
cer aſ. nigr. ana ℥iß.
♒⊖✳. ʒj.
Eſſent. caſtor. ℈ß.
Syr. de Pœonia ℥j.
M. F. Mixtura cochleatim aſſumenda.

In hac vel etiam ſimpliciori vehiculo pulveres quoque appropriati, cinnabarini &c. aſſumi debent, expectando quandoque ſudorem, v. g.

℞. Cinnab. nativ. depur. ʒj.
vel cinnab. ♁. ʒß.
⊖. vol. CC.
Sang. hum. ana ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. F. Pulvis pro aliquot doſibus.

§. IX. Hactenus ſpecifica interna, quæ ſicut ad curandas convulſiones univerſales magè ſunt neceſſaria, ita in particularibus partium ſpaſmis EXTERNA potiſſimum in uſum ſunt vocanda. Quando vero intus quædam ſunt propinanda, ex præce-

dentibus haud difficulter hauriri poterunt. Triplicem verò eorum invenio claſſem: I. complectitur thermas ſulphureas, particulis ſuis oleoſis acidum ſpaſmodicum validè obtundentes & actuali caliditate diſcutientes, quales in vicinia ſunt Embſenſes ad Lanum & Wisbadenſes in Comitatu Idſteinenſi. II. Claſſis continet inunctiones varias, cum ol. pingued. & axungiis inſtituendas. Conveniunt ol. olivarum, ol. lini &c. præcipuè cum lumbricis terr. decocta, ita enim mira præſtant: In majoribus convulſionibus ægri cado ol. oliv. totaliter immergantur. Huc pertinent ol. ♌ata ∽oſa, ol. ſuccini, imprimis vero etiam ol. petræ: quæ omnia ſpasmos articulorum, flatulentos vulgo dictos, theriacæ & ⊖. vol. maritata & cum ∽. lumbr. ∽. junip. &c. applicata, extemplo ſopire valent, non tam flatus diſcutiendo, quàm potius acidum obtundendo. Alia enim via per regionem microcoſmi occidentalem illos relegare norunt nequam quidam homines, cum ſpaſmis his vexari ſolent. Axungias inter excellunt pinguedo anguillarum & imprimis humana & ex eadem ♌um ol. cujus vim anodynam & archéi placativam ſatis mirari nequeo. Specifice etiam conferre creditur pinguedo anſerina, ſingulari modo ♌ata. Præparationem ejus deſcribit *Marcus Gatinara*, autor vetuſtiſſimus, *Tr. de curis ægritud. particularium de ſpaſmo.* III. Demum remediorum externorum claſſis fomentationes & balnea varia artificialia complectitur. Parantur ex plantis nonnullis ⊖. volatili prægnantibus, calefacientibus vulgò dictis, v. g. chamomilla, majorana, ſalvia, beton. roſmar. abrotano &c. è quibus vel fomentationes, vel balnea pro lubitu cujusque inſtitui poterunt. Quin & ex OFFICINIS CHIRURGICIS quandoque cucurbitulas, veſicatoria, frictiones &c. in uſum vocare poſſumus, omnia tamen commodo loco & tempore. Medicamentis hiſce, tam externis quàm internis, legitimè adminiſtratis, adjuvante Summi Noſtri Archiatri benedictione, à qua vera in ſtudio noſtro dependet Felicitas, ſine qua nec verbis, nec herbis quicquam efficere poterimus

Sap.

Sap. XVI. §. 12. nullum eſt dubium, quin torturas haſce feliciter ſuperaturi ægrosque in integrum reſtituturi ſimus.

§. X. Ultimo vero, ne, quod Practici manu ſalutariter erat exædificatum, à parte ægri denuo ſubvertatur, legitima rerum non-naturalium, ut vocantur, œconomia, h. e. exacta DIÆTA ipſi eſt imperanda, quæ plus interdum, præſertim in chronicis affectibus, præſtare ſolet, quàm ipſa medicamenta, verba ſunt Excellent. & Experientiſſ. *D. D. Franci*, Heidelbergenſium Machaonis Celeberrimi, *Diſput.* nuper habita *de Hect. Nat. & Cur. cap. IX. p.* 26. AEREM proinde ſibi eligat purum, ſerenũ & nullis particulis putridis gravidum. Fugiat nebuloſum & pluvioſum, qui acido occulto nocere ſolet. Quodſi natura talis impetrari nequeat, arte comparetur, medicando eum rebus odoris, ⊖. volat. præditis, maſtich. ſuccin. & aliis. Pauperibus ſufficiunt lign. & grana juniperi. Quoad CIBUM & POTUM, aſſumat facile digeſtibilia, purum & balſamicum chylum generantia, negligat acida, vel actu talia, ut acetum &c. vel quæ occultum acidum ſub ſinu fovere ſolent, mellita v. g. ſaccharata nimis & alia dulcia, exceptis paſſulis, quæ omnino innocuæ ſunt & copioſo ſcatent ſucco nutritivo, adeo quidem, ut *Joel* easdem non ſine ratione ad pinguefacienda corpora commendaverit. Abſtineat igitur à carnibus ⊖e conditis fumoque induratis. Similiter cane pejus & angue fugiat commune illud noſtrorum hominum ferculum, braſſicam muria conditam, lardove copioſo ſuffarcinatam, Sauerkraut und Speck, acidum morboſum mirum quantum augens? Rideo ſubinde tam avidè eandem à vulgo devorari, cum in unico ovulo plus contineatur nutrimenti, quàm in vaſtiſſimo dolio olere hujuſcemodi adimpleto. Potus ſit cereviſia bene defæcata, rad. Pœoniæ, viſco querno & aliis ſpecificis infuſa, vel cum iis fermentata. Quantum enim valeant potus hi medicati, teſtantur *Transactiones Anglicæ Anno* 1668. *Menſ. Novembr.* quæ cujusdam mentionem faciunt, qui confidenter affirmet, vix ullum eſſe morbum chronicum, qui curetur ex Apothecis, qui nequeat citius, facilius,

&

& levius curari potionibus (una cum ordinata diæta) zytho v.g. illupulato, cereviſia &c. imprægnatis tempore fermentationis virtute ſimplicium, mineralium, vegetabilium & animalium eorumq; præparatis. Cùm vero etiam ægri tales utplurimum plus minus melancholici eſſe ſoleant, hinc, ut ſuæ quandoque obliviſcantur miſeriæ, vinum iis non penitus interdicendum, quod revera modicè ſumptum hominum nectar eſt, cujus ∾. volatiles cum ſpiritibus Microcoſmi ſymbolizantes facilè conſpirant in uniſonum. Eligantur autem vina generoſa, antiqua, minus vero recentia vel acida. MOTUS & EXERCIT. corporis inſtituantur ante cibum, peracta fermentatione ſtomachica, quæ mox aſſumptis cibis intempeſtivo motu minimè turbanda; quæ enim ante abſolutam digeſtionem ex ventriculo elabuntur, aceſcunt facile malique foco fomitem & pabulum addere ſolent. SOMNUS vero & VIGILIÆ ultra modum quoque non ſunt protrahenda. ALVUS ſuo ſemper reſpondeat officio, quæ ſi minus aperta, medicamentis laxantibus, pilul. infuſion. vel paſſulis laxativis, quin & ſuppoſitoriis erit irritanda. Quantum enim nocumenti adferat contumax alvi occluſio in convulſionibus & omnibus morbis chronicis, nemini facile ignotum eſſe poterit. Tandem etiam ANIMUM ad TRANQUILLITATEM componat; prodeſt gaudium moderatum, lætitia & confidentia: his enim recreantur, his expanduntur ∾. reſtituitur inde ſanguini motus, robur naturæ augetur, morbo ejusque cauſis reſiſtitur & ipſa remedii vis actuatur, juxta *Joh. Valentinum Willium*, in aureis ſuis Diſſert. *de Itineribus Philiatrorum Germanorum, Diſſert. 2. p.* 64. quas perſonata facie ſub Joachimi Viti Wigandi nomine nuper edidit. Iram porro & triſtitiam ceu peſtem fugiat: Hæc enim ∾. concentrando, M. S. ad aceſcentiam diſponit: Illa vero ∾. animales jamdum citra ordinem diſcurrentes magis in confuſionem agere & ad ulteriores motus convulſivos irritare valet. Aſt manum de tabula!

DEOque Trinuni Gloria!

APPEN-

APPENDIX ALTERA
DE
LAPIDE CERAUNIO & FULMINE TACTIS,

IVbILæo orthoLogorVM seCVnDo

pro gradu Doctoratus ventilata

à

CHRIST. BERNH. VALENTINI,

M. B. Fil.

Nunc Curioſorum Germanorum *Theſſalo II.*

PRÆFATIO.

Reboat univerſus terrarum Orbis Majeſtatem Creatoris & fulminantia deſuper tonitrua Domini ſui gloriam ebuccinant. Rectiſſimè enim *Seneca quæſt.*

natur. l. 2. c. 31. p. 682. mira, inquit, tonitru & fulminis, ſi intueri velis, opera ſunt, nec quicquam dubii, quin divina illis inſit & ſubtilis potentia: nihil quod ita mentes ab omni cultu divino alienas & tremendi Numinis inducit cognitionem. Hinc non abſurdè *Petronius*:

Primus in Orbe Deos fecit timor: ardua cœlo
Fulmina cum caderent, diſcuſſaque mœnia flammis
Atque ictus flagraret Athos.

Illo enim artificio Mundum inſtruere, quò caderent interdum noxæ & detrimenta in homines, quos fulminibus terrere & prodigiorum tempeſtatumque metu in officio continere neceſſe habebat, Divinæ rationi fortaſſis conſentaneum judicat *Richardus Mead*, Anglus, in fine *Tr. de imperio Solis & Lunæ in corpora humana*, cum *Muſgravii Tr. de Arthritide anomala* editi. Ipſe ſanè Spiritus Sanctus in utroque SS. teſtamento ſupremum & tremendum illud Numen ſub fulminum & tonitruum fragore fulgurisque ſplendore ſe manifeſtaſſe adſtruit. Ita enim Decalogum in monte Sinai publicabat *Exod. 19. §. 16.* Ita furibundo & in exitium Chriſticolarum adhuc frementi Saulo capiſtrum injiciebat *Actor. 9. §. 3.* Quapropter & Pagani vetuſtiſſimi Cyclopes fulmina atque alia terroris inſtrumenta Jovi

Jovi cudentes terroris miniſtros ſomniabant, vid. *Franc. Baco de Verulamio Tr. de Veterum Sapientia §. 3. p. 1252.* Quin imò ſunt, qui & noſtris temporibus, ex cauſis magis naturalibus; accidentia fulgura, fulmina & tonitrua, annis & temporibus notabilioribus graſſantia, prodigii quid fovere autumant. Quando enim ſeculo præcedente XVI. poſt receptionem Formulæ Concordiæ fulmen templum cathedrale Wittenbergenſe; ut & Cœnobium B. Lutherum quondam alens feriiſſe legitur, id ipſum vel ideò non ſine omine accidiſſe ſcribit *Dn. Godofredus Arnoldus*, in der unpartheyiſchen Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Part. II. p. 214.* quod & ſub primo feſto ſeculari, formulæ hujus intuitu in eodem Cœnobio celebrato, *Adamus Steinius*, puer adhuc, inter medias ſolennitates exanimis conciderit, Lectorem interim in dubio relinquens, an id fauſto an infauſto ſydere & omine contingerit. Num & tempeſtas illa extraordinaria ac horrenda, quæ anno Jubilæo 1617. obſervante *Dn. Jobo Ludolfo* in der Schaubühne der Welt-Geſchichten des 17ten *Seculi Tom. I. pag. 650.* magnam inferioris Germaniæ partem inundârat, ominoſa fuerit, hac vice non addo; ſufficiat me illorum occaſione anſam cepiſſe, quò SECUNDO, quod univerſus Eccleſiarum Evangelicarum cœtus per Dei gratiam,

contra fallaciſſimum adverſantium prognoſticon (*) repetendo celebrat, FESTO SECULARI admirandos fulminis effectus & φαινόμενα, CERAUNIÆ maximam ad partem adſcripta, non tantùm ob oculos ponerem, ſed & è cauſis genuinis atque veris deducerem, inſimulque noxas & incommoda, quæ in corpora viventium, cumprimis autem hominum, inde redundare aſſolent, ſive præſervando, ſive curando antevertere ſuſtinerem. Faxit alma Trias ut omnia ſuccedant feliciter!

DISPV-

(*) Ferebat hoc ſub primo feſto ſeculari Evangelicorum (à *Grammando Hiſtor. Gall. Lib.* 2. *p.* 157. pro ridiculo ludicro, quod ut ſimiæ Papam imitando inſtituerint, non ſine livore habito) nonnemo è Papicolis, qui in nummi ſecularis, à Norimbergenſibus tunc cuſi, inſcriptione:

MartInVs LVtherVs theoLogIæ D.

Lit. C. omiſſam eſſe cernens, intra centum annos Eccleſias Lutheranorum perituras, nec easdem ullum amplius feſtum ſeculare, quod jubilæum vocant, celebraturas eſſe vaticinabatur, vid. *Dn. Arnoldus* in der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Tom. I. p.* 496.

DISPUTATIONIS MEDICÆ
DE
LAPIDE CERAUNIO ET FULMINE TACTIS.
SECTIO I.
DE
PHÆNOMENIS ET EFFECTIBUS FULMINIS.

---

§. I.

Quandoquidem Ceraunius Lapis (*ἀπὸ τοῦ κεραυνοῦ*, h. e. fulmine, ita dicta) putetur eſſe lapis cum fulmine ex aëre diſploſus, hinc ad hiſtoriam ejus Phyſico-Medicam felicius expediendam effectus & phænomena, fulmen ſive antecedentia, ſive concomitantia, ſive conſequentia, prius conſideranda erunt, quàm certi quid de natura & eſſentia ejus determinemus. Tam admiranda autem ſunt, ut plures dentur, qui ſpiritum malignum ſuas illic partes agere credunt, teſte *Dn. de la Grange* in *Principiis Philoſophiæ contra novos Philoſophos Tom. 2. cap. 14. pag. 207.* Paucis illa comprehendit *Seneca*, quando *Lib. 1. Quæſt. Nat. cap.*

„*XXXI. p. m.* 684: Loculis, inquit, integris ac illæſis conflatur argentum. Manente vagina gladius liqueſcit. Stat fracto dolio vinum, nec ultra triduum rigor ille durat. Illud æque inter annotanda ponas licet, quod & hominum & cæterorum animantium, quæ icta ſunt, caput ſpectat ad exitium fulminis: quod omnium percuſſatum arborum contra fulmina haſtulæ ſurgunt. Quid quod malorum ſerpentium & aliorum animalium, quibus mortifera vis ineſt, cùm fulmine icta ſunt, venenum omne conſumatur? Unde, inquis, ſcis? in venenatis corporibus vermis non naſcitur: fulmine icta intra paucos dies verminant. Quum vero quædam inter hæc incerta & dubia ſint, quædam etiam deficiant, hinc certa ab incertis ſeparaturi, eaque quæ deſiderare quis poſſet, ordine quodam habito, ſuperadditturi ſumus.

§. II.

Primo igitur notari meretur fulmen antecedere fulgur & tonitru, ſive cominus ſive eminus tumultuans aut murmurans: quæ omnia iis cumprimis noctibus graſſantur, quas dies calidiſſimus & fervens admodum præceſſerat; & quamvis aliquando tempore vernali, imò citius quandoque, fulgur atque tonitru obſervetur, bonoque omini habeatur, ſi arboribus nondum vireſcentibus tonitru audiatur, (wenn es über einen dürren Baum donnert) ut hoc ipſo anno accidit, raro tamen eo tempore fulminis ictus obſervatus fuit. Accedit (2.) frequentiora eſſe fulmina in locis calidioribus, cumprimis illis, ubi montes dantur ignivomi, cum in ſeptentrionalibus è contrario, teſte *Olao*, ſint rariſſima. Eleganter *Plinius lib.* 2. *c.* 50. crebra fulmina, inquit, in Italia: quia mobilior aër mitiore hyeme & æſtate nimboſa ſemper quodammodo vernat & autumnat. *Schottus* autem *lib. XI. cap.* 15. §. 4. *p.* 1226. *Phyſ. curioſ.* ſe expertum teſtatur, quod, dum Mænis & Calataierone in Siciliæ urbibus, in Ætnæ ignivovomi montis conſpectu, habitaſſet, nullibi tam frequentia, horribilia & periculoſa notaſſet fulmina, quam in prædictis urbibus. Idem prorſus apud *Senecam quæſt. nat. lib.* 2. *cap.* 30. legitur, qui hunc in modum ſcribit: Ætna aliquando multo

multo igne abundavit & ingentem vim arenæ urentis effudit. Involutus eſt dies pulvere populosque ſubita nox terruit. Illo tempore ajunt plurima fuiſſe tonitrua & fulmina &c. Quin & illa loca quæ fodinas ſulphuris & bituminis habent, fulminibus potiſſimum obnoxia ſunt; quapropter in Campania ſæpe & hyeme fulminat & Lovanium, Inſubria & Mutina, ubi Zibius mons naphtham exſtillat, crebra experiuntur fulmina, teſte *Reinzero in Meteorologia Philoſophico-Politica pag.* 39. (3.) Bene monet *Fromondus* in *Meteorolog. l.* 2. *art.* 6. *p.* 66. omnibus fulguritis odorem quendam ſulphureum ineſſe, ut è *Seneca*, *Plinio* & ipſa experientia oſtendit. Hinc novi amicum qui tempeſtates inſtantes olfactu dignoſcere & præſagire valet; unde quoque canes & animalia voracia à cadaveribus fulmine tactis abſtinere dicuntur. Quid quod particulæ ſulphureæ poſt fulmen aut in forma pulveris in campo & pratis, aut ſub forma reſinæ, aut picis inventæ ſunt. Exemplum hujus rei anno 1715. in novellis publicis ſeqq. referebatur verbis:

Plauen den 8. Aug.

Am verwichenen 29. Jul. hat uns der Höchſte mit einem ſchweren Donner-Wetter heimgeſucht. Das Knallen iſt früh um 8. Uhr angegangen, und ohne aufhören bis in die Mittags-Stunde gedauret, da es, und zwar bey hellem Sonnen-Schein, an dem hinter Theil des Rath-Hauſes den Knopff abgeſchlagen, dann von dar ſich der Strahl getheilet und durch das Uhr-Werck in die Raths-Stube geſchlagen, daſelbſt 3. Perſonen hart gerühret, als Herrn D. Wiedemann, der am lincken Arm, doch ohne Verletzung des Haupts beſchädiget, ein ziemlich Stück ſeines Degens, mit ſampt dem Ohrband daran, iſt geſchmoltzen. Ferner Herrn Syndicum Steinläuſern, Herrn Stadt-Vogt Gutebrücken, Herrn Leuchten, Apotheckern, und den jungen Herrn Göring. Ingleichen die Weinſchenckin Weidlichin, mit des Bierſchröders ſeine Frau, elendiglich zugerichtet, ſo daſs ſie alle mehr todt als lebendig nach

Hauſs

Hauſs theils geführet, theils getragen worden. Dieſe letztere Frau iſt hart gerühret worden, daſs ſie von aller Vernunfft und Sinnen geweſen, weder gehen, ſitzen, noch liegen kan; an ihrem Nacken und innern Theil des Kopffs hat man in ihren Haaren NB. eine Schwefelichte Materie gefunden, die nichts als Pech und Hartz geweſen, wovon die Haare gantz verfetzet worden. Der Handgriff am Drat, woran in der Raths-Stube man zu klingen pfleget, war mitten entzwey geſchlagen, und wann die Raths-Stube nicht wäre eröffnet worden, hätten alle von dem allzuhefftigen Dampf erſticken können. E quibus ſimul reliqua phænomena quodammodo eluceſcunt, quod ſcil. (4.) illæſa vagina gladium fundat: cu„jus rei exemplum ſat antiquum de *M. Antonio Mureto* refert „*Fromondus c. l.* qui fulmen, inquit, in palatium Hypoliti Card. „Ferrarienſis deſidens, ad mea usque cubicula pervenit: ibi gla„dii, qui ad lectum unius è famulis meis pendebat, mucronem ita „colliquefecit, ut in globulum converterit, vagina ſua illæſa; quemadmodum ſimiliter laminam elaſticam in horologio portatili liquat, reliquis particulis illæſis: cujus rei exemplum habet *Dn. de la Grange*, Pater Oratorii Pariſienſis, *Tr. de Elem. & Meteoris cap.* 14. *p.* 208. Eadem ratione (5.) loculis integris & inviolatis argentum & nummos conflat, id quod *Plutarchus lib.* 4. *Synopſ. quæſt.* 2. ſuo tempore militi, Romæ excubias agenti, accidiſſe teſtatur & ſuo damno expertus eſt Comes quidam Illuſtriſſ. in vicinia, cui cum aliquot abhinc annis è fodinis ſuis magna Joachimicorum recens cuſorum quantitas adferebatur, à fulmine, Tabellionem feriente, prorſus colliquefacti fuerunt. Nec abſimili ratione vaſis illæſis in liquida agit, ita ut (6.) dolio aliisque operimentis intactis vinum corrumpat, aut prorſus exhauriat, ut non tantùm *Plinius lib.* 2. *cap.* 51. ſed & *Carus* apud *Lucret. lib.* 6. teſtatur, quando ita canit:

Curat item ut vaſis integris vina repentè
Diffugiant: quia nimirum facile omnia circum
Conlaxat rarefacitque lateramina vaſis.

An

An vero (quod *Seneca* verbis ſupra citatis addit & *Fromondus* cum pluribus nimis credulis admittit) dolia confringat, vino ſtante & quaſi cortice obducto non diffluente, de eo non ſine cauſa dubitat *Auctor Philoſoph. veteris & novæ*, dum *Phyſ. Part. II. c. 10. pag.* 459. inquit: vix autem crediderim fracto dolio vinum aliquando „ ictu fulminis incruſtari, aut etiam interdum conglaciari, cujus „ rei veritas nulla hactenus hiſtoria conſtat. Tartarus enim vini, quem *Kippingius in Inſtit. Phyſ. method. pag.* 194. pro formando cortice allegat, hic minus eſt ſufficiens, cum & is à fulmine diffletur aut comminuatur. Illud potius (7.) in novellis ſupra adductis confirmatur, quod excelſa quævis & alta à fulmine facilius feriantur, quam humilia; unde ſine dubio proverbium exortum: Procul à Jove, procul à fulmine.

Scil. *Cella graviore caſu*
Decidunt turres feriuntque ſummos
Fulmina montes. Horat.

Nimium tamen extravagatur *Claudianus* ita canens:

Incubuit nunquam cœleſtis flamma ſalictis
Nec parvi frutices iram metuere Tonantis
Ingentes quercus, annoſas fulminat ornos.

Fulmen enim cæcum eſt, ſummos quosque ac infimos feriens. In ſubjectam terram graſſatur & in ſuperna elevatur: non affectu abripitur, nec œſtro corripitur: partiale non eſt; unde idem pro ſymbolo commendat Judicibus *Reinzerus*, in ante laudata *Meteorologia Philoſophico-Politica pag.* 47. Quicquid igitur obvium ſibi habet, urendo, diſcutiendo, terebrando aliisque modis quatit, vulgo in terebrans, diſcutiens & urens diſtinctum. Fabuloſa igitur vel ad minimum cum grano ſalis ſumenda ſunt omnia, quæ de certis corporibus à fulmine immunibus hactenus in ſcholis tradita fuerunt, inter quæ v. g. corallia, hyacinthum, ſedum minus, ficum, quercum, laurum, vitulum marinum, aquilam &c. potiſſimum enumerant. Lauro ſane tantum hac in parte tribuiſſe fertur Tiberius Cæſar, ut fulmina metuens cœlo turbatiore coronam lauream ca-

pite geſtaſſe dicatur à *Suetonio in ejus vita.* Aſt laurum ſuo tempore de cœlo fulmine tactam fuiſſe in contrarium refert *Vicomercatus in Comment. ad cap. X. l. 3. Meteororum Ariſt.* Ne tamen omnem fidem antiquitati deroget *Reinzerus*, laurum particulis ſuis aromaticis peſtiferas & contagioſas exhalationes fulmineas corrigere & abigere putat. Unde fortaſſe, *Columella auctore*, gallinæ incubanti lauri ramulos olim ſubjecerunt, ne ova inficiant. Quercum ſimiliter fulminis ictu ſæpiſſime tangi & disjici vel ruſticis non ignotum eſt. Singulare exemplum ejus refert *Hildanus lib. de combuſt. c.* 16. dum ſuperiori, inquit, anno 1604. cum ligna pro uſu culinæ advehenda curaſſem, occurrit ingens quercus, quæ ante annos aliquot à fulmine icta fuerat: quod quidem ex fiſſura, quæ in exteriori parte corticis à ſummitate ad radicem usque conſpiciebatur, manifeſtũ erat: Extrinſecus pulchra: Fiſſo trunco medulla carioſa. Forte error inde ortus, quod quercus arbor Jovis dicatur conf. *Dn. Schminckii Diſſ. de Arboris Jovis cultu religioſo. inprimis in Haſſia.* Quod autem vitulus marinus & aquila à fulmine immunia putata fuerint, *Conimbricenſes* inde exiſtimant obortum fuiſſe, quod animalia hæc odore, quo gaudent tenerrimo, adeoque ex inſtinctu naturæ præſagiunt fulmina ſeque per tempus id in abditiſſima tutiſſimaque loca recipiunt, quò ſe à fulmine defendant. An feles, canes & capræ è contrario fulminis ictibus, ob halitus quos exſpirant, magis ſint obnoxii, certioribus obſervationibus relinquimus. Quod enim canes cœlo tonante ſub hominum pedes ſe recondendo aſylum quærant, ob metum & terrorem à tonitruum boatu ſubortum contingit. Unde & tormentorum bellicorum majorum exploſione hinc inde diſcurrunt, ut nuper adhuc Gieſſæ obſervatum fuit. Illud vero (8) notam meretur ſingularem, quòd fulmen non ſemper integras arbores excutiat, aut omnes illarum ramos disjiciat, ſed haud rarò in muris & arboribus rimas agat tenuiſſimas lineasque ductu ſerpentino variisque gyris implicito ducat tenerrimas, ita, ut vix artificioſiſſima pictorum manu ſubtiliores effingi poſſint, vid. *Miſcell. S. R. I. Acad. Nat.*

Cur.

Cur. Dec. II. A. IV. Obſ. XLVIII. p. 117. Quod item (9) ♀. accendat, teſtibus iisdem *Miſcell. Dec. I. A. VIII. p.* 6. ſicut aurum fulminans ſine igne accenſum legitur ibidem *Dec.* 2. *A. X. p.* 242.

§. III.

Peculiarem hic conſiderationem meretur fulminis effectus in corpora viventia, cumprimis autem humana, ut eo facilius illis obviam ire & medelam afferre poſſimus. Subſiſtunt autem illi vel in circumferentia & partibus corporis externis, quando (10.) vel capilli, vel cuticula & cutis aduruntur, vid. *Hildanus lib. de combuſt. c. XVI.* vel (11.) artus reſoluti ſenſu & motu ſubito privantur, cujus rei ſingularis exſtat obſervatio in *Miſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IV. Obſ. XLVIII. p.* 116. Sæpe (12.) oſſa lædit incolumi cute, teſte *G. Wyſſio in Phyſ. p.* 246. Vel (13.) Dyſpnœa corripiuntur, ut in iisdem *Miſcell. Dec.* 2. *A. II. Obſ. LXXV. p.* 389. *Anglica* verò *acta p.* 446. fœminam à tonitru in choleram incidiſſe habent. Vel (14.) ſubito, ut humi bos, in terram proſternuntur, juxta illud *Ovidii*:

Non aliter ſtupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.

Vel (15.) læſos ad inſaniam redigit, exemplo bubulci in montanis Taurinorum apud *Jul. Scalig. Exerc.* 13. Imò (16.) ſtatim vita privantur, etiam nullo extrinſecus apparente percuſſionis ſigno, vid. *Miſc. Germ. Curioſ. Dec.* 2. *A. VIII. Obſ. CCXIII. p.* 531. Conf. *Eutropium lib.* 4. *Hiſt. Rom. Petr. Crinitum lib.* 11. *de honeſt. diſciplina c.* 1. *Joh. Langium comment. ad libr. de mundo p.* 70. Curioſiſſimum hic caſum recenſet *Cardanus lib. de veritate rerum c.* 43. ſequentibus verbis: In Lemno meſſores octo ſub quercu fulmine percuſſi exanimabantur omnes, ſervata eadem ſpecie, eadem oris figura & eodem corporis habitu, quem gerebant viventes. Alius poculum ori admotum, alius cultrum, panem ſciſſurus, alius manus in patinas extenſas tenebat; denique nemo erat, qui non ſimile quid faciendo cœnantis ſpeciem præ ſe ferret. An (17.) embryones in utero contentos ſalva matre aut comminuat, aut

interficiat, ut exemplum de Marcia habet *Plinius* & aliud de muliere Moguntina *Joh. Langius*; de eo dubitat Dn. *le Grand. in Hiſt. natur. Tit. de Meteor. p.* 291. neque neceſſarium putat hic ad fulminis potentiam recurrere, quum ex timore & terrore mulieres illæ abortum ſint paſſæ. An & carnes ac oſſa fulmine tactorum in cineres & ventos abire, ſicque ſubito diſparere poſſint, ut de quodam, qui in via qua Lipſia Torgam itur ita ſubito ex hominum oculis ereptus fuerit, narrat *Wolfgangus Meurerus in Meteorolog.* crebrioribus obſervationibus indigere videtur: quamvis idem de Romulo, Romæ Conditore, *Livius*, & de Publicano Gerardimontenſi in Flandria *Petrus Caſtellanus* aſſerere non dubitarint. Unde *Henricus Culeus* in *ſtrenis ſuis* ita canit:

Pulvereum humana vidi ſub mole cadaver,
In tanto nusquam corpore corpus erat.
Omnia pulvis erant, cervix, caput, ilia, nervi,
Oſſaque cum pleno ventre, ſaburra, nates.
Pulvis erant crurum tenus omnia: quæ velut ictu
Indeclinato cæſa fuiſſe putes.

Cæterum dormientes æquè ac vigilantes ictui fulminis obnoxii ſunt: quamvis *Plutarcho l. c.* obſervante, priores non tam facile ac poſteriores tangantur: partim quod fulmen obliquo & transverſali ictu facilius erectos in pedes ferit: partim quia dormientes non tam facile terrore perfunduntur, quo plures exanimantur. Quare paſtores, ut fulminis terrorem pecori excutiant, gregem ſparſam colligunt, & immiſſo cane compellunt in unum, cum ſocietas levet metum *Fromondus c. l. p.* 67. An cadavera fulmine demortuorum ſemper & ubique verſus ictum ſe convertant quod nonnulli adſtruunt, adeo ſimpliciter aſſerere non auſim. Prorſus autem fabuloſum eſt, eadem cadavera ad longum temporis intervallum eſſe ἄσηπτα & incorruptibilia, ut præter *Plutarchum l. c. Caſp. à Rejes Camp. Elyſ. Quæſt. XXXIV. n.* 20. *p.* 410. adſtruit, cum præter experientiam ex antiquioribus *Seneca*, *loco* ab initio *citato*, è modernis vero *Garmannus in Miſcell. S. R. I. Ac. N. C.*

Dec.

Dec. 2. *A. X. Obſ.* 186. *p.* 363. contrarium demonſtrent & fulguriti paucis à fato elapſis horis aut diebus computruerint. Quæ de liberatione brutorum & inſectorum à veneno ſcribunt auctores, falſæ innituntur hypotheſi de veneno brutis formaliter inhærente, contra quod tam *Franciſcus Redi*, quàm *Celeb. Ettmüllerus Diſp. de morſu viper.* ex profeſſo, quod dicitur, dimicant.

§. IV.

Reſtant phænomena circa remiſſionem aut diſſipationem fulminis obſervanda, quod (18.) illico ceſſat, quando nubibus reſolutis imber aut pluvia ſubſequitur, juxta plebejorum proverbium:

So bald das Wetter regnet,
Iſt es ſo gleich geſegnet.

Conf. *Eccleſiaſticus cap. XL.* §. 13. ubi ſimile quid occurrit. An (19.) Campanarum pulſatio & tormentorum exploſio eo quid contribuere poſſit? diverſæ ſunt auctorum ſententiæ. Equidem in quamplurimis antiquiſſimorum templorum campanarum inſcriptionibus hanc virtutem præ ſe ferunt. Sic *Treyſæ*, haud procul à fortalitio *Ziegenhain*, campanæ cuidam hæc inſculpta ſunt:

Do veniam menti: Do laudem Cunctipotenti
Defunctos plango: Viva voce fulgura frango.

Similiter in Haſſia ſuperiori *Gladenbaci* ſequentia in campana leguntur verba:

Dum turbor, procul cedant, ignis, grando, tonitru, fulgur,
Fames, peſtis, gladius, Satan & homo malignus.

Interim aliquid ſuperſtitionis latere & ſubeſſe videtur, quum certum ſit campanis baptizatis olim virtutem hanc adſcriptam fuiſſe, qualis in vicinia, *Butisbaci ſc.* adhuc oſtenditur, hac cum inſcriptione:

Sit aura pia dum rogat iſta Maria,
Eſt ſua vox, bam, bam, potens repellere Satan,
Tonitruum rumpo, mortuum defleo, ſacrilegium voco.

Vid. *Winckelmannus in Chron. Haſſ. p.* 186. Baptizabantur autem campanæ Dominica Quaſimodogeniti, albis integumentis indutæ, uti ceremonias illas deſcribit *Paulus Vergerius*. Unde *Sperlingius* in *Inſtit. Phyſ. p.* 931. & cum eo *Kippingius* iſtud fabulis adſcribere non dubitarunt, cum & ventilatores ſ. pulſatores campanarum, teſte *Jul. Scalig. Exerc.* 13. *ſect.* 1. fulmine fuerint tacti. Aſt his non oſtantibus major auctorum pars non ſine ratione credit, vehementes campanarum, vel bombardarum, aut tormentorum ſonitus fulminis vim infringere, cum per alpes aut alios excelſos montes itinera facientes vix loqui aut tuſſire audeant, ne vocis ſono aër commotus Leænas niveas (à *Stumpſio in Chron. Helv.* ob oculos poſitas) decutiat, vid. *Carteſ. Meteororum cap. VII. p. m.* 209. & Epitomator ejus *Dn. le Grand, Inſtit. Philoſ. Part.* 6. *Cap.* 23. *p.* 504. Tandem (20.) ignem fulmineum nulla aqua exſtingui poſſe conſtans eſt plebeiorum opinio, qui fulmen nonniſi lacte vel (quod præſtare dicitur) aceto deleri poſſe garriunt. Aſt falſam eſſe ſententiam hanc, *G. Fabricius Hildanus lib. ſ. cit. p.* 934. teſtatur, dum circa finem contrarium ſeq. hiſtoria demonſtrat: Anno 1592. Hildenæ in patria turrim templi, altam ſatis & lapidibus tectam, fulminis ictu adeo incenſam vidi, ut ex una parte flagrare cœperit, trabesque nonnullæ ingentes ab ictu illo fiſſæ fuerint: quod tandem incendium aqua reſtinctum fuerat. Hinc ſæpe laudatus *Fromondus l. c. lib.* 2. *art.* 6. temperamento quodam adhibito ignem hunc quandoque aqua inexſtinguibilem eſſe dicit, additis exemplis quibusdam. Sic *Dion. lib.* 78. ſub Imp. Macrino tactum de cœlo, ipſo Vulcanalium die, theatrum narrat, nec aqua fluviatili, nec cœleſti profuſiſſima incendium potuiſſe comprimi. Tale quoque fulmen cum pluvia cœlo evocatum à Legione Meli-

tenſi

tenſi Chriſtiana (quæ propterea fulminatrix dicebatur) M. Aurelio Imp. in Quados (qui nunc Bohemi putantur) pugnante & exercitu toto extrema ſiti laborante. Vapore enim fulminis premebantur Quadi, nec ullum in ▽. cœleſti remedium erat, alebat enim potius flammas levabatque tantum Romanorum ſitim.

SECTIO II.
DE
NULLITATE LAPIDIS FULMINARIS ET GENUINA PRÆCEDENTIUM ÆTIOLOGIA.

§. I.

Ad genuinam phænomenorum horum cauſam eruendam poſtulo mihi dari

I.

Penetrationem corporum ſ. dimenſionum eſſe impoſſibilem.

Hoc in Phyſicis jamdudum inter demonſtrata habetur. Unumquodvis enim corpus ſua propria extenſione ac dimenſione gaudet, quæ alius quantitatem non admittit. Si enim cubo unius pedis ſimilem miſcere velis, non tam corpus unius pedis, quam potius bipedale emanabit.

II.

Dari effluvia, corporum unde proficiſcuntur naturam & qualitates retinentia.

Hæc enim ipſa experientia, per omnia naturæ regna, cuivis ob oculos

los ponit. Docent hoc ſigna metallorum naturalia, gramen aridum, nivium & pruinæ defectus, quæ nonniſi à metallorum effluviis oriuntur. Quin & ☿ halitus eadem ratione inſectis & lumbricis adverſantur, ut ipſe Mercurius. In regno vegetabili miram effluviorum vim oſtendit alicubi *Digbæus*, Angliæ Cancellarius, qui odorem rorismarini, in proximis montibus copioſiſſime creſcentis, è quodam Hiſpaniæ littore, ad trecenta milliaria, per mare pluribus diebus ſe perſenſiſſe teſtatur, antequam navis, qua vehebatur, ad littus appelleret. Non minus patet ventos ſemper redolere corpora, quæ prætervehuntur, ita, ut, ubi roſarum copia, totus circumcirca aër repleatur roſarum odore: vitiferi vero colles totam viciniam odore gratiſſimo perfundant. Quantam autem vim habeant effluvia è viventibus, tam ſanis quam ægrotis emanantia, vel in vulgus notum eſt. Ægrorum enim effluvia propagata per halitus contagio inſignem ſæpe ſtragem edunt. De ſanis vero notabile exemplum habet *Verulamius* in *Sylva Sylvarum* ſive *Hiſt. Nat. Cent. X.* §. 942. *pag.* 955. dum ad quæſtionem, cur Pædagogi plerumque ſeniores fiant? aliis reſpondet, ideo illos diu integra ſanitate frui, quia ex juvenibus ſpiritus magis ſanos vitalesque trahant, allegans exemplum *Orbilii.* Econtra lippientes vetulas ob tetros halitus Matres ab infantulis ſuis arcent.

III.

Maximam ſæpe minimorum eſſe vim, cumprimis ſi in motu ſuo impediantur.

Probant hoc varia experimenta per antliam pneumaticam, inſtrumentum Magdeburgicum, vitra tonantia & pulverem pyrium inſtituta: ubi vel ſolus aër vi ſua elaſtica, vel & particulæ nitro-ſulphureæ incenſæ & à ſe mutuo diſſilientes cum impetu quævis disjiciunt, omniaque ſusque deque vertunt, cumprimis ſi in ſolida, motui ſuo reſiſtentia, impingunt.

IV.

IV.

Effluvia in minimos etiam C. N. poros ſe inſinuare eosque pervadere.

Hoc tam à priori, quàm à poſteriori conſtat. Certum enim eſt effluvia ætheri, tanquam vehiculo, innatare, qui, cum omnia pervadat, hoſpites ſuos facile ſecum rapit. Quanquam & effluvia plurima in ſe ſatis ſubtilia ſunt, ut poros corporum ſubeant, eademque varie alterent. Apparet id in effluviis Mercurialibus, à quibus aurifices vaſa argentea inaurantes ſæpiſſime tremore artuum & paralyſi corripiuntur. Qua ratione & ii qui ſalivatione ☿li utentibus ſuppetias ferunt, in eandem ſalivationem ſæpe incidunt. Quantam vero ſtragem edant effluvia ægrotorum & cadaverum per contagium, nemini ignotum eſt. Quemadmodum ergò, *Hippocrate* teſte, corpus humanum foris & intus eſt perſpirabile, ita & reliqua corpora naturalia. Vid. *Boyle de Poroſ. Corp.*

V.

Fluida & corpora elaſtica, in anguſtiam redacta, illic erumpere, ubi minor eſt reſiſtentia.

Hoc vel pueruli ſclopetis ſuis ſambucinis, mit den Holder-oder Blatz-Büchſen (quibus ſclopetorum pneumaticorum effectus imitantur) oſtendere valent, in quibus aër ab embolo compreſſus in ea parte, ubi fructus prunorum ſylveſtrium immatutorum, loco obturaculi, eſt ſitus, erumpere ſolet, cum illic minorem, quam in tubi lateribus reſiſtentiam inveniat. Idem in tormentis bellicis majoribus obtinet, quæ è contrario nimium onerata & ſtipata (wenn ſie gar zu ſtarck geladen ſind,) cum impetu diſſiliunt: quod in probatione tormentorum recenter fuſorum, & duplici pulveris doſi (mit doppelter Ladung) conſtipatorum ſæpiſſime evenire ſolet; unde & à prudentibus Belli-Ducibus probatio illorum extra

mœnia in campo inſtituitur, ne, ſi in vallo municipali id contingat, & hominibus & ædificiis damnum aliquod inferatur.

§. II.

Poſitis his, haud difficulter obſervare licet, ne unicum quidem ex phænomenis antedictis à lapide fulminari, vulgò ita dicto, derivari poſſe, nec fulminis materiam in craſſo ejusmodi corpore, ſed potius in ſubſtantia quadam ſubtiliſſima atque fluidiſſima quærendam eſſe. Qui enim minutiſſimos vaginarum, dolii & cutis humanæ poros ſubire poterit, cum non detur corporum penetratio, juxta datum primum? qui tantas ædium ſubſtructiones incendere, omnes arborum ramos disjicere, ſubtiliſſimas illic varieque inflexas rimulas & lineolas efformare poterit? & quis unquam illum ſub ejusmodi tempeſtatibus decidere vidit? id ſane ſi contingeret, vix aliter fieri poſſet, quin aliquando incidere deprehenderetur in aliquem immenſæ alicujus urbis, (qualis v. g. eſt Lutetia,) vicum, aut domus aream, tectumve, quod à nemine compertum ſcivit *Rohault. Tr. Phyſ. Part. III. p.* 651. Solus & unicus *Avicenna* talem Cordubæ delapſum & à ſe viſum teſtatus olim, uti *Averrhoës Meteororum c.* 2. tradit. Aſt fides ejus ſuſpecta valde eſt, cum plurima oppido falſa in ſcriptis ejus occurrant, ita ut nonnulli eundem fabularum Parentem nominarint. Quin & ante illum ſane nuſpiam lapidis hujus meminerunt Philoſophi, alias acerrimi judicii, imo poſt illum nullus αὐτόπτης cerauniam è nubibus exploſam vidit. Neque huc trahendi loci ſacrarum literarum, v. g. *Pſalm* 18. §. 15. וַיִּשְׁלַח חִצָּיו & *Pſal.* 77. §. 18. חֲצָצֶיךָ יִתְהַלָּכוּ, qui per ſagittam, à Deo è nubibus demiſſam, non ſubſtantiam, ſed pernicitatem & motum fulminis exprimunt, cum *Luthero* hujusque ſequacibus id docentibus Theologis Reformatis haud infimi nominis, conf. *M. Gothofredi Wagneri diſp, de lapide fulminari contra Ritterum Wittenbergæ habita.* Unde miror ingenioſiſſimum *Carteſium* etiam fabulam hanc admiſiſſe & *Meteor. cap. VII. pag.* 208. modum oſtendiſſe, quo in nubibus concreſcere poſſit: cujus experimen-

perimentum de terra, ☉ & ♁ incenſis & in lapidem talem redigendis cum aperte fallax ſit, hinc celeb. *Morhoſius Polyhiſt. Tom. II. lib. 2. Part. 2. Cap. 24. p. m.* 415. alium, ſed non minus improbabilem excogitavit modum, quando ſcribit: qui vulgo oſtendi ſolent, è terra plerumque effodiuntur; unde ſuſpicio eſt radios fulminares terram penetrantes, arenam, quam forte offendunt, in talem aliquam maſſam lapideam per vitrificationem quandam colliquare. Sola ſane ſoliditas hujus lapidis hunc generationis modum ſatis evertit: & cur radii fulminares arenam in littoribus extra terram non æque vitrificarent? Ut ergo veram de Ceraunüs ſententiam aperte & palam hic profiteamur, dicimus cuneos ejusmodi, quos fulminares appellant, utique ſæpius è terra effodi, tam lapideos vulgares, quam metallicos, qualem non tantum *Rumphius* olim ex India Orientali Curioſis Germanis obtulit, ut ex *Miſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. VII. pag.* 40. *App.* eluceſcit, ſed & in agro Giſſeno aliquot abhinc annis invenerunt; quod vero ex effluviis in nubibus generentur & cum fulmine explodantur, hoc eſt quod cum plurimis moderni ſeculi Philoſophis nego. Pleroſque enim, ſi non omnes, arte factos eſſe, è primo ſtatim intuitu apparet; imprimis foramen per medium illorum trajectum & terebra intornatum id manifeſte prodit, in quo cum introitus ſit glaber, in altero latere contra, ubi terebra exit, ſemper aliquid de lapide abruptum videtur: quod ipſum ſane in aliis lapillis, foramine præditis, quando vel gutta cavat lapidem, vel flumina rapidiora lapides adhuc molliuſculos perforare ſolent, ut in lapillis Francobergæ in Adrana inveniendis & ab incolis hinc Donneräxtger dictis, occurrit, non æquè ſpectatur. Cogitavi ergo ſæpe, annon antiquiſſimis temporibus ſecuribus hiſce Pagani in ſacrificiis ſuis & idololatriis uſi ſint, quod de vetuſtiſſimis Septentrionis incolis poſtmodum ſe audiviſſe teſtatus eſt *B. Dn. Spenerus, Conſiliarius & Archiater Regis Pruſſiaci*: donec tandem certiorem illorum originem, ex Hiſtoricis antiquiſſimis, occaſione urnarum ſepulchralium, & in iis cuneorum fulminalium prope

vicum Haſſiæ *Maden*, in agro ſterili, ante aliquot annos inventorum, eruit Excellentiſſ. *Dn. J. H. Schminckius* Hiſt. Civ. Prof. Marburgenſis, qui non ſine cauſa illos pro armis habuit Paganorum & cumprimis veterum Cattorum, cum (1.) illic fuerint inventi, ubi ſecundum alios Catti olim Saxones fuderunt, (2.) *Tacitus* teſtetur, Germanos antiquiſſimos, in crematione mortuorum, ſua cuique arma adjeciſſe urnis, unde & in Holſatia in effoſſo Gigantis cubili ollam cineribus plenam, cultrum & novem lapides fulminates repererunt, teſte *Hannemanno in Miſc. S. R. I. Nat. Cur. Dec* 2. *A.* 4. *Obſerv.* 53. *p.* 121. (3.) in Muſeo Regio Hafnienſi inter alios ejusmodi lapides unus inſtar cunei formatus conſpiciatur, in cujus foramine manubrium ligneum, X. pollices longum, habetur. Addo (4.) quod Equites Haſſi tali armorum genere ſæpe depingi ſoleant, ſicut Nobilis quidam à *Berlepſch*, qui cum aliis Lutherum ſub ficta hujus captivitate in Pathmum ſuum deduxit, ſimiliter æri ſic inſculptus ſiſtitur à *Joh. Michaele Kochio*, *in Deſcriptione Caſtelli Wartburgenſis pag.* 165. Vid. plura in ſupra laudati *Dn. Schminckii Diſſert. de Urnis ſepulchralibus & armis lapideis veterum Cattorum*, *Marburgi* anno 1714. habita, ubi ſimul omnia figuris æneis illuſtrantur, quas pace Dn. Auctoris in præſenti Tabula ob oculos pono, ubi *num.* 1. 2. 3. ſpectantur urnæ, quarum inſignis copia, una cum vitris lachrymalibus & amphora Rom. maxima Moguntiæ eruta, aſſervantur in Muſeo Antiquarii Nobiliſſ. Francof. *Dn. C. H. de Klettenberg & Wildeck*, *Eq. Wettrravi.*

Num. 4. Cuneus fulm. perforatus: ad cujus imitationem temporibus ſubſequentibus ſimilia inſtrumenta ferrea (die Spitzhämmer) dubio procul confecta fuerunt, quale quid manu tenet quidam Saxoniæ Dux, in *Chornico Saxonico* (vulg. im Sächſiſchen Helden-Saal) inter alios depictus.

Num. 5. 6. 7. Lapides fulm. non perforati: Quod verò lapides fulminares è tumulis eruti tragici ſemper eventus ominis ſint, ut in *Miſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Obſ.* 53. *pag.* 124. habetur, ſuperſti-


pag. 492.
URNAE SEPULCHRALES
et
Arma lapidea Cattorum
Quæ non longe ab Adrana ad vicum Madenſem
eruta ſunt
TAB: IV
1
2
3
4
5
6
7
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
C. Wilhelm Eberlin delineavit.
J. Hartman Lennep Sculp.

perſtitionem magis, quam neceſſitatem Phyſicam ſapere videtur. Nec ſolum in Haſſia, verùm & alibi, v. g. in Weſtphalia, ſimiliter cuneos cum urnis repertos teſtatur *Jodocus Hermannus Nunningius* JCtus & Canonicus Scholaſticus Vredenſis in *Sepulchreto Weſtphalico-Minigardico-Gentili*, qui eosdem pariter pro armis veterum Germanorum habet: cui pollicem premit *Joh. Henricus Cohauſen*, Med. Doct. Hildeſienſis, in *Oſſilegio Hiſtorico-Phyſico*, cum priori edito *pag.* 44. in fidem allegans *Dn. D. Joh. Dan. Majoris* Neubevölckertes Cymbrien, in quo *pag.* 45. palam profitetur, cuneos fulminares vulgo ſic dictos arti humanæ ſuos debere natales & quondam inſtrumenti bellici vices expleviſſe. Quid quod rudera hujus ſententiæ quoque reperiantur in ſacris, ſcil. *Ezech. cap. XXXII.* ℣. 27. de fortibus cadentibus & incircumciſis, qui deſcendunt ad infernum (*i. e.* ſepulchrum) cum (NB.) armis ſuis & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis: quod iisdem temporibus in uſu fuiſſe atteſtatur *Toſſanus* in *Scholiis ad h. l.* ſicuti noſtro tempore ſarcophago imponuntur & in cœmeteriis ſuſpenduntur. Stante hac ſententia, cadit illorum opinio, qui lapides fulminares cum gloſſopetris confundunt, exiſtimantes has tandem illorum formam adipiſci, teſte *Boetio de Boot in Tr. de Lapid. pag.* 341. Toto enim cœlo differunt, cum dictæ ſic gloſſopetræ nihil aliud quam dentes ſint carchariæ piſcis petræfacti, ut non tantum figura, ſed & analyſis illarum Chymica, qua in carbonem potius, quam calcem abeunt, & ⊖. vol. produnt, oſtendit. Multo minus hyſterolithus rudimentum ceauniæ dici poteſt, qui nil niſi concha, è numero bivalvium & pectinum, petræfacta eſt; unde in nonnullis non tantum ſtriæ harum concharum, tanquam in matrice, exactiſſime apparent, uti plures in Muſeo ſuo *Venerandus Dn. Parens* aſſervat, ſed & ipſæ conchæ quandoque in ſubſtantia vel parum immutatæ illic inveniuntur; quemadmodum igitur virtus, quæ hyſterolithis ab *Horſtio* ob ſignaturam adſcribitur, inde prorſus evaneſcit: ita ſimiliter nunc actum eſt de virtutibus lapidis fulminaris, quas ſuperſtitioſæ mulierculæ in curandis uberi-

 bus

bus brutorum, iiſdem fricandis, adſtruunt, cum ſi quod opis inde redundet, frictioni magis quam ſpeciali lapidis virtuti adſcribendum ſit. Hernias, variolas & morbillos eo curari poſſe, credat Judæus apella. Quod autem celebris Practicus *Dn. D. Michaël* eundem pro ſpecifico icterico habuerit, illud ſulphureis ejus particulis, quibus, ut omnes pyritæ atque ſilices, gaudent, non vero fulmini adſcribendum, vid. *Ettmüll. in Comment. ad Schröderi Pharmacopœiam Medico Chymicam*, quæ maxima ex parte pro genuino Auctore B. D. *Uffenbachium* agnoſcit, cujus Bibliotheca cum MSS. in manus Dn. *Schröderi* incidit, ut Vir quidam Nobiliſſimus è familia Uffenbachiana nuper retulit.

§. III.

Rectius igitur fulgur atque tonitru ab effluviis nitro-ſulphureis. per motum in aëre accenſis, oriri dicuntur, quæ ſi copioſius concurrunt, nubibus denſioribus incluſa accenſaque glomeres quosdam de ſe vibrant, ſicque ipſum fulmen conſtituunt, haud aliter ac pulvis pyrius, tormentis intruſus, aut cuniculis bellicis incluſus ſimilem fragorem edit omniaque ſusque deque vertit. Ratio in diſconvenientiam & diſproportionem particularum nitroſarum & ſulphurearum, in igne ſe mutuo disjicientium, redundat, quod antiquiores per neſcio quam antiphatiam explicabant, quam experimentis quibusdam explicat *Sennertus*, citatus & fuſe recitatus à *Sperlingio l. c. pag.* 926.

§. IV.

His ita ſe habentibus, facilior jam erit φαινομένων ſupra enumeratorum ætiologia, à lapide fulminari fictitio fruſtra expectanda. Quod enim (1.) fulmen iis potiſſimum noctibus graſſetur, quas dies calidiſſimus præceſſerat, à viſciditate particularum ſulphurearum deducendum eſt, cujus intuitu, ob particulas hamatas & ſibi invicem implicitas, difficilius & nonniſi ſummo ignis ſubterranei & externo Solis calore evehuntur & in altum propelluntur. Effluvia enim corporum ſuorum qualitatem utplurimum retinere, dictum eſt in Poſtulato IIdo. Jam notum eſt ex Chymicis olea

&

& ſulphura aliis implicita difficilius & nonniſi poſt aliarum particularum, ſive ſpirituoſarum, ſive aquearum, aut ſalinarum volat. adſcenſum in deſtillationibus aut ſublimationibus prodire, ſicut prius olea deſtillata vegetabilium, poſterius autem cinnabaris antimonii oſtendunt. Quapropter &, (2.) in locis calidioribus crebriora audiuntur fulmina, cumprimis iis, in quibus aut montes ignivomi, aut fodinæ ſulphuris & bituminis occurrunt: dum illic calor locorum particularum ſulphurearum exhalationem facilitat: hic vero major illarum copia ſuppeditatur; unde mirum non eſt cur (3.) fulmine imminente aut graſſante atmoſphæra odorem ſulphureum ſpiret, adeo quidem, ut & canes venatici ferarum veſtigiis tam accurate, ut ſerena tempeſtate, inſiſtere nequeant, alii quoque tempeſtates imminentes præſagire queant. Hæc autem omnia à particulis & effluviis oriri eo minus dubitare licet, quod ſulphur illud ſub reſinæ forma corporibus adhæſiſſe è novellis allegatis conſtet: & cum particulæ illæ à fulmine exploſæ ætherique innatantes ſint ſubtiliſſimæ, ita, ut ſecundum Poſtulatum IV. poros ſubtiliſſimos pervadere poſſint, hinc (4.) vagina, cujus poros abſque ullo impedimento permaneant, illæſa gladium ignea ſua cauſticitate colliquant, ad quod ſpiritus ſulphuris acidus & æthereus ſine dubio multum contribuit, cùm in vulgus notum ſit, magdaleonem ſulphuris ferramento ignito admotum hoc in momento, butyri inſtar, liquare & in crocum martis aperitivum convertere; qua ratione quoque laminam chalybeam elaſticam in horologiis colliquefacit; & quemadmodum ſulphur *Helmontii* embryonatum (per quod ſimilem ſpiritum ſulphuris per terram diffuſum exprimit) mineras in ⊕ corrodit, ita (5.) 🜍 illud embryonatum aëris poros loculorum pervolando argentum conflare & liquare valet. Quando autem dolium ſimiliter penetrat & liquoribus illic contentis, haud aliter ac radii luminoſi ob denſitatem opticam illic refracti, implicantur, non poſſunt non (6.) craſin & texturam illorum motu ſuo reciproco turbare, particulas ſpirituoſas & balſamicas expellere, ſicque aut optima potulenta corrumpere & in vappam

vappam convertere, aut totam illorum molem & ſubſtantiam per poros expellendo vaſa omnino exhaurire. Cur (7.) fulmen altiora, turres, arbores excelſas &c. magis feriat, quam humilia? acutiſſimorum Philoſophorum ingenia nunquam non ſummopere exercuit. Maxima antiquorum pars id fulminis obliquitati tribuit, cum non tam linea perpendiculari, quam transverſali ad terram ruat: cum vero ratio motus illius obliqui non addatur, parum inde lucis affunditur huic difficultati; & quamvis ingenioſiſſimus *Carteſius Meteororum cap*. 7. *§*. 10. *p*. 208. in figura ænea ob oculos ponat, nubem facilius in latere dehiſcere, vel & in parte inferiore, ſicque fulminis obliquitatem quodammodo oſtendat, ſtatim tamen & hic redit quæſtio, cur nubes facilius in latere quam alibi dehiſcant? cui nec *Dn. le Grand*, neque *Rohault*, *du Hamel*, aliique ſatisfecerunt. Genuina igitur ratio videtur eſſe, quod nubes rorida à columna aëris deſuper incumbentis & à parte inferiore aſcendentis magis prematur, quam in lateribus, unde per hæc, ob minorem reſiſtentiam, glomeres fulminei facilius erumpunt, vi poſtulati V. ſicque per oliquum ruendo altiora facilius petere, ut è *Carteſii* figura apparet; quod itidem fit, ſi turris excelſiſſimi apex ad nubem proprius accedentem fere pertingens aëris circumſtantis elaterem infringat: quæ cauſa eſt, cur vix annus prælerlabatur, quo non turris Eccleſiæ Cathedralis Argentinenſis, 574. pedibus Geometricis præalta, fulmine infeſtetur, referente *Franc. Reinzero S. I. in Meteorol. Philoſophico Polit. pag*. 54. Interim putandum non eſt hunc fulminis motum eſſe perpetuum, ſed illud quandoque etiam verſus cœlum erumpere poſſe rectiſſime judicat *Fromondus l. c. pag*. 60. *edit. Lond.* Quando autem deorſum verſus globum terraqueum fulminat, non tantum obvia quævis proſternit, & particulis fulminantibus late disjectis omnes arborum ramos decutere valet, ſed ob ſummam ſui ſubtilitatem (8.) quandoque rimas ſubtiliſſimas illic agit & lineas ſerpentiformes varieque ſibi invicem implexas ducit, quæ à corpore craſſiore profluere nequeunt; & cum eædem particulæ nihil niſi ignis ſint, hinc mirum

mirum non eſt idem V̇ (9.) accendere poſſe, cum & ipſe V̇ ſumme rectificatus, utut actu frigidus, pulverem pyrium particularum ſuarum motu accendere valeat. Interim ſimul notandum eſt, fieri quandoque poſſe, ut ſub ejusmodi procellis & tempeſtatibus ſolus aër, nubibus incarceratus, tam vehementer explodatur (haud aliter ac in ſclopetis pneumaticis fieri ſolet) ſicque variæ quidem turbæ in rebus ſublunaribus, cumprimis in corporibus humanis obortiantur, utut nullum omnino incendium ſequatur: cujus rei notabilem obſervationem recenſet *Dn. D. Mœren*, Archiater Moguntinus, in *Miſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. 4. Obſ. 48. p.* 116. Unde procul dubio ſubnata eſt plebejorum diſtinctio inter fulmen calidum & frigidum, quod ultimum in vernacula einen kalten Schlag vocare ſolent.

§. V.

Phænomena in viventibus occurrentia partim à ſubſtantia fulminis ignea, partim à vehementiſſima particularum nitro-ſulphurearum exploſione ac motu deducenda ſunt. A priori enim (10.) accenſio capillorum, barbæ, cutis & cuticulæ exoritur, haud ſecus atque ab igne actuali & cauteriis igneis idem fieri ſolet. A poſteriori (11.) artuum reſolutio paralytica, imo & apoplexia producitur, cum principium movens, quod - animales vulgo vocant, omnino disjiciant & è corporis domicilio quaſi relegent, fibras ſimul motrices diſcerpant & à tono ſuo dejiciant. Quid quod (12.) ipſa etiam oſſa ſuo impetu confringant & comminuant, ſi poros partium continuo pervadendo illa, non ſecus ac gladium illæſa vagina, aggrediantur. Viſceribus vero affrictæ (13.) Dyſpnœam in pulmonibus aut (14.) Choleram in ventriculo & inteſtinis cauſantur, quia in priori malo aut fibras bronchiorum, à *Williſio* depictas, diſcerpunt, aut aërem in pectore contentum & ad reſpirandum neceſſarium expellunt, aut externum nimis attenuant, ut non ſecus ac in montibus excelſiſſimis reſpiratio difficilior reddatur:

in poſteriori caſu verò ſtomachum & inteſtina laceſſendo ad excretiones illas viſcera hæc compellant; quamvis terror etiam multum hic contribuat, cum dentur homines qui exaudito tonitru & fulmine ſtatim diarrhœa corripiuntur. Quodſi tandem ipſum etiam cerebrum corripiant, texturam ejus diſſolvant ejusque incolas & colonos emigrare jubeant, mirum non eſt, ſi (15.) inſania, aut (16.) mors præſentanea ſubſequatur; id quod facilius (17.) in tenerrimis embryonibus fieri poteſt, qui & aliis motibus violentis facile ad abortum & ipſam mortem diſponuntur.

§. VI.

Fulmine tandem deſæviente, tonitru, fragor & reliqua illico ceſſant, ſi nubes (18.) in pluviam ſolvantur: non quod nubes ſuperior in ſubjectam delapſa hanc penitus dejiciat, quam Carteſianorum hypotheſin nonniſi cum grano ſalis admittit ſummè Rever. Abbas *Dn. Schmidius in Diſp. de Tonitru anno* 1680. *Jenæ habita* §. 9. ſed quia nubibus in ▽. ſolutis particulæ antea incluſæ liberum exitum nanciſcuntur, tantaque vi neque concurrere neque explodi poſſunt. Quapropter & impoſſibile non eſt (19.) campanarum pulſationes aut bombardarum exploſiones, ob nubium diſcontinuationem, aliquid ad fulminis diſcuſſionem contribuere poſſe, cum maxima ſæpe minimorum ſit vis, juxta Poſtulatum III. aërque commotus corpora etiam ſolita diffringere poſſit, ut notiſſimum *Petteri*, Oenopolæ Amſtelod. experimentum ad oculum demonſtravit, quod fuſe & curioſe proſequitur B. Dn. *Morhoſius Tr. de Scypho vitreo per certum vocis humanæ ſonum fracto.* Quod vero campanis, ut & herbis & candelis, celebrioribus feſtis luſtrali aqua expiatis, plus virium à benedictione ac Eccleſiæ precibus, quam rationibus Phyſicis competere ſcribat *Reinzerus, S. I. lib. c. pag.* 55. religioni ejus & nimiæ pietati tribuas oportet. Quod tandem (20.) fulmen quandoque aqua reſtingui non poſſit, fieri poteſt, ſi particulæ ejus nimis reſinoſæ atque pingues ſint,

haud

haud ſecus ac in communibus incendiis domiciliorum obſervatur, quæ ſi in cameras lardo exſiccato plenas (in die Speck. Kammern) incidat, aqua ſimiliter ægerrime aut plane non extinguuntur, idque ob particularum oleoſarum & aquearum diſproportionem.

SECTIO III.
DE CURANDIS FULMINE TACTIS.

§. I.

Hic primùm omnium ſignis quibusdam opus eſt, quibus certi reddamur, an quis fulmine tactus ſit, nec ne? cum in cauſis Medico Legalibus & Medicina Forenſi hæc quæſtio haud minimi ſit momenti. Quærere enim poteſt Magiſtratus, an homo, cujus cadaver fuſum humi in camporum patente planitie jacet, vel ſolum domi exanime inventum eſt, fulmine conciderit, an alia injuria interierit? ubi quidem duo palmaria criteria proponit celebris Chirurgus *Paræus in Tr. de Renunciationibus p. m.* 655. ſcil. odorem gravem & ſulphureum, quem omne corpus fulmine tactum ſpirare ſolet: & abhinc veſtigia ignis cujusdam, ſeu uſtione, ſeu nigrore conſpicua, cum nullum (ſtricte ſic dictum) ſine igne ſit. Adde (3.) *Cardan. lib. de Fulg. c.* 19. labia vulnerum à fulmine frigidiora ſemper eſſe reliqua carne, ob diſſipationem ſpirituum, id quod tamen in demortuis obſervari non poterit. An & alia à *Plinio* addita phænomena, quod ſcil. bruta fulmine tacta in adverſum latus cadant, ſolus autem homo, cum interit, nonniſi in partem tactam cadat, aut niſi vi convertatur in partem ſ. regionem un-

Rrr 2 de

de fulmen venit : quod item homo, ſi vigilans fulmine tangatur, oculis videatur clauſis, contra apertis, ſi dormiens feriatur, jam in medio, & ulteriori obſervationi relinquo. De immunitate fulminatorum à putredine in præcedentibus actum eſt.

§. II.

Quamprimum jam de fulminis effectu certi ſumus, imperata prius diæta vulneratis dicata (præter quam hic veſtes ſtatim exuendæ & tam ob reſpirationem liberam quam propter malignitatem abjiciendæ, aut bezoardicis ſuffumigandæ ſunt) & formata prognoſi, è variis & propriis cuique parti fontibus & effectibus haurienda, ad duo cumprimis attendendum erit, ſcil. (1.) ad partium fluidarum interiorem, & (2.) ad ſolidarum magis exteriorem læſionem. Utrobique de ardore interno ac læſarum partium externo mire conqueruntur, obſervante *D. Schuchmanno in Miſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. A. VIII. Obſ.* 213. *p.* 533. qui ſicut à ſumma turbatione humorum circulantium, & ∼-uum confuſione, & fibrillarum diſcerptione empyreumatica producitur : ita illic particulæ fulmineæ è corpore ſunt eliminandæ : id quod blandis diaphoreticis, ♁ ſcil. diaph. bez. min. ⊕ ♁ato & ſimilibus fieri ſolet, mixtis ſemper cardiacis & confortantibus, & ob malignitatem bezoardicis, v. g.

℞. *Pulv. bezoard. Angl.* ℈j.
♁. *diaph.* ʒß.
⊕. *depur.* ℈j.
Camphor. ℈ß.
Ther. cæl. gr. ij.

M. Div. in 3. p. æ. D. in ▽ meliſſ. borrag. bugl. citr. è typh. cerv. &c. *Guil. Fabrit. Hildanus lib. de comb.* circa finem ſolum laudat lap. bezoar, ad gr. VI. vel VIII. in prædict. ▽ aliqua ſumendum, ſed ob mangonium illi ſoli non fidendum, aut doſis augenda erit. Meliora ſunt quæ è compoſitionibus antiquioribus laudat, ſc. ſpec. dia-

marg.

marg. frigid. lætif. Galen conſ. alkerm. è quibus c. conſerv. bugloſſ. meliſſ. cort. citr. &c. facile elect. confortantia fieri poterunt. Quando vera talia fixiora quoque externè in forma epithematis adhibet, laterem fere lavat, cum virtus illorum neque ad cor, neque humores circulantes penetret. Rectius volatilia ſubſtituuntur, linteis aſperis & calidis fricando membra, brachiaque & crura ligando.

§. III.

An & V. S. hic locum habeat? non immeritò quærit laudatus modo *Hildanus c. l.* quod cum illo negamus, niſi indicatio quædam particularis & inſolita eandem urgeat. Multo minus purgantibus hic locus concedendus, quæ majores in corpore turbas ciere, aut oleum igni infundere poterunt. Quanquam eo laborandum quoque ſit, ut alvus conſueta reſpondeat, qua renitente ſymptomata à fulmine exorta exacerbari ſolent. Segnior igitur lenioribus enematibus & ſuppoſitoriis incitari & officii ſui admoneri poterit. Præſtant ſimplicia à *Græſio Tr. de Clyſt.* laudata. Reliquis autem ſymptomatibus fulmini ſæpe conjunctis ex propriis, ſi urgeant, fontibus ſatisfieri poterit. Sic in paralyſi artuum aut conjuncta apoplexia antiparalytica, nervina, antapoplectica & ſimilia, poſt diaphoretico-bezoardica, in uſum ſunt vocanda, qualia ſunt ▽ apoplectica off. ⌿ cephal. lil. convall. ⊖✱, eſſent. caſtor. balſamum nervinum Conerdingii, ſpiritus formicarum in- & externe &c. In cholera conjuncta ſtomachica dentur, cumprimis ▽ menth. polychreſta, lap. cryſtalli præp. zingib. in Ind. cond. cum brodio &c. In Diſpnœa nil æque ac ſulphurea ſuccurrere *Dn. Sommerus* expertus docet in *Miſcell. S. R. J. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. II. Obſ. CLXXV. pag.* 389. Talia ſunt flor. & lac ♧. à ℈ß. ad ℈j. cum fl. benz. & ſimilibus danda.

v. g.

℞. *Flor.* ♀. ℥j.
benzoin. ℈j.
⊖✱ ℈ß.
Ther. cœl. gr. iij.
M. Div. in 3. p. æ. D. in
▽. *hyſſop. c. vino.*

Quodſi tandem ad amentiam & inſaniam redacti fuerint, orandum eſt ut ſi mens ſana in corpore ſano, propinando ſimul cephalica, antimaniaca, ſpec. lætif. Galeni, ~ ſang. hum. infuſ. torn. ſang. aſinin. ~⊖✱. in ▽. anagallid. fl. phœnic. &c.

§. IV.

Læſiones partium externarum à fulmine eadem aut ſimili ratione tractandæ ſunt, uti vulnera ſclopetis aut inſtrumentis ignitis inflicta, de quibus, præter *Botallum*, parvulum, ſed elegantiſſimum tractatum conſcripſit *Taſſinus*, Gallus, ſub rubrica: *Tractatus de Vulneribus ſclopetariis* cum Botalli ſcriptis Germanicè quoque editum. Ad empyreuma ſive expellendum, ſive exſtinguendum, ut & inflammationem & gangrænam arcendam adhibeatur ſtatim ſpiritus vini camphoratus c. ~⊖✱. permixtus, cum linteis duplicatis, vel & unguentum camphoratum album illinatur. Quodſi vibices hinc inde conſpicuæ gangrænæ metum jam incutiant, linimento primum ex vitello ovi, cum ℞ lini (à *Gockelio* in *Conſil. & Obſerv.* laudatum) adhibeatur, & abhinc triplicata linteamina aqua nigra Chirurgorum imbuta imponantur. Partes fere prorſus ſphacelatæ, aut corneam quaſi ſubſtantiam induentes enſe reſecandæ ſunt, ne pars ſincera trahatur. Exſcindantur igitur novacula adinſtar ungulæ equinæ, ad imit. *Schuchmanni l. c.* aut ope ſcalpelli c. *Hildano*, digeſtivis poſtmodum & mundificativis vulnus relictum more ſolito tractando.

Eadem

Eadem ratione proceditur quoque ſi puſtulæ, vulnera, aut maculæ adſint: quibus potius applicandæ ſunt ſæpe c. ⊖. fol. rutæ & theriaca conquaſſatæ: cucurbitulæ item & hirudines, inciſis prius veſicis. Emollientia, ad putredinem diſponentia & eſcharam relaxantia, hic locum non habent: quin excidatur eſchara ſcalpello aut forfice, ulceri abhinc ſeq. mundificans Hildani applicando:

℞. *Mell. roſ.* ℥ij.
Pulv. rad. vincetox.
angel. aa. ℥ß.
Fol. rut. c. pulv. ♋. *conquaſſ. p.* ij.
ther. ʒij.
🜄. ℥ß. M.

Subjunctis abhinc ſarcoticis, myrrhatis, fol. ſcord. &c. quæ admixto parum O. uſti & ceruſſ. cicatriculam quoque inducunt. Si facies nimium rubeſcat & oculi doleant, procedatur ut in facie pulvere ſclopetario aduſta, cujus binos caſus hic Giſſæ contigiſſe memini. Oculis tum inſtillabatur lac humanum recens mulctum, cum pauca ▽. roſ. &, ſi dolor urgeat, crocus addatur.

Vel ℞. ▽. *roſ.*
album ovi diu concoct.
aa. ℥j.
Sem. cyd. ℈ß.

Macer. per IV. vel V. hor. col. & inſtill. Imponendo *cataplaſm. ex pom. aſſ. ſem. fænugr. contus.* Reliqua vide apud *G. Fabr. Hildan. in Epiſt. de vuln. ſclop. curat. c. 4. pag.* 956.

Si oſſa fracta aut comminuta fuerint, fractura ſingulis diebus ſemel deliganda, cataplaſmata calida renovanda, epithem. vino, in quo herb. & rad. alexiph. decocta, membra fovendo, & omnia more ſolito tractando; quæ omnia & ſingula eleganti caſu & obſervatione illuſtrantur in *Miſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. A. II.* 67.

SECT.

SECTIO IV.

DE MODIS SE A FULMINE TUENDI ET PRÆSERVANDI.

§. I.

Quandoquidem omnia, quæ de rebus quibusdam naturalibus à fulmine immunibus aliosque immunes reddentibus dicuntur, fictitia & omnino falſa ſint, ut jam ante demonſtravimus, hinc reſtat ut adhuc pauciſſimis remedia quædam atque media, rationi & experientiæ conformia, addamus, quibus nos à fulmine tutos quodammodo præſtare ejusque furorem effugere queamus. Inter hæc ſit

PROPHYLACTICUM.

I.

Fulminante cœlo terræ cavernas ſubire expedit.

Si enim verum eſt quod *Seneca*, *Plinius* & alii expertum dicunt, fulmen non altius, quam quinque pedes in terram deſcendere, non ſane absque ratione fugam ad loca ſubterranea profundiora ſuadere ſolent; quo nomine idem *Plinius* neminem fulmine tangi ſcribit, qui prior viderit fulmen, aut tonitru audiverit: hic enim facilius ſibi fuga conſulere poterit, ut eundem explicat *Fromondus l. c. pag.* 87. Novit hoc ſuo tempore Sereniſſimus & Celſiſſimus Princeps, DOMINUS PHILIPPUS, Haſſiæ Landgravius (reliq.) glorioſiſſimæ recordationis, qui tonitru exaudito citatis equis

ſtatim

ſtatim ad arcem, ab Illuſtriſſ. ſuo nomine Philipseck dictam, petendo cellam illam artificioſiſſime & tanto ſpatio exſtructam ut junctis quadrigis eandem in & egredi potuerit, ſe recepit: de qua *Petrus Lotichius*, Medicus, Hiſt. & Poët. Celebris, ita canit:

Inter tot mundi ſpectacula plurima cryptas
Jactet Roma ſuas, Parthenopeque ſuas.
Principis Heſſorum ridet mihi crypta Philippi
Unde Philippolis nobile nomen habet
Iſthic multæ fides carie conſumta ſepulchra,
Sed, qua ducit iter, pulverulenta via eſt.
Aſt non hic pulvis metuendus, nulla ſepulchra,
Aut in conſpectum triſtis imago venit.
Vaſa ſed eximio vegrandia nectare ſtagnant.
Sub terris montes dixeris eſſe novos.
Hi tibi non mures, ſed vina Falerna miniſtrant,
Regificas poſſunt quæ decorare dapes.
Adde quod & junctis licet hanc intrare quadrigis,
Perque cavam plenis ire redire rotis.
I nunc & cryptas memora Romane, Philippi
Principis hæc plures vicerit una cavas.

Vid. plura apud *Winckelmann. in Chron. Haſſiac. pag. 191. ſeqq.*

§. II.
PROPHYLACTICUM
II.

Tonitru boante feneſtræ ſunt claudendæ, apertæque fugiendæ.

Meteora enim motum tractumque ſequuntur aëris, tanquam vehiculi ſui, qui facilius irruit per feneſtras apertas, cumprimis ſi aër

in hypocauſtis per halitus ac motus inhabitantium quodammodo alteratus & in virtute ſua elaſtica debilitatus fuerit, ut aëri externo eo minus reſiſtere valeat. Quanta enim vi atque impetu aër hic in vaſa inania & per antliam pneumaticam exhauſta irruat, ſuo ſæpe periculo experiuntur illi, qui hemiſphæriis Magdeburgicis majoribus exhauſtis juſto proprius & incautius, ſub reſeratione ejus, adſtant, adeo, ut vel in periculum ſuffocationis incidant, vel omnino enecentur, ut canibus per recipientem majorem prius exhauſtum, occluſum & abhinc ſubito apertum accidit: de quibus *Dn. Schober*, Mechanicus Lipſienſis, ſeqq. olim ad Dn. Parentem meum perſcripſit: Anjetzo mache ich eine groſſe Antliam mit Keſſeln, auf E. Hoch-Edlen Hochweiſen Raths Bibliothec, da ich auf 2. oder 3. mahl einen Recipienten von 4. Maaſs Kanne ohne weitere mühe evacuiren kan; dazu komt ein Recipient von Glaſs, in diametro anderthalb Ehlen; wann derſelbe evacuirt iſt (wozu ich nur eine viertel Stund bedarff) ſo kan, wenn ich 6. Schritt von einem lebendigen Thier bin, es ſeye ein Hund oder Katze, daſſelbige in einem Augenblick tödten. Die Röhre welche aus dem Recipienten gehet, iſt einer Ehlen lang, welche auf des Thiers Maul ungefehr gerichtet wird, auf 6. Schritt. Zuverſtehen aber, man muſs ſolches in einer Stube thun: in freyer Lufft läſt ſich ſolches nicht ſo practiciren. Conf. *Muſ. Muſeorum Tom. III. Cap. I. pag.* 7.

ſ. III.
PROPHYLACTICUM.
III.

Sæviente tronitruali tempeſtate ignibus ſub caminis incenſis minus aſſiſtas, ſed inde ocyus aufugias.

Quam periculoſum enim hoc ſit, ſuo ante aliquot annos infortunio exper-

experta eſt Virgo in aula Principali Oettingenſi, quæ foco ſub camino aſſidens à fulmine graviſſime feriebatur, cum reliquis Aulicis tantum capilli & flocci in veſtibus cremati fuerint. Ratio è theſi proxime præcedente facillime dari poterit. Cum enim aër in caminis ab igne ſubjecto rareſiat, & quo magis expanditur eo plus virtutis elaſticæ amittat, hinc fieri non poteſt, quin aër externus, & quæcunque in eo fluctuant, longe facilius eo ſe ingerant quam in alia loca aëre adhuc integro gaudentia. Hinc & alia meteora ignea, inprimis dracones volantes, utplurimum in caminos ſe demittunt; id quod vulgo calumniandi anſam dedit, dracones illos nil aliud eſſe, quam Dæmones, mancipiis ſuis divitias & neſcio quod aureum vellus adferentes: quæ utplurimum hominum otioſorum & ſocordium, ſedulorum & laborioſorum opes male ferentium, invidia & fulmini in proximum inſontem explodenti haud abſimilis injuria eſt. Scilicet

Fulmen ut invalidis parcens glebæque repenti
Se in validos validè vibrat & inſinuat:
Sic vulgo parcit mendaxque calumnia Magnis
Inſidias nectit turpiter illa ſuas.



VALENTINI NOSOCOMIUM ACADEMICUM.

INTRODUCTIO.

Dum præſens Noſodochium Academicum in lucem publicam emitto, non poteſt non animum ſubire auremque ſimul vellicare facetum Magni *Kulpiſii*, Juris quondam Univerſalis in hac Ludoviciana Reſtauratoris & abhinc Anteceſſoris Argentinenſis, diſtichon, quod Candidato cuidam Medicinæ gratulabundus accinebat:

In cathedra multos dicunt curarier ægros,
Ad lectum paucos convaluiſſe malo.

An joco, an ſerio ita ſcripſerit, dicere non habeo. Dubio procul alluſit ad commune vulgi dicterium:

Bonum

Bonum theoreticum infelicem eſſe Practicum: quo nihil turpius, nihil falſius, nihil funeſtius dici poſſet. Hoc enim in cauſa videtur eſſe, quod homines plebeji non tantùm, ſed & magnates ſæpè à Medicis Eruditis abhorreant & ſanitatem, imò vitam, auro contra pretioſiorem, idiotis, Circumforaneis, Carnificibus, Balneatoribus & ſimilis farinæ ſociis committant, ſuæque (qua falluntur) opinionis triſtem ſæpe pœnam luant. Equidem non hodie tantùm vel nudius tertius ignominiam hanc perpeſſos eſſe Medicos Celeberrimos, ſed & priſtinis temporibus idem obtinuiſſe vel exinde conſtat, quod ipſe *Galenus* ſuo tempore Medicos Eruditos contemtui habitos conqueratur, & ut Hiſtorici quidam referunt, alii Romæ majori in pretio habiti fuerint, quàm Galenus, licet longe eruditior fuerit, ita ut vix nomine nobis notus eſſet, ni ſcriptis quamplurimis ſe celebrem reddidiſſet, prout *Seidelius, Tr. de morbis incurabilibus p. 54.* habet. Nec abſimile ferè fatum eſt expertus communis olim Germaniæ Phœbus, *Daniel Sennertus*, quem teſte *Willio Diſſ. 1. de Philiat. Germ. Itin. p. 63.* parum feliciter utplurimum Praxin exercuiſſe referunt, quùm è contra alii ſcientia & eruditione illi longè inferiores in Praxi fuerint feliciſſimi, quod de *D. Kohlero* Francofurtenſi, *D. Pierero* Ratisbo-

nenſi, *D. Kueffero* Argentinenſi, *D. Piletto* Vicnnenſi idem c. l. perhibet. Interim nemo non videt inſignem fallaciam non cauſæ ut cauſæ hic latere, cum idiotæ & ignorantes felicitatem ſuam non tam inſcitiæ, quam confidentiæ ægrorum, quam variis iisque Machiavellicis ſæpe artibus venantur, in acceptis ferant, ſicque is plurimos curet, cui plurimi fidunt. Eruditi èecontra & in theoria verſati, cum ab omnibus jactationibus, adulationibus, falſiloquiis ſpurcisque vaniloquiis abhorreant, felicitatem ſuam in veritate quærunt & ſolida Praxeos fundamenta aliis inſtillando per Auditores ſuos non tantum ſunt felices (quod enim quis per alium facit id ipſe feciſſe putatur) ſed & in caſibus difficilioribus conſulti non cœca Medicaſtrorum vulgarium, ſed vera (cujus ipſi fabri ſunt) eruditaque fortuna ſe Celebres & Illuſtres reddant. Rectiſſimè *Hippocrates*: proſpere ſuccedere, inquit, eſt rectè facere, quod faciunt, qui ſciunt. Hinc idem tam ſeriò inculcat Tyronibus, ut in theoria ſe probe exerceant, quando *lib. de his qui uterum gerunt pag. 251.* dicit: conare ut in Naturalem Medicum evadas, ad hominis habitum & vires reſpiciendo, Iorum enim nullus temere & inconſideratè quid agit. Inſcitiam èecontra malum dicit eſſe theſaurum, quo fit, ut plures opinione magis quám re ipſa Medici

dici ſint. Quemadmodum enim ii, qui caſtra ſequuntur, non noſtris tantum, ſed & antiquiſſimis retroſeculis in Palæſtra *à Vitell. de Art. Milit.* tyrocinii ſui fundamentum ponunt & ipſam belligerandi artem variis exercitiis addiſcunt, ut manus cum hoſte conſerendo felicibus fauſtisque avibus olim pugnare valeant: ita ſimiliter τῶν ἰητρῶν παῖδες legitimam medendi methodum in Academiis ſibi familiarem reddere tenentur, ut poſthac per certas indicationes pharmacaque hactenus probata Morbonæ eo felicius obviam ire poſſint; id quod omnium optimè per exempla varia & caſus, à Candidatis Medicinæ reſolvendos, expeditur, quos ut eo promptius in cathedra defendere valent, ſi ad ægri lectum antea ſive ducti, ſive vocati ipſi manum operi admoverint, ita in Scholis Medicis prius exercitati eo cordatius in Praxi ſimiles & alios morbos aggredi ſicque in Medicos & Archiatros felices evadere tandem ſolent; & hæc ferè cauſa eſt, cur durantibus Profeſſionis meæ annis Candidatis Med. ad unum ferè omnibus, ſub manuductione mea Praxin Medicam adorientibus, ſelectiorem quendam Caſum reſolvendum & pro themate inaug. publicè ventilandum dederim, prout ex Sylloge hac (quam pace DNN. Autorum Reſpondentium Praxi noſtræ jungo) haud obſcure eluceſcit.

Faxit alma Trias, ut, dum his ſcriptis meis ultimum ferè colophonem impono, ſic & ſingula unice vergant in Divini ſui Nominis gloriam, Proximi emolumentum omniumque, quorum intereſt, levamen. Amen!

NOMI-

NOMINA DNN. REPONNDENTIUM,

ſecundum argumentorum ſeriem,

absque ullo ſive Status, ſive dignitatis, præjudicio locatorum.

DN. PETRUS WOLFARTUS, Med. D. nunc Archiater & PP. Collegii Illuſtris Curioſi Haſſo-Caſtellani, *de Febre Hæmoptoica.*

DN. CHRISTIANUS MAXIMILIANUS SPENER D. jam Conſiliarius, Archiat. & Prof. Regius Pruſſiacus, *de Febri Maligna Phthiſi complicata.*

DN. THEODORUS PHILIPPUS SCHACHT, Archiat. Naſſovico-Dillenburgicus, *de Febri Verminantium.*

DN. JACOBUS JACOB MARDORF, Med. Lic. Practicus olim Wildungenſis νῦν ἐ ἁγίοις: *de Maniacis ab eſu ſolani furioſi.*

DN. JOHANN LEONHARDUS MARTINI, Med. D. & Phyſ. Lauterenſis, *de Phthiſi Pulmonali.*

DN. JACOBUS FABRITIUS, Lic. Archiater-Haſſiacus & Phyſicus Butisbacenſis, *de Phthiſi Renali.*

DN.

DN. EBERHARDUS TACKIUS, Med. Doct. Practicus Wormatienſis, *de Noſtalgia.*

DN. ERASMUS RAUMBURGER, Med. Lic. & Pract. Francof. *de Hæmorrhoidibus cæcis.*

DN. CHRISTOPHORUS FRIDERICUS KNEUSEL, Med. Lic. & Pract. Francofurt. *de Hæmorrhagia Uterina.*

DN. JOH. GEORGIUS FREUDENBERG, Med. Licent. & Phyſicus Grünſtadienſis, *de Maculis Volaticis Convulſivis.*

DN. ANTONIUS RAUMBURGER, Med. Lic. in itinere demortuus, *de Rhachitide.*

DN. JOH. GUILIELMUS SCHEFFERUS, Lic. & Med. Caſtrenſis *de Scabie Endemica.*

DN. RUDOLPHUS ERNESTUS MüLLER, Med. Lic. & Illuſtriſſ. Comitum de Dhaun, &c. Med. Ord. *de Elephantiaſi Græcorum.*

NOSOCOMII ACADEMICI

CASUS I.

DE FEBRE HÆMOPTOICA.

HISTORIA.

Sutor temperamenti cholerici habituſque macilenti, commiſſis variis in diæta erroribus, præcedente crebra horripilatione, calore quodam inſolito corripitur & (inſequente mox tuſſicula) ſanguinem ſpuit floridum, ſpumoſum ſatisque copioſum, quem Medicus ipſi familiaris ſtegnoticis, alias non inconvenientibus, curare ſatagit, ſed fruſtra: ſiſtebatur quidem uno vel altero die ſanguinis ejectio, ſed mox recrudeſcente malo redit copioſior; corpus marceſcit viresque labaſcunt ſummopere. Uxor de vita Mariti ſollicita, miſſo priori, alium adit Medicum, oblata, pro more vulgi, urina. Erat autem rubicunda & quaſi flammea, contentis ferè caſſa; quæſita ergo an non quandoque ſentiret friguſculum aliquod & calorem præternaturalem? affirmat utrumque, cum

cum ſputum illud plerumque circa noctem mediam, hora tamen incerta, mox decima, mox undecima, cum allegatis ſymptomatibus redeat, non adeo tamen moleſtis, niſi quod immani ſiti prematur, cumque Maritus in Phthiſin dudum inclinaverit, etiam atque etiam rogat, ut optimis, quæcunque haberi poſſint, remediis illi ſuccurratur.

RESOLUTIO.

§. I.

Ægrum hunc *Hæmoptyſi* laborare non mirum eſt Medicum primo accerſitum judicaſſe, utpote qui non niſi ſymptoma magis moleſtum mageque periculoſum conſiderabat; aſt alium adhuc anguem, Febrem ſc., ſub herba latitare, nemo facile negabit, qui circumſtantias paulo attentius conſideraverit, quam, ob ſymptoma hoc conjunctum, FEBRIM HÆMOPTOICAM vocare liceat. Loquor autem autoritate Magni *Sylvii*, Hanoviæ noſtræ perpetui Decoris, qui *lib.* 1. *Prax. Med. c.* 30. *p.* 243. *& ſeqq.* febrium diſtinctionem à ſymptomatibus conjunctis ſumſit, aliasque dicit ſiticuloſas, famelicas, alias vomitorias, catarrhales &c. quas omnes anomalas vocat *Johannes Jones*, Anglus, *de morbis abſtruſ. Tr.* 1. *qui eſt de febb. intermitt. P.* 1. *cap. VII. p.* 159. & hiſce FEBRIM noſtram HÆMOPTOICAM jure meritoq; annumero. FEBRIS autem HÆMOPTOICA eſt *intemperies calida totius, cum ſputo ſanguinis ingente, à ſanguine nimium & p. n. commoto, ac per pulmones confertim erumpente ortum trahens.*

§. II. Hoc verò morbo laborare ægrum præſentem oſtendunt (1.) Febris *eſſentialiter inhærentia*, calor ſc. totius poſt horripilationem, urina flammea, ſitis & reliqua ex ordine ſymptomata, quæ comites ferè individui ſunt febrium. Idem (2.) confirmant *cauſæ antecedentes*, quarum cenſum potiſſimum ſubeunt temperamentum cholericum, ob particulas acriores & mobiliores ad febres inclinans, ut & commiſſi in diæta errores. Nec (3.) reliqua morbum hunc *conſequentia* ſymptomata aliud mihi perſuadent, dum malum hoc certas obſervat periodos, more febribus ſolenni, ipſaque hæmoptyſis, quæ ut ſorex ſe ipſam prodit, ſuos habet paroxyſmos; Et hæc certo nobis ſunt indicio, non vulgarem, ſed febri complicatam hic hæmoptyſin adeſſe eoque magis, quod vulgaria ſtegnotica & adſtringentia nihil hic effecerint.

§. III. In PARTE igitur AFFECTA determinanda non ſoli hic pulmones, aut vaſa pulmonalia, p. n. ſe aperientia accuſari poterunt, utpote quæ nonniſi *ſymptomatis ſubjectum* audiunt: ſed reſpectu morbi (ſc. febris) totum corpus multa tulit, ſudavit & alſit. E partibus vero ejus internis cordi cumprimis febres admodum moleſtas eſſe, illudque pro ſubjecto inadæquato febrium haberi poſſe haud abſurdè ſtatueres, non, quòd aut fictitia ejus flammula augeatur, aut calidum innatum, pariter fictitium, in eo p. n. accendatur, ut cum Veteribus *Sennertius* loquitur, *Tr. de Febb. lib.* 1. *Cap.* 1. *p.* 7. ſed quod ſanguis à fermento febrili nimis reſolutus & in p. n. motum actus violentius & confertim irruat & è ſiniſtro cordis ventriculo, per aortam, evibratus valvulis cordis ☽ribus gravitate ſua vique elaſtica p. n. aucta violenter inſiſtat, ut hæ majori niſu opus habeant ad circulationem ejus promovendam. Valvulas n. haſce ſemilunares in corde longe alium, ac vulgus Anatomicorum exiſtimavit, uſum habere & inſtar molarum hydragogarum, quibus ad exſiccationem pratorum utuntur Batavi,

Batavi, ſanguinem propellendo, ejus circulationem promovere, ex principiis mechanicis, noviſſimè hoc anno & curioſiſſimè in fig. ænea ab oculos poſuit *Bartholomæus de Moor* in *Cogitationibus de inſtauratione Medicinæ ad ſanitatis tutelam, morbos profligandos & vitam prorogandam, lib. 1. pag. 51. & ſeqq.* id quod non tantum in ſtatu p. n. locum habet, ſed & ad circulationem ſanguinis naturalem mechanicè explicandam apprimè conducit; unde parùm abeſt, quin inventum hoc eodem loco collocet, quo *Pythagoræ* inventum hecatomben promeritum & ab *Euclide 17ma propr.* depictum vulgo habetur. Probatum hoc reddit *pulſus* in omni febre p.n. auctus, ita, ut hoc ſolo tanquam ſigno pathognomonico in cognoſcendis febribus utatur *Sylvius lib. 1. cap. 27. pag. 225. edit. maj.*

§. IV. CAUSAM PROXIMAM FORMALEM hujus morbi cum Illuſtri & Feliciſſ. Practico *Sydenhamio* exiſtimo p. n. & intemperatam ſanguinis commotionem, qua Natura particulas inæquales, ſibi commixtas, exterminare molitur, conf. *Tr. de morbis acut. ſect. 1. cap. 1. pag. 1.* vel, ſi mavis p. n. ſanguinis fermentationem, ab *Helmont. Williſ. Kergero* & aliis adſtructam ipſamque ſanguinis mixtionem & texturam variè turbantem. Licet enim ſint, qui in ſtatu ſ. n. nullum fermentationi locum dent in machina humana, non video tamen cur in ſtatu p. n. eandem prorſus inſuper habere poſſint, cum & à priori & à poſteriori eandem haud difficulter liceat adſtruere. Sicut enim alii liquores à particulis improportionatis & inæqualibus ſibi immixtis fermentantur facile: ita ſi peregrina quædam & M. S. poris minus reſpondentia corpuſcula aut miaſmata ſanguini infundantur, non poteſt non inconditus ejusdem motus & turgeſcentia quædam fermentativa inde ſuboriri, quatenus materiæ mundi ſubtiliſſimæ quaſi via intercluditur, unde in obſtacula ſibi obvia crebrius illinendo illaque hinc inde disjiciendo motum hunc inconditum & p. n. producit, quem

fermentationem vulgo dicunt; quam exinde vel ad oculos liceat oſtendere, quòd non tantùm vaſa ſanguinis majora nimis diſtendantur magisque conſpicua reddantur, ſed & venæ capillares magis extenſæ, ſub ſpecie ruboris, in facie cumprimis obvii, motum illum conteſtentur. Quid! quod omnia liquores à fermentatione aceſcentes edulcorantia ſimiliter in ebullitionibus febrilibus conveniant, qualia ſunt omnia præcipitantia, ſeu, ut rectius audiunt, abſorbentia, vel invertentia, qualia ſunt cretacea, ☉na, marina.

§. V. Inæquales ergo & improportionatæ illæ particulæ in M.S. delatæ CAUSAM PROXIMAM MATERIALEM præbent, quatenus inſtar fermenti alicujus ſanguinem in motum agunt, p. n. texturam ejus & temperiem invertunt, omnibusque inde deſcendentibus incommodis focum ſubminiſtrant. Tunc enim febris producitur, cùm humor aliquis diſproportionatus aut è parte aliqua C. H. aut aliunde ad ſanguinem defertur, qui ſua mora tales accepit poros, ut multùm abludant à poris ſanguinis, teſte *Craanio in Not. ad Prax. Henric. Regii, ſeu Praxi Med. reformata Cap. LVIII. pag.* 251. Poſito jam poros M.S. eſſe rotundos, aut triangulares, materiæ verò febrilis poros eſſe quadratos, cubicos, non poteſt non fieri, quin æther priores antè blandè ſubiens ac pervadens, in haſce crebrius impingat, ſed particulas ſibi obvias continuo amoturus, motumque ſuum vi elaſtica crebrius reciprocans fermentationem quandam & ebullitionem producat, ut laudatus modo *Craanius*, in pretioſo ſuo & elegantiſſimo *Tract. de homine cap.* 33. *p.* 274. probat. Sicut ergò contrariis ſalibus aut liquoribus, alcalinis ſc. & acidis ſibi invicem commixtis, ob immutatam pororum mechanicam & ſufflaminatum materiæ ſubtilis influxum ſimilis oritur ebullitio: ſicut & ▽. calci vivæ affuſa eadem de cauſa efferveſcit; ſic eadem plane ratione motus quidam p. n. & ut loquuntur, fermentatio oritur in M. S, ſi quando peregrina illique

illique prorſus improportionata corpuſcula immiſcentur, ut non tantum in omnibus febrium generibus, ſed & præſenti caſu obſervare licet.

§. VI. Hinc verò & reliqua Sutoris noſtri *accidentia* & SYMPTOMATA, tanquam è fonte quodam, manant. Eo ipſo enim, quo ſcoriæ illæ febriles iter ſuum in maſſam ſanguineam aggrediuntur, momento, non poſſunt non prius in partes varias fibroſas impingere easque quodammodo irritare, quæ tono ſuo & quo gaudent elatere ſe ſtringentes & quaſi criſpantes *horripilationis* ſenſum inferunt. Excuſſo vero ab iisdem fermento & in ſanguinem delato motus ille p. n. oritur, de quo ante dictum, qui ob particularum minutiſſimarum variè concuſſarum reciprocationer non poteſt non *calorem p. n.* conjunctum habere. Quamprimum autem lege circulationis è corde in pulmones cum reliquo cruore evibratur, eosdem irritando *tuſſiculam* intulit, unitate vero illorum à ſanguine impetuoſe irruente prorſus ſoluta & aperta forte p. n. venula, *ſputum ſanguinis* (de quo potiſſimum conqueritur æger) acceſſit, qui floridus & ſpumoſus ex eo, quod per continuum motum M. S. exagitata ob intermixtum aërem rarefiat & in ſpumam quaſi abeat, haud aliter ac decoctum chocolatæ qualo aut rotula illa lignea, quæ utriusque manus opera celerrime in gyrum agitur, in liquorem quodammodo ſpumoſum vertitur, quo ſimili ſupra citatus *Barthol. de Moor l. c. p.* 54. eleganter utitur & in figura ænea dilucidat. Quod vero adſtringentibus & ſtegnoticis vulgaribus non obediverit, ſed crebrius recidivarit hæc hæmoptyſis, ratio eſt, quod non tam primaria fuerit, quàm ſecundaria & ſymptomatica, adeoque prior ille Medicus ſymptomatis potius, quam ipſius morbi rationem habens rem acu non tetigerit. Corpus interim *marceſcere* & quodammodo concidere mirum non eſt, cùm ob inconditum & p. n. ſanguinis motum chylus indies advectus in nutrimentum laudabile evehi

non

non poſſit, quo partes deſtitutæ neceſſario concidunt; Et quandoquidem neque ♁-uum generatio legitime procedit, illi autem qui jamdum generati erant, ex parte una cum ſanguine rejiciuntur, neceſſario ſimul *vires labaſcere* cœperunt. *Urina rubicunda* & quaſi *flammea* erat, quum ob motum ſanguinis febrilem particulæ ſanguinis ſulphureæ & ſalino-volatiles nimis evectæ & quaſi diſcerptæ fuerint, quæ ſero recrementitio incoctæ & combinatæ urinam rubicundo colore tingunt, eo modo, quo ſalia volatilia cum particulis ∘°oſis digeſta in Chymicis ruborem induunt, ut non tantum Illuſtris *Boyle* Tinctura ſulphur. ex ſulphure cum ⊖* deſtillato parata, *Tr. de coloribus*, ſed & Celeberr. *Williſius* in *Diatrib. de urin.* lectu ſcituque digniſſima *c.* 4. *p.* 257. probant. *Contentis* tamen *deſtituta* fuit, quia ob nutrimenti defectum fibræ illæ & moleculæ, quæ ſedimentum, nubeculam & ſuſpenſum efficiunt, illi non combinantur, quæ omnia portiones ſeri nutritii, aut chyli jamdum depurati, rudera à nutritione remanentia eſſe *Waldſchmidius*, Archiater quondam Haſſo-Caſſellanus & in vicina Marburgenſi Academia Medicinæ & Phyſ. Profeſſor Primar. b. m. habet, *in Fundament. Med. Part. Sem. p. m.* 139. Unde, ſi rurſus apparent, in urina ſigna coctionis audiunt & boni ominis res ſunt. Quod tandem ordinarie *circa mediam* fere *noctem redierit* hæmoptyſis, periodico febris curſui adſcribendum eſt, qui ſpecifice non exprimitur in caſu, cum in ſtatu periculoſo, qualis hic ob hæmoptyſin ingentem eſt, tempus & occaſio non ſemper admittant, ut curioſe nimis in periodum inquiramus, modo conſtiterit febrem eſſe revera intermittentem, eoque magis, quod talia hodie nobis in promptu ſint remedia, quibus indiſcriminatim omnes omnino febres intermittentes (quæ DEI eſt clementia) tollere poſſimus. Si tamem meam de Periodis febrium ſententiam edicere cogerer, easdem à diverſa conſtitutione novaque coacervatione materiæ febrilis, partim & ♁-uum animalium per actus repetitos impreſſo motui & ideæ tribuerem, idque cum Celeberr. *Frid. Hoffmanno*, Prof. Hallenſi, in *Fundament.*

Med.

Med. ex princip. Mechan. Pathol. c. 5. §. 48. & 51. pag. 83. Ultimo & *ſitis* ægri intenſiſſima ut exſtinguenda ita & explicanda erit, quæ ob ſerum & lympham à calore p. n. abſumptam oritur, cujus defectu exſiccatæ fauces moleſtia quadam afficiuntur, quæ per ſuum motum communicata ſitim producit.

§. VII. Singulis hiſce tanquam CAUSÆ REMOTIORES anſam dederunt errores partim in diæta commiſſi, ex quibus tanquam è fonte quodam febres intermittentes profluunt: partim & conſtitutio ægriillioſa & textura macilenta &, ut conjux verebatur, ad phthiſin inclinans, quæ duo poſtrema ſymptomati vehementiori mageque periculoſo, hæmoptyſi puta, fores aperuerunt. In cholericis enim particulæ ſanguinis ⊖no - ſulphureæ acriores ſunt motusque partium fluidarum magis vehemens, celer ac velox, teſte *Frid. Hoff. Fund. Med. cap. 3. §. 27. p. 14.* adeoque vehementiorem impetum in pulmones exercendo illorum vaſcula particulis illis acutis & acribus diſcontinuant, ut rorem & liquorem intus contentum elabi patiantur, eoque magis, quod æger ſine dubio teneriori pulmonum textura gaudeat, cum ex adſtantium relatione ad Phthiſin inclinet. Nihil tamen æquè magis hæc omnia facilitare poterat, quam ebullitio ſanguinis febrilis, in noſtro caſu obſervabilis; quemadmodum & alius quicunque ſanguinis orgaſmus ex eadem cauſa ſimile quid efficere valet, ut in ſexu ſequiori Lunare debitum aut parcè nimis aut omnino non Naturæ exſolvente conſtat, inprimis ſi, non reſeratis primum obſtructionibus volatilibus ſanguinem exagitent, ut hæmoptyſin exinde promanantem ex Chifletio, Gradi, Guarin. & aliis adducit *Moronus Schefferi, in Directorio Medico-Practico, de ſputo ſanguinis* Imo Matronam optimam narrat *Celeberr. Thom. Barthol.* νῦν ἐν ἁγίοις, quæ tempore menſtrui fluxus ob paethoram ſanguinem floridum ordinario rejiciebat, vid. *Acta Med. Hrffnienſ. vol. 2. obſerv. VII. p. 10.* qualem quidem hæmoptyſin cum *Hipp. aph. 32. S. V.* bonam dicit, ob va-

ſorum depletionem, cum alius Vir Illuſtr. male ſe habeat, quoties hæmoptyſis ei ſolennis ſuppreſſa fuit, *vid. cit. loc.*

§. VIII. Quid vero de noſtro Patiente? an & illi ſalutaris eſt hæmoptyſis? Non exiſtimavero, cum vires labaſcant corpusque emarceſcat. Quin locum hic habet *aphor. Hippocr. Sect. IV.* Sanguis quidem ſupra (ſc. rejectus) qualiscunque fuerit, malus; nec male ita pronunciat Senex, cum aut mortem inferat, aut phthiſin. Sed itane prorſus erit deſperandum? abſit! Κακὸν enim dicit Hippocrates, non θανάσιμον. Nec obſtat conjuncta febris, quæ juxta *Hipp.* oraculum *Coac. Prænot.* 427. minus conducibilis: additur enim intensè (συντόνως) febricitare minus conducibile eſſe, quod alii de febre quadam continua & maligna interpretantur. In noſtro econtra ægro febris eſt intermittens, nec adeo intenſa, ſed tolerabilis, unde optime eundem ſperare jubemus, licet ab omni phthiſeos metu eundem abſolvere non audeamus. Optime autem rebus ejus conſuluit conjux, quod miſſo priori Medico alium adierit, qui totum hoc negotium fortè profundius & intimius inſpicere poterat. Si enim ductu prioris ſolis adſtringentibus & hæmoptyſi tantum dicatis diutius tractatus fuiſſet æger, ſine dubio ad plures abiiſſet, purpureamque animulam tuſſi fortè rejeciſſet.

§. IX. Ut autem feliciter & methodicè Æger hicce curetur malumque radicitus exſtirpetur, ſequentes probè obſervandæ erunt *indicationes*: ut ſc. 1. removeantur omnes cauſæ externæ, quæ malum hoc & intulerunt & adhuc alunt. 2. ut materia & fomes morboſus exterminetur & febris æque ac hæmoptyſis ſopiatur. 3. ut illud, quod læſum, rurſus conſolidetur ipſique pulmones, ſi fieri poſſit, à phthiſeos metu præſerventur.

§. X. *Primæ indicationi* ſatisfacimus legitimam *Diætam* imperando, cui non tam ultimum; ut frequentiſſimè fieri ſo-

let,

let, quamprimum in curatione locum deberi & ratio dictitat & methodus medendi jubet: Ratio, quod fruſtra medicamentorum ſtrues erigatur, niſi per diætam primo fundamentum illis ſolidum paretur: Methodus medendi vero, quod ordinariæ cauſæ eo, quo influunt, ordine removendæ & ab iis in curatione incipiendum ſit, quæ in reſolutione ultima fuere. Jam vero in reſolutione morbi ultimô ad cauſas externas devenitur, quæ primo quoque influunt & hinc per diætam quoque primo removendæ ſunt. Cum autem in ordinanda *Diætâ* ad VI. *res nonnaturales* præcipue attendendum ſit: hinc AER ſive natura ſive arte temperatus eligatur, cum frigidus, fauces irritando, tuſſim & hæmoptyſin, calidus vero humores attenuando, febris æſtum adaugere poſſint. CIBUS & POTUS ſint ſalubres & plus minus mucilaginoſi, ita tamen, ut ob conjunctam febrim non copioſe nutriant, qualia ſunt hordeata: Decoctum hordei, ptiſana &c. Æger QUIETI indulgeat, cum omnes fere hæmoptoici male habeant ex motu. ALVUS aut natura aut arte ſit obediens. SOMNUS vigilias exſuperet, cum & hæmoptyſin & febrim alleviet, hinc ſi illo careat æger, emulſionibus papaverinis aut ſimilibus ad eundem diſponitur. Plura, ſis, vide apud *Abrahamum à Gehema, in Diætetica vera.*

§. XI. *Secundæ indicationi* è fonte Chirurgico V. S. è Pharmaceutico verò *emetico* facile ſatisfieri poſſet, cum per hoc materia febrilis è primis viis ceu vectibus ejiciatur, verbis *Wedelii* in *Theoremat. Med. part.* 5. *ſect.* 8. §. 35. illa vero nimius & p. n. ſanguinis orgaſmus quodammodo ſopiri poſſet. Verum enim vero obſtat utrobique & ceu contraindicans hic aliud ſuadere videtur ſymptoma hæmoptoicum, ſummaque virium debilitas, è quibus hæc poſterior V. Sne, illa vero vomitorio magis exaſperari poſſet. Nec *Purgantia* vehementiora locum obtinent, quæ majorem in ſanguine orgaſmum ciendo febrim & conſeq. hæmoptyſin accendere viresque adhuc præſentes ulterius

rius peſſundare poſſent. Adeoque ſi quid adhuc in primis viis reſtitet, quod ſui remotionem indicet, leni aliquo laxante facile elutriari poterit, ſeq. v. gr. infuſum ſennæ præſcribendo:

℞. ▽. *laxat. Vienn.* ſeu
Infuſ. laxat. Mannag. ℥iiß.
Syr. de cichor. cum rhabarb. ℥j.
▽*æ. cinnam.* ʒiß. M. D. S. Laxier-Tränckflein auf einmahl.

§. XII. Expulſa ita materia peccante ex primis viis, ea, quæ in ſanguinem & ſpiritum animalem jamdum impacta ſunt, corpuſcula, eosdemque in motuum anomalias agunt, invertenda & eliminanda erunt, idque blandis nec ſanguinem nimis exagitantibus remediis, ne ſub nimia ejus attenuatione ſputum ſanguinis intendatur. Non autem opus eſt diu circumſpicere & anxie quærere ejusmodi medicamentum, quod omnibus hiſce ſatisfaciat, cum unicus *Cortex Peruvianus*, febrifugum illud præſtantiſſimum & quod par non agnoſcit, utramque hic repleat paginam: Et cum in diſputatione illa, quam antehac *Præſide Doctore Valentini* hoc de argumenti genere publico Dominorum Philiatrorum examini ſubjeci, legitimus corticis uſus ſatis prolixe ſit delineatus, nolo hic cramben bis coctam, ne nauſeam pariat, apponere; ſeq. ergo formula ſufficiat, qua Æger præſens ferè unice convaluit:

℞. *Chin. Chinæ* ℥j.
Sem. hyoſc. alb. ʒij.
pulv. Nuciſt. ℈j. *c. s. q. Syr. de papav.* F. l. a. Elect. D. ad fictil. S.
Lattwerg nach Bericht zu gebrauchen.

Facit huc *Pulvis febrigus certus* Pharmacopœiæ Bateanæ, ſimili ratione uſurpandus. Quodſi vero quis præ *electuario* amet

met *bolum* aut *pilulas*, facilè & hæc comparari poterunt, modo ſubtiliſſime pulveriſatus cortex aut *conſerva roſarum*, aut *traga-cantho* excipiatur. Quid quod in delicatioribus, omnia fere remedia reſpuentibus, gutturi inferiori (ut cum Plauto loquar) adhibitus hic cortex exſpectationi ſatisfaciat, modo legitima fiat methodo, à feliciſſimo noſtri ſeculi Machaone Belgico *D. Helvetio* inventa Regique Galliarum Lud. XIV. haud ita pridem in lingua Gallica exhibita & nunc *Parmæ* in Italico idiomate quoque typis expreſſa. Quodſi vero ſint, qui ob nimiam verecundiam poſtprædicamentorum uſum vel inſpectionem ocularem Pharmacopœorum famulis invideant, ii peculiari ad hoc parato inſtrumento *Regneri de Græf*, quod è Belgio ſecum attulit antecitatus *D. Valentini*, ſibi conſulere & clyſteres infundere poterunt.

§. XIII. Quodſi vero ſint, qui ob falſas aliorum ſive ſuſpiciones ſive incuſationes ab uſu corticis abhorreant, illis per alia *febrifuga diaphoretica* more ſolito ante paroxyſmum exhibenda, ſuccurrendum erit, è quibus agmen fere ducit decantatus hodie *Regulus* ♁ *Medicinalis*, in Pharmacopœia Londinenſi deſcriptus, cui hoc in caſu *ſtegnotica*, vel *opiata*, ad refrænandam hæmoptyſin, ſimul maritari poterunt. v. g.

℞. *Reg.* ♁. *medicamentoſi* ℥j.
cinnab. ♁. ʒß.
laud. opiat. gr. ij.
M. D. in 3. p. a. S. Pülverlein, immer eines vor dem Anſtoſs in Tormentill-Waſſer zu nehmen.

Diebus verò intermiſſionis manè *Eſſent. abſinth.* ſive *ſimplex* ſive *compoſ.* à meridie vero digeſtiva & ▽antia, *arcan.* v. g. *duplicatum*, *ocul.* ♋. &c. ſumantur; quibus ultimis hodie præferunt *apices nigros chelarum è* ♋. *majoribus marinis* petitarum, quæ baſin ferè conſtituunt decantati adeo *Pulveris Can-*

tiani, ſeu *Pulv. bezoardici Anglorum*, des Engliſchen Gifft-Pulvers, cujus ingredientia habentur in *Pharmacopœia Bateana*, ut & *Stephani Blancardi Collectaneis Medico-Phyſ.* à Tobia Peucero è Belgica in Vernaculam translatis, *Cent.* 2. *obſ.* 19. præparatio vero accurate deſcribitur à Domino *Monconyſio*, in *itinere Belgico pag.* 275. ſicut uſum ejus laudat *Mayerne in Prax. Syntagm.* 11. *de febb. c.* 1. *pag.* 6. Hiſce vero dextre uſurpatis non tantum febris emanebit dubio procul, ſed & hæmopticis ſymptomatica ſedabitur, cui ſi rudera quædam remanſerint, obviam ibunt *tabulæ anthemoptoicæ* feliciſſimo olim Angliæ Machaoni *Bateo* familiares:

℞. *Terr. Lemn.* ʒij.
Bol. Armen.
Lap. hæmat.
Magiſt. ebor. ana ℈iv.
Rad. biſtort.
Sem. hioſc.
Cortic. limon. ana ʒj.
Sem pap. alb. ℥ß.
Rhodoſacch. ʒviij.
C. S. Q. Tragac. in 🜄. *roſar.* ſol. Fiant Tabellæ, ſeu morſuli, ſæpius uſurpandi.

§. XIV. *Tertiæ* tandem *Indicationi* pro coronide quoque locus erat dandus, quæ curam pariter earum partium, quæ in thorace labem aliquam conceperant, habendam eſſe ſuadebat, quam non tantum emendare, verum & præcavere poterunt *traumatica* atque *vulneraria balſamica* pectoralibus ſociata. Quem in finem *Decoctum* aliquod *vulnerarium* appropriatum parari poſſet, cujus aliquot formulas habet *Dolæus in Encyclopæd. Chirurg. ration. lib.* 2. *cap. VI. pag.* 496. *Edit. noviſſ. Venetiunæ.* Vel fiat *Decoctum hordei compoſitum* ſeq.

℞. *Hord.*

℞. *Hord.* p. ij.
Rad. Chin.
Tormentill.
Symph. major. ana ℥ß.
Herb. Heder. terreſt.
Veronic.
Tuſſilag. ana Mj.
Raſ. CC. ʒiij.
Flor. pap. errat. p. ij.
Coq. in ▽. *font.* q. ſ. col. ℞. lib. iij. illique adhuc ferventi injice *paſſul. minor.* ℥j. traj. per manic. Hipp. D. S.
Heilender Bruſt Tranck biſsweilen einen Trunck warm davon zu thun.

Poſſunt & his inſtillari Tincturæ quædam & balſama v. g^r. *balſ. ſulph: aniſ.* cum *balſ.* ♄. temperatus, & imprimis *Tinctura terræ Catechu*, de qua multa ſibi promittit *Hagendornius Tr. de Terra Catechu.*

TANTUM!

CAS.

CAS. II.

DE FEBRE MALIGNA PHTHISI COMPLICATA.

HISTORIA.

Juvenis XVIII. & quod excurrit annorum, temperamenti cholerici, ſcabie, hiſce locorum ferè endemia, infeſtatur. Ab hac ut liberetur, bis pilulis quibusdam purgantibus uſus eſt, ſed absque ullo effectu. Interim moleſtiæ hujus pertæſus aqua quadam nigricante, à neſcio quo plebejo ipſi & laudata & parata, eandem abigere conatur, qua adhibita ſubito quoque ſcabies evanuit. Paucis verò abhinc diebus, præcedente rigore, calore quodam p. n. corripitur, cum omnimoda virium proſtratione, anxietatibus præcordiorum, cephalalgia, anorexia, ſiti clamoſa, tuſſi, reſpiratione difficili ſputoque ſanguineo purulento, delirio & facie quaſi Hippocratica. Cùm vero ob res anguſtas domi nimias in pharmaca impenſas vereretur,

tur, nonniſi rebus fere conclamatis, ſcilicet quarto demum die, Medicum accerſere jubet, qui præter enumerata ſymptomata pulſum rarum, parvum & inæqualem, urinam intenſe tinctam, absque ſedimento, invenit. Quæritur qualis ſit morbus & qua ratione curandus?

RESOLVTIO.

§. I.

Perpenſis omnibus atque ſingulis accidentibus, ægrum affligentibus, apparet eundem FEBRE MALIGNA PHTHISI COMPLICATA laborare: in qua ſententia me confirmant 1. *affectibus hiſce eſſentialiter inhærentia*, nempe incaleſcentia corporis p. n. rigorem inſequens, cum ſubitanea & omnimoda virium proſtratione aliisque malignitatis ſignis reſpectu Febris malignæ: macies autem & ſputum ſanguineo-purulentum reſpectu Phthiſeos. 2. Idem confirmant *antecedentia*, qualia ſunt juvenilis ætas (*a* temperamentum cholericum (*b*, retardatio purgantium in corpore & tandem ſcabies retropulſa (*c*: quæ ratione particularum acido-acrium, & tum MS. tum viſceribus corporis improportionatarum, à quibus oritur (*d*, utrumque affectum haud

 infre-

a) Hippocrat. *Lib. Aphor. Sect. III. Aphor.* 29. & Aretæus *Lib. II. de diuturnis Cap.* 8. *b*) Frid. Hoffmann. *Fund. Med. Path. IV.* §. 22. *c*) Joh. Bapt. Montan. *Conſultat. Conſ. IX. fol.* 992. *d*) Etmull. *Tom. II. Prax. Part. I. Lib.* 1. *Sect.* XVII. *Cap.* III. *Art.* 7. *Membr.* 1. *pag.* 592. Beckius *in Meditat. de Princip. Natur.* & Willis *Phar. Rat. p.* 2. *p.* 476. Helmont. *lib. de Retentis pag.* 469.

infrequenter producere praxis & experientia teſtatur. Nec 3. reliqua *ſymptomata*, morbum hunc ut umbra corpus *conſequentia*, me deſerunt, anorexia ſc. delirium, facies Hippocraticæ affinis, (*e*, pulſus rarus, parvus & inæqualis, urina intenſe tincta & absque ſedimento conſpicua. Ex quibus omnibus ſequens affectus hujus *definitio* fluit, quod nempe ſit: Intemperies totius calida, cum extenuatione corporis ſummaque virium proſtratione, à particulis acidis, ſalſis, acribus & viſcidis, ſanguini per retropulſionem ſcabiei commiſtis & pulmones erodentibus, proveniens.

§. II. SUBJECTUM ſeu Pars affecta eſt tota corporis humani compages, tam ratione caloris febrilis illique conjunctæ virium debilitatis, quàm ratione conſumptionis phthiſicæ. Cauſæ vero ſubjectum intuitu ipſius febris non tam cordis viſcus conſtituit (*f*, ut nonnulli arbitrantur (*g*, utut & antiqui (*h* & prioris ſeculi Autores (*i* jamdudum id in dubium vocaverint: ſed potius M. S. è miaſmate ſemiputrido in mixtione ſua turbata, quod per continuam ejus circulationem ad pulmones delatum eosdem arrodit & quodammodo exulcerat (*k*; unde Phthiſeos intuitu & illi nidum præbent materiæ morbificæ. In pulmonali enim phthiſi hos microcoſmi folles affici qui dubitat, ipſam experientiam ejurare videtur, quæ haud paucos affectus aut è pulmonibus derivari, aut aliunde in eosdem deponi & transponi *l*) hactenus ſatis comprobavit, cum tenerrima pulmonum textura facilime varia ex ſanguine recrementa ſuſcipere queat, à quibus juxta *B. Ettmüllerum* (*m* facile arroduntur. Pulmones enim nihil aliud ſunt, quam aggregatio tenuiſſimarum & leviſſimarum membranarum cum

e) Rich. Morton. Phthiſiol. *L.* 2. *Cap.* 4. *p.* 44. *f*) Schelham. *de Febr. Cur. Meth. Part.* I. §. XXVII. *pag.* 23. *g*) Argentin. *Lib. de Conſult. ratione, Cap* 7. *h*) Galen *VI. Epid. l. t.* 29. *i*) Horatius Augenius *Lib. de Febrib. II. cap.* 3. Vopiſcus Fortun. Plempius *in Fundamentis Med.* *k*) Rich. Morton. *Phthiſiol. Lib.* 7. *Cap.* 1. *pag.* 27. *l*) Marcel. Malpighius *Epiſt.* II. *de Pulmon. pag. in Oper. ejus* 326. *m*) *Tom. Prax. Part.* I. *L.* I. *Sect.* 17. *cap.* 1. *Art.* 2.

cum intertextis vaſis, veſiculas quasdam ſinuoſas efformantibus, ut ab Oculatiſſimo *Malpighio* deſcribitur (*n*: quæ textura nec Divo *Hippocrati*, ab *Helmontio* Adeptis annumerato (*o* incognita videtur (*p*. Adeoque molle hoc & glanduloſum parenchyma (*q* ab his aculeis acidis, in ſanguine tunc repertis, non poteſt non corrodi & exulcerati (*r*.

§. III. CAUSA PROXIMA FORMALIS partim mixtio ſanguinis & ♁ turbata, partim exulceratio pulmonum eſſe videtur, quarum illa febrim malignam, hæc vero phthiſin excluſit. Ad priorem eo facilius intelligendam notari velim ſanguinem, in ſtatu naturali juxta illos, qui oculo armato eundem intuiti ſunt, conſtare ex globulis quibusdam & fibris interjectis (*s*. Dum ergo acidum habet particulas acutas pungentes (*t*, hinc, ſi M. S. illæ p. n. commiſcentur, neceſſario ſuos aculeos rotundis globulis infigunt, qui ob heterogenearum particularum interventum in curſu impediuntur (*u*, eoque magis, quod tunc fibræ etiam mutua implicatione coeant (*x* atque ſibi invicem circumvolvantur, unde ipſe ſanguis incraſſatur atque ad coagulationem diſponitur. Præternaturalem hanc M. S. diſpoſitionem non poteſt non ſequi major ſpirituum deperditio & proſtratio, partim ob fibrillarum nervearum aliqualem obſtructionem, unde motus ♁uum ſufflaminatur, qui tunc per lineam rectam ſe movere nequeunt, ut in ſtatu naturali (*y* fieri debebat; partim quod ob δυσκρασίαν ſanguinis ♁ laudabiles generari nequeant, qui alias nihil aliud ſunt, quam ſanguinis ſubtiliſſimæ portiones (*z* & ſic materialiter ex ſanguine, formaliter

n) Marcel. Malpig. *Epiſt. I. de Pulmon. pag.* 320. *o*) *in Tract. promiſſ. Auth. Colum.* 1. §. 2. *p*) *Lib. de Carnibus Sect.* IX. §. 23. *q*) Rich. Mort. *Phthiſiol L.* 2. *c.* 1. *pag.* 27. *r*) Frid. Hoffm. *Fundam. Med. Path. Cap. V.* §. 40. *pag.* 100. *s*) Frid. Hoffm. *Fund. Med. Phyſ. cap. IV.* §. 28. *pag.* 20. *t*) Sebaſt. Wirdig. *Med. Spirituum L. II. C. II.* §. 2. *pag.* 26. *u*) Valentini *Diſp. de Vacuo Cap.* 3. §. 4 *pag* 15. *x*) Frid. Hoffm. *Fund. Med. Phyſ. C.* 4. §. 28. *y*) Idem *Ibidem C. V.* §. 5. *pag.* 32. *z*) Mich. Ettmüll. *Synopſ. Inſtit. Med. Phyſiol.* §. 66. *pag.* 6. *T.* 1.

per ejus motum & inſpirationem aëris(*a* oriuntur : ſublato igitur ſanguinis motu legitimo & ἀναπνοῇ impeditur & laudabilis ſpirituum generatio. Confuſum autem & turbatum hoc M. S. chaos lentius & tardius per viſcera circulatum, facilius particulas acriores in auguſtis eorum anfractibus relinquit, quæ partes flaccidiores, quales pulmones ſunt, facile arrodere & violare poſſunt, unde altera ex parte phthiſis hic conjungitur.

§. IV. CAUSAM E. PROXIMAM MATERIALEM conſtituunt particulæ illæ heterogeneæ, ex parte viſcidæ, a ſcabie *b* retropulſa potiſſimum ortæ & M. S. commixtæ, quæ ad aliqualem coagulationem diſpoſuere ſanguinem (*c* ejusdemque texturam turbarunt & adhinc pulmones exulcerarunt. Quemadmodum enim particulæ illæ è corporis œconomia, vel per inſenſibilem tranſpirationem, vel ſudorem ejectæ, a plurimis affectibus nos immunes reddunt, ita quidem, ut ſcabies & ulcera à peſte præſervare dicantur (*d*. ita ſi è contra è poris aut reſorbeantur, aut repellantur, Lerna malorum inde oritur, febres ſcilicet continuæ (*e*, phthiſis (*f*, pica (*g* epilepſia (*h* imo ipſa mors (*i* ſicut plura ſymptomata malæ curatæ ſcabiei fuſius recenſet *Wolff. Gabelchoverus* (*k*. Nec ſcabies tantum, ſed & alii affectus cutanei parilia efficiunt, dum ulcere pedis intempeſtive ſanato phthiſin lethalem (*l* e ſimili vero curatione tineæ febrem continuam cum capitis dolore & morte ortam legimus (*m*. quos affectus tantum non omnes acido-viſcide produxere particulæ. Nec obſtat illud non in omnibus

nibus

a) Idem *ibidem* §. 64. *b*) Andr. Buxbaum, *Catech. Med part.* 2, *Quaſt.* 36. *c*) Ettm. *Inſtit. Med. Phyſ. Cap.* 1. *pag.* 57. *a. Tom.* 1. *d*) Petr. Foreſt. *Curat: Medit. L. Obſ.* 24. *Schol.* §. 3. *pag.* 181. *e*] Joh. Bapt Montan. *Conſ.* 9. *fol.* 992. *f*) Ettm. *Tom.* 2. *Prax. Part.* 1. *Lib.* 1. *Sect* 17. *Cap.* 31. *Art.* 7. *Membr:* 1. *pag.* 583. *g*) Idem *Tom.* 2. *Colleg. Conſult. Caſ.* 3. *pag.* 1208. *h*) Vit. Riedlin. *in Lin. Med. Ann.* 1696. *Menſ. Majo Obſ.* 1: *pag.* 206. *i*) Amat. Luſitan. *Cent.* 2. *Bur.* 33. *pag.* 536. *k*) *Curat. & Obſerv. Med. Cent.* 2. *fol.* 92. *l*) Franc. Ignat. Thiermajer. *Conſult. Med. L.* 2. *pag.* 85. *m*) Joh. Schenck.

nibus contingere ex eadem cauſa; ſicut enim natura differt à natura, corpus à corpore (*n*, ita quoque in uno ſubjecto pulmones fortiori gaudent textura, quam in alio, nec quæ ruſtici quadrati impune perferunt, a tenerioris texturæ hominibus æque tolerantur.

§. V. Et hinc tanquam è Pandoræ pyxide fluunt omnia in caſu enarrata SYMPTOMATA, è quibus *rigor* primo ægrum exercuit, cujus cauſam quidem admodum ingenioſè in horrore Archei eumque inſequente horripilatione quærit celebris per △em Philoſophus (*o*; magis tamen magni Hallenſium luminis *D. Frid. Hoffmanni* ætiologia (*p* qui eundem ab influxu ſanguinis ad partes extremas præpedito deducit & experimentis probat variis. Impeditur vero influxus, ſi particulæ volatiles in coagulato & incraſſato ſero hærent ac quodammodo involvuntur, unde ob defectum motus intrinſeci facilius ab externo aëre & frigore afficiuntur, a quo membranoſæ fibræ ſe contrahunt, horripilatione afficiuntur muſculisque in conſenſum tractis & levi convulſione contractis, membra & viſcera quædam ipſumque forte cor tremulo motu concutiunt, ut ingenioſus *D. Schelhammerus* alicubi loquitur (*q*. Durat autem ordinario rigor & frigus illud tamdiu, donec 🜍 & particulæ incarceratæ contrahendo ſe extricare ſuſtineant; unde ob varium illarum motum *calor* ille *p. n. febrilis* oritur, cum è Phyſicis conſtet, caloris eſſentiam in motu minimorum vario conſiſtere (*r* qui in malignis, ut in noſtro ægro, non ſemper in M. S. occurrit, quæ ob ejus ad coagulationem diſpoſitionem æque tardius movetur, ut pulſus rarus atque debilis quoque hic indigitabat; ſed cauſa ejus præcipue in 🜍bus quærenda erit, qui, cum in ſtatu naturali per lineam rectam mo-

 veantur,

n) Hipp. *Lib. de Flatib. pag. 80. o*) Helm. *Lib. de Febrib. cap. 9. §. 2. 3. 4. 6. pag. m. 76. p*) *in Fund. Inſt. Med. Path. C. 3. §. 26. pag. 79. q*)) *Lib. de Febr. curand. Meth. Part. 2. Sect. 2. §. 8. r*) *Le Grand. Inſtit. Philoſ. Part. 6. cap. 20. §. 2. p. m. 496.*

veantur, heic per lineam curvam (*s* quaſi circulantur, atque ſic lateribus ſæpius collidendo per omnes moventur dimenſiones; ut taceam continuam inter cauſam morbificam ipſosque ∽. luctam. Ob inconditos autem & p. n. ejusmodi ſpirituum motus non poteſt uon ſequi *ſumma & ſubitanea virium proſtratio*, tanquam primarium malignitatis ſignum (*t*; utut ad hanc quoque ſymbolum ſuum conferant particulæ illæ acidæ acres & viſcidæ, quum omne acidum ∽bus (*u* & nervis (*x* imo toti corpori extra ſtomachum (*x* ſit inimicum atque hoſtile, ita quidem, ut nonnulli omnes morbos ab acido deducant (*y* Spiritus autem, a quibus oriuntur vires (*z*, ab aciditate p. n. tribus modis affici exiſtimo (1) quia ob ſanguinem ab acido incraſſatum ipſis quædam quaſi tenebricoſitas imprimitur (2.) quia ✚da adſtringunt (*a* ipſi quoque ∽ quodammodo ab eo figuntur, quum & (3) aculeis ſuis ∽ admodum ſenſiles ttepidantes offendat, ut fugam meditentur, ut eleganter hoc explicuit Vir acuti ingenii *D. Wirdig* (*b* Præterea ut omnis liquor ſulphureo ⊖ſus, ſi ſpagyrice examinetur, dat∽ urinoſum (*c*, ita quoque ſanguis ex talibus conſtans particulis (*d* ſi non prorſus alcalinos, minime tamen ✚dos emittere poteſt ∽. Hinc ſi ✚dum p. n. ∽bus commiſcetur, eos ceu alcalinos omnino deſtruit; vel ſi ⊖i magis ſint dicendi, diſſolvit mutua ⊖ium, h. e. particularum ✚darum & alcalicarum, vincula, & ſi alcalina pars, ut magis volatilis, tenues evaneſcit in auras: quorum prius Tartari Vitriolati, poſterius vero ∽⊖* præparatio

s) Frid. Hoffm. *Fund. Med. Path Cap. 7. §. 3. pag. 115.* *t*) Valentini *Med. Nov. Antiq. part. 2. Cap. 3. §. 6. pag. 59.* *u*) Seb. Wirdig. *Medic. ſpirit L. 2. C. 2. § 2. pag. 24.* *x*) v, Mich. Ettm. *Tom. 1. Coll. Chymic. Lect. in fine pag. 425. a.* & in ejusd. *Diſp, Med. Hipp. Chym. Cap. Cap. 3. p. Tom. 2. 1700.* *y*) Helm. *Lib. de Spiritu Vitæ ç. 19. p. 159.* *z*) Sebaſt. Wirdig. *Med. ſptrit. L. 2. Cap. 2. totum pag. 73.* *a*) Valent. *Med Nov. Antiq. P. 1. t. 1. §. 3. p. 12.* *b*) Joh. Bohn. *Diſſ. Chym. Phil. Diſſ. 11. § 16. pag. 316.* *c*) *Med. ſpirit. l. c. §. 2. p. 26.* *d*) Mich. Ettm. *Tom. Inſt. Med. Phyſiol. Cap. 2.*

ratio illuſtrare poterit. Spiritibus ergo partim avolantibus, partim omnino deſtructis non poteſt non virium ſequi proſtrario; quæ ſi obſcuro hoc ſymptomate explicando non ſufficiant, ipſum quoque ☿ium, nervis & ♒ inimicum (*e* allegare poſſem. Et licet quis objicere vellet, miaſma illud ſcabioſum eſſe nimis fixum (*f* adeoque nervulos intrare ♒que deſtruere non poſſe: vel hujus tamen ☿ii intuitu ad tantum volatilitatis gradum evehi poterit, cum hic omnia fere corpora, quibus admiſcetur, imprimis autem ⊖na ✱da volatilia reddat (g, ut ex præparatione ☿ⁱⁱ ♎ti apparet (*h*. Quid quod ☿ acido ſcabioſorum combinatus acrimoniam hujus augere ejusque malignitatem intendere valeat, adeo quidem, ut cum particulis illis ✱doviſcidis in concretum ☿io ♎to analogum abeat: cum & ipſe ☿ (*i* per additamenta magis venenoſus & corroſivus evadat (*k*. Virus ergo hoc malignum lege circulationis in totum corpus diffuſum, primario eas afficit partes, in quibus magni nervorum plexus obſervantur, qualis è concurſu nervi dextri & ſiniſtri externi octavi paris oritur circa orificium ſtomachi ſiniſtrum (*l* æque ac dextrum, cui ob ſummam ejus ſenſibilitatem (*m Helmontius* ſedem animæ attribuit (*n*: qui plexus ſpiculis ✱dis vellicatus ſe criſpans atque orificium plus minus contrahens *anxietatem præcordiorum* producit. Neque enim muſculus hic cordis (*o* ſemper

---

e) Rob. Boyle *in apparat. Hiſt. Nat. Sang. & ſpir. human.* Ettm. *T. 1. Inſtit. Med. Phyſ. C. 2. pag.* 69. *f*) Petr. Foreſt. *Obſ. Cur. Med. Lit.* 8, *Obſ.* 5. Mich. Ettm. *Tom. 1. Coll. Chym. Lect.* 51. *p.* 468. Dominic. Panarol. *Iatrologiſmor. pentec.* 5. *Obſ.* 39. Georg. Hieronymus Welſch *Conſil. Med. Cent.* 1. *Conſ.* 5. 8. 31. 59. *Cent.* 2. *Conſ.* 82. *Cent.* 3. *Conſ.* 37. *Cent.* 4. *Conſ.* 90. & 1000. &c. *g*) Buxbaum. *Catech. Med. Part.* 2. *Quæſt.* 36: *h*) Brendelii *Chymia Cap.* 7. §. 6. *p.* 95. *i*) Joh. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. Diſſ.* 11. §. 10. *pag.* 308. *k*) Cardan. *Lib. de Venenis. cap.* 2. *l*) Helm. *lib. de Facult. Medicam.* §. 46. *m*) Barth. *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 70. Raymund Vieuſſens *Neurograph. Lib.* 3. *cap.* 4. *p.* 354. *n*) Hipp. *Lib. de Corpor. Sect.* §. 12. *o*) Helmont. *Lib. Sedes Animæ* §. 32. *p. m.* 133.

ſemper afficitur (*p*, ſed orificium ſupradictum, ab Antiquis καρδία nominatum (*q*: Et quia ſedem famis præbet ſiniſtrum hoc ſtomachi orificium, (*r* hinc in eo quoque *cauſa proſtrati appetitus* quærenda erit. Scilicet ob dolorem conſtrictum p. n. nequit percipere vellicationem liquoris gaſtrici, qui, cùm omnes C. H. liquores alterati exiſtant, nec ipſe laudabilis generari poteſt; taceo quod ob inordinatum ∼uum motum, quem *delirium* indicat, ∼ non recipiant impreſſiones in orificio ſtomachi factas. (*s* Imo quis ſciverit, annon conjuncta affectui noſtro *cephalalgia* magna ex parte ex inſigni capitis cum orificio hoc conſenſu oriatur, quæ tamen & à ſanguine plus minus grumoſo, in vaſis capitis & in ſpecie duræ matris hærente, commode deducitur, unde ob vaſa dilatata (*t* quoque divellitur ejus duplicatura, adeoque neceſſario inſequitur ingens *dolor capitis* (*u*. *Sitis*, quæ porro conjungitur, partim ob nimiam ſeri deflagrationem & pauciorem hinc ſalivæ generationem oritur, partim ob hujus acrimoniam, fauces continue vellicantem; quibus ſymbolum ſuum addit ipſum pus acre *x*) è pulmonibus eructatum. Nec aliam cauſam agnoſcit *tuſſis*, qua natura heterogenea pulmonibus impacta ſemper eliminare conatur; adeoque non mirum eſt, ſi ea mediante *pus* in pulmonibus collectum *&* *ſanguis* (*y* è violatis veſiculis ſimul rejiciantur, quæ prius in bronchiis hærendo *reſpirationem difficilem* (*z* producebant; cumque hac ratione non tantum ſerum nutritivum inſimul extravaſetur, ſed & ob turbatam corporis œconomiam aliud de novo generari non poſſit, hinc mirum non eſt, ſi & partes muſ-

ſculoſæ

---

p) Hipp. *Lib. de Corde.* §. 12. Celſus *Lib.* 4. *Cap.* 1. *p. m.* *q*) Ettm. *Tom.* 2. *Prax. P.* 1. *L.* 1. *Sect.* 7. *Cap.* 7. *pag.* 99. *b.* (*r* Fernel. Ambian. *L.* 4. *de Febrib.* C. 10. *s*) Valent. *Med. Nov. Antiq. Part.* 1. *Cap.* 8. §. 3. *pag.* 30. & Dan. Sennert. *Inſtit. Med. L.* 2. *part.* 5. *Sect.* 2. *Cap.* 1. *p. m.* 312. *t*) Ettm. *T.* 2. *Prax. P.* 1. *L.* 1. *Sect.* 1. *C.* 1. *p.* 40. *b.* *u*) Hipp. *Lib. de Flatib. Text.* 31. *x*) Hipp. *in l. c.* & Ettm. *Tom.* 2. *Prax.* Part. 1. *L.* 2. *Sect.* 2. *Cap.* 3. *Art.* 7. *pag.* 830, *y*) Dolæus *Encyclopæd. L.* 2. *cap.* 3. §. 1. *p.* 279. *z*) Aur. Cornel. Celſ. *L.* 3. *cap.* 22. *pag.* 166.

culoſæ, tum in toto corpore, tum quammaxime in facie collabaſcant, adeoque illic *macies*, hic vero *facies quodammodo Hippocratica* obſervetur, cujus deſcriptionem eleganter dedit *Cous* (*a*. Reliqua *pulſus & urina* expediunt, quorum prior *durus* erat, ob tunicæ arteriarum, à particulis acribus laceſſitarum, ſpaſmodicam quaſi contractionem: *rarus*, ob ſanguinis plus minus grumoſi circulationem tardiorem: *debilis*, ob minorem ejus ~naſcentiam & tandem *inæqualis*, ob motum cordis ſpaſmodicum. Poſterior *Urina* ſcil. *rubra* & intenſe *tincta* apparebat, ob particulas ſanguinis ⊖no-Sulphureas uberius diſſolutas (*b* contentis ſimul orbata, ob defectum ſeri nutritivi, cujus intuitu tabem quoque indicat (*c*.

§. VI. Omnibus autem his viam pandebant CAUSÆ REMOTÆ in hiſtoria noſtra annotatæ, è quibus *juvenilis* primum *ætas* annotanda, cui febres ardentes æque ac phthiſis (*d* non inſoliti morbi, (*e* non ſolum ob majorem ſanguinis acrimoniam; ſed imprimis ob vitia diætæ, quæ utplurimum à juvenibus, genio nimis indulgentibus, committuntur & aciditatem, fœcundam morborum matrem, ſanguini communicant. Huc pertinent *cibi & potus* pravum ſuccum generantes (*f*. Nec minorem *temperamentum ægri cholericum* affectibus hiſce fomitem miniſtrabat, cum à bile tantum non omnes febres oriri, ex *Hippocrate* nonnulli adſtruant, quæ facillimè ⊖ibus acribus (*g* oneratur. An & *vita ſedentaria* aliquid contulerit, in caſu quidem non exprimitur, attamen cum ſtudiorum gratia huc miſſus illi ſine dubio locum dederit & ſcabiei & inde provenientibus affectibus illa

 quo-

a) de qua vid. tot. *Diſſert. erudita* Schambergii *de Reſpirat. læſa, habita Lipſ. A.* 1693. *b*) Hipp. *Coac. Præn.* §. 212. *& ex eo* Veſti *Inſt. Med. Reform. L.* 3. C. 4. §. 6. *p. m.* 124. *b*) Thom. Williſ. *Diſſert. Epiſtol. de Urinis Cap.* 4. p. 21. & 27. Idem, *ibid. Cap.* 6. *pag.* 43. *d*) Hipp. *Sect.* 3. *Aph.* 13. item *Sect.* 5. *Aphor.* 9. item *Coac. Prænot.* 439. *e*) Idem *Aph.* 29. *Sect.* 4. *f*) Galen. *Libr. de Febr. Diff. L.* 3. item *Lib. de Cibis boni & mali ſucci.* Frid. Hoffm. *Fund. Med. Path.* C. 4. §. 22. p. 91.

quoque fomitem ſubminiſtravit, quatenus partim ob defectum motus & hinc inhibitam tranſpirationem inſenſibilem, partim ob conſumptionem ∼uum ſanguinem in vappam quaſi convertit & ita totius ſanitatis fundamentum evertit, ut *Illuſtris Franck à Franckenau* alicubi loquitur, (*h*. Nec omnino inſontes hic ſunt pilulæ purgantes, absque ſufficienti operatione in corpore remanentes, quæ moverunt quid, ſed nihil promoverunt, unde humores, quos colliquefecerant, in vaſis & inteſtinis fluctuantes, majorem acrimoniam acquirendo, materiæ morbificæ pabulum ſubminiſtrare poterant. Interim palmaria & omnium peſſima è remotis cauſa eſt pernicioſa illa *Scabiei retropulſio*, ſive jam oleoſis poros obturantibus fiat (*i*, unguentis ſcilicet & linimentis, ſine præmiſſione univerſalium adhibitis, ſive, (quod omnium perículoſiſſimum) ☿rialibus. Quanta enim toto die inde oriantur incommoda, bini quidem ægri, ſuperiori anno à Profeſſore meo atque Præceptore nunquam ſatis devenerando, *D. D. Valentini* hic in integrum reſtituti, atteſtari poterunt, quorum alter unguento quodam nigricante ☿riali, contra ſcabiem à Chirurgo ipſi ſubminiſtrato, in ptyaliſmum incidebat moleſtiſſimum: Alter vero ſcabiem ſimiliter pruriginoſam cingulo ☿riali, ab Ephippiario ipſi parato, depulſurus, Anginam ſibi conciliaverat periculoſiſſimam. Alia exempla hiſce parallela qui deſiderat, *Miſcellanea Acad. Nat. Cur.* conſulat, ubi plura hinc inde notatu digniſſima occurrunt. (*k*.

§. VII. quod PROGNOSIN concernit, Æger in periculoſo omnino ſtatu conſtitutus eſſe videtur, non tantum ratione febris malignæ, cujus, ut omnium acutorum, incertæ ſunt prædictiones (*l*, qua audita & Medici & ægri contremiſcunt (*m*, ſed & ſputi cru-

enti

---

h) *in Diſſ. elegantiſſima de Noxa Studiorum* *i*) Mich. Ettm. *Tom.* 2. *Coll. Conſult. Caſ.* 3. *Diſcurſ. p.* 1300. *b.* *k*) *Dec. ſcilicet* 1. *pag.* 185. & *Anno* 2. *p.* 45. 46. *Dec.* 2. *Anno* 4. *p.* 45. & 228. Item *An.* 6. *p.* 204. *An.* 10 *pag.* 111. *Dec.* 3. *An.* 1. *p.* 87. *l*) Hipp. *Aphor.* 19. *Sect.* 2. *m*) Mich. Ettm. 2. *Prax. Part.* 1. *Lib.* 1. *Sect.* 15. *Cap.* 6. *p.* 381.

enti intuitu, quod *Hippocrati* ſemper eſt ſuſpectum (*n*, eoque magis, ſi à Phthiſi oriatur. Quia tamen Æger in ætate florida & juvenili vivit & uterque morbus non tam à colluvie quadam putrilaginoſa in corpore genita, quam cauſis quibusdam externis ortus eſt, certa nos ſpes alit, Naturam legitima methodo medendi ſuffultam cauſam morbificam ſuperaturam eſſe, dummodo precibus & ſuſpiriis devotis medicinæ à DEO de terra creatæ (*o* junctis, bono animo ſit æger Medicoque fidens præceptis ejus ſit morigerus. Sicut enim is plurimos curat, cui plurimi fidunt, ita ille utplurimum ſanatur, qui plurimum fidit *p*.

§. VIII. Ad CURAM autem non tantum cito & jucunde, ſed & tuto (*q* inſtituendam ſequentes obſerventur *Indicationes*, ut ſcilicet (1.) omnia externa utrique morbo occaſionem largientia removeantur. (2.) Miaſma acido-acre è corpore eliminetur. (3.) Noxa pulmonibus illata emendetur, reliquaque 4to Symptomata ægro moleſta mitigentur; quorum primum remotione topicorum ☿rialium & obſervata legitima Diæta: Secundum expellentibus: Tertium balſamicis pectoralibus: Quartum denique cordialibus anodynis obtineri poterit, ad habitum corporis & vires cum *Hippocrate* (*r* reſpiciendo, in quibus Naturam Medicam (Morborum medicatricem) (*s* conſiſtere, *Dn. Valentini* in diverſis ſcriptis (*t* oſtendit.

§. IX. Omiſſis ergo & rejectis ocyus ☿alibus externis, I. reliquarum VI. rerum non-naturalium œconomia legitima, per convenientem *Diætam* eamque tenuem (*v* ſed confortantem, inſtituatur, è quibus primas jure debemus AERI, qui vel temperatus, vel ad calidum magis, quam frigidum incliner; frigidus

Yyy 2 enim

n) *Aphor.* 25. *Sect.* 4. *o*) Syrac. *Cap.* 38. § 2. 4. *p*) Drawitius *vom Schmertzmachenden Scharbock*. *p.* 56. (*q* Hipp. *Lib. de offic. Med.* §. 10. & Frid. Hoffm. *Fund. Med. Ther. cap.* 1. §. 7. *r*) *Tr. de Sterilibus p.* 251. *s*) Hipp. *Lib.* 6. *Epidem.* *t*) *Med. Nov. Antiq.* Part. 1. *Cap.* 1. §. 1 *p.* 11. & 12. & *Epiſt. ad Doleum de nat. Med.* *v*) Hipp. *Lib. de Victu in acut.*

enim magis ſtagnare faceret ſanguinem occludereque poros. Corrigatur quoque & liberetur à ſuis particulis acribus, per ſuffimigia, gratum odorem ſpirantia & ∼ refocillantia (x. Quo pertinet mutatio cœli, curata febri, quæ ab Anglis & aliis ſuadetur phthiſicis (y. *Diætæ* verò ſtrictè ſic dictæ cardo eſt ſobrietas (y quæ in CIBO æquè ac POTU obſervanda venit; parum itaque comedat (a & quidem cibos minus nutrientes; corpus enim impurum quo magis nutriveris, eò magis læſeris (b. Si vero febris ſuperſtite phthiſi ſit curata, cibi εὔχυμοι (c facilisque concoctionis (d commendandi, quorum plures enumerat *Foreſtus* (e qui crura ranarum magnopere commendat (f Fugienda ſunt ✠da, nimis acria, aromatiſata, ut zingiber, quod ſolum phthiſin induxiſſe legimus (g. POTUM quod attinet vinum ægro noſtro non omnino interdicendum exiſtimo, ob acidum volatile, & ſtomacho & ∼ibus gratum. Cereviſia exulet, quæ & febricitantibus & phthiſicis nocet (h: Et quia ob ſitim ingentem ſæpius concedendus eſt potus, præſtant julepi ex parte alexipharmaci, ut una fidelia duos dealbare poſſimus parietes. SOMMUS omni modo procuretur, qui tum in febribus (quibus plerumque ἀγρυπνία conjungitur) tum in phthiſicis conducit, quia multum ad elaborationem ſanguinis atque ∼ contribuit. (i Ratione Motus & QUIETIS, hæc febricitantibus, ille phthiſicis proficuus, cum Angli phthiſin ſolo motu, in ſpecie equitatione, curare ſatagant (k, quia corpus roborat (l; hinc alii diuturnam ſuadent navigationem m.)

---

x) Helm. *tract. Imago fermento impregnat. &c.* §. 19. *p.* 93. y) Celſus *L.* 3. *cap.* 22. *p.* 168. z) Helm. *tract. victus ratio.* §. 16. *p.* 164. a) Joſeph Jakſon. *in Enchir. Med. Theor.* Pract. *cap* 37. §. 6. *p.* 141. b.) Hipp. *Aph.* 10. *Sect.* 2. & 69. 7. c) Galen. *Lib.* 6. *de San. tuend. c.* 7. d) Celſus *in l. c. p.* 167. e) *Lib.* 16. *Obſ.* 53. §. 4. 5. 6. f) *Idem l. c.* §. 6. g) Vit. Riedlin. *Lin. Med. An.* 2do 96. *Menſ. Febr. Obſ.* 24. *p.* 90. h) Idem *eodem An. Menſe Decembr. Obſ.* 24. *p.* 630. i) Valent. *Med. Nov. Antiq.* Part. 6. *cap* 3. §. 1. *p.* 297. k) Thom. Sydenham. *Proceſſ. integr. Tit. de Phthiſi oper. Mort. annex. pag.* 39. l) Hipp. *Lib.* 2. *de Diæta l* 34. *atque Epid.* 6.

(m. Ratione EXCREMENTORUM opera danda, ut alvus ſemper ſatisfaciat officio ; ſi minus, urgente neceſſitate leniſſimis clyſmatibus aperiatur, cavendo tamen, ne excretio cutanea (quæ iterum movenda) cohibeatur, vel æger ad diarrhœam colliquativam, quæ in phthiſi mortis prodromus (*n* diſponatur. AFFECTUS ANIMI vehementiores omnino fugiendi, ira ſcilicet immodica, triſtitia, timor, metus (*o*.

§. X. In expellendo II. miaſmate acido-acri, Naturæ motus, per intempeſtivam topicorum adhibitionem hactenus inhibitus, reſtaurandus eſt, adeoque licet alias *vomitoria* in principio malignarum egregiè conveniant (*p*, in ſpecie, ſi ſymptomata ventriculi, cardialgia & anorexia, cum oris amaritudine ſunt conjuncta, imo ſolo vomitorio febris maligna alicubi curata legatur (*q*, ipſa etiam phthiſis in principio vomitorii uſum ſæpe indicet (*r* : nihilo tamen minus in noſtro ægro eadem minus convenire exiſtimavi, partim, quod cauſa morbifica in ſtomacho ejusque confiniis non lateat, partim quod vires jamdum nimis ſint proſtratæ (*s*. Multo minus ipſis purgantibus hic locus erit, quæ in febribus malignis (*t* & phthiſi (*v* cane pejus & angue fugienda, quum & motum Naturæ criticum invertant & vires omnino peſſundent ; quarum intuitu hoc in caſu V. S. quoque non eſt locus, abſente imprimis plethora :

 adeoque

---

m) Celſus *Lib.* 2. *C.* 22. *p.* 165. Foreſtus *Lib.* 17. *Obſ.* 53. §. 4. *n*) Hipp. *Coac. Prænot.* 436. *Aphor.* 12. & 14. *Sect.* 5. *o*) Valent. *Med. Nov. Antiq. p.* 9. *c.* 6. §. 1. *p.* 212. *p*) Schelh. *Lib. de Febr. cur. Meth.* Part. 3. *Sect.* 4. § 29. *p.* 210. Mich. Ettm. *Tom.* 2. *Prax.* *Part.* 1. *Sect.* 15. *cap.* 6. *p.* 384. *q*) Schelh, *Tr. de Natura* P. 2. *c.* 3. §. 2. *p.* 224. *r*) Joh. Hartm. *Prax. Chymiatric. cap.* 99. & *cap.* 185. Fabric. Bartoletus *Tract. de reſpiratione difficili* & *ex iis* Ettm. *Tom.* 2. *Prax.* *Part.* 1. *Lib.* 1. *Sect.* 17. *c.* 1. *Art.* 2. *Obſerv.* 2. *p.* 462. *s*) Hadr. á Mynſicht, *Armam. Med. Chym.* *Sect.* 1 *pag.* 15. *t*) Schelh. *de Nat.* Part. 2. *cap.* 3. §. 2. *p.* 224. atque Ballonius, *Phar. Med. pag.* 175 *v*) Waldſchm. *Inſtit. Med. Lib.* 5. *c.* 12. §. 5. Petr. Borellus *Hiſtor.* & *Obſerv. Med. Phyſ. cent.* 15. Proſper. Martian. *Lib. Magnus Hippocr. Cous. Comment. ad Hipp. Aphor.* 8. *Sect.* 4. Ettm. *Prax.* Part. 1. *Lib.* 1. *Sect.* 17. *cap.* 1. *Art.* 2. *p.* 462.

adeoque omnis curationis cardo in *expellentibus & diaphoretico-bezoardicis* ad ſcabiem retropulſam rurſus ad corporis circumferentiam propellendam aptis & expertis, vertitur ; ubi ex Regno Minerali ♁ diaphoreticum (*s* : e Regno Vegetabili Carlina, ab Angelo Carolo M. commendata (*x* bardana & ſerpentaria Virginiana (*y* cum ſeminibus expulſivis : ex Regno Animali Viperina, caro ſcilicet, ſpinæ & ⊖ volatile viperarum, quæ tum in febribus malignis, tum in affectibus à ſcabie retropulſa oriundis mire deprædicat Famoſiſſimus Gallorum Pharmacopœus *Moyſes Charas* (*z*; in quorum defectu in noſtris ſerpentibus ſimile quid invenit *Zwelferus* (*a* & Exc. *D. Ettmüllerus* (*b* ideoque vel ſola hæc ſimplicia (quibus tamdiu inſiſtendum, donec ratio alia requirat (*c* imperando deſuper ſudorem) commendari, vel & ſimpliciſſimæ inde formulæ fieri poterunt, hac fere ratione :

Recip. ♁ *Diaphoret.*
Rad. Serpent. Virg. ana. ℨß.
⊖ *Volat. Viper.* ℈j.
M. Div. in 3. p. æ.
D. S.

Austreibende Pülverlein alle Morgen eines im verordnetem Tranck zunehmen.

Recip.

x) *Miſc. Acad. Nat. Curioſ. Dec.* 2. *An.* 2. *p.* 421. *y*) Helmont. *in Tract. tumulus peſtis* *z*) Sam. Dale *Pharmacologia Lib.* 2. *Sect.* 17. *cap.* 7. *p. m.* 289. atque Joſeph. Jackſon. *Encheir. Med. Theor. pract. cap.* 17. §. 6. *p. m.* 143. *a*) *aux Nouvelles Experiences ſur la vipere* Part. 2. *cap.* 8. *p. m.* 180. *& ſeqq.* *b*) Ettm. *Tom.* 1. *Coll. Pharm. in Schröd.* Part. 1. *Sect.* 2. *cap.* 2. *p. m.* 800. *c*) *vid.* Illuſtr. Thſchirnhaus *Med. Corp.* Part. 3. *Append. p.* 56.

Recip. *Rad. Bardanæ.* ℥j.
Carlinæ.
Chinæ ana ℥ß.
Herb. Scordii
Tuſſilag. ana Mj.
Sem. Aquileg. ʒij.
Raſur. CC. ℥ß.

Inciſ. & contuſ. coq. in s. q. 🜄. ſimpl. Colat.
Recip. ℔j. eique adhuc ferventi
injice *Paſſul. min.* ℥iij. trajice per
man. Hippocrat. D. S.

Ordinari Tranck des Tages etlichmahl ein Weinglaſs voll zutrincken.

Quodſi vero vel ob intenſiorem malignitatem, vel corporis, ad ſudorem minus inclinantis, diſpoſitionem, magis volatilia requirantur, è compoſitis mediæ conſiſtentiæ Theriaca Andromachi, vel Ludoviciana (*d* viperas utrobique continens, aut Tinctura Bezoardica incomparabilis Practici *D. Michaelis* (*e*, quæ cum Tinct. ♂ii tartariſata & eſſent. Myrrhæ (hic ob phthiſin egregia) (*f* ſummopere confert, aut & ⁓⊖✱ (quem hic pectoralem aniſatum vocant) locum obtinebunt: quibus Angli ⁓ Vitrioli diaphoreticum (*g* & ⁓ Vitrioli tartariſatum (*h* addunt v. g.

Recip.

d) *Pharm. mod. ſec. applicand. p.* 34. 117. 118. & Excell. D. Nebel. *in Compend. p.* 11. *e*) Gothofr. Schultzii, *de Natur. Tinct. Bezoard. D. Mich. per tot.* *f*) Ettm. *T.* 1. *Coll. Pharm. in Schrœd. Part.* 1. *Sect.* 1. *Claſſ.* 2. *pag. m.* 706. *b.* *g*) William Solmon *in Comment. ad Pharmac. Batean. Anglico idiomate ſcripto Lib.* 1. *cap.* 2. *Membr.* 43. §. 3. *pag.* 10. *h*) *Idem ibidem Membr.* 47. 107.

Recip. *Tinct. Bezoard. D. Mich.* ℥j.
Eſſent. Myrrhæ ℈j.
⊖. *Volat. Viperar.* ℈ß.
M. D. S. Austreibende Tropffen 40. auf einmahl in Tauben Kropff Waſſer zunehmen.

Vel

Recip. *Theriac. camphor. Lud.* ℈ij.
Antihect. Poterii ℈j.
M. pro 2. doſibus.

§. XI. Inſuper III. ea non ſunt omittenda, quæ noxam pulmonibus illatam (in quantum poſſibile) averruncare valent, travmatica ſcilicet *i)* pectoralia & balſamica, vi ſimul diaphoretica dotata, qualia ſunt Antihect. Poterii, & Ocul. ♋. quos ea de cauſa non *Helmontius* modo extollit (*k*, ſed & nuper adhuc in Novellis aliquoties adeo decantatus Italiæ Machaon *Marcellus Malpighius* in conſilio quodam mſc. Phthiſico cuidam Illuſtri in itinere impertito, ſummopere extollit, quod, tanquam notatu digniſſimum, hic integrum inſeruiſſem, ni charta æque ac inſtitutum id disſuaderent. Nec inſuper habenda ſunt ſulphurea, balſamum ſulphuris aniſatum cum ſacchar. ♄i temperatum & è vegetabilibus decocta pectoralia, rad. Chinæ recipientia, vel & ipſa lignorum decocta, in affectibus cutaneis præſentanea:

Recip. *Balſ. ſulphuris c. Sacch.* ♄i. *digeſt.* ℥j.
de Peru ℈ß.
M. D.

De nulceis pini, ſimili virtute notoriè gaudentibus, non eſt ut multa addam, quos ſanguinem è pectore rejicientibus ſuccurrere, in Templo Æſculapiii Inſulæ Tiberinæ, literis Græcis, marmoreæ

i) Rich. Morton. *Phthiſiol. l.* 2. *cap.* 10. *p.* 72. *k) Tract. Blas Human.* §. 43. *p. m.* 853.

reæ Tabulæ inſculptum legitur (*l.* Quodſi grumi quidam ſanguinis, curato maxima ex parte ægro, remaneant, *Cel. Ettmüllerus* decoctum ſimpliciſſimum è Cherefol. & Heder. terreſtri ſummis laudibus extollit (*m.* Sin vero febri jam curata acrimonia quædam M. S. relinquatur, *Curam Lactis* non inconvenientem eſſe dixerim, quicquid Scopticus ille *Harveus* (*n* & *N. Heinſius* (*o* oggannient, cum & *Hippocrates* eandem ſuadeant (*p* & Moderni quoque non laudent tantum, ſed & modum utendi fuſe deſcribant (*q.*

§. XII. His omnibus autem tandem IV. aut admiſceantur, aut interponantur confortantia & vulgo ſic dicta Cordialia, ad *vires* nimium proſtratas conſervandas, tam præcipitantia, frigida Antiquis dicta, ut Corallia, margaritæ, mater perlarum, quam volatilia, ſed magis temperata, ut ▽. cord. frigid. Herc. Saxon. ▽. CC. citrata, ▽. de typhis cervi, oſſa cord. cerv. quibus & aliis conjunctis SYMPTOMATIBUS, in ſpecie *Cardialgiæ*, ſatisfieri poterit, quam in aliis malignis vomitorio quodam & præcavere & curare ſolent (*r.* Anglis autem hic in pretio eſt Elixir *Jackſonii* (*s* ſeq.

Zzz Recip.

l) Rolfinc. *Epit. meth. cognoſc. & cur. Lib. 2. Part. 1. cap. 5. pag. 149.* *m*) Ettm. *T. 2. Prax. Part. 1. Lib. 1. Sect. 17. cap. 1. Art. 2. p. m. 469. a.* *n*) *Tr. de Curat. Morb. per expectationem.* *o*) *In Tr. Germanico contra Curam Lactis.* *p*) *Aphor. 64. Sect. 5.* *q*) Chriſtophorus Bennet. *in Theatro Tabidor.* Jac. Sachſius à Lœwenheim. *in Miſc. Acad. Germ. Cur. Ao. 1. Dec. 1. pag. 316.* & Excell. D. Waldſchm. *in Diſp. de Cura Lactis Podagricor. ſolatio.* *r*) Ettm. *T. 2. Prax. Part. 1. Lib. 1. Sect. 15. cap. 6. in Cur. Obſerv. 1. pag. 383. b.* *s*) *In Enchir. Med. Theor. Pract. cap. 17. §. 4. p. m. 63.*

Recip. ∼ *Saſſafras.*
Limon. ana
infund. c. *Myrrhæ, Aloes & Croci q. ſ.*
F. Elixir Doſ. g. XXX.

Sitim potu Thee, aut taleolis citri, *Cephalalgiam* verò & *Delirium* aut emulſionibus papaverinis, aut epithematibus & ſuppedaneis demulcere poterimus, v. gr.

Recip. *Fol. rut. rec.* Mij.
Rad. raph. ℥ij.
⊖. *Commun.* Mß.
Ferm. acerr. & ✠ *roſ. q. ſ.*
M. F. Cataplaſma
Plantis pedum admovendum (*t.*

Hoc tamen in caſu raro vel nunquam hæc topica adhibenda, ne expulſio ſcabiei ſufflaminetur, quam unice reſpicere & promovere debemus.

§. XIII. Scabie enim ad extimam corporis circumferentiam redeunte omnia ſymptomata, cum ipſis morbis, ſponte evaneſcent; quam ſi poſtea methodice curare velimus, interne primum pilulas quasdam ☿riales, externè poſtmodum ſulphurea, ab *Helmontio* (*u* mire deprædicata, adhibere poterimus, qui longis Galenicorum decoctis internè & externè in caſſum adhibitis, tandem à Vetula ſolo ſulphure, cum axungia quadam ſubacta, à ſcabie perfecte curatus fuit. Ad cujus imitationem

Recip.

t) Ettm. *Tom.* 1. *Coll. in Phar. Schrœd. Part.* 1. *Sect.* 1. *Claſſ.* 1. *Lit. R. p. m.* 639. *b.* *u*) *Lib. de Febrib. cap.* 5. §. 10. *pag.* 115. *Tr. Ulcera & Scabies Scholar.* §. 2. *p.* 257.

Recip. *Ungnent. enulat.* ℥j.
Flor. ſulphuris ʒj.
☍ *Ligni Rhod.* g. iij.
c. ſ. q. ☍ *Nicot. F.* Unguentum.

Quodſi verò pororum obſtructionem metuas, aut lapidem medicamentoſum *Crollii*, à *Schrödero* deſcriptum (*x* & à *Solmone* Anglo mire deprædicatum (*y* adhibe: aut è ſpeciebus ſuperioris unguenti, cum Sapone Veneto, F. Globuli, quibus ſæpius laventur manus, cum & ſimpliciſſima manuum lotione ſcabiem præſervari poſſe *Salernitani* teſtentur (*z* canendo more ſolito:

Si fore vis ſanus, ablue ſæpe manus.

TANTUM! DEO GLORIA!

---

x) Pharmacop. Mcd. Chym. Lib. 2. cap. 65. §. 3. p. 226: y) Comment. in Pharmac. Batean. Lib. 1. cap. 9. Membr. 110. §. 111. 3. 4. z) de Conſerv. Valetudine cap. 23. pag. 152.

CAS. III.
DE
FEBRE VERMINANTIUM.

HISTORIA.

Puerulus quinque annorum, vorax admodum & ſaccharatis inhians, crebro de torminibus abdominis conqueritur, cum inappetentia, nauſea & phlogoſibus vagis: ſæpiſſimè ſimul nares attrectat multumque ſitit, idque tempore etiam matutino, è ſomno (qui turbulentus & cum pavoribus conjunctus eſt) vix expergefactus. Parentes lumbricos ſubeſſe rati ſemen Cinæ (vulgò Wurm-Saamen) illi propinant, quo pauci etiam lumbrici è corpore expulſi fuere. Paulo vero poſt calore p. n. corripitur puellus, cum inſigni capitis dolore & quod prorſus inſolitum erat, fœtore cum halitu per os emiſſo. Pulſus eſt celer & frequens, urina rubicunda. Parentes ergo de ſalute filii ſolliciti Medici conſilium deſiderant.

RESOLVTIO.

§. I.

SI quis æqua judicii lance perpenderit ſymptomata in caſu præcedenti obvia non poteſt non exinde elucere puellum hunc FEBRI CONTINUA laborare. quæ cum à lumbricis intus ſtabulantibus exorta fuerit, VERMINOSA dici poſſet. De febris quidem præſentia nemo dubitare poterit, quam calor p. n. cum cephalalgia, pulſus celer & frequens, urina rubicunda aliaque febribus eſſentialiter adjuncta, ſatis ſuperque arguunt A vermibus autem febrim hanc excluſam fuiſſe partim antecedenria, partim conſequentia demonſtrant. Illic in caſu memoratur pueri voracitas, dulcium & ſaccharatorum uſus, quorum hæc ſemina ſuppeditant, illa vero putredinem cauſando ad illorum excluſionem faciunt: utraque autem ad reliqua in caſu enarrata ſymptomata, nauſeam ſcil, anorexiam, ſitim, ſomnum interruptum, narium pruritum conſenſualem aliaque multum conrribuunt. Heic inter conſeq. notam ſingularem meretur oris graveolentia, utpote quæ manifeſtiſſimè putredinem à corruptis vermibus in ventriculo & inteſtinis enecatis indicat, quam febrim poſt ſe traxiſſe pulſus celer & urina rubicunda magis magisque confirmant. Febris autem illa rectè definitur intemperies calida totius corporis continuo affligens, a corruptis lumbricorum particulis, chylo & M. S. commixtis, orta.

§. II. SUBJECTUM ergo morbi hujus ad æquatum idem eſt quod aliarum febrium continuarum, totus ſcil. corporis humani apparatus, calore p. n. perfuſus. Subjectum vero radicationis & quidem proximum eſt maſſa ſanguinea, quæ, ut in ſtatu naturali

 liquor

liquor eſt è particulis ſalino-volatilibus oleoſis, ſpecie globulorum rutilantium, ſero albicanti innatantibus conflatus: ita ſi in ſtatu p. n, & inde dependens calor oritur, non prius ceſſat, quam peregrina illa miaſmata, ut cadavera ex Oceano, fuerint excluſa. Lumbricorum vero nidus, pro ſubjecto radicationis remoto hic habendus, ſunt inteſtina, tam tenuia, quam craſſa. De his autores ſunt unanimes. De prioribus ſaltem dubitant nonnulli, in ſpecie de inteſtino duodeno, in quod indies ab una parte bilis, ab altera vero ſuccus pancreaticus effunduntur, quorum hic aciditate, quam huic quidam tribuunt, illa vero amaritie & virtute balſamica progeniem lumbricorum in duodeno impedire videntur. Alii è contra vermes in hoc quoque & omnibus reliquis inteſtinis tenuibus generari poſſe cenſent, quibus ipſa quoque experientia annuit, cum in ſectionibus Anatomicis ſubinde lumbrici in ductibus illis quoque inveniantur. Et licet in ſtatu naturali hoc ob cauſas ſupradictas non facile contingat, in ſtatu tamen p. n. imo & latitudine ſanitatis, ubi bilis quodammodo iners redditur, aut ſuccus pancreaticus vappeſcit, fœtus hic non difficulter excludi poteſt, Quid quod & in ipſis liquoribus acidis (ſi quam maxime aciditatem quandam ſucco pancreatico ineſſe concederemus). vermes generari poſſint, cum in aceto pomaceo vermiculos obſervarint Naturæ Curioſi, *vid. Dec. I. Ann. 6. Miſcellan., Acad. N. C.*

§. III. CAUSA PROXIMA ET IMMEDIATA hujus febris eſt turbatus & inordinatus ſanguinis & ſpirituum motus, quem per fermentationem p. n. aut efferveſcentiam haud pauci ſolent exprimere, Quemadmodum enim M. S. ſibi relicta blando & æquali motu agitatur, quatenus globuli ejus purpurei in ſero albicante ſibi contigui libere natando circa proprium axem motu interno facile circumvolvuntur: ita ſi interſtitiis illorum aliæ particulæ heterogeneæ & anguloſæ ſe immiſceant & materiam ſubtilem illic contentam expellant, hæc priſtinum occupatura locum in peregriuum illum hoſpitem inſurg:t, unde non poſſunt non

particulæ

particulæ illæ in globulos M. S. & hi in *illas* impelli & reſiliendo variè agitari. Quid autem aliud inde poterit expectari, quam calor corporis inſignis,quem per varium inſenſibilium partium motum non ſine cauſa definiunt Moderni.

§. IV. Tales autem particulas heterogéneas in noſtro caſu M. S. communicatas fuiſſe, ad ſenſum fere probat inſignis & inſolita oris graveolentia in puero obſervata, quæ ut ab effluviis lumbricorum, in corporis interaneis putrefactorum ſunt profecta, ita procul dubio ſimilis putrilago chylo ſe admiſcuit & tum per vias chyliferas ſatis cognitas, tum per poros vaſorum ſanguiferorum foris intus ſpectantes in M. S. penetrando interſtitiis globulorum ſe ingerere, motum horum internum & ſimul ſanguinis mixtionem turbare, adeoque calorem hunc febrilem, cum reliquis ſymptomatibus, febribus alias communiter conjunctis, cephalalgia ſcil. pulſu celeri & urina rubicunda, tanquam CAUSA PROXIMA MATERIALIS ET MEDIATA inferre potuerunt.

§. V. Fomitem hiſce præbuerunt ipſi lumbrici, de quorum generatione diſcrepantes Autorum ſententiæ occurrunt. Sunt qui cum univerſa ferè Antiquorum caterva generationem illorum æquivocam defendunt & eosdem ſola putredine produci ſtatuunt. Moderni è contra (quibus & ipſe ſubſcribere non vereor) præter hanc inſimul ſeminium aliquod requirunt, cum ut nulla planta ſine ſemine, ita nullum quoque animal ſine ſeminio aliquo generari poſſit. Hoc autem ſeminium muſcæ aliaque inſecta eduliis, cumprimis dulcibns, inſidentia ſuaque ovula eò deponentia ſubminiſtrare ſolent, quæ per deglutitionem in ſtomachum & inteſtina delata à fracedine putredinoſa indeque oriente calore foventur ulterius & excluduntur. Probant hoc experimenta *à Dn. Rhedi* inſtituta, qui carnes aliaque eduliorum genera vaſis quibusdam & lagenis includendo & ne muſcæ illa penetrare poſſint, probe muniendo, obſervavit nullos illic vermiculos generari, qui in aperto

aëre

aëre alias confertim illic provenerant. Verba ejus in allegato ſupra curioſo de *inſectorum generatione* libello ita ſe habent: Medio Menſe Julio, inquit, in lagenas quatuor, orificii amplioris, miſi ſerpentem unum, piſces aliquot fluviatiles, anguillas Arni fluminis quatuor & fruſtum carnis vitulinæ, occluſisque poſtea & optimè obſignatis charta & funiculo orificiis in lagenas alias tantundem prædictarum rerum demiſi, non occluſis orificiis, nec multum temporis abiit, quin piſces & carnes in omni vaſorum genere verminare inciperent, muſcis cum luberet intrantibus & exeuntibus; at vero in lagenis occluſis nullum unquam vermen natum vidi, utut non unus menſis abierit, ex quo cadavera inſerta erant. Nonnunquam tamen in charta excrementorum aliquid vel vermiculus inveniebatur, qui omni conatu & ſolicitudine id agebat, ut inventa aliqua rima intrare in lagenam & victum ſibi quærere poſſet, omnibus quæ intus erant jam putrefactis & corruptis, piſcibuſque ipſis, præter ſpinas, in aquam fæculentam converſis, quæ ſenſim reſidens tandem clara & limpida reddebatur, natantibus in ſuperficie quibusdam pinguedinis liquefactæ guttis; ex ſerpente etiam multum aquæ prodiit non diſſoluto cadavere, id quo ſervato eodem colore integrum & illæſum permanſit, haud ſecus acſi heri recens occluſum eſſet. Anguillæ contra minimum aquæ dabant, ſed intumeſcentes & inflatæ, deperdita ſenſim figura, in maſſam quaſi glutinoſam abibant. At vero vitulina per multas ſeptimanas arida permanſit & ſicca; nec tamen hoc ſolo experimento contentus fui, ſed diverſis temporibus infinita alia ejusmodi experimenta cœpi. Et ne quid intentatum prætermitterem, non ſolum aliquot fruſta carnis ſub terra ſepeliti, & humo optime contegi curavi, nullis unquam poſt plurium ſeptimanarum in terra moram generatis vermibus, cum carnes reliquæ omnes, in quibus muſcæ deſederant, vermes produxiſſent & maxime dignum conſideratione eſt, quod interanea trium caponum, quæ menſe Junio in cucurbitam vitream, colli ſatis longi & aperti, conjeceram, ibidem verminarint & cum vermes exire

exire propter nimiam altitudinem colli non poſſent, recidentes in fundum cucurbitæ & ibidem morientes, muſcis cibi & nidi loco fuerint, ubi non per omne modò æſtatis tempus, ſed in exeuntem usque Octobrem vermes produxerunt. Fuit etiam cum non exiguam vermium in bubulina carne generatorum copiam necari & partim in vaſe clauſo, partim in aperto ſeponi curarem, & in vaſe clauſo nihil unquam generabatur, at vero in altero illo vermes naſcebantur. Hactenus *Rhedi*. Quid quod idem in infantibus lactentibus occurrat, in quibus nunquam, aut rariſſimè lumbrici generantur, non aliam ob cauſam, niſi quod ac immediatè ex uberibus maternis ſugant, quod ovulis inſectorum contaminari non poterat.

§. VI. Interim duo ſententiæ huic obflare videntur, cum (*1*) experientia teſtetur acaros & vermiculos ex ovulis muſcarum genitos per corporis ſui metamorphoſin rurſus in muſcas transmutari, haud aliter ac in erucis illud *Liſterus & Græfia*, Meriani Fraucofurt. filia, in curioſiſſimo & ob figuras terſiſſimas pretioſo libello von wunderbahrer Verwandlung der Raupen obſervarunt. In lumbricis autem puerorum idem φαινόμενον hactenus à nemine, quod ſciam, viſum fuit; adeoque minus probabile eſſe videtur eosdem ex ovis inſectorum generari. Accedit (2) quod longitudo & menſura lumbricorum minus proportionata ſit ovulis muſcarum, à quibus in caſeis & carnibus putreſcentibus tantum acari & vermiculi minores excluduntur. Aſt ſalva res eſt; quod enim lumbrici in alia inſecta volatilia transmutari nequeant, in cauſa eſt, quod in glabris inteſtinorum clauſtris nulla quies, neque commodæ illis latebræ ſuppetunt, in quibus ſe prius lanugine quadam & tela obvolvere & abhinc in chryſalidem abire poſſint, cum ob excrementa indies præterlabentia nunquam non hinc inde volutentur. Imo ſi vel maxime concedamus eosdem etiam in chryſalidem convolvi poſſe, vix tamen alas, ut papiliones & muſca, ex erucis & vermiculis provenientes, ſibi ſumere valent,

quas dicto modo interaneorum contenta facile abradere poſſunt, ut *Gladbachius in Prax. ſua* reſpondet.

§. VII. Altera difficultas facilius tolletur, ſi conſideraverimus in hominibus etiam vermiculos ejusmodi minores ex ovulis muſcarum generari, ut aſcarides in ſphinctere ſtabulantes probant. Quod autem in ſuperioribus inteſtinis vel decuplo, imo centuplo majores ſint, non aliam ob cauſam accidit, quam ob copiam materiæ, ſeu nutrimenti, h. e. chyli (quem devorant) continuum affluxum, qui corpora eorum ad tantam longitudinem extendere valet, haud aliter ac vermiculi minores in caſeis pinguioribus craſſeſcunt & longe majorem quantitatem nanciſcuntur. Manifeſtiſſimum hujus rationis argumentum præbet Lumbrici lati generatio, qui nonniſi in hominibus voracibus & guloſis invenitur, ut non tantum autoritate *Hippocratis lib. 4. de morbis* & experientia *D. Valentini* conſtat, qui lumbricum ejusmodi heic Giſſæ quondam è Nobili Livono, homine voraciſſimo, ope pulveris purgantis, ex rad. jalapp. & ſcammon ♆rato conſtantis, fruſtillatim ejecit, cujus portio *in Fig. æneâ I*, TAB. V. ob oculos ponitur: cui ſimilem omnino caſum habet *B. Dn. Fehrius*, Præſes quondam S. R. I. Acad. Nat. Cur. venerabilis, in eleg. *de abſinthio tractatu.* Totum vero & admirandæ longitudinis lumbricum latum in pictura ſiſtit *D. Sennertus in Praxi.*

§. VIII. Plus difficultatis alunt vermes monſtroſi & æquivocè ita dicti, qui à communi lumbricorum forma prorſus abludentes, aliorum animalium, ſive quadrupedum, ſive volatilium, partes & texturam præ ſe ferunt, quorum plura exempla ex aliis collegit *Schenckius lib. 3. obſerv. Med. rarior. pag.* 379. In recenti autem memoria adhuc verſatur animalculum ejusmodi ante annum & quod excurrit Hannoveræ e muliere quadam excretum, cujus hiſtoriam æque ac genuinam delineatiónem inde ſupra citato *Dn. Profeſſori Valentini* transmiſſam in *Fig.* 2. TAB.

V.

TAB. V. Fig. I. ad pag. 594.



Fig. II.



V. pro coronide diſputationis noſtræ vel eam ob cauſam communicare libet, quod ætiologia & generationis modus usquedum adhuc exerceat Curioſorum animos. Sunt enim qui excretum hoc non tam pro verme, quam pullo gallinaceo è cicatricula ovi crudi & immaturi forte deglutiti in abdomine mulieris formato atque explicato habent, quam ſententiam *D. Joh. Jacob Stangius in diſp. ſua Inaugurali de curioſa pulli gallinacei in fæmina cachectica formati hiſtoria* ſuperiori anno Halæ Saxonum publice defendere non dubitavit. At vero cum in caſu à Dn. Medico annotato non legatur, mulierem illam ovum crudum, ut Morio apud *citat. Paulini* (qui eam ob cauſam pullum ejusmodi implumem evomuit adeoque ad probandam hanc ætiologiam præ aliis urgetur) deglutiverit : a vulgo etiam ſæpiſſimè albumen ovorum cum aqua ſimplici febricitantibus pro reſtinguenda ſiti propinetur, nunquam tamen ſimile portentum obſervatum fuerit, adhæc plures inſimul lumbrici veri à muliere excreti fuerint : hinc alii nil certi hic determinare, ſed in luſu, aut rectius errore naturæ ſubſiſtere malunt. Quæ diſcrepantia facilius componi potuiſſet, ſi Dn. Poſſeſſori ulterior partium internarum inquiſitio placuiſſet, qua deficiente quilibet ſuo ſenſu abundare poterit.

§. IX. Sed ut in viam, unde paululum digreſſi ſumus, redeamus, adeoque reliquam SYMPTOMATUM ſyndromen & CONNEXIONEM expediamus, ex præmiſſis jam facile determinare eſt, unde (1) tormina abdominis in puerulo noſtro oborta fuerint, quæ lumbricis ex parte adhuc viventibus, roſtris ſuis inteſtina rodentibus & vellicantibus debentur, quibus & duplicem inteſtinorum tunicam, imo & ventriculum omnino perforare valent, ut quamplures Clinicorum obſervationes apud *Schenckium*, *Tulpium*, *Bravonem* & alios occurrentes docent : confer *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec.* 1. *Ann.* 1. *Obſ.* 45. 146. & *Ann.* 4. *Obſerv.* 30. Cum enim miaſmata lumbricorum ab anthelminticis interfectorum & abhinc putrefactorum liquori ga-

 ſtrico

ſtrico commixta fœtore ſuo (2) nauſeam & inappetentiam produxerint, reliqui adhuc viventes lumbrici eſurientes & fame preſſi tunicam interiorem inteſtinorum morſicabant & continui ſolutionem cauſando dolores immanes producebant. Iisdem (3) debentur phlogoſes, à commotione ſanguinis & ſpirituum dependentes; & cum (4) particulæ illæ in ſtomacho oberrantes orificium ſtomachi ſiniſtrum ſimul p. n. commoverint, hocque ob plexum, quo gaudet, nervoſum non tantum admodum ſenſile ſit, ſed & inſignem conſenſum alat cum reliquo ſyſtemate nervoſo hinc (5) pruritus narium & tuſſis ſicca inde per conſenſum oritur, quatenus nervi ad nares, diaphragma & reliquas partes reſpirationi inſervientes derivati criſpantur. Nec impoſſibile eſt miaſmata inde exhalantia ulterius ad fauces adſcendere poſſe, quas ſimul vellicando (6) ſitim inferunt cumprimis jejuno ſtomacho & tempore matutino urgentem, quia tum eo facilius evaporare poſſunt. Somnus tandem turbulentus cum pavoribus (7) ob ſpiritus animales à prioribus ſympt: nimium agitatos oritur, ita ut vix quieti ſe dantes rurſus in motus inſolitos abripiantur.

§. X. Omnibus autem hiſce tanquam CAUSÆ REMOTÆ occaſionem miniſtrabant cibi dulciores ſaccharati, utpote quibus inſecta in aëre obvolitantia magis inſidiari ſuaque ovula (quorum ducenta ferè intra breve temporis intervallum ab unica muſca depoſita fuiſſe, ſupra laudatus *Rhedi* obſervavit) illic defodere ſolent, ad quorum faciliorem excluſionem ſymbolum ſuum contribuit addiphagia nimiaque pueri voracitas, dum novos ſemper cibos, prioribus nondum ſubactis, deglutiendo, cruditatibus & has inſequenti putredini anſam dedit, utpote quæ non tantum calorem, ovulis excludendis proportionatum, conjunctum habet, ſed & ipſam febrim conjunctam alere poteſt, cumprimis ſi in cura ſola ſpecifica anthelmintica abſque laxantibus, ut in caſu noſtro accidit, propinentur, ſicque lumbricis occiſis in abdomine reſtitantibus & corruptis fracedo illa atque putrilago augeatur.

§. XI.

§. XI. Quoad PROGNOSN Febrim hanc minus lethalem fore ſperamus cum in robuſtioribus & tenuioris fortunæ puerulis ſæpe absque ullis medicamentis ſpontaneo naturæ motu curetur. Et licet in acutis incertæ ſint prædictiones, juxta *Hipp. Sect.* 2. *Aph.* 19. hunc tamen affectum brevi ceſſaturum eſſe aſſerere non veremur, cum non tam ab intemperie aliqua in ſanguine dudum radicata, quam à lumbricis in inteſtinis corruptis ortus ſit, quibus tanquam fomite expulſis M. S. facile defervere poterit.

§. XII. Quò ergo citius hoc contingat, CURAM juxta ſequentes indicationes inſtituendam eſſe cenſeo, ut (1) omnia ea, quæ morbo huic occaſionem ſubminiſtrarunt eumque adhuc fovere poſſunt, maturè removeantur, aut activitate ſua exuantur. (2) Ut rudera lumbricorum in primis viis adhuc hærentia & miaſmata putrilaginoſa de ſe ſpirando M. S. inficientia è corpuſculo ægroti eliminentur. (3) Particulæ inæquales & heterogeneæ M. S. turbantes alterentur & non minus inde per convenientia remedia expellantur.

§. XIII, PRIMÆ INDICATIONI ſatisfacimus ſalutarem convenientemque diætam præſcribendo, in qua, reſpectu febris, ea, quæ M. S. exagitant, ut aër calidus, aut & nimis frigidus, reſpectu lumbricorum vero omnia illa quæ ovis muſcarum facile conſpergi ſolent, vitari debent, qualia ſunt ſaccharata, mellita, lacticinia, quæ poſteriora etiam intuitu ipſius febris ſunt prohibita, juxta *Aphor. Hipp.* 64. *Sect. V.* Vitentur & fructus horæi aliique facile putreſcentes & in cruditatem nidoroſam abeuntes. Conveniunt potius juſcula avenacea & hordeata blande acidulata, aliaque facilioris digeſtionis; quæ ipſa tamen nec in nimia copia, nec ſæpius juſto ſunt obtrudenda, ne nova prioribus nondum concoctis ingerendo putredinem augeamus, adeoque optimi, quod dicitur, peſſima ſit corruptio. Potui inſerviat aqua acidula reddita, aut cereviſia ſecundaria, raſ. CC. aut, ſi alvus ſit fluida, CC. uſto (quod & lumbricos fugat & febrim extinguit) medicata. In reliquis vero rebus diæteticis aurea obſervetur mediocritas.

§. XIV.

§. XIV. SECUNDÆ INDICATIONI inſerviunt laxantia amarulenta, qualia ſunt Rhabarbarum, Turbith & exinde paratæ ſpecies diaturbith cum rhabarbaro, quas ſummis laudibus hic effert *Etmüllerus in Valetudinario infantili.* In tenellis infantulis ſufficit ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro. Pulvis ita præſcribi poteſt :

Recip. *Spec. diaturb. cum rhabarb.* ℨß.
Pulv. Jalappæ gr. iij.
℅ *Nuc. moſch. expr. gr.* ij.

Sig. Laxier-Pülverlein auff zweymahl, Morgends früh in Johannis-Blumen Waſſer oder warmer Brüh zu geben.

Syrupus autem ab ℥ß. ad ℥j datur, vel ſolus, vel aqua gram. aut hyperici dilutus. Sunt & qui Mechoacannam albam commendant, utpote que pulti, ſeu lacti, ob colorem miſceri poteſt, ſi pueruli à medicamento abhorreant. Poſſunt & anthelmintica iisdem addi, ſi vivos adhuc lumbricos putrilagini inteſtinis adhærenti commiſtos eſſe ſuſpicemur, qualia ſunt omnia amara, cumprimis Semen Santonici ſeu Cinæ, quod καθ' ἐξοχὴν ſemen contra vermes, vulgo Wurm Saamen, audit : cui tamen alii Corallinam recentem præferunt, quæ miris laudibus extollitur apud *Schenckium c. l.* Interim ſimul præſcribi & cum laxantibus maritari poſſunt ſeq. ratione :

Recip. *CC. pp.*
Rhab. veri
Corallinæ
Sem. Cin. ana. q. v.
M. F. pulv. qui per dies 3. continuos circa Novilun. & Plenilunium è ℈j. ad ℨß. dari debet, Quibus præter expectationem non ſufficientibus Mercurius Chymicorum in

in ſubſidium eſt vocandus, qui infenſiſſimus lumbricorum omniumque inſectorum hoſtis audit, ſive crudus detur, ad grana ij. iij. vel ad magnitudinem piſi, quod admirandum fore *Baglivius ex Cheſnau refert pag.* 60. *Prax. Med.* Es treibet den Stock hinweg, ſive præparatus, ut Mercur. dulcis, cujus tot grana dantur, quot annos habent pueri & quidem vel in forma pilularum, ne maſticando dentibus incommodet, v. g.

Recip. *Mercur. dulc. gr.* x.
Mag. CC. ℈ß.
c. s. q. *Conſ. flor. Perſic. F. bolus*
pro una doſi.

Alii horum loco Aqua Hermetica utuntur, quæ ☿. cum aq. graminis aut hyperici agitando paratur. Alii Saccharum cum ☿. vulgi in mortario ligneo vel vitreo tamdiu terunt, donec Saccharum colore gryſeo aut nigricante tingatur, quod in delicatulis egregium eſt remedium: quicum fere convenit Æthiops mineralis. ex flor. 🜍 partibus ij. & Mercur. crud. p. 1, exactiſſima mixtione & incenſione paratus, quem contra lumbricos inſigniter laudat *Pharmacopœia Bateana in Indice.* Quodſi vero ab omnibus remediis abhorreat infantulus, externe emplaſtra, catapl. & unguenta vermibus infeſta applicanda ſunt, inter quæ unguentum de Arthanita Auguſt. ſimul laxando confert:

Recip. *Unguent. de Arthanit.* ℥ß.
fellis tauri inſpiſſ. ʒj.
aloes ſuccotr. ℥ß.
☍ tanaceti gr. iij.
abſint. coct. q. ſ.

M. F. l. a. Lin. S. Sälblein auff den Nabel zu ſchmieren.

§. XV.

§. XV. TERTIA INDICATIO Febrim continuam proximius reſpicit & remedia exigit invertentia, abſorbentia & ut vocantur, præcipitantia, bezoardicis & diaphoreticis fixioribus juncta, quæ particulas terreſtres ſanguini nimis ebullienti interponendo calorem mitigant & ſimul particulas heterogeneas per cutis ſpiracula eliminant. Talia ſunt ocul. ♋, corall. rubr. præp. CC. ſine igne, antimon. diaphor. Pulv. bezoard. Sennerti, Pulv. Bezoard. Anglicus & ſimilia; unde variæ combinari poſſunt formulæ, v. g.

℞ecip. *CC. ſine igne ℥j.*
Pulv. Bez. Angl. ʒß.
Antimon. diaph. ℈j.
Cinnab. nat. præp. ℈ß. M.

F. Pulv. D. S. Kühlendes Pülverlein, Morgends und Nachmittags ein paar Meſſerſpitzen zunehmen.

Æſtu autem febrili urgente nimis, blande quoque acida adhiberi poſſunt, ſive vegetabilia, ut ſuccus citri, ribium & berberum, ⊖ eſſent. acetoſæ & acetoſellæ, Tinctura florum bellidis &c. quæ & ſitim conjunctam reſtinguunt. Cave tamen, ne acida hæc cum ſupradictis præcipitantibus, ut vocantur, ægro propines, quia in ſtomacho cum illis effervеſcendo cardialgias immanes excitant, levi tamen remedio ſtatim ſopiendas, modo tempeſtive innoteſcat hanc & non aliam ſubeſſe cauſam. Reliqua ſymptomata, febribus continuis communia, ex propriis capitibus demulcenda ſunt: Cephalalgia ſc. epithematibus & ſuppedaneis: Vigiliæ nimiæ emulſionibus papavarinis & Fœtor oris maſticatoriis fragrantibus. DEUS T. O. M. vero curæ benedicat, cui ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula!

TANTUM.

OBSER

OBSERVATIO MEDICA DE VERME MONSTROSO HANNOVERANO.

Stoltenii Fabri ferrarii aulæ noſtræ inſervientis uxor, tenerioris imbecillisque corporis habitus, macilenta, cachectica & ſummè ſcorbutica, quæ alias graves morbos paſſa erat, circa Pentecoſtes feſtum ægrotare cœpit. Cauſam mali conſuetæ ventriculi debilitati pravæque aſſumptorum concoctioni adſcripſere maritus & ægra. Conſtitit inſuper ipſam in dicto Pentecoſtes feſto extra urbem lac vaccinum recens bibiſſe, atque eo tempore minus recte valuiſſe.

Exeunte demum Majo ad eandem rogatus acceſſi ipſam & *ſævis* abdominis *circum umbilicum doloribus, inteſtinorum ſpaſmis variis* & anguſtiis circa præcordia laborare deprehendi. Colicam eamque atrocem ſatis æmulabatur malum, cum appetitu, uti perhibebant, ab aliquo jam tempore dejecto, nauſea, ſiccitate linguæ, oris amaritie, ſiti, duritie abdominis, alvo adſtricta aliisque Colicam ordinario comitari ſolitis ſymptomatibus. Remedia anticolica, carminantia & uterina, præcipue pilulæ purgantes ex Aloes extracto, cum Extr. panchym. Croll. Reſin. Scammon. Trochiſc. Alhand. & Mercur. dulc. compoſitæ, & in Officinis no-

 ſtris

ſtris ſub nomine Polychreſtarum notæ per aliquot dies tam interne quam externè adhibita, nec medicantis nec ægræ ſpem ullatenus fefellere.

Gravia enim, quæ retuli, ſymptomata paulatim remiſere morbusque mitior redditus ægræ anſam dedit per ædes, quamvis haud absque moleſtia & ſumma cum debilitate, aliquatenus ambulandi, quocum appetitus aliquantiſper redire viſus eſt.

Aſt brevi recruduit morbus, mirumque in modum ægram excruciavit. Multo enim atrociores ſuperioribus ſupervenere abdominis roſiones & dolores, anguſtiæ moleſtiæque circa præcordia vix tolerandæ, vomitus crebri & tædioſi, inſignis virium dejectio & marcor corporis dedum emaciati, ſub ictum fere oculi creſcens. Plura latentium in inteſtinis vermium ſigna deprehendens anthelmintica ſelecta, quantum ægræ medicamina maxime horrentis faſtidium patiebatur, haud absque ſucceſſu propinavi. Ejecti enim per os (quater vel quinquies ſi recte memini) nec non per alvum aliquoties lumbrici haud modicæ longitudinis, absque tamen ullo levamine. Per vomitum rejecta materia nunc limpida & ſeroſa, ſæpius fuſca, bilioſa, aut ad nigrum tendens colorem, nunc alba & pituitoſa.

Alvus nonnunquam pertinax, dura & adſtricta, internis externisque remediis varie ſollicitanda. Paulo poſt ventris profluvium, diarrhœam æmulans, ſed poſt modicum temporis intervallum rurſus evaneſcens, multoties recurrens. Excreta nunc naturalia, nunc præternaturalia. Quo mitiora fuere quibuscum ægra colluctabatur ſymptomata, eo magis ad naturalem ſtatum acceſſerunt alvi excrementa. Auctis vero diris iſtis cruciatibus varia præternaturalia, utpote pelliculæ, membranulæ, lumbrici & vermiculi ſemiputridi & maximam partem conſumpti aliaque in conſpectum prodiere.

Inter

Inter tot grauia ſymptomata parum comedit ægra, nec abundantius, quamvis maximam ſæpius pateretur ſitim, bibit. Somnus parcus, brevis, interruptus & turbulentus, ob dolores nocte dieque ingruentes.

Abdomen nunc tumidum, durum & murmurans, nunc flaccidum, laxum, molle, ac naturaliter ſeſe habens. Sæpius in iſta ejus regione, per quam inteſtinum colon fertur, fluctuantis undæ gradientisque vivi animalis in modum repetitum deprehendere licuit motum. Eo durante ſymptomata multum aucta, anxietates circa præcordia graviſſimæ, dolores cardialgici ſummi, internorum permoleſti ſpaſmi, ſudor algidus, vomitus quandoque ſolito vehementior, extremorum frigus, pluraque quæ mortem minari viſa ſunt.

Pulſus nunc æqualis, magnus, vehemens, nunc inæqualis, parvus & celerrimus, nonnunquam intermittens, alias durus & renitens.

Urinam non uniformem ſed variam reddidit, ſubrubram nempe, rubram, fulvam, luteam, citrinam, fuſcam, pallidam & aqueam. Sedimentum quandoque nullum ſeu parcum, quandoque copioſum, lacteum, farinaceum, pituitoſum & ſcorbuticorum, ac nephriticorum ſedimentis ſimile. Quantum ægræ medicinam feci (nam multis ante obitum ejus hebdomadibus ipſam non vidi) juxta indicantia, ſymptomata urgentia & neceſſitatis rationem, appropriata malo remedia præſcripſi, eaque inter Martialia, Mercurialia, Carminativa, Stomachalia, Uterina, Anthelmintica, amara, fixa & volatilia: nec tamen quicquam potuere efficaciſſima alias remedia, præcipue cum, ut dixi, ægra eadem præ cæteris ingratiora (quæ hoc in caſu ſæpius adhibenda fuere) natura quam maxime horreret, eademque ob nauſeam obortam ſæpiſſime, quam diu ipſam vidi, per vomitum rejiceret, Non potuit, quia

tot tantisque doloribus dirisque ſymptomatibus die noƈteque exhauſta fatiſceret, ac tandem viribus plane deſtituta, poſtquam biduo ante obitum ignotum ſuique generis animalculum, ſeu Vermem, per alvum excreverat, debitum naturæ perſolveret. Hannoveræ die 22. Decembris Anno 1710.

CHRISTIANUS LUDOV. KOTZEBUE,
Phil. & Medic. D. Medicus Electoral,
Brunſv. & Luneb.

DESCRIPTIO VERMIS.

Caput & collum peƈtusque equinum fere habet. Caput vero criſta ornatum. Os (putredine puto corruptum, traditus enim mihi poſt oƈto demum hebdomadas à morte fæminæ) invenire non licuit. Oculos, aut ſaltem locum, ubi oculi fuere, mihi viſus ſum videre. Caro frequens & mollis, oſſa etiam & mollia, ut vix ſentiri poſſint. Pedes non dexter & ſiniſter, ſed anterior & poſterior medio in corpore, uti depiƈti ſunt & cætera diverſi. Anterior enim ungulas habet tres, illis, quas alaudæ habent, quoad formam, non quoad oſſa ſimiles. Poſterior equini quid refert & in extremitate etiam corneum quid & duriuſculum oſtendit. Interna rimari nolui, quoniam integrum conſervare debui.

JO. GEORG. ECCARDUS.

CAS.

CAS. IV.
DE
FEBRE LENTA IN HECTICAM DEGENERANTE.

HISTORIA.

Vir annorum 48. temperamenti phlegmatici, ſpiritum frumenti indies cubitum eundo paulò largius aſſumens moleſtoque proceſſui juris implicitus, præcedente agrypnia & appetitu nonnihil imminuto die 12. Jan. Ao. 1705. in convivio quodam ſolenni ira percitus die ſequenti 13. Januarii, præcedente horripilatione, calore p. n. & inſolito, utut levi, corripitur, veſpertinis horis magis ingraveſcente, una cum cephalalgia & ore glutinoſo. Lotium aurantio colore fulgebat: Pulſus erat frequens & debilis. Calor in volis manuum & plantis pedum magis ſentiebatur,

 ſudore

ſudore leni & ferè perpetuo urgente. Tertio die poſt aſſumptum vomitorium ex ☿. emet. gr. ij. ejecit ſaburram acidiſſimam bilemque copioſam, cum levamine. Abhinc ab uſu ſudoriferi, conſtantis ex

Pulv. bezoart Ang.
Ocul. ♋. ana ʒj.
⊕. ℈j.
Camphor. ℈ß.
Ther. cœl. gr. ij.
in ▽. florum ſambuci.

paulo melius ſe habet, ceſſante dolore capitis hactenus moleſto. Durantibus vero reliquis ſymptomatibus, manè & veſperi ſequentem potiunculam hauriebat:

Recip. ▽. fl. ſambuci.
card. bened. ana ℥iſ.
antih. Poterii ʒj.
liq. CC. ſuccin. ℈ij.
ther. cœl. vel laud. op. gr. ij.
ſyrup. card. bened. parum.
M. pro 3. doſibus.

Quo facto inducias per unum alterumque diem indulgebat malum. Intercedente vero diæta largiore Veneriſque uſu paulo poſt recrudeſcebat, alio tamen eoque periodico vultu, alternis diebus,

Tertianæ inſtar, circa horam x. veſpertinam apparente. Præſcribitur ſeq. mixtura:

Recip. ▽. ſum.
flor. ſambuci ana ℥ij.
~⊖*. ʒj.
laud. opiat. gr. ij.
antihect. Pot. ʒſ.
ſyr. cort. aurant. ʒvj.

M. pro 2. doſibus, quarum altera hora v. pomeridiana, altera diei inſequentis hora octava veſpertina, ante paroxyſmum ſumebatur & poſt largum ſudorem febris jam ſugata videbatur. Interim ☐. intenſius tincta calorque in volis manuum permanebant, quibus utrobique pulvis nitratus & invertens

ex ocul. ♋. præp.
ſuccin. præp. ana ʒj.
&
⦶ depurat. ℈iv.

opponebatur cum levamine. Paulo poſt literis Affinis inhumanis alteratus novo paroxyſmo febrili, utut leviori, corripitur, uſu Chinæ Chinæ mox fugato. Quoniam vero calor quidam inſolitus, aliquot poſt paſtum horis magè ſenſibilis, circa regionem cordis ac manuum volas remanet pedumque gravitas non remittit, adhæc corporis

habitus

habitus ſenſibiliter abſumitur, hinc quæritur, quid mali ſubſit & qua ratione idem radicitus exſtirpari debeat?

RESOLVTIO.

§. I.

Utut levia videantur & tolerabilia, quæ Ægrum noſtrum affligunt, mala, re tamen ultro citroque penſitata plus in receſſu habere obſervantur, quam aliquis putare poſſet. Licet enim FEBRIS primum LENTA & CATARRHALIS adfuerit, nunc tamen ipſam HECTICAM ſi non conjungi, attamen imminere, partim calor p. n. circa præcordia & in volis manuum aliquot poſt paſtum horis urgens, partim & potiſſimum habitus corporis abſumtio teſtantur. Quin & reliqua febri lentæ familiaria ſymptomata, Hecticæ communia, confirmant, qualia ex cauſis *antecedentibus* ſunt temperamentum phlegmaticum, abuſus ♉, perturbationes animi & ſimilia: E *concomitantibus* calor p. n. lenior, tempore veſpertino ingraveſcens: E *conſequentibus* os glutinoſum, cephalalgia, urina intenſius tincta, pulſus citatior, ſudores perpetui &c. quæ omnia nos de Febre Lenta in Hecticam proclivi dubitare non ſinunt: cujus deſcriptionem verbis Sylvii, quam propriis tradere malo. Ita autem *Franciſcus de le Boe Sylvius*, in febrium doctrina curaque feliciſſimus, in *Appendice Operum Tract. X. §. 479. p. m.* 843. Febres lentas voco, quæ nec frigore acri, nec ardore urente afficiunt ægros, ſed blandiora producunt ſymptomata, vires (adde & corporis habitum) interim ægrorum ſenſim conficiunt. Germani noſtri dicunt: ein heimlich Fieber: ein ſchwindſüchtig Fieber & Belgæ: *the binnen koorſen,*

koorſen, quo nomine tamen & oſcitationes crebriores, febres intermittentes plerumque præcedentes, inſignire ſolent.

§. II. SUBJECTUM inhæſionis totum eſt corpus, non tantum quoad partes ſolidas, ſed & partes fluidas. Quod enim è Veteribus quamplurimi ideo febres hecticas dictas putant, quod in illis calor p. n. non, ut in aliis febribus, ſpiritibus & humoribus, ſed ipſi corporis habitui ſolidisque tantum partibus inhæreat, illud ſuo jam tempore refutavit *Sennertus Tr. de Febribus Lib. 3. cap. 1. p. 324. Edit. Pariſ.* Rectius a modo affligendi hecticæ dicuntur, quia habitum quaſi induunt, ſi aut negligantur, aut malè tractentur, ſicque, ut habitus Logicorum, difficulter mobiles & curabiles evadant ſtabilesque permaneant. Multo minus cauſa in partibus ſolidis cum Galenicis quærenda eſt, ſiquidem falſiſſimum eſt calorem illum p. n. in partibus ſolidis ſubſiſtere poſſe, quamvis à nulla cauſa foveatur: quod ridiculæ illorum de calido innato hypotheſi debetur. Rectius cauſæ nidus & ſubjectum ventriculus & glandulæ conglomeratæ dicuntur, ille quidem remotius, hæ propinquius. Quando enim chylus in primis viis minus legitimè perficitur, ſed in paſtam viſcidam & plus minus acidam degenerat, non poteſt non M. S. infuſus motum illic inconditum & conſequenter calorem p. n. inducere, in glandularum autem tubulis viſciditate ſua obſtructionem cauſari, ut ex ſequentibus pateſcet.

§. III. CAUSA PROXIMA FORMALIS hujus febris eſt motus ſanguinis & ſpirituum p. n. à ſueta illorum circulatione deflectens & ob particularum colliſionem & turgeſcentiam inſolitum illum calorem huncque conſequentia reliqua ſymptomata producens. Quemadmodum enim unda ſanguinis purpurea ſibi relicta nullisque particulis heterogeneis infecta pulſui cordis facile obtemperat motuque progreſſivo haud difficulter, etiam per vaſcula minutiſſima, circulatur: ita ſi particulæ incongruæ illi

quacunque occaſione miſceantur reliquisque obicem figant, ob crebiorem illarum colliſionem & reflexionem varius & inconditus motus huncque comitans calor febrilis inſequitur. Manifeſtiſſimum hujus rei indicium eſt, quod calor hic ordinario, quo novus chylus ſanguini infunditur, tempore augeatur, aliquot ſc. poſt paſtum horis. Quamvis enim hoc tempore nondum omnis chylus è ſtomacho per pylorum elabatur & in totum corpus diſpenſetur, attamen fluidior ejus pars diſpenſationem ejus anticipare, vaſa lactea ſubire & in ciſterna chyli cum reflua ex partibus glanduloſis lympha, his in ſubjectis acida & plus minus ſalſa, miſceri tandemque per ductum thoracicum in venam ſubclaviam ſe inſinuare & mixtionem ſanguinis turbare valet.

Nec OBSTAT idem in ſtatu naturali toto die contingere, neque tamen aliquem calorem inde oboriri, Heic enim chylus atque lympha magis ſunt balſamica, nec ulla ſalſedine aut acrimonia p. n. ut in Hecticis, imbuta, ſicque ob particularum harmoniam & æqualitatem, quam cum M. S. globulis habent, nullam illic turbam movent, Quamvis negari non poſſit, calorem etiam vitalem & naturalem poſt aſſumptionem alimentorum, durante adhuc digeſtione prima, quodammodo augeri, ut tempore hyberno experimur, quo frigore trementes poſt alimentorum aſſumptionem ſtatim refocillamur & quodammodo incaleſcimus. Interim major ille calor eſt, quando chylus aut crudus, à nimio ſtatim poſt paſtum inſtituto motu, aut acido ſalſus venis ingeritur, cum particulis circulantibus obicem figat motumque progreſſivum in varium & mixtum immutet.

§. IV. Facile hinc determinare licet, quid pro fomite & CAUSA PROXIMA MATERIALI ſit habendum, quam in particulas & humores viſcidos & plus minus acido ſalſos rejicimus. Viſciditatem arguit os glutinoſum, ſiquidem ægri continuo de viſciditate oris conqueruntur, es ſeye ihnen der Mund ſo

ſchleimig,

ſchleimig, quod à ſaliva nimis viſcida & tenaci oritur, utpote quam indolem humorum ſequi propagatio ſcorbuti & Luis Venereæ per incauta oſcula videtur adſtruere. Idem de Lympha Pancreatica eſt dicendum, quæ non minus ac ſaliva in glandulis conglomeratis generatur; & quoniam utraque ob viſciditatem illam non ſufficit ad ſalia in cibis, chylo atque chymo recondita legitimè diluenda, fieri non poteſt. quin & M. S. & lympha juſto ſalſior & acidior generentur, ita ut non tantum ad corpus legitimè nutriendum ſint ineptæ, ſed & acrimonia ſuæ partes nervoſas irritando, crebriores harum criſpaturas & has conſequentes horripilationes, in febribus catarrhalibus & hecticis tam frequenter occurentes, inferant.

§. V. Ex utroque hocce fonte, viſciditate ſcil. & acrimonia ſalina, tota SYMPTOMATUM SYNDROME & CONNEXIO deducenda erit. Agmen inter illa ducit *appetitûs dejectio* morbum antecedens, quæ procul dubio à liquore gaſtrico, vel ſi mavis fermento ventriculi, per humores pituitoſos & cumprimis ſalivam viſcidam nimis inviſcato & obtuſo, provenit, cum orificium ſtomachi ſiniſtrum veram appetitus ſedem legitimè & ſufficienter ſtimulare nequeat; & quia idem cibos ingeſtos legitimè ſubigere non valet hique in paſtam viſcidam, ventriculo gravem, abeunt, non mirum eſt, ob inſignem ſtomachi cum capite conſenſum, *agrypniam* quoque oboriri. Quamprimum paſta illa ſtomacho elapſa viam per vaſa lactea ordinariam petit & ob tenacitatem oſcula illorum ſubire nequit, partes fibroſæ maſſam ſibi adhærentem excuſſuræ *friguſculi & horripilationis* ſenſum, motu ſuo tremulo, producunt, quem mox calor præternaturalis ſequitur, cum particulæ illa viſcidæ in M. S. excuſſæ illi ſine turbatione mixturæ aduniri nequeant, unde ob motum & colliſionem particularum non poteſt non *calor p. n.* oboriri. Quemadmodum autem motus & hunc ſequens calor eo major eſt, quo mobiliores ſunt particulæ, ita calor hujus febris lentæ *lenis* eſt & *tolerabilis*, cum humores pituitoſi & viſcidi motui vario non tam facilè ob-

temperent, ac bilioſi febres acutas, ardentes, ſive benignas ſive malignas, inferentes. Unde & Medici Antiquiores non ſine ratione morbos chronicos (quibus & febres lentæ quodammodo annumerari poſſunt) à pituita, acutos vero à bile derivarunt. *Cur autem* calor ille p. n. in febri noſtra lenta *horis primum veſpertinis* & hinc *aliquot poſt paſtum horis ingraveſcat?* ratio hæc eſt, quod illic ob poros à frigore nocturno conſtipatos tranſpiratio inſenſibilis ſufflaminata motum illum augeat: hic vero chylus novus isque crudior M S. illatus novas quoque turbas excitet. Interim, cum (ut ſupra dictum) lenis ſit calor ille, hinc nonniſi in partibus cutis ſenſilioribus, volis ſc. manuum & plantis pedum magis ſentiri ſolet, quæ bina loca, cum hypochondriis tactu teneriori & ſenſiliori gaudere titillatio, contactum illorum ſequens, approbare valet. Hunc ſane duabus circiter poſt paſtum horis inſequentem calorem pro uno è certiſſimis hecticæ ſignis habet *Sennertus, Lib.* 3. *Prax. Cap. I. p.* 309. *Edit. Pariſ.* qui cum in finem hiſce ægris inſueta ſubinde hora cibos obtulit, ut ex eodem calore, poſt elapſum 2. horarum ſequente, eo facilius in Febris hujus cognitionem deveniret, utpote quæ omnium conſenſu in principio facilè cognoſcitur, ſed difficulter curatur. Cæterum uti calor in febribus ejusmodi lentis intenſus non eſt, ita nec reliqua, eundem alias inſequentia, ſymptomata adeo, ut in acutis, urgent, *cephalalgia* ſc. *ſitis* & ſimilia, dum nec vaſa meningum tantopere diſtendunt, nec lympha in tantum, ut in febribus ardentibus, abſumitur, *ore* tamen *glutinoſo* exiſtente, cum ſaliva, ut jam ante dictum, ſequatur indolem humorum in corpore ſtabulantium, pituitoſorum ſc. & viſcidorum. *Lotium aurantio* magis, quam rubicundo *colore tinctum* eſt, cum particulæ ſulphureæ & oleoſæ minori, quam in acutis fieri ſolet, quantitate, ob minorem M. S. commotionem, reſolvantur & extravertantur, cum & *pulſus*, ob eandem cauſam, non adeo magnus, ſed *debilis* licet *frequens* ſit. Quia tamen lucta illa inter M. S. & particulas chyli crudioris non ceſſat, non poteſt non *calor* ſimul p. n. *circa*

regionem

regionem cordis, in quo tanquam in ciſterna quadam omnia confluunt, ſentiri, ob defectum nutrimenti laudabilis *corpus abſumi* & ob parciorem vel nullam ſpirituum generationem *pedum gravitas* oriri.

§. VI. Omnibus his è CAUSIS REMOTIORIBUS occaſionem dedere (1) temperamentum phlegmaticum, M. S. viſciditatem facile affricans. Omnia vero ſanguini viſciditatem aut acrimoniam acido-ſalinam inducentia ad febres lentas & cumprimis Hecticam diſponere palam adſtruit *Ettmüllerus in Praxi pag.* 368. *Tom.* 2. *Edit. Weſtphalianæ.* Multum quoque huc contribuere potuit nimius aquæ vitæ uſus, quæ & ſanguinem inflammat & oleoſitate ſua fermentum (ut audit) h. e. lympham ventriculi digeſtivam obtundit, quo minus cibos ritè digerere & in chylum laudabilem convertere valeat. Inde enim hecticam radicaliter oriri, non ſine cauſa *Lindenius* apud ſupra laudatum *Ettmüllerum* judicat, hincque vomitoriorum uſum in principio curæ felicem reperit, Quammaxime tamen vehementiora animi pathemata, cumprimis illa, quæ liquores circulantes inſpiſſare valent ſpiritusque quodammodo concentrant; morbum hunc producunt, qualia ſunt mœror & triſtitia, quæ Sacra Scriptura teſte exſiccat oſſa, conf. *D. Michael in Prax. Gen.* Jam vero in præſenti ægro ſollicitudo, cura & triſtitia è Proceſſus moleſtia & Rabularum ſcommatibus ſubnata haud obſcure in hiſtoria continentur, à quibus ut ipſe morbus inferri, ita ab ira repetita magis accendi potuit. Hinc de nihilo non eſt *Caſparus Bravo*, quando in *Reſolutionibus ſuis Medicis Tit. de Febribus* Hecticam ab animo produci & conſervari ſtatuit, determinato ſc. per temperamentum præternaturale ſubſtantificum. Tres enim Autor hic Febrium ſpecies tradit, primam in impetum faciente, qualis eſt eſt Diaria : Secundam in humoribus & contentis : Tertiam in continentibus partibus, quam, ut dictum, ab anima derivavit. Quodſi tandem intempeſtivum Veneris uſum in ægro vixdum reconvaleſcente hiſce addideris, eo minus erraveris, quod nimi-

um ♀ exercitium haud raro Tabem dorſalem, hecticæ cognatam, inducat.

§. VII. Licet autem Hectica in PROGNOSI, ut omnes febres lentæ, morbus ſit contumax, chronicus & difficulter mobilis; attamen cum Æger noſter, in ætate conſiſtente conſtitutus, viribus ſufficientibus & laudabili natura gaudeat, quæ graviores jamdum morbos feliciter ſuperavit: adhæc nulla viſcerum internorum læſio nullaque diarrhœa, Hecticis fatalis, conjungatur, ipſe morbus etiam tempeſtive innotuerit, hinc certa nos ſpes tenet, adhibitis convenientibus remediis eundem obtemperaturum planeque ceſſurum eſſe. Curioſum eſt febrem ardentem Hecticam in Studioſo quodam Juris Giſſenſi fugaſſe, ut in *Miſcellan. Acad. German. Curioſ. Decur. II. Ann. II. pag.* 377. olim retulimus.

§. VIII. Quemadmodum igitur in CURA hactenus adhibita nil quicquam deſiderari poteſt, ita ad Febris hecticæ imminentis rudera penitus & radicitus tollenda ſequentes Indicationes ſunt attendendæ, ut ſc. I. omnia, quæ morbo huic anſam dedere & fomitem præbere poſſunt, removeantur, II. Ut paſta & ſaburra viſcida, acido-ſalina, ventriculo ejusque confiniis adhærens, incidatur & per convenientes vias eliminetur. III. Ut craſis maſſæ ſanguineæ ab intermiſtis hactenus particulis inæqualibus turbata, in integrum reſtituatur: quibus obſervatis & ipſum nutritionis opus felicius procedere partesque flacceſcentes novum incrementum capere poterunt.

§. IX. Primæ indicationi ſatisfacimus exacta diæta, ſine qua parum vel nihil hic præſtare poſſumus. Cum igitur morbus magna ex parte ſpiritus frumenti abuſui adſcribatur, hinc ab illo prorſus abſtineat æger & ad reſtinguendam ſanguinis inflammationem, ab illo inductam, utatur blande refrigerantibus, cumprimis hordeatis, cremore ptiſanæ & decocto hordei cum ſero lactis, quod convenientiſſimum hic obſervavimus. Porro egregia ſunt

ſunt poma dulcia cum paſſulis decocta, amygdalata & emulſ. ex ſem. cucurbit. pulticula ex ſemine mannæ, ova tremula, juſcula caponis aut gallinæ junioris, piſces ſaxatiles. Diæta lactea illic potiſſimum laudatur, ubi calor febrilis maximè ſedatus eſt. Præfertur lac caprillum, vel, ſi haberi poteſt, humanum ex uberibus nutricis ſanæ recens hauſtum; cavendo ab acidis. Aliâs vero pro potu vinum album, tenue aut lymphatum, aut cereviſia ſecundaria inſerviunt. Interim animus ſimul ad tranquillitatem componatur & ab omnibus curis, ſollicitudinibus, timoribus & faſtidiis liberetur, ſi voti noſtri ſanitatisque priſtinæ compotes reddi uelimus. Quoad reliquas quoque res diæteticas, nonnaturales vulgo dictas, aurea ſervetur mediocritas.

§. X. Pro ſecundo ſcopo obtinendo primo incidentia & abhinc blande educentia conveniunt. Illic ſummopere laudantur ⊖✱. depuratum, ⊕ præparatum, arcanum duplicatum, terra ſoliata ♀ ejusque liquor per deliquium parandus. Probatiſſimus inde eſt pulvis antiphthiſicus, ſeu (ſi mavis) antihecticus *Conerdingii*:

℞. *Ocul.* ♋. ℥j.
⊖ ✱.
⊕. *præpar. ana.* ℥ß.

Div. in 6, p. æ. Detur indies doſis, horis matutinis.

Ejusdem ponderis & efficaciæ eſt pulvis antatrophus *Gmelini* vel potius *D. Scretæ*, cujus deſcriptionem, uſum & doſin in Praxi n. infallibili reperies. Talibus aliquando præmiſſis hic ſubjungatur lene uomitorium, quod non tantum in hectica, ſed & in phthiſeos initio feliciſſimum expertus eſt *Lindenius*, ut è Collegio ejus MSC, refert *Ettmüllerus* l. c. Quemadmodum & *D. Frid. Hoffmannus*, Prof. Halenſis, in Collegio quodam

Practico

Practico MSS. Emetica in febribus lentis maximi momenti eſſe dicit, licet alibi ſimul inculcet, febres lentas, quo lenius tractentur, eo meliores eſſe. Laudatiſſimum hic eſt vomitorium noviſſime introductum, radix ſc. ipecacuanhæ, quam digniſſimum eſſe judicat Celeberr. *Wedelius*, ut in omnes officinas Pharmaceuticas recipiatur. Vid. integræ de illa diſputationes, ſub ejus non minus ac noſtro præſidio habitæ. *D. Spenerus* ſane Berolini eandem optimam & convenientiſſimam obſervavit, cumprimis in Phthiſicis nondum confirmatis. Præſcribitur ita:

℞. *Rad. ipecacuanh. pulv.* ℈j.
⊖*. *depur.* ℥r. *ij.*
ſacch. ℥r. *v*, D. S.

Pülverlein Morgends auff einmahl in warm Bier oder Thee zunehmen.

Interim in defectu ejus ♀ emeticum ante cryſtalliſationem probe filtratum, vel & ♁ emeticum eadem ratione paratum, ad ℥r ii. vel iij. ſubſtitui poſſe nullus dubito. Quodſi vero præſente quadam contraindicante locum non habent emetica, laxantia illorum loco uſurpari poterunt, ſive vulgaria, ut ſennata, ſive ſelectiora & ſingularia, ut magneſia alba, Italis il polvere del Comte di Palma dicta. de qua vid. *Epiſt. noſtra ad Dn. Leibnizium.*

§. X. Tertiæ tandem intentionis participes nos reddere poterimus abſorbentibus, invertentibus, præcipitantibus vulgo dictis, cumprimis talibus, quæ M. S. ſimul quodammodo ventilare & ſive per ſe, ſive per accidens refrigerare valent. Communiſſimè hunc in finem antihecticum Poterii præſcribitur, nomine magis, quam effectu ſatisfaciens. Mihi hoc in caſu Margaritæ ſive Orientales, ſive Occidentales ſimpliciſſime pulveriſaæ, experientia compertæ ſunt, *Helmontio* olim in arcanis habitæ, quas vel exinde præ matre perlarum aliiſque marinis ſingulare quid obtinere colliges,

quod

quod nihil aliud ſint, quam ovula concharum, ut in *Muſeo Muſëorum tit. de Margar.* fuſius oſtendimus.

Præſcribuntur Ita:

℞. *Margarit. præp.* ℥ij.
℧. *depur.* ℥ß.

M. F. Pulv. D. S. Alterirendes Pulver, Morgends, Mittags und Abendt ein paar Meſſerſpitz zunehmen.

Pro vehiculo aut decoctum cichorei, aut aqua rorellæ, aut deſtillatum ex partibus animalium, antiquis in phthiſi & hectica uſitatum, eſſe poterit: cui, ſi morbus refrænatus fuerit & nutritio magis intendatur, ſimpliciſſimum partium illarum decoctum præfero.

§. XI. Vulgo his EXTERNA quoque addunt, qualia ſunt: Unguentum reſumptivum, linimenta ex ℴℴ amygd. dulc. cum pingued. humana, balnea & ſimilia, Verum cum illa poros obviſcando ſæpe noceant, hæc autem ex obſervatione *D. Michaelis* Hecticam ſæpe inferaut, hinc tutius aut omittuntur aut parciſſime adhibentur. Modum præſcribendi vide, ſis, apud *Bravonem in Reſolut. Med.* loco ſupra allegato.

TANTUM,

CAS. V.
DE
MANIACIS AB ESU SOLANI FURIOSI.

HISTORIA.

Puella ruſtica Diœceſios Königsbergenſis, eo tempore, quo

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur,

menſe ſc. Auguſto, Anni 1691. in vicino monte Dyni, vulgo Diensberg, baccas legit myrtillis triplo majores, easque non obſtante Pharmacopœi monito pro veris vacciniis venum exponit & ut cautius mercetur, ſive dolo malo, ſive mera ſimplicitate aliis perſuadet, fructus illos hoc anni curriculo pinguiores & ſucculentiores eſſe: nec emptoribus deſtituitur, quibus in tanta fructuum horæorum infrequentia ſalivam movebant bellaria viſui non ingrata, eaque plus minus devorabant.

bant. Quid fieret? vix elapſa hora ſubitaneis phlogoſibus perſuuduntur homines, cum ſomnolentia quadam turbulenta, ex qua emergendo titubant & ebriorum more fatiſcunt, vomunt nonnulli, inſaniunt & ſuſpiriis in tripudia mutátis inſolitum rident, furiunt & in adſtantium crines involant. Accedunt convulſiones epilepticæ, quibus teneriores & infantes potiſſimum correpti exſpirabant. Patribus loci conſcriptis, de ſalute civium ſollicitis & in cauſam rei inſolitæ inquirentibus, innoteſcit demum ægros illos baccas ſolani furioſi pro myrtillis comediſſe eaque de cauſa Medicos ordinant, qui miſeris illis ocyus ſuccurrant.

RESOLVTIO.

§. I.

Quemadmodum varia & Eruditorum & Plebejorum de inſolito hoc & prorſus extraordinario affectu judicia ferebantur, ita Medicorum παῖδες ante omnia de NOMINE ejus ſolliciti erant in modum. Equidem *delirio* quodam ægros eſſe correptos, haud difficulter adſtruebant omnes. Quandoquidem vero plura ſunt deliriorum genera, hinc in ſpecie determinandum erat nomen hujus delirii, quod omnium optimè nos edocere poterit accuratiſſimus Medicus Philologus *Joh. Antonid. van der Linden* qui in *Meletem: part.* 3. §. 60: *Delirii*, in-

 quit,

quit, *apud me prima genera ſunt inſania & amentia. Inſania eſt, ſi febris abeſt: hujus ſpecies ſunt Melancholia & Mania. Melancholia eſt ſi triſtis & intra verba eſt. Mania vero ſi furioſa inſania eſt. Amentia eſt, ſi febris adeſt &c.* Quia igitur in præſenti caſu & febris abeſt & delirium adeſt furioſum, hinc merito ægros illos ad unum omnes illa deliriorum ſpecie, quæ *Mania* dicitur, laborare dixero, quæ vulgo *definitur*, quod ſit mentis alienatio cum furore, ſine febre, à ſpirituum animalium in cerebro abundantium perturbatione & fervore dependens.

§. II. Hunc revera affectum adeſſe declarant 1. *Antecedentia*, eſus ſc. myrtillorum illorum ſuppoſititiorum, qui autopſia teſte, vera erant ſoboles *ſolani ſomniferi*, ſeu, ut alias quoque audit, *furioſi*, quia baccæ ejus deglutitæ furorem & maniam inferunt, atteſtante præter experientiam *Gregorio Horſtio Nep. in Diſp. Grad. de Mania* olim hic locorum habita §. 9. *pag.* 10. ubi inter plures cauſas Maniæ occaſionales etiam ſolanum furioſum exhibet. Quammaximè verò illud 2. coufirmant ipſa ſymptomata morbum hunc eſſentialiter *Concomitantia*, furor ſc. ſine febri: quæ cum maniæ definitionem conſtituant hæcque præſenti malo conveniant, ſequitur illi quoque definitum convenire. Accedunt denique 3. *Conſequentia*, convulſiones ſc. quæ maniacis pariter non ſunt infrequentes, ex cauſis infra dicendis, ſicut in illuſtri & vere Regio Manodochio Haſſiaco Haynenſi, Patriæ meæ vicino, plures ejusmodi maniacos conſpicere licet, qui ſimul Epilepſiæ aliisque convulſionibus ſunt obnoxii.

§. III. Declarato jam affectu novus diſſerendi campus ſeſe aperit de SUBJECTO hujus morbi, de quo rurſus haud unanimes erant Philiatrorum ſententiæ. Pars ipſam animam rationalem ſeu mentem hic affici exiſtimabant, qui tamen ſtatim ſua cadebunt cauſa, quia anima rationalis, tanquam res cogitans, eſt ἀπαθὴς & nonniſi per accidens in operationibus ſuis impeditur.

Alii

Alii ut omnia deliria ita & maniam in ſtomacho radicari exiſtimabant, quo fere abire videtur *Helmontius Tr. Demens idea*, ubi ſedem animæ figit idem Autor. Alii totum corpus: Alii cerebrum: Alii verò ~tus animales hic potiſſimum affici cenſebant. Verum quam maxime etiam diſſentire videantur hæ ſententiæ, nihilominus tamen facile componi poſſunt, ſiquidem inter ſubjectum inhæſionis & radicationis diſtinguamus. Quemadmodum igitur certiſſimum eſt, ~tus animales proxime & immediate à morbo affici, ita neque de nihilo eſt aliorum ſententia, qui ipſum pariter ventriculum ſuos hic manes pati aſſerunt, quatenus ſc. cauſa materialis ſuum inibi focum habet. Plurima enim deliria è ventriculo eſſe, ex profeſſo egregie oſtendit quidam *Gereshemius, in Diſput. Inaugurali. Francofurti ad Oderam ſub præſidio Dn. Doct. Irenæi Vehrii habita:* imprimis ea, quæ à venenis etiam vegetabilibus oriuntur, quæ ipſum ventriculum primo omnium afficere ſolent, ut egregia obſervatione & propria autopſia confirmat *Profeſſor Valentini, in Epiſt. ad Dn. Doct. Widtium, Archiatrum p. t. Moguntinum, de nova Matricis & Morbonæ Muliebr. Anatome*, ubi in binis Gregariis Philipsburgi ex cicuta devorata demortuis & à ſe cultro anatomico ſubjectis eſcharam reperit, à cicuta ventriculo impreſſam; ſimiliter in noſtro caſu venenum in ventriculo adhuc hærens delirium illud intuliſſe, exinde conſtat, quod ſymptomata illa vix effluxa horula ſint ſecuta. Hora enim nona matutina, quod ex ipſo ægrorum ore habeo, baccas aſſumpſerant, hora decima vero, qua ultra ventriculi limites nondum transgreſſæ erant, delirabant. Ut adeoque ventriculum à cauſa morbifica immediate & per eſſentiam, cerebrum vero nonniſi per conſenſum affici jure dixero, qui in admirandis illis plexibus ſtomachi nervoſis, à *Williſio. Tab. XI.* detectis, radicatus eſt.

§. IV. Opere vero pretium mererer, ſi hujus occaſione quædam *de ventriculi* conſtitutione ex Anatomicis hic adferrem; verum ne crambem ab aliis toties recoctam apponere

videat, pauca ſaltem de ſumma hujus viſceris *ſenſilitate* hic attingere liceat. Notam enim meretur, nullum ferè membrum in torta C. H. œconomia tanta gaudere εὐαισθησία, quam ventriculi orificium ſiniſtrum, ſuperius alias, ſed minus accuratè dictum, quod vel leviſſimè irritatum acutiſſimo dolore perfunditur, qui cordis dolori vulgò æquiparatur in Cardialgia. Fit autem illud ob inſignes plexus nervoſos, à ſexto, ſive juxta modernos, octavo pari oriundos. Qua de cauſa quoque in affectibus ventriculi caput utplurimum in conſenſum trahitur; unde jam pridem *Blaſius obſerv. Medic. XXI.* delirii ex ventriculo orti meminit, quodve in morbis complicatis delirium conjunctum habentibus ventriculum pro parte primario affecta habeant peritiores Medici. Ita in ipſis febribus malignis ventriculum primario affici aſſerunt *Thom. Bartholin. Cent. 3. Epiſt. 24. Helmont. Tumul. Peſt. p.* 843. *& ſeq. Diemerbrock de Peſte l. 4. hiſt.* 15. Unde non tantum in his, ſed & aliis morbis à veneno & contagio ortis vomitoria tam inſigniter laudari ſolent.

§. V. Venenum igitur intus aſſumptum non tantum ſenſilem hanc ventriculi texturam, ſed & univerſum ipſique continuum ſyſtema nervoſum irritando, morſicando, vellicando, ~tus animales intus habitantes in confuſos atque turbulentos motus agit, qui PROXIMAM & FORMALEM ejusmodi furoris & delirii CAUSAM conſtituunt. Horum enim intuitu ipſa Mens tam varia nullibique cohærentia phantaſmata format, cum alias omnes ſenſuum externorum ſpecies illi per varias ~tuum animalium motiones repræſententur atque offerantur; hinc pro diverſitate motus, quem ejusmodi venena, ſive vegetabilia ſive animalia inducunt ~tibus animalibus, varia & diverſa quoque deliria exſurgunt, triſtia ſc. ridicula & furioſa. Sic crocus in nimia quantitate aſſumptus riſum perpetuum inducere dicitur: Morſus Tarantulæ ſaltationem delirantem: Canis rabidi morſus hydrophobiam: Felinus indolem felinam cauſantur. Curioſiſſimum verò

eſt

eſt experimentum *Fabritii Bartholeti*, *qui lib. V. Method. in diſpnæam part*. 1. *cap*. 1. *pag*. 392. ſe pharmacum aliquod phantaſticum elaborare ſcribit, ad quæcunque ferè deliriorum melanchicorum genera inducenda efficax, de quo pluribus vid. *Celeberrimus Ettmüllerus, Diſſertat. de Morſu Viperæ cap*. 1. *punct*. 1. §. 3. Sine dubio diverſa doſis diverſos etiam motus & effectus exercet in ſpiritibus, ſicut de ipſo ſolano furioſo quoque habet Monſ. *Geofroy Linocier dans l' hiſtoire des plantes pag*. 516. quod drachma ejus non noceat, plures delirium, quatuor mortem inferant: *Quatres drachmes tuent*, inquit, *moins ſont tomber en rage, une drachme ne fait point de mal*.

§. VI. Et hoc ipſum eſt, quod pro CAUSA PROXIMA MATERIALI in præſenti caſu eſt habendum. Baccæ enim ſolani hujus ſomniferi improvide divenditæ & comeſtæ omnem hanc malorum Lernam, modo ſupra dicto, intulerunt. Hoc enim vegetabile, (quod à Botanicis modernis *Moriſſono*, *Rajo*, *Hermanno*, *Rivino* & aliis ad claſſem herbarum bacciferarum non ſcandentium Solani foliis & fructu rubro refertur) copioſiſſimo gaudet ſulphure narcotico, quo inſtar aliorum narcoticorum ſomnum provocat, unde & ſomniferum dicitur, qui tamen plerumque in delirium & furorem deſinit, cujus intuitu furioſum audit, ſicut hæc omnia ex profeſſo proſecutus eſt *Nobil. Dn. Doct. Faber*, *Poliater Heilbronnenſis, in eleganti Strychnomania*; Et hinc non ſine cauſa narcotica ejusmodi remedia Narrotica dicuntur à *B. Waldſchmidio, Profeſſore Marpurgenſi quondam deſideratiſſimo*, *in monitis circa opiatorum uſum pag*. 2. Quemadmodum enim omnia omnino ſulphura ſpiritu quodam acido eoque ſatis acri atque corroſivo turgent, quod ſpiritus ſulphuris per campanam deſtillatus adſtruit, ita cumprimis ſulphur tale impurum narcoticorũ particulas ejusmodi corroſivas abſcondit, quæ in ſtomacho recluſæ & extraverſæ tunicas ejus atque plexus nervoſos morſicant & ſpiritus animales intus decurrentes in varias motuum ἀταξίας concitant, unde deli-

rium

rium illud aliaque ſymptomata, in caſu noſtro æque ac ab aliis autoribus enarrata, fluunt. Vide ante citat: *Dn. Doct. Faber. c. l. Lobel. in adverſ. pag.* 103. *Bodæus à Stapelen Comment. in hiſtor. plantar. Theoph. lib.* 6. *c.* 2. *p.* 586. *Simon Pauli in Quatr. bot. pag. m.* 488. *& alii.*

§. VII. Mirari inde ſubit, cur Italis & Hiſpanis virulentiſſimum hocce vegetabile *bella donna* audiat, quod tamen adeo tetri eſt odoris, ut ne bruta quidem illud prætereuntia deguſtare ſoleant, ſed cane pejus & angue fugiant: niſi forte dixeris, quod baccæ ejus, ut puellæ fuco incruſtatæ, extus rideant & ovicularum pellibus incedant, intus vero lupæ ſint rapaces. Quamvis enim guſtui & viſui ſatis abblandiverint illi fructus, nihilominus tamen virulentiam ſuam in ſtomacho ſtatim abſcondere non potuerunt & hinc illæ lachrimæ! hinc funeſta illa *ſymptomata* ſibi jugi ſerie *connexa.* Quamprimum enim textura illorum in ventriculo aperitur & reſolvitur, mox acria de ſe ſpargunt miaſmata & exhalationes, *unde Phlogoſes illæ* ſubitaneæ ſunt exortæ. Neque enim exiſtimandum eſt excandeſcentias illas à calore quopiam febrili fuiſſe exortas, cum extra ſtomachi cavitatem nondum pervenerit venenum. Quoniam vero miaſmata illa copioſis ſcatent particulis ſulphureis narcoticis, ſpiritus animales plus minus figentibus, hinc in ſenſoria externa atque partes motui deſtinatas ſufficienti copia atque vi elaſtica influere non poſſunt, *unde ſomnolentia illa,* non plenaria, ſed *turbulenta,* quia non penitus ceſſant à motu ſuo, ſed confuſe tantum & extra ordinem qſ. acti ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ hinc inde diſcurrunt; unde & ægri *ebriorum in morem* de latere in latus inclinando *vacillabant.* Interea veneni corroſivitate ſe magis magiſque exſerente atque fibroſas ſtomachi membranas irritante eundem in motum inverſum agit, unde *vomitus,* hoc quidem in caſu ſatis proficuus, cum eo mediante quædam ejus portio ſimul extra corpus eliminetur. Rudera vero intus relicta atque ſpiritibus animalibus combinata eosdem in varias motuum aberrationes

tiones agunt, unde *delirium & inſania.* qui ira qſ.perciti & in *furorem* acti violento modo in partes motui deſtinatas exploduntur, unde *convulſiones epilepticæ* in infantibus ſequuntur, quia nervis gaudent tenerioribus, eamque ob cauſam motibus convulſivis magis obnoxiis.

§. VIII. Quantum vero periculi hinc immineat ipſis ægris, triſtis eheu eventus jamdum oſtendit, cum pueri quidam & infantes altero ſtatim die exſpirarint. Quemadmodum igitur *Hippocrate* teſte in omnibus aliis morbis mente valere bonum, ita in ejusmodi deliriis à veneno inductis cumprimis

Orandum eſt ut mens ſit ſana in corpore ſano.

Niſi enim venenum intus aſſumptum ocyus è corporis humani œconomia fuiſſet expulſum, tandem ipſos ~tus, tam vitales quam animales ſive coagulando, ſive diſſipando omnino deſtruxiſſet & luce illorum extincta æterno ſopore obruiſſet.

§. IX. Ut ergo ægros ejusmodi, ſi ullibi, quod avertat DEUS! ſimilis ſe caſus dederit, ex ipſis Orci faucibus eripiamus, non cunctandum eſt in CURA maturanda, quæ tamen longe alia, quam in mania à cauſa interna exorta, methodo atque via inſtituenda eſt. In hac enim purgantia, V. S. eæque largæ & repetitæ & ſpecifica varia vulgo in uſum deducuntur, quæ noſtro in caſu aut fruſtranea ſunt, aut omnino inconvenientia. Heic enim via magis compendioſa venenum in ventriculo adhuc hærens *primo eſt exterminandum*, quam ulterius ad M. S. devolvatur; aut ſi quædam particulæ illuc penetraverint, *ſecundo per univerſi corporis habitum atque porrs eliminandum atque tertio noxa viſceribus illata emendanda.*

§. X. *Primæ indicationi* ſatisfaciunt *Vomitoria*, morbos quaſi vectibus excludentia, ut Celeberrimus *Dn. Wedelius* eleganter habet, *Introduct. ad Medicinam Part. V. Sect.* 8. §. 38. Præ aliis

 autem

autem hoc in caſu laudatur vomitus *oleo citus*, quo tanquam una fidelia duos dealbare poterimus parietes, cum & acrimoniam veneni obtundat & interveniente vomitu ejiciat. Et hac ratione Venerandus Senex *Dn. Simon Pauli* Anno 1662. menſe Auguſto Nycopingæ in Falſtria quatuor filiolas quinquennes & ſexennes, quibus luſitantibus nebulo quidam paropſidem baccarum ſolani furioſi in merendam appoſuerat, DEO propitio ſervavit, ſicut hiſtoriam hanc annotavit in *Quatripartito Botanico pag.* 88. Quemadmodum & è noſtris ægris uxor civis Giſſenſis Weinheimer, cui adſtantes maturè ☍ lini vomitum procuraverant, præ aliis tempeſtive convaluit. Quandoquidem vero olea ejusmodi delicatioribus ſint admodum adverſa atque nauſeoſa, hinc illis alia in praxi Medica hactenus laudabiliter in uſum vocata Emetica ſubſtituſi poterunt, imprimis ♁*nialia*: *Tartar. Emeticus*, *abſinth.* Mynſicht. vel ſimpliciori modo absque ⊖le abſinth. paratus *Ludovici*, ⊕ *Emeticum*, *Sapa Vomitoria Sylvii*, *Syr. Emet. Angel. Salæ*, *infuſiones* ♁*ii*, *ex vitro* ♁ *aut croco metallorum* &c. Sic delicatiſſimis etiam exiguo hoc & nil niſi ſaccharum ſapiente pulviſculo imponere poterimus:

℞. *Sacchar.* gr. *vj.*
Tartari Emetic. gr. *iſ.*
M. D. S.
Erbrech Pülverlein auf einmahl.

Vel loco vini abſinthitis

℞. *Croci Meall.* gr. iij.

Infunde in Vini Rhenani ℥iß. ſtent per noctem in loco calido; manè exactiſſime filtretur, colat.

℞. ℥*j. adde*
Extract. abſinth. ℈*j.*
M. D. S.
Purgirender Wermuht-Wein auf einmahl.

Interim

Interim obſervandæ ſimul ſunt cautelæ in vomitoriorum exhibitione annotandæ, quas *Mynſichtium in Armamentario Medico Chymico*, ſub præparat. Tartari Emetici, edocent *Walæus*, *Sualve*, *Hoffmannus* & alii, qui de methodo medendi ex profeſſo commentati ſunt.

§. XI. His juxta 2. *indicationem* ſubjungenda ſunt *diaphoretica*, alexipharmaca atque bezoardica, inter quæ palmam tenet *theriaca Andromachi*, quæ inſtar omnium eſt Quinta qſ. Eſſentia omnium ſimplicium ſudorem moventium. Datur per ſe à ʒß. ad ʒj. vel etiam aliis maritatur, ad imitationem ante laudati Dn. *Simonis Pauli*, qui parilia ſymptomata à cicuta, hyoſciamo & ipſo ſolano ſomnifero illata ſeq. potione feliciſſimè curavit in Digreſſ. *de febribus malignis*;

℞. ▽. *Chærefol.*
Card. bened. ana ℥iß.
Antidot. Matth. ℥ß.
Theriac. Andromach. vet. ℈ij.
⊖. *Volat. CC.* ℈ß.
Syr. de Scord. q. ſ. ad edulcorat. M. F.
hauſtus, calidè cum ſudore imperandus.

Non ſine cauſa verò *Theriac. veterem* in ſpecie præſcribit Senex, quum recens opio minus adhuc ſubacto turgens ſimilibus in caſibus ita non conveniat, quam antiqua, quæ continua fermentatione eſſentificata majores in provocando ſudore vires obtinet. Deinde alibi in *Quatrip. Botanic. p. m.* 347. idem autor imperare videtur, ut in junioribus, quibus theriacam propinare ſubverentur nonnulli, ejus loco *Diaſcordium Fracaſtorii* præſcribamus, quod ſimiles quoque vires habet.

V. G.

℞. 🜄. *Galegæ.*
Card. bened. ana ℥j.
Cordial. fr. Herc. Sax. ℥ß.
Diaſcord. Fracaſt. ʒß.
⊖*lis Volat. CC.* ℈r. viij.
Syr. rub. idæi q. ſ.
M. F. Hauſtus.

Magnifica vero ſunt, quæ de *Orvietani Antidoto* habet *Helmontius*, dum in *Tr. Butler* inſcripto *part.* 1. *Oper. pag. m.* 558. *celeberrima*, inquit, *Orvietani antidotus, ſumto & in convulſiones usque ferociente veneno, ita omnes anxietates atque inſtantes ſyncopes ſtatim conculcat, ac ſi nullum intro admiſſum virus foret.* Fuit autem Orvietanus famoſus circumforaneus, aut *Salta in Banco* Romæ, qui inſanæ plebeculæ hujus confectionis uſu fere ἀθανασίαν quandam promittere non dubitavit, quæ tamen parum aut nihil peculiare obtinet præ ipſa theriaca Andromachi, aut Mithridatio, ſicut ex ipſa deſcriptione, quam *Schröderus in Pharmacopœia Medico Chimica l.* 2. *c.* 51. *pag.* 185. habet videre eſt. Poſſent adhuc plura ſudorifera, *pulveres*, & *tincturæ bezoardicæ*, *ſpiritus* & ⊖ *volatil.* &c. hic in medium afferri, verum cum non copia juvet, ſed ſelectus & pauca Medicum nobilitent, hæc inſtar omnium facile ſufficient.

§. XII. Supereſt ut 3*tio* quoque *ſcopo* ſatisfaciamus, atque rudera à veneno jam exterminato relicta prorſus deleamus, quod plerumque *cardialgias* atque *ructus* ſtomachi moleſtos poſt ſe relinquere ſolet, quibus decoctum CC. compoſitum præ aliis contuliſſe experientia comprobavit:

℞. *Raſur.*

℞. *Raſur. CC.* ℥ß.
Rad. Scorzoner:
Carlin.
Angelic. ana ʒij.
Sem. citri
aquileg. ana ʒiß.
Zibeb. exacin. ℥j. Coque
In ſ. q. *decoct. hordei,* ſub finem coction. adde
Conſerv. roſ. Rubr.
borrag.
bugloſſ. ana ℥j.
Colat. ℞. ℔i.
ſyrup. rub. idæi ℥iij.
~tus ⊖*lis dulc.*
M. D. S.
Stärck Tranck auf etlichmahl.
vel
ſub forma Electuarii:
℞. *Rad. helen. condit.*
calam. arom.
ſcorzoner.
Diaſcordii Fracaſt. ℥ß.
⊖*lis abſinth.* ʒj.
cum brod. ZZ. in India condit. F. Elect.
pro lubitu capiendum.

§. XIII. In *diæta*, quamdiu adhuc in ventriculo hærent particulæ veneni acres, conveniunt oleoſa, pinguia, gelatinoſa, ſpicula ejus obtundentia. Si vero ulterius ad M. S. penetraverint, ægri tractentur ut febricitantes.

CAS. VI.
DE
PLEURITIDE MALIGNA.

HISTORIA.

Matrona L. circiter annorum, temperamento gaudens melancholico, variis prius animi perturbationibas ag tata, tempore autumnali inclementiori hortum extra mœnia petens rigore p. n. & inſolito corripitur, inſequente calore ſummo, virium omnimoda proſtratione & dolore punctorio circa coſtas ac ſcapulam urgente. Eryſipelas ſibi haud inſuetum eſſe rata, ſudoriferum quoddam domeſticum aſſumit, cujus effectum tamen, neſcio qua de cauſa non penitus exſpectat, ſed intempeſtivè ſtragula ſibi injecta abjicit. Pejus ergò ſe habens Medicum vocari jubet, qui V. S. adminiſtrat, á qua tamen adeo non levatur, ut potius viribus mage proſtratis ſe vix in lecto convertere poſſit, lingua valde arida, exſucca & albida exiſten-

exiſtente, cum reſpiratione difficili iterataque tuſſi. Aliis ergò peregre advocatis Medicis urina offertur, quæ rubicunda erat, omnibus contentis deſtituta, pulſu celeri, frequenti & valde debili exiſtente. Aderant ſimul agrypniæ, cephalalgiæ & ſimilia ſymptomata: & cum de difficultate deglutiendi ſimul conquereretur, in conſilio Medicorum quærebatur, qualis ſit morbus & quomodo curandus?

RESOLVTIO.

§. I.

Trutinatis omnibus in caſu præſenti circumſtantiis oppido apparet Matronam hanc PLEURITIDE vexari, non quidem ſimplici & communi, ſed MALIGNA, cum ſubitanea illa, quæ ſtatim in primo principio apparebat, virium proſtratio, ſymptomata capitis vehementiora & ſimilia anguem ſub herba latitare ſatis ſuperque declarent. De ipſa vero pleuritide nemo dubitare poterit, quisquis aut eſſentialiter inhærentia, aut antecedentia, aut conſequentia morbum hunc attenderit. E prima claſſe ſiſtit heic ſe dolor punctorius circa coſtas, qui morbo huic adeo eſſentialis eſt, ut ab illo in vernacula das Seitenſtechen audiat, cumprimis ſi febris inflammatoria, heic ſimul obvia, jungatur. E ſecunda claſſe tum complexio Matronæ melancho-

lancholica, tum aër autumnalis inclementior hunc morbum facile inducere poſſunt, cumprimis ſi aut poſt nimiam corporis incaleſcentiam, aut animi commotiones vehementiores admittatur, quæ poſteriores & malignitati fores aperire valent. Tandem & ultima conſequentium claſſis calculum ſuum addit, lingua ſc. arida, urina rubicunda, pulſus celer, agrypniæ & ſimilia. Quæ omnia συλλήβδην ſumpta PLEURITIDEM MALIGNAM ſubeſſe docent, quam per *inflammationem membranæ coſtas ſuccingentis alteriusque pulmonum lobi, cum ſumma virium proſtratione junctam & à ſanguinis ſpirituumque ſtagnatione ortam*, definimus.

§. II. Antequam verò ulterius progrediamur, quæſtio præliminaris primò reſolvenda erat, *an & detur Pleuritis Maligna?* cuius rariſſima apud Practicos mentio occurrit. De ea ſane dubitatum fuiſſe, ex relatione Profeſſoris cujusdam Celeberrimi Giſſeni habeo. Cum enim quidam Johannes Born, ſimili morbo laborans, teſtamentum aliquod abſque ſeptem teſtium adhibitione condidiſſet, hoc autem ob ſolennium defectum impugnaretur, Advocatus cauſæ hæredibus per teſtamentum nominatis ſuppetias laturus Ampliſſimæ Facultati Medicæ hanc quæſtionem proponebat:

> An Pleuritis & febris ardens, ſi bini hi morbi in uno eodemque ægro concurrant & alicubi epidemicè graſſentur, ut qui illis corripiuntur, intra 6. 7. aut 8. dies emoriantur, hominesque ægros iſtos inviſere ſubvereantur, inter morbos contagioſos à Dnn. Medicis referri ſoleant?

In partes abibant Facultatis Aſſeſſores, negantibus quibusdam dari Pleuritidem Malignam, Quum vero ab eo, qui Decani officium tum gerebat & Reſponſum concipiebat, oſtenderetur. *Wierum in obſervationibus ſuis Lib.* 1. *pag.* 13. pleuritidem peſtilentialem & epidemicam vidiſſe, & non tantum *Ettmüllerum*, verum

&

& *Sennertum* jamdum Pleuritidis malignæ mentionem injeciſſe, tandem in affirmativam conſpirabant, prout è Reſponſo, à *D. Valentini Pandectis Medico-Legalibus* primum, mox & *Miſcellaneis Curioſis de Novellarum Publicarum Uſu & Abuſu in rebus Phyſico-Medicis* inſerto, videre licet.

§. III Hiſce præmiſſis ad SUBJECTUM affectus hujus devolvor, quod doloris ſitus indigitare poterit, juxta vulgare illud:

Ubi dolor, ibi digitus.

Dolor autem circa pectoris ſepimentum urget, quod ut varias partes continet, ita variis rurſus opinionibus Medicorum locum dedit. Sunt qui pleuram, membranam coſtas ſuccingentem, pro vero Pleuritidis (ab illa denominatæ) ſubjecto habent: Sunt, qui non tam pleuram, quam pulmones hic ſubſtituunt. Plures (quibus & nos ſubſcribimus) utramque partem conjungunt, ita ut in pleuritide perfecta. ſi non ſemper, utplurimum tamen alterum ſimul pulmonum lobum, una cum pleura, inflammari cenſeant, ita tamen ut non raro mediaſtinum cæteræque partes membranoſæ ſimul afficiantur, ut dolor ad ſcapulas (ut in noſtro caſu) ſæpe ſeſe extendat, quandoque & proceſſu diaphragmatis ſimul inflammato ignaris Nephritidis ſpeciem mentiatur. ut à *Barbette* curioſe obſervatum fuit. Interim Pleuram pro ſubjecto primario habemus, quam inflammari poſſe & ſectiones cadaverum pleuritide defunctorum & vaſa illam perreptantia demonſtrant. Arterias enim habet ab intercoſtalibus: venas ab ἀζύγῳ, quæ non duntaxat à dextris, ſed & à ſiniſtris ſurculos octo, tanquam rivulos, ſuum in alveum admittit, juxta venæ cavæ in cordis Oceanum oſtia: partim & ab intercoſtali ſuperna, quæ rivulis quaternis confluit in venam cavam deſcendentem, ramos inter ſubclavios & ἄζυγον. Quando autem deeſt intercoſtalis illa ſuperior,

 tunc

tunc duodecim ramulos vena impar à ſingulis coſtis utrinque excipit. In quibus omnibus ſanguis ſtagnando inflammationem parit.

§. IV. Solam enim M.S. στάσιν & ſtagnationem CAUSAM PROXIMAM & IMMEDIATAM, ut omnium inflammationum, ita & Pleuritidis eſſe non tantum quatuor illorum comites indivulſi, tumor, rubor, calor, dolor, ſed & juvantia ac nocentia demonſtrant. Enimvero tantum continuo per venas è partibus effluere debet, quantum per arterias influxerat. Quodſi vero plus influat, quam effluit, non poteſt non tandem coacervari ſanguis, in motu & circulatione ſua ſiſti, unde mox intumeſcit pars, ob nimiam ſanguinis copiam rubeſcit, ob particularum ſe extricare conantium motum incaleſcit & ob continuum illorum impetum & tenſionem dolet; quæ omnia eo facilius contingunt, ſi aut per acidum intus generatum, aut frigus extra ſuſceptum M. S. ad grumeſcentiam aliquam & coagulationem diſponatur, quæ tubulorum obſtructionem inferendo conſuetam ſanguinis circulationem in partibus impedire ſolet, ni ocyus per alcalia reſolventia ſanguis plus minus coagulatus diſcutiatur & fluidior reddatur. Quodſi ob vehementiora animi pathemata aliasque cauſas ſimile ſpiritibus influentibus vitium inferatur, hique in elaſticitate ſua quodammodo turbentur, non poteſt non major in œconomia animali turba cieri, vitalitas & ſpiritualcentia humorum tolli ſicque morbis ejusmodi malignitas, ut audit, affricari. Quæ omnia in præſenti caſu concurrendo non potuerunt non talem in præcordiis inflammationem cauſari, cum in ſubjecto ejusmodi melancholico ſanguis jamdum ad coagulum diſpoſitus & ſpiritibus variis animi pathematibus diſtractis M. S. ab aëre inclementiori autumnali facilè grumeſcere, in vaſculis ſtagnare, ſicque dolorem hunc reliquaque pathemata inferre potuerit.

§. V. Ex hoc ergo fonte tota SYMPTOMATUM SYN-

SYNDROME & connexio ſcaturivit, ſiquidem pleura à ſanguine (fomitem & materiam hic præbente) p. n. illic hærente & coacervato, non tantum ipſa ſpaſmodice vibratur, ſed & vicinas partes membranoſas totumque ſyſtema nervoſum criſpando horripilationem illam, ſeu *rigorem*, eſt cauſata, cui non poteſt non *dolor* ille *punctorius* conjungi, cum ſanguis ſtagnando quodammodo aceſcat & membranam illam ſenſilem admodum non vellicare tantum, ſed & adjacentes ad ſcapulam usque tendere & extendere valuerit. Neque pulmones à ſimili irritatione immunes eſſe *tuſſis* æque ac *reſpiratio difficilis*, à ſtrictura illorum orta, demonſtrant. Quandoquidem autem non tantum ſpiritus impetum facientes ſic varie laceſſiti, ſed & reliqua maſſa ſanguinea à tergo urgens viam ſibi pro debita circulatione quæſitura crebrius impegerit in loca hæcce & ob vias intercluſas regurgitarit, inde ob commotionem hancce p. n. tum *calor p. n.* & febrilis, tum *pulſus celer* atque *frequens* oborti fuerunt, qui poſterior ſimul *debilis* exiſtit, quum ob latentem malignitatem & intempeſtivam V. S. *vires* ſummè ſint *proſtratæ* ſpiritusque cordis thalamos legitime nequeant expandere. Cumque ob tantum motum & calorem p. n. ſerum nimis abſumatur, mirum non eſt ſalivam debita in copia non generari ſicque *linguam aridam*, *exſuccam* & *albicantem* apparere, ob particularum econtra ſulphurearum & oleoſarum expanſionem *urinam rubicundam* fieri. Reliqua tandem in caſu enarrata ſymptomata, *cephalalgia* ſcilicet, *agrypniæ* & ſimilia nimiæ ſanguinis & ſpirituum expanſioni, cerebri ejusque meningibus incommodanti, adſcribenda ſunt.

§. VI, Quænam autem omnibus hiſce anſam & occaſionem dederint ſicque pro CAUSIS REMOTIORIBUS habenda ſint, ex ipſa morbi hiſtoriâ haud ignotâ eſſe poſſunt. Quemadmodum enim è rebus naturalibus temperamentum, quo Matrona gaudebat, melancholicum, in particulis acidis fixioribus radicatum, humores circulantes ad grumeſcentiam aliquam

& ſtagnationem jam ante diſpoſuerat : ita è rebus nonnaturalibus, vulgo ſic dictis, aër autumnalis inclementior eos eò facilius in motu ſiſtere & acriores reddere potuit, quo patentiores vias atque fores, â præcedentibus animi pathematibus apertas, invenerat. Poris enim ſive irâ, ſive incaleſcentia quavis externa prius apertis aër frigidior eò promptius corpus ſubire variasque inflammationes internas, cumprimis pleuritidem inferre poſſe, præter infinitas Clinicorum obſervationes exemplum Alexandri Magni apud *Curtium Lib.* 3. *Cap.* 5. comprobare valet, qui in medio Ciliciæ fervore pulvere ac ſudore perfuſus ſe in amnem Cydnum præcipitando ſimili morbo correptus fuit. Quare & ab hauſtu quovis frigido poſt iracundiam, luſum aut motum corporis vehementiorem ſubitò ingurgitato pleuritis ſtatim præſto eſſe ſolet; unde & Wezflariæ aliisque in locis, ubi ob cellas profundiores potus nimis frigidus hauritur, æſtivo tempore tertia pars hominum pleuritide, ſive benigna, ſive maligna perire ſolet, prout nempe varia quoque pathemata animi, ira cumprimis, terror ſubitaneus, conſternatio vehementior & ſimilia ſe junxerint, quæ ſpiritus influos nimium commovendo, diſſipando, aut alia quavis ratione proſternendo morbos aliâs benigniores in malignos convertere poſſunt, ut ex certa Practici cujusdam Celeberrimi relatione habeo, qui febres malignas utplurimum ab inſignioribus ejusmodi animi paſſionibus aut productos aut exaſperatos obſervavit. Quid quod ſola imaginatio aut metus contagii in conſtitutione peſtilentiali luem facile concilient, ut non male in vernacula dicatur: Einbildung iſt ärger dann Peſtilentz.

§. VII. Quoad PROGNOSIN idem hic, quod de omnibus acutis affert *Hippocrates*, pronunciandum, ſc. incertas illorum prædictiones eſſe. Quoad eventum tamen res non caret periculo, cum ob virium proſtrationem, ni validiſſima medica-

menta

menta adhibita fuerint, materia præcordiis impacta non tam facilè diſcuti poſſit. Modum autem eventus determinare non poſſumus, cum adhuc in limine verſemur, nec ex ſputo, quod deficit, eluceſcat, an ſuppuratio adſit aut immineat. Speramus tamen bezoardica adhibenda multum ad ſanguinis ſtagnantis reſolutionem & diſcuſſionem profutura eſſe: eoque magis quod nulla adhuc funeſta ſymptomata adſunt, qualis eſt ſingultus, qui in omni morbo cum inflammatione lethalis eſt, adeò ut 6. vel 7ma die interficiat, obſervante *Jonſtono in Syntagm. Med. Pr. Lib. IV. T. V. c. 2. p. 835.*

§. VIII. Eò enim in CURATIONE quammaxime reſpiciendum, ut remotis (1.) Cauſis Externis morbum alentibus (2.) Sanguis plus minus grumoſus, in partibus inflammatis ſtagnans, reſolvatur, in priſtinum circulum vindicetur & â particulis inæqualibus malignis liberetur. (3.) Reliquiæ ejus, quæ diſcuti nequeunt, ad ſuppurationem & expectorationem diſponantur & tandem (4.) Noxa partibus affectis illata emendetur, ne ulcere forte remanente Phthiſis, Empyema, aut ſimile quid remaneat.

§. IX. Primo ſcopo obtinendo inſerviet diæta legitima debitaque VI. rerum nonnaturalium (vulgo ita dictarum) adminiſtratio. Aër ergo eligatur temperatus, ad caliditatem magis inclinans: fugiatur aſper, frigidus & inclementior, humores circulantes inſpiſſans & ſi quæ particulæ malignæ illic hæreant, ſuccenſis ſuffimigiis depuretur. Cibus ſit ὀλιγότροφος, ut in omnibus morbis acutis, conſtans ex juſculis hordeaceis, avenaceis, pomis dulcibus, cum paſſulis & fœniculo coctis & ſi magè confortantia deſiderentur, non tam ex jure carnium bovinarum, quam gallinarum, aut caponum, conſtent, donec commotio febrilis in ſanguine ſedata fuerit. Loco potus ordinarii ſumatur infuſum calidum foliorum veronicæ, cum radice liquiritiæ, inſtar potus

Thée aſſumendum, aut decoctum CC. cum rad. ſcorzoneræ & liquiritiæ. Alvus ſi contumax fuerit, cibis humectantibus potius, quàm nimiis clyſteribus, laxantibus, purgantibus, in ſimilibus morbis ſummè nocivis, ſollicitetur. Imo ut in omnibus inflammationibus, ita in pleuritide præſtat ſuppreſſam quam laxam habere alvum, obſervante ex *Hippocrate Dolæo, in Encyclop. Med. Pract. lib.* 2. *C.* 3. *pag.* 282. Exulet motus, ſed in lecto quieſcendo & calide ſe tegendo humorum circulationem & tranſpirationem inſenſibilem promoveat. Somnus, cum deficiat, emulſionibus papaverinis aliisque ſimilibus conciliari poterit, cavendo ſimul quascunque animi commotiones, ut ſpiritus ad priſtinam tranquillitatem redeant.

§. X. Secundæ Indicationi ſatisfaciant diaphoretica, cumprimis appropriata antipleuritica, bezoardicis mixta. Cum autem iisdem in Pleuritide communi & benigna plerumque V. S. præmittere ſoleant, quæritur

an & hic locum obtineat?

Videtur quod ſic, cum depletis vaſis reliquus ſanguis eo facilius diſcuti, loco moveri ſicque in priſtinum circulum agi poſſit. Nec obſtat malignitatem aliquam conjunctam eſſe, cum non deſint Practici, qui in febribus malignis quoque venam tundunt, non ſine felici ſæpe eventu. Aſt bona verba quæſo! Tantum enim abeſt V. S. in Pleuritide maligna convenire, ut etiam illi, qui data opera V. S. etiam largam & ſæpe repetitam in febribus malignis contra alios adhibent & adhibendam eſſe ſuſtinent, Pleuritidem malignam expreſſis verbis excipiant. Ita enim *Thomas Sydenham*, Anglus, ſummus V. S. Patronus, in *Tr. de Morbis acutis Sect. V.* „*pag.* 231. hanc inquit, nactus anſam paucula de eo dicam, quod „omnium ore tritiſſimum eſt, Pleuriſin ſcilicet quandoque ita „Malignam reperiri; ut per eos annos phlebotomiam ferre neſciat &c. Unde circa finem ſuperioris ſeculi, anno ſc. 1699. Pariſiis

riſiis tantum non omnes, qui in Pleuritide Maligna V. S. admiſerunt, è medio ſublati fuerunt, teſtantibus novellis publicis, in ſupra allegata *Diſput. Publica, de Novellarum Publicarum uſu & abuſu in rebus Phyſico Medicis,* ſub præſidio *D. Valentini* Giſſæ hoc anno habita, ſequentibus verbis allegatis:

Paris den 16. May.

Die Kranckheiten continuiren allhier, ſonderlich aber der Huſten auf der Bruſt und Seiten-ſtechen, und hat man beobachtet, daſs das Aderlaſſen der Heilung ſolcher Kranckheit zuwider, und der meiſte Theil, ſo zu der Ader gelaſſen, davon geſtorben ſey.

Sufficiant ergo Bezoardica & Antipleuritica, tam interna, quam externa. Illic CC. ſine △. Pulv. bezoart. Angl. aut Sennerti, Mandib. Luc. piſc. Dentes Apri præp. Ebur ſine △. horumque Salia volatilia, ⦶ depur. cum quadruplo Camphoræ; Ther. cœleſt. Semina item expulſiva: Sem. napi, citri, aquilegiæ, card. bened. card. Mar. ſive jam ſimplicia pulveriſata dentur in aquis convenientibus, aqua ſc. fumar. cardui bened. ſcabioſ. galegæ &c. ſive in formulas varias & compoſita medicamenta redigantur, perinde eſt, v. g.

℞. *Pulv. bezoart. Anglic.*
Mand. luc. piſc. præp.
ebor. ſin. △. ana ℥j.
⊖. vol. CC. ℥ß.
ther. cœleſt. gr. vj.

M. Div. in vij. p. æ. D. S. Zertheilende Pülverlein alle 4. Stunde eines zu nehmen.

Vehi-

Vehiculum ſit ſequens :

℞. ▽. *cord. è ſuccis Tim.*
CC. citrata
è typh. cervi ana ℥j.
card. bened. ℥ij
Tinct. bez. ʒiß.
Syr. flor. pap. err. ʒiij.
M. D. S. Waſſer zum Pulver.

Vel in forma Mixturæ :

℞. ▽. *fumar.*
cord. frigid. Herc. Sax. ana ℥iß.
Mixtur. ſimpl. ʒiß.
Mandib. Luc. piſc. præp.
Pulv. bez. Angl. ana ℈ij.
Syrup. card. ben. ʒiij.
M. D. S. Stärckende und zertheilende Mixtur auf 3 mahl zunehmen, und ſich immer warm darauf zu halten.

Si remedia varianda ſint, aut Ægro magis arrideat Emulſio :

℞. *Sem. Card. bened.*
Mariæ
citri ana ʒj.
c. s. q. *Aq. card. bened.*
è Typh. Cervi ana
F. l. a. Emulſio,
add. *Mandib. Luc. piſc. præp.* ʒiß.
edulc. c. *ſacch. perlat.*
D. S. Stillende und zertheilende Milch, auf dreymahl zunehmen, und ſich darauf zum Schweiſs zudecken.

Sin febris magis urgeat, ſitis ſit moleſta & alvus nimis contumax, pulve-

pulv. ⊕tro-camphorati, Modernis laudati, mirè conveniunt, qui ita præſcribuntur:

℞. *Pulv. bez. Anglici* ℨj.
⊕. *depurati* ℨß.
Camph. ℈ß.
Ther. cœl. ℥r. *iij.*

M. Div. in 3. p. æ. S. Pülverlein, Morgends, Mittags und Abends eines zu nehmen, und ſich immer darauf warm zudecken.

Vehiculum ſint aquæ ſupradictæ & præſcriptæ, aut Decoct. CC. Quibus externè pro demulcendo dolore & ad diſcutiendum ſanguinem ſtagnantem applicetur lac calidum, ſive ſimplex, ſive cum flor. chamom. ſambuci & ſimilibus decoctum & veſicæ infuſum, qualia formenta in principio Pleuritidis omnibus commendat *Fred. Deckerus, Exercit. Med. Pract. p.* 311. Unguentum item dialth. Empl. diaphoreticum, pector. Filii Zacch.

℞. *Unguent. dialth.* ℥ß.
℅. *irin.* ℨij.
⊖. *vol. CC.* ℈ß.

F. Lin. S. Sälblein, warm auf die ſchmertzende Seite zureiben.

℞. *Empl. diaph. Mynſ.* ℥ß.
malax. c. ℅. *irin.* induc. ſuper alut. S.

Zertheilendes Pflaſter, äuſſerlich auf die Bruſt zulegen.

Sunt qui panem recentem, è furno adhuc calide extractum, lateri dolenti applicant, cujus vaporem poris corporis amicum laudat *Craanius in Praxi Medica Reformata Cap.* 40. *pag.* 195.

§. XI. Quodſi vel omnis in Pleura ſtagnans ſanguis, aut reliquiæ quædam, ad ſuppurationem tendant, vi Tertiæ Indica-

tionis ea ſunt præſcribenda, quæ & ſuppurationem promovent & materiam ſubactam, ſeu, ut loquuntur, coctam ad expectorationem diſponunt. Faciunt hoc Thoracica & Becchica, illic quidem demulcentia, lenientia & ut vulgò loquuntur emollientia, qualia ſunt radices alth. liliorum alb. liquiritiæ, herba tuſſilaginis, malvæ, flores malv. arbor. violarum, ſem. hord. paſſulæ &c. oleum lini & cumprimis oleum amygdalorum dulcium, à Celeberrimo Sydenhamio ſummopere laudatum: hic verò incidentia, qualia ſunt tradices elenii, ireos Florent. herba & ſummitates hyſſopi, veronicæ, mel, hydromel, oxymel & ſimilia. In priori caſu

℞. *Hord. mundi* Mj.
Rad. alth. ʒij.
liq. ʒß.
Herb. Tuſſilag. Mj.
Ficuum ping. N. v.
Paſſular. min. exacinat. ℥ij.
Coq. ex aqua pura, Colat. ℞. ℥xviij.
add. *hydrom. ſimpl.* ℥j.
M. F. Apozema.
D. S.
Erweichender Bruſt-Tranck, offt davon zunehmen.

Vel

℞. *Ol. amygd. dulc.* ℥ij.
Syrup. violar. ℥j.
c. s. q. *ſach. candi* F. Looch.
D. S.
Dicker Safft, davon öffters eine gute Meſſerſpitz in Mund zu nehmen, und gemählich zu verſchlingen.

Pote-

Poterit huic etiam Sperma Ceti immiſceri, hoc in caſu egregium. In poſteriori caſu pro ſcopo expectorandi.

℞. ▽. *hyſſopi*
veron. c. vin. ana ℥iij.
hydrom. ſimpl. ℥ij.
ſacch candi ʒiij.
ſyr. de hyſſop. ℥j.
M. D. S, Auflöſende Mixtur öffters ein paar Löffel voll davon zunehmen.

Vel

℞. *Succ. rap. expreſſ.*
hydromel. ſimpl. ana ℥ij.
ſacch. candi q. ſ.
Coq. ad conſiſt. ſyrupi D. S.
Bruſt-Safft öffters ein paar Meſſerſpitz- voll zu nehmen.

Alias in uſu ſunt ſpecies diaireos & inde parati trochiſci bechici, rotulæ & ſimilia v. g.

℞. *Specier. diair. ʒij.*
flor. 🜍.
benzoin. ana ʒj.
c. s. q. ſacch. Canar. in ▽.
hyſſ. ſol. F. l. a. rotol.
D. in ſcatula. S.

Bruſt Küchlein immer eines im Mund zergehen zu laſſen.

§. XII. Ultimæ tandem indicationi inſerviunt travmatica & balſamica, læſiones pulmonum & vicinarum partium curantia, ſicque phthiſin & ſimilia avertentia, qualia ſunt Decocta vulneraria cum pectoralibus, Terebinthinata, 🜍phurea, v. g.

℞. *Rad. Symph. major.* ℥j.
liquirit.
Chin. ana. ʒij.
Herb. chærefol.
heder. terr.
tuſſilag. ana Mj.
Sem. aniſi
perfol. ana ʒij.
Coq. in s. q. ▽. ſimpl. aut hydromel.
Decoct. adhuc fervent. lib. ij.
infund. *paſſul. min.* ℥iij.
Col. D. S.]
Heilender Bruſt-Tranck, davon offt zutrincken.

Vel & ſimiles Species cum fol. Thée miſceri modoque conſueto infundi & ſumi poſſunt.

Vel.

℞. *Balſ.* 🜍. *Terebinthinati* ʒiß.
♄. ʒß.
M. D. S. Bruſt-Balſam, 13. biſs 15. Tropffen auf einmahl in einem warmen Eyer-gelb zunehmen.

Facit huc Balſamum Locatelli in affectibus hiſce laudatiſſimum, cujus genuinam compoſitionem vid, ſis, in *Pharmacopœia Bateana*.

CAS.

CAS. VII.
DE
PHTHISI PULMONALI.

HISTORIA.

Matrona Giſſenſis LV. circiter annorum, ſed vegetæ usque, utut mage bilioſæ, conſtitutionis, poſt naturalem huicque ætati ferè ſolennem menſium emanſionem gravitate membrorum & difficili reſpiratione corripitur, eaque de cauſa annua V. S. ſibi conſulere cogitur. Cum vero, ſenio appropinquante, eandem ab aliquot jam annis intermiſerit, hinc tuſſi corripitur nocturna, levi quidem ſed iterata, qua ſæpiſſime è medio exſuſcitatur ſomno, ſub quo neſcio quid ſuffocativi patiebatur, conquerens ſimul de continua pectoris gravitate: Es ſitze ihr ſo auf der Bruſt: mox & appetitus perit, cum maxima carnis nauſea, cujus & odorem ferre nequibat, abhinc ſe contabeſcere obſervat, ſæpius inſpiciens lacertos ſolito flaccidiores, ſudoribus nocturnis diffluebat

& tandem quoque ſputum ſtriis ſanguineis deturpatum tuſſiendo rejiciebat, cum febricula ſæpe intercurrente; hinc de vita ſolicita Medicum vocat ejusque conſilium expetit.

RESOLVTIO.

§. I.

Conſideratis omnibus & ſingulis in caſu enarratis circumſtantiis haud obſcure patet Ægram hanc PHTHISI laborare PULMONALI: quæ morbi denominatio haud paucis pleonaſmum ſapere videbitur, imprimis illis, qui omnem Phthiſin è pulmonibus derivare ſolent. Verum aliud nobis perſuadent obſervata Medicorum, in Praxi Celeberrimorum, qui Pthiſin pariter ex aliis viſceribus plus minus exulceratis ortam eſſe perſpexerunt. Hinc cum B. *Ettmüllero* Phthiſeos nomen paulo latius extendo, eoque omnem à viſceris cujusdam ulcere profluentem tabem comprehendo. *Vid. Prax. eius de Nutrit. part. læſa. p. m.* 280. Ita Phthiſin ex renum ulcere obſervavit jamdudum *Hippocr. L. de intern. affect. p. m.* 266. Aliam à meſenterii abſceſſu ortam habet *Horſtius* Lib. II. Obſervat. 5. Imo & ex pleuræ ulcere Phthiſin obſervavit *Dolæus in Encyclopæd. Med. Practica L.* 2. *cap.* 4. Sicut ex partium externarum ulcere Phthiſin quoque ſæpiſſime exortam curat feliciſſime *Morton. Lib.* 1. *c. V. Phthiſiolog.* Quibus omnibus tamen frequentior in Praxi eſt PHTHISIS PULMONALIS, quæ eſt *conſumtio totius, cum reſpiratione difficili, tuſſi, ſputo plus minus cruento vel purulento lentaque febri, ab exulceratione pulmonum oriens.* Vel, ſi mage placuerit definitio *Williſii*: *Phthiſis eſt totius contabeſcentia, à*

mala pulmonis conformatione orta. Vid. Angli Pharmac. Rat. Part. 2. cap. VI.

§. II. Huic vero affectui ægram noſtram obnoxiam eſſe conſtat I. è ſymptomatibus *concomitantibus* & morbo huic *eſſentialiter inhærentibus*, qualia ſunt contabeſcentia totius & in ſpecie brachiorum flacciditas, tuſſis nocturna, ſputum pure cruoreque tinctum, reſpiratio difficilis & febricula, quæ phthiſi pulmonali utplurimum conjuncta eſſe ſolent. II. Idem quoque *conſequentia* teſtantur, ſudores ſc. nocturni phthiſicis haud infrequentes, anorexia & in ſpecie carnis horror, cujus & odorem perferre ſæpe nequeunt. Sicut tandem III. omnia hæc confirmant *cauſæ antedecedentes*, imprimis evacuationes ſolennes intempeſtive ſuppreſſæ, utpote quæ ſæpiſſime morbo huic anſam largiuntur; teſte *Burneto in Theſaur. Medic. Pract. Tom. 2. pag.* 442. *& Waldſchmid. in Colleg. Pract. Diſput. XIII.* § 4.

§. III. Licet autem tota corporis ſubſtructio ſuos hic patiatur Manes, primarium tamen, in qua ovum hoc excluſum eſt, nidum & SUBJECTUM pulmones eſſe reor, utpote qui ob ſubſtantiam flaccidiorem & teneriorem humorum circulantium impetum ſive ſuſtinere ſive declinare nequeunt, ſed ab iisdem facile violantur. Nihil enim aliud eſt ſubſtantia pulmonum, quam innumerarum veſicularum angularium, ſimplici tantum membrana conſtantium, congeries, intertextis hinc inde vaſis omnibus generis, ut non tantum *Malpighius* è Modernis, *in Tr. de Struct. viſc.* ſed & *Cous* noſter jamdudum *L. de carnib.* S. IX. §. 23. obſervarunt & cujuslibet inſpectioni oculari hoc ipſum facile oſtendi poteſt in ranis vel tumultarie diſſectis. Quid mirum ergo, ſi una vel altera veſicula à ſanguine ſive intercepto, ſive fortius eo commoto violetur, rumpatur & conſequenter plus minus exulceretur; & hanc quidem veram cauſam eſſe ſtatuo, cur phthiſis pulmonalis præ aliis ejusdem ſpeciebus ſit frequentior.

§. IV. CAUSA PROXIMA ergo eſt *Pulmonum exulceratio*, facta ab ipſo ſanguine, tam quantitate, quam qualitate

moleſte

moleſto. Quantitate quidem excedente peccat, quatenus ob V. S. intempeſtive neglectam plethora quædam, ſi non vaſis ſaltem viribus incommodans oborta fuit, quæ eo, quo mulier ſibi venam quovis anno tundi curavit tempore, ob indicibilem illam miramque conſuetudinis, tanquam alterius Naturæ, vim, orgaſmum quendam in M. S. ciens, pulmonum ceu imbecilliorum partium repagula ac veſiculas diſcontinuat & poſtquam aliquamdiu ſola ſtagnatione illic hæſerat, tandem prorſus illarum unitatem ſolvit. Cui forte ſymbolum ſuum mutuo quaſi dare poterat bilioſa ſanguinis, acrimonia, quæ ſpiculis ſuis primo glaciem fregit ipſique ſanguini à tergo ſequenti, viam paravit, ut eo facilius in parenchyma illorum irruere ſuamque illic tragœdiam incipere potuerit.

§. V. Hinc enim illæ lachrymæ! hinc funeſta illa SYMPTOMATUM SYNDROME, in qua idem fieri ſolet ac in concurſu Creditorum civili, quum unumquodvis aliquam vitæ partem ſibi vindicare ipſique libitinæ immolare ſuſtineat. Quatenus enim M. S. à deficiente menſtruorum orgaſmo per ſubſtantiam pulmonum ſegnius circulatur, hique in reciproco inſpirationis & exſpirationis motu quodammodo ſufflaminantur, eatenus non potuit non *difficilis* adfuiſſe *reſpiratio, gravitas pectoris & ſuffocationis quaſi ſenſus.* Fibris v. pulmonum à ſanguinis tum quantitate, tum acrimonia irritatis, reliquisque muſculis & diaphragmate in conſenſum raptis motus exploſivus ille, quem *tuſſim* dicimus, exortus eſt, qui nocturno magis tempore ægram noſtram infeſtabat, quia decumbendo ſanguis adhuc ſegnius movetur magisque in pulmonibus coacervatur, poriſve a nocturno frigore occluſis effluvia plus minus acria non exhalant, ſed interiores partes & ipſos pulmones adoriuntur ac affligunt. *Sicca* plarumque eſt *tuſſis* illa in principio, donec repetitis vellicationibus partim nutrimentum proprium pulmonum, partim & ſanguinem reliquosque è vaſis ejus humores emungat, unde ſucceſſive *ſputum* ſimul *viſcidum ſtriisque ſanguineis depictum*, imo ſi ulcere jamdum pus fundente corrodantur pulmones, tandem & purulentum evadit, quod in no-

ſtra

ſtra tamen ægra nondum obſervatur. Interim tamen credibile eſt in ipſa pulmonum ſubſtantia fracedinem ejusmodi purulentam cuniculos jamdum agere, cum adjuncta *febricula* à nulla alia dependeat cauſa, niſi quod particulæ quædam acidæ à præterlabentibus humoribus circulantibus abſcorptæ, ob inæqualitatem figuræ & texturam diſconvenientem M. S. aſſimilari nequeant, ſed ob crebriores ætheris alliſiones motum p. n. in ea cauſantes calorem p. n. & febrilem inducant, quo partes aquoſæ magis exagitatæ *ſudorem* producunt, ob ſtragula impoſita *noctu* magis diffluentem: Et cum illa ipſa recrementa plus minus purulenta per arterias gaſtricas ventriculo infuſa liquorem ejus gaſtricum inficiant & peregrino charactere imbuant, hinc & *appetitus dejicitur* & imprimis *carnis horror atque nauſea exſurgit*, quum Archæus à purulenta & ulceroſa ſanie abhorrens & præ fœtore ejus intus ſe recipiens ſimiliter à carnibus abhorreat. Quum autem hanc ob cauſam alimenta in debita quantitate & aſſumi & ſubigi nequeant, ac ſi quid aſſumtum fuerit ob febrilem ſanguinis commotionem in nutrimentum laudabile non convertatur, imo ſerum illud nutritivum in M. S. adhuc contentum per continuam pulmonum vellicationem emungatur reliquisque partibus furtive quaſi ſurripiatur, hinc mirum non eſt tandem Ægram *contabeſcere*, quod in brachiis flaccidioribus, tanquam oculis magis expoſitis, primum exactius obſervare poterat.

§. VI. Omnibus autem hiſce malis è CAUSIS REMOTIORIBUS occaſionem miniſtrabat ſolitæ V. Sinis intermiſſio, quæ in ſubjectis evacuationi huic adſuefactis Lernam malorum procreare valet. Per iteratam enim & ſtatis anni temporibus repetitam V. S. automaticus ſpirituum, machinam humanam dirigentium, motus ita determinatur, ut tempore ſolito redeunte evacuationem illam per neſcio quam membrorum gravitatem & puncturas ſponte ſua urgeat; quæ accuratius ſentiri ſolent, ſi tempus illud inſuper habeant, nec V. S. adminiſtrent, wann Sie das Aderlaſſen übergehen. Imo ſi plane eandem intermittant, tandem

ira quaſi perciti & impetuoſe moti orgaſmum quendam p. n. in M. S. cient, quo ruptis repagulis in viſcera debiliora irruat & vel in iis ad tempus ſtagnet, vel unitatem illorum prorſus ſolvat. Tantum ſcilicet valet conſuetudo in rebus naturalibus, ut pluribus ex profeſſo docet Hoſpes meus *D. Valentini, in Epiſtola de conſuetudine altera Natura, ad B. D. N. D.* Volckamerum ſcripta, in *Appendice I. Miſcellan. Acad. Nat. Cur. Dec.* II. *Anno X.* An & naturalis menſium emanſio aliquid ad Phthiſin noſtram contribuerit, non omnino inficias ivero, quum non tantum *Hippocr. l. 2. Prædict.* ſed & *ſupra laudatus Mortonius Anglus* à ſuppreſſione earum Phthiſin obſervaverit, in eruditiſſima ſua *Phthiſiologia L. 3. cap. IX.* Licet enim hac in ætate conſtitutis ordinario Naturæ curſu ſiſtantur, nihilominus tamen in habitioribus & ſucculentioribus ſæpe dictus protrahitur illorum fluxus, vel ad minimum adhuc rudera quædam orgaſmi hujus aliquamdiu ſentiuntur, ſive eundem à fermentatione uterina, ſive à nuda ſanguinis congeſtione & turgeſcentia, ſive ab ambabus his concurrentibus deduxeris, quarum hanc *D. D. Fürſtius, Archiater Reverendiſſ. ac Eminentiſſ. Electoris Trevirenſis, Patronus atque Fautor meus non ultimus, in Dialogo ſuo Hygiaſt. pag.* 331. *& ſeq.* illam *Gualterus Charleton. de Catamen. uter.* iſtam v. *Franciſcus Bayle in Diſſert. de fluxu menſtruo* erudite ſatis demonſtrarunt. Et hinc eſt, quod iis cumprimis, ſub quibus ſexus (ut loquuntur) ſequior flores hos aut induit, aut deponit, annis, largiorem in eo meſſem faciat Morbona Muliebris. Tandem & temperamentum ægræ noſtræ bilioſum ſuum ἐπιβάλλον μέρος conferre poterat ad labem hanc pulmonibus affricandam, dum particulis ſuis acribus & plus minus acuminatis membranoſam pulmonum ſubſtantiam, à reliquis 🜔ſis & globuloſis M. S. particulis haud æque facile reſerandam, pertundere, eoque ipſo pulmonum vellicationem æque ac excoriationem maximopere promovere valebat.

§. VII. Optimum interea eſt in tempore veniſſe ægram, cum Phthiſis hæc nondum adeo confirmata ſit, ut in PROGNOSI

SI ſpem, in Cura omnem omnino operam & auxilium eludat, eoque magis, quod non tam à charactere quodam hæreditario, aut muriatica quadam ſanguinis intemperie (quæ valde periculoſa, teſte *Sylvio in Appendic. Prax. Med. Tr.* 10. *de Phthiſi* §. 28. ubi eleg. prognoſt,) quam ſuppreſſa ſanguinis evacuatione propullulet; & quamvis *Hipp. l.* 2. *Prædict.* virgines & mulieres ex ſuppreſſione menſium Phthiſicas raro evadere dicat, quia tamen in caſu noſtro menſes non tam ſuppreſſæ ſunt, quam naturaliter emanſerunt, hunc ægram adhuc bene ſperare jubemus. Non tamen prorſus negligenda, ſed cura ejus maturanda erit, ne radices agat malum & in ulcus pulmonum perfectum abeat.

§. VIII. Omnem ergo in CURA lapidem moveamus, ut (1) cunctis illis, quæ malo huic primam occaſionem dederunt, obviam eatur (2) humores in folles Microcoſmi, pulmones puta, præternaturaliter irruentes ſuisque ſpiculis eosdem infeſtantes evacuentur & denique (3.) noxa M. S. & pulmonibus inducta corrigatur, hæque partes ab ulteriori labe, ſi fieri poſſit, præſerventur.

§. IX. *Primus ſcopus* legitimam VI. rerum nonnaturalium (quas τὰ διαιτήματα rectius vocat *Cous*) adminiſtrationem ſibi vindicat, quæ eo ſemper reſpiciat, ut bilioſa plus minus ſanguinis acrimonia edulcoretur ipſiusque ſanguinis quantitati, hic fere pauliſper excedenti, ulterior accretio vel coacervatio præſcindatur, quo medio, omnibus aliis poſthabitis, plethoram omniaque inde promanantia curare jubet *Helmontius in Promiſſ.* §. 8. *p.m.* 8. *Tom.* 1. *Edit. Francof.* Hinc in cibis adornandis paulo aliter hic procedendum ac in Phthiſi primaria, in qua, juxta *Sennert. Med. Lib.* 2. *Part.* 2. *cap.* 12. *p.* 216. alimenta ſuaderi ſolent copioſum nutrimentum ſuppeditantia, non tantum culinaria, ut *lacticinia*, ſed & officinalia, qualia ſunt *nuces pineæ, piſtaciæ, deſtillata nutrientia*, è porcellorum aliorumque animantium ſanguine & carnibus parata, quæ poſteriora tamen in noſtro quoque caſu locum habere poſſunt, ſed confortandi magis quam nutriendi cauſa, cum

portiones chyloſæ fixiores in reſiduo remaneant, nec alembicum transcendant, ut egregie non minus quam ſolide oſtendit *Zwelfferus in Animadverſ. ad Diſpenſ. Aug.* Juxta hæc *avenacea hordeataque* juſcula pariter ægræ noſtræ ſuaderem, quæ & acrimoniam humorum temperant & nutrimentum hic conveniens h. e. mediocre ſuppeditant. Hinc & in *potu* ejusdem *hordei decoctum*, vel ſi mavis, *infuſum Thée* propinandum, tam ſimplex, quam compoſitum & appropriatum, quod ex herbis ſpecificis heic parat ſimplicique longis paraſangis præfert *Olaus Borrich. in Enchirid. de Clyſſ. plantar. & Thée ſpecif. Tr. de uſu plantar.* annexo *pag.* 80. *cujus Thée Antiphthiſicum ſequens eſt*:

℞. *Rad. tuſſil.* ℥j.
alth.
conſolid. maj.
Cortic. med. ſalic. tenell. aa. ʒij.
Herb. veron.
bugul.
heeder. terreſtr.
ſanic. aa. Mij.
Muſc. pulmon. ſaxatil. flavi p. ij.
Semin. aniſ. ℥ß.
lini ʒij.

Inciſa & contuſa in vitro ſerventur pro uſu.

E reliquis vero rebus Diæteticis *aër* eligatur temperatus, ne frigidiori aura fauces irritatæ tuſſim augeant, juſta vero calidior aër orgaſmum ſanguinis magis accendat & conſequenter malum exaſperet. Motum quieti poſtponat, cum & illo magis attenuetur, adeoque ſemper valde noxius ſtatuatur *à Celeb. Sylv. l.* 1. *ſupr. cit.* 14. 5. *p.* 698. *Edit. Amſtel.* unde & *vigiliis*, ſi adſint, nimiis occurrendum, *ſomnusque* quantum fieri poteſt promovendus. *Alvus quotidie*

ſuc-

ſuccedat: ſin ſecus, humectetur & emolliatur: *Affectus* vero *animi* vehementiores ceu peſtem fugiat.

§. X. Pro 2. ſcopo ad humores p. n. evacuandos in Phthiſi primaria, imprimis incipiente, *Vomitoria* non ſine cauſa ſummopere laudantur à *Lindenio*, *Ettmüllero* & aliis. An v. illa in noſtro quoque caſu proficua ſint, ambigo, cum focus hujus mali non tam in primis, quibus illa dicata ſunt, viis hæreat, ſed in vaſis ſanguiferis radicetur. Multo minus *purgantia* vehementiora locum habent, quæ orgaſmum ſanguinis augendo eundemque pulmonibus impingendo tantum abeſt ut conducant, ut ignem igni potius addant. Confer *Craan. in Prax. Med. Reformat. ſeu Annot. ad Prax. Regii c. 49. pag. 223.* Hinc ſi acrimoniæ ſanguinis bilioſæ fomitem ſubtrahere velimus, *leni* quodam *laxativo* uti poterimus, ſpeciatim vero *infuſo* quodam *ſennato*, quale celeberrimus *Henr. Regius* habet *in Praxi Medica L. 2. caſ. 3. pag.* 154.

℞. *Fol. Senn.* ʒiſ.
Rhabarb. ʒſ.
Cinnamom. ℈i.

Infund. per noct. in decoct. pector. Colatur.

℞. ℥iſ.
add. *Mann. Calabr.* ℥iſ.
Syrup. roſ. ſolut. ℥ß. M. F. hauſtus

qui, ſi opus, repeti poterit. V. S. enim & *catharticis* alternatim repetitis, ſaltem in principio, hujus generis tabes facile vincetur, teſte Experientiſſ. *Sydenhamio Tr. de Phthiſi circa fin.* Altero ergo die, ſuaſore *Regio* V. S. adminiſtretur, utpote quæ noſtræ quidem ægrotanti, ob aliqualem plethoram, ſaltem ad vires talem & conſuetam evacuationem ſuppreſſam, vel ſola ſufficere valet, ſicut in terminis probat Caſus in *Miſcell. Academ. German. Curioſ. Decur.* II. *Ann.* II. *Obſ.* 162. Adeo verum eſt, quod pro canone habet *Fridericus Hoffmann.* in *Fundament. Med.* ex *principiis Naturæ mechan.* P. Therapevt. cap. 3. §. 5. p. 203. dum, *teſtatur*, inquit, *experientia*, *ſæpe unica Venæſectione conquieviſſe morbum.* Conquieviſſe

quieviſſe autem & noſtrum morbum per V. S. certa mihi experientia conſtat Patroni hunc caſum mecum communicantis. Videant ergo qui publico conſulant illi, qui ſaluberrimo & probatiſſimo ejusmodi remedio omnem in Medicina locum denegant & cum Nobiliſſ. alias *Gehema* ſicariorum telis eandem annumerant, in den grauſamen Mediciniſchen Mord-Mitteln, Purgieren, Aderlaſſen &c. cui modeſte ſatis & eruditè dudum reſpondit *B. Geuderus*, Tr. von heilſamen Mediciniſchen Lebens-Mitteln &c.

§. XI. *Tertiæ* tandem *Indicationi* ſatisfecerimus, ſi M. S. acrimoniam *temperatis, demulcentibus* & *abſorbentibus* edulcoraverimus & unitatis ſolutionem in pulmonibus conſolidaverimus. Illic ☍ſa, mucileginoſa, terrea & ut loquuntur, præcipitantia conducunt, ut *ſem. 4. frig. maj. papav. ocul.* ♋. *bol. Armen. antehect. Poter.* & ex ſimilibus parati pulveres compoſiti hactenus in Praxi receptiſſimi: *Pulv.* ſc. *Anonym.* recens Aug. *Pulv. Hali contra phthiſin &c.*

℞. *Pulv. anon rec.* ℥iß.
Flor. ſulph. ʒß.
Antih. Pot. ℈j.
M. F. Pulv. pro 3. l. 4. doſ.

Heic vero *balſamica* & *travmatica* plus minus *adſtringentia* conveniunt, è *terebinthina, ſulphur. balſam. Peruv. terra Catechu* & plantis, *vulnerariis* parata, quibus ſemper appropriata *pectoralia* admiſcenda ſunt. Sic Nobiliſſ. *Sydenh.* ſummopere extollit *Electuarium è balſamo Locatelli, glycirrh. aniſ.* & *terebinth.* paratum in *Proceſſ. integr. in morb. curand. Tit. de Phthiſ. pag. m.*41. Balſamum autem Locatelli deſcribit Pharmacopœia Bateana pag. 23. Aliis magis arridet *balſam. ſulph. terebinth.* cum *balſam.* ♄. temperatum, quibus nonnulli *Tinctur. antiphthiſicam*, cum *Tinctur. terræ Catechu* fere præponunt, de qua poſteriori egregie *Hagendornius Tr. de terr. Catechu.* Quibus omnibus jungenda

ſunt

ſunt *Decocta Vulneraria & Pectoralia*, qualia ſunt *Decoct. Antiphthiſ.* Angl. *Decoct. Aſtacorum* Pharmacop. Batean. Item

℞. *Rad. Chin.*
Symphit. ana ℥iß.
Herb. veron.
tuſſilag.
vinc. pervinc.
alchim. ana Mj.
Dactyl. inciſ. no. XX.
Glycirrh. ℥j.

Inf. in ſ. q. ▽. Simpl. ſtent per noct. in digeſt. manè col.

℞. Colat. ℔iij.
add. *Syrup. dialth. Fern.* ℥iß.

Serventur in loco frig. Doſ. ℥iij. vel IV.

§. XII. An vero EXTERNE *ſuffitus & evaporationes balſamicæ* per infundibula, aut peculiaria inſtrumenta, à *Chriſtoph. Bonnetto* in *Theatro Tabidorum* depicta orique inferenda, in noſtro caſu tantopere conducere poſſit, aſſerere non auſim, cum *Phthiſin* jam tractemus *Symptomaticam*, à ſolita ſanguinis evacuatione ſuppreſſa ortam, non vero primariam, à muriatica ſanguinis & lymphæ ſalſedine, ſeu, ut Antiqui loquebantur, defluxionibus exortam, in quibus *ſuffimigia* talia è *ſuccino*, catarrhorum antidoto, parata forte plus in receſſu habent. Unde nihil amplius reſtat, quam ut DEI T. O. T. M. (ſine cujus Numine nihil eſt in homine) benedictionem calidis ſuſpiriis exoremus, ut ſtudiis æque noſtris & ægrorum expectationi ſemper exoptatus fauſtiſſimusque contingat

FINIS.

CAS.

CAS. VIII.
DE
PHTHISI RENALI.

HISTORIA.

Puerulus à Parentibus ex parte ſcorbuticis progenitus, dimidio ætatis anno impleto, variolis primum infeſtabatur ſprægrandibus iisque copioſiſſimis; his vix curatis præter tumorem colli, qui brevi in abſceſſum abiit, ulcera inter ſingulos manuum pedumque digitos ſupervenerunt, quæ utrobique copioſum pus eructarunt: Urina inde excerni cœpit lactea cum maxima difficultate & ardore: Corpuſculum ſenſim extenuabatur, urgente mox calore p. n. mox friguſculo, cum ſiti intenſa & debilitate virium. Tandem impleto fere quinto ætatis anno exſpiravit. Inſtituta poſt mortem ſectione, præter ulcus in ſiniſtro Rene con-

conſpicuum. Ren dexter penitus exulceratus ſordidoque pure turgidus apparuit. Ureter uterque digiti craſſitiem adæquabat, præterea calculus in veſica duarum fere unciarum repertus, gryſeo colore conſpicuus. Quæritur qua ratione malo huic, ſi unquam rurſus obſervatum fuerit, obviam eundum ſit?

RESOLVTIO.

§. I.

EXtenuationem corporis à pulmonum ulcere profluentem omnium frequentisſimam eſſe, nemo facile inficias ibit, qui Practicorum Celebriorum monumenta, vel e limine ſalutavit. Inde enim eſt, quod illi φθίσις nomen κατ' ἐξοχὴν tribui ſoleat. Interim ab aliarum quoque partium vitio ſimilem quandoque tabem induci, obſervationes Practicorum teſtantur. Ita alii à pleuræ, *a)* alii à meſenterii, *b)* alii ab hepatis *c)* ulcere phthiſin obortam fuiſſe notarunt, & ſi Antiquiores conſulamus, ipſe Cous *Phthiſin Renalem* ſe obſervaſſe refert, *d)* qua & puerulum hunc laboraſſe ex hiſtoriæ relectione patet, eaque non ſimplici, ſed veſicæ calculo complicata; quem quidem affectum *definimus*, quod ſit extenuatio totius, cum concretione lapidea, febre, mictu purulento aliisque ſymptomatibus, ab ulcere Renum proveniens.

Iiii §. II.

a) Dolæus Encycl. Med. lib. 2. p. 291. *b)* Horſtius, Oper. Med. T. 2. 526. *c)* Schenck. Obſ. Med. l. 3. p. 414 *d)* Libr. de intern. affect. p. 266.

§. II. Hoc autem affectu Puerulum noſtrum laboraſſe probant 1. *eſſentialiter inhærentia*: Contabeſcentia ſcil. totius corporis, febris, mictus purulentus, dolor ferè continuus urethræ, quorum alia Phthiſin, alia Calculum concomitari ſolent. 2. Id ipſum confirmant *Antecedentia*, Variolæ ſcil. quas ſæpius ulcera partium internarum æquè ac externarum ſubſequi Praxis docet: *e*) Ætas item puerilis, quæ calculo præ aliis eſt obnoxia, *f*) & quæ primo nominanda erat, diſpoſitio ſcorbutica hæreditaria, quæ ob copiam acidi vitioſi calculo pariter ac ulceri fomitem ſubminiſtravit. Sicuti & 3. reliqua *Symptomata* inde *profluentia*, mictio dolorifica, ſitis intenſa, debilitas &c. ſymbolum ſuum addunt. Quo (licet à poſteriori) referenda quoque venit αὐτοψία, qua calculum & ulcera intueri licuit, ut adeoque de duplicato hoc affectu minime quis dubitare poſſit.

§. III. Sicuti autem totum corpuſculum quoad omnes ferè partes miſerè emaciatum reſpectu φθίσιος, ita veſica urinaria reſpectu calculi pro SUBJECTO AFFECTUS merito habetur. Primarius autem mali fons & SUBJECTUM CAUSÆ erant Renes, qui ut cætera machinæ hujus microcoſmicæ emunctoria vitali purpuræ depurandæ dicati ſunt. Antequam enim ſanguis per arterias emulgentes earumque ſubtiliſſimas ramificationes advectus, à venis emulgentibus reſorbeatur, in glandulis renalibus, à *Malpighio* detectis, depurationem ſubire cogitur, ubi ſerum ſalibus imprægnatum per modum filtrationis *g*) à reliqua maſſa ſeparatum, per tubulos, quibus ſingulæ gaudent, excretorios, in annexas his carunculas papillares indeque in pelvim derivatur, per ureteres in veſicam deponendum, debitoque tempore per urethram excernendum. Quod ſecretionis negotium cum noctes atque dies continuetur, mirum non eſt, à fermento acido corru-

e) Vid. Fr. Hoffmann. Med. Pathol. cap. 3. §. 68. & Dolæus l. c. p. 786. *f*) Hippocr. Aph. 26. Sect. 3. *g*) Buxbaum. Catech. Med. p. 1. quæſt. 89.

corruptio tubulum unum alterumve corroſum, renum parenchyma exulceratum, ſicque elabente ſenſim ſero nutritio materiam calculo generando ſubminiſtratam fuiſſe.

§. IV. CAUSA PROXIMA & IMMEDIATA Phthiſeos eſt exulceratio renum, facta à ⊖e acido & auſtero in M.S. hoſpitante, ceu CAUSA MEDIATA: Ubi paucis notaſſe ſufficiat, quod M. S. texturam diverſi generis corpuſcula ingrediantur, chyloſa puta, ſeroſa, 🜍phurea, terreſtria, ⊖ina, &, ut paucis multa complectar, τὰ μυρία Hippocratis, quæ tamen in ſtatu ſ.n. debent eſſe proportionata, cum uno vel altero excedente intemperies ſtatim obſervari ſoleat. *h)* Licet itaque in ſtatu naturali ⊖ acidum in M.S. contineatur, quod experimentis probat *Hoffmannus i)* quantitas ejus tamen hic in tantum fuit adaucta, ut ſpicula à particulis globuloſis non amplius involvi potuerint. Calculi autem geneſin quod attinet, cauſa proxima ejus eſt defectus particularum ⊖ino-volatilium oleoſarum, balſamicarum & hunc conſequens materiæ viſcidæ in ſubſtantiam duriorem concretio, *k)* quæ nihil aliud eſt, quam materia renum purulenta, quæ una cum acido vitioſo mediatam cauſam conſtituit.

§. V. Qua ratione autem SYMPTOMATA in caſu recenſita ab acido hoc profluant, facillimum eſt explicare. Primis ſcil. menſibus fermentum acidum citra incommodum hæſit in M. S, ob arctiſſimum connubium cum reliquis ſanguinis particulis: *l)* quamprimum autem corpuſcula acida à reliqua maſſa fuerunt ſeparata, lancinando partes nervoſas ſpiritus in varias ataxias concitarunt, qui furore quaſi perciti partes heterogeneas undarum inſtar ad corporis peripheriam, ceu maris microco-

Iiii 2 ſmici

h] Hoffmann. Fund. Med. Phyſiol. cap. 3. *i)* Diſſert. de acid. & viſcid. Cap. 6. p. 25. *k)* Waldſchmid. Inſtit. Med. Rat. lib. 2. c. 12. p. 78. *l)* Fr. Hoffm. F.M. Pathol. Cap. 3. §. 72.

ſmici littora, exterminare conati fuerunt, *m)* ubi poros minus congruos nactæ ſub cuticula hærere cogebantur, & ſic exanthematum cauſa exſtiterunt. Qua ratione, utut inſignem copiam evacuatam fuiſſe extra omne dubium ſit, maximam tamen quantitatem remanſiſſe, ex ſubſequentibus facile colligi poteſt; hæ ipſæ enim ſunt, quæ colli tumorem excitarunt, vaſa ejus ſpiculis ſuis rigidioribus *n)* vellicando, quæ dum in gyrum torquebantur, humoribus circulantibus viam præcludebant, unde his ſtagnantibus, aliis autem à tergo ſequentibos, vaſa extendebantur, ſicque quantitas aucta videbatur. Acrimonia inde majore per diuturniorem moram contracta humores dilaceratis vaſculis ſubſtantiam muſculoſam excoriarunt, emunctoque nutrimento proprio puri generando anſam dederunt; & ab hac quoque cauſa reliqua ulcera derivanda veniunt, inter manuum pedumque digitos, ob copioſiores glandulas ibi diſperſas & materiæ peccanti magis expoſitas, cumprimis conſpicua. Reliqua inde portio circulationis lege cum ſanguine ad Renes delata tenerioribus tubulis ex parte corroſis ipſum parenchyma exulceravit, ſucco nutritio, per poros deſtructos, elabente & una cum acido in pus album abeunte, eodem penitus modo, ac olivarum oleum cum aceto conquaſſatum album evadit, quo ſimili utitur laudatus Hoffmannus. *o)* Huic autem materiæ purulentæ ſicuti calculus ortum debet, ita & reliqua ſymptomata adſcribenda ſunt. Dum enim portio ejus cum ſanguine, per venas emulgentes redeunte, M. S. fuit communicata, mixtura ejus turbata ſicque febris inducta fuit. Vaſculis ſc. capillaribus viſciditate nimia obſtructis, ſicque ſpirituum animalium influxu denegato, non potuit non friguſculum perſentiri, redeunte tamen mox calore, quia æther, tranſitu, ob ſtagnantem ſanguinem, denegato, per

m) Id l.c. §. 66. *n)* Waldſchm. Inſt. Med. Rat. L. 1. Cap. 2. §. 17.
o) Patholog. Cap. 5. §. 39.

per ſpatiola vacua movebatur, ut globuloſas ſanguinis moleculas, quæ deficiente motu inter ſe coiverant, disjungeret, cujus poros perrumpens particulas inſenſibiles exagitabat, à quarum vario & inordinato motu calor p. n. dependebat. *p*) Durante autem hoc motu febrili cibi in laudabile nutrimentum non poterant converti, quin ſerum in ſanguine reſtitans partim ex renibus emuugebatur, partim ab admixto miaſmate purulento inquinatum partibus nutriendis ineptum reddebatur, unde contabeſcentia totius ortum duxit, juncta cum debilitate, ob maximam ſpirituum deperditionem. Reliqua portio ad veſicam delata cervicem obſidendo tranſitum ſeroſo latici denegabat, qua ratione, dum illa juſto nimis extendebatur, orificia inſimul ureterum, inter utramque ejus membranam decurrentia, comprimebantur, ut adeoque mirum non ſit, & horum quantitatem à ſero copioſius collecto in tantum adauctam fuiſſe. Ruptis tandem repagulis una cum ſero exterminabatur, ubi urethram jamdum leviter excoriatam tranſiens acrimonia ſua aſperitate ſenſationem dolorificam excitabat, quin & ipſam urinam lacteo colore imbuens, poſt aliqualem moram naturali gravitate fundum petendo ſedimentum conſtituebat. Cum autem ob diſpoſitionem ſcorbuticam M. S. à particulis balſamicis fuerit depauperata, probabile admodum eſt, ab exſuperante acido auſtero hanc ipſam in veſica coagulatam in lapideam ſubſtantiam concreviſſe, ſucceſſuque temporis agglutinatione aliarum molecularum in tantam molem abiiſſe, quæ continua compreſſione & vellicatione urethræ tantos dolores excitavit, qui quidem à copioſiore potu aſſumpto tantiſper imminuebatur, quod ſero copioſius affluente calculus elevabatur, ſicque in veſicæ cavitate fluctuans fibrillas membranarum minus attingebat. Accedit, quod hac ratione ⊖ia peccantia magis diluta & ſpicula eorum

 magis

p) D. Valentini Phyſic. Giſſ. P. Gen. Cap. 5. §. 7.

magis occultata fuerint. Copioſiorem autem potum hauriebat puerulus, continua ſiti preſſus, partim ob defectum ſeri, ſalivæ generandæ dicati, quo per æſtum febrilem abſumpto faucium membranæ interiores non legitimè potuerunt humectari, partim ob maximam ſalivæ, à corrupto miaſmate inquinatæ, acrimoniam, qua fauces lancinando moleſtiſſimam illam ſenſationem produxit.

§. VI. Quibus omnibus ex CAUSIS REMOTIORIBUS occaſionem dederunt ætas puerilis & diſpoſitio ſcorbutica hæreditaria. Ætas enim hæc ſicuti ob teneriorem partium ſtructuram exulcerationi & hinc obortæ Phthiſi præ aliis videtur obnoxia, utpote in qua fibræ non adeo robuſtæ ſunt, ut materiæ peccantis impetum perferre valeant, ita ob ἀδδηφαγίαν calculi generationem promovit, quatenus cibis non legitimè ſubactis particulæ chyli balſamicæ oleoſæ non fuerunt extraverſæ, quæ alias acidi ſpicula obtundendo generationem ejus impedire potuiſſent. Eadem ratione plurimum huc fecit diſpoſitio ſcorbutica, quæ embryoni, adhuc in uteri clauſtris hærenti, à Matre communicata fuit, cum fermentum illud peccans cum nutrimento, per umbilicalem venam advecto, æque ac poſt partum cum lacte exhibitum M. S. ſimili charactere notaverit, unde brevi poſt tot ſymptomatum graviſſimorum ſyndrome oborta fuit. Quam maximè verò è Rebus Præternaturalibus morbo huic anſam dediſſe videntur rudera quædam à variolis relicta, quæ non tantum abſceſſum in collo, ut & ulcera intra manuum pedumque digitos produxerunt, ſed & renes exulcerare potuerunt; ad quæ præcavenda laxantia aliaque ſanguinem depurantia curæ variolarum ſubjungenda eſſe, ſæpiſſime in Collegiis ſuis inculcaſſe novi *D. D. Valentini* p. t. Facult. Med. Decanum.

§. VII. Optandum autem fuiſſet in PROGNOSI, ut juxta illud Naſonis: Principiis obſta, medicamentorum convenientium

nientium uſu viſceribus affectis ſtatim proſpectum fuiſſet, ita enim ſoluta unitas conſolidari, calculi generatio impediri, verbo, malum in herba ſupprimi potuiſſet; quod cum, morbo ob profundiorem affectæ partis ſitum minus ſe prodente, fuerit intermiſſum, mirum non eſt, quod radices ſenſim agendo immedicabile tandem evaſerit, ſicque tot medicamentorum adhibitorum vim eluſerit. Perfectam enim curam ejusmodi Renum ulcera confirmata haud admittere, non ſine ratione aſſerit Br. *Seidelius q)* ex eo, quia remedia ob remotiorem ſitum integras vires in affectam partem exerere non valent, unde frequentiſſimè calculoſos vitam phthiſicè finiiſſe obſervavit *Mortonus* Anglus. *r)* Accedit, quod neque ſuffitus neque injectiones abſtergentes aliavè externè adhibita eo pervenire queant. Ut taceam, à continua ſeri acrioris vellicatione malum indies exaſperari. *s)* Ita nec calculus grandior factus ſiliceamque duritiem adeptus, teſte Celeb. *Ludovico t)* medicamentis cedit, ſed ſectionem requirit, quæ tamen, ſicut in ſe periculoſa, hic ob debilitatem virium inſtitui non potuiſſet, imo ſi vel ex voto ſucceſſiſſet operatio, è materia morboſa tamen indies affluente alius facile procreatus fuiſſet.

§. VIII. Proinde ſi ullibi ſanè hic maturanda fuiſſet CURA, quæ his potisſimum nititur Indicationibus, ut ſc. 1. Cauſæ externæ removeantur. 2. Diſpoſitio ſcorbutica corrigatur. 3. Materiæ renum purulentæ æque ac calculo via paretur. 4. Noxa renibus illata emendetur & denique 5. Symptomatum ratio habeatur.

§. IX. *Primum* fit imperando legitimam Diætam, quæ in decenti Rerum 6. Non Naturalium regimine conſiſtit. Ex harum

---

q) Tract. de morb. incurab. p. m. 24. *r)* Phthiſiolog. Lib. 3. Cap. 6 p. 203. *s)* Fernel. Ambian. Pathol. L. 6. fol. 143. & ſeq. *t)* Pharmac. moderno ſecul. applic. Diſſ. 1. p. m. 198.

harum autem cenſu primas quidem tenet aër, qui eligatur temperatus, purus, inquinamentis morbidis haud infectus. Nec reliquæ tamen hic negligendæ ſunt, & imprimis in cibo & potu aſſumendo temperantia commendanda venit; copioſius enim & inordinate ſi ingeratur cibus, fermentum ſtomachale obruitur, quod dum aſſumpta minus digerere valet, cruditates cumulantur, quæ plurimis ſymptomatibus fores pandunt. Ita qualitatis intuitu cibi ſint εὔχυμοι & εὔπεπτοι, nocent autem ſalſi & acidi, utpote qui M. S. acriorem reddendo ignem igni addunt. Potus ſit decoctum hordei, cum liquiritia, paſſulis ſimilibusque paratum. In motu & quiete ſervetur mediocritas; ſicuti enim per commotiones vehementiores poſt paſtum imprimis inſtitutas *u)* chylus crudior ad renes præcipitatur, ſicque commoda calculo materia ſubminiſtratur, ita per otium nimium tranſpiratio inſenſibilis, qua ⊖ia peccantia eliminari debebant, ſufflaminatur, & humores ad ſtagnationem diſponuntur. *x*) Idem tenendum de ſomno & vigiliis, quæ utrobique ſint moderata. Conſuetarum etiam evacuationum ratio habeatur, imprimis alvus ſervetur lubrica, cum ſcybala in inteſtino recto hærentia calculum in veſica commovere valeant, cujus intuitu & affectus animi vehementiores fugiantur.

§. X. Ad *ſecundam indicationem* abſolvendam faciunt primo laxantia, quacunque forma adhibita; licet enim purgantia in Phthiſi nociva eſſe judicet *Waldſchmidius y)* illud tamen de fortioribus & draſticis, ipſam M.S. colliquantibus, intelligendum eſt, quæ in affectu hoc, cumprimis confirmato, nocerent. Potius ergo commendari hic merentur lenientia, fomitem morboſum è primis viis evacuantia, qualia ſunt ſennata, in ſpe-

u) Vid. D. Valent. Med. Nov. Antiq. Part. 6. Cap. 4. p. 209.
x) Waldſchm. Inſt. Medic. Rat. l. 2. Cap. 5. & J. Zach. Fuſt. Dialog. Hygiaſt. C. 6. p. 119. *y*) Inſtitut. L. 5. Cap. 12. §. 5.

in ſpecie decantata illa aqua laxativ. Mannagettæ, cui manna, ſyrupus roſar. ſolut. mechoacanna & ſimilia commode miſceri poſſunt. Quibus deinde diaphoretica quandoque ſubjungenda ſunt, volatilia pariter ac fixa, utpote quæ partim acidum p. n. abſorbent &, ut vulgo loquuntur, præcipitant, partim per cutis poros eliminant, v. g.

℞. *Pulv. bezoard. Lud.*
♁. *diaph.* ℈j.
Cin. ♁. ℈ß.
⊖. *vol. C. C.*
viperar. ana gr. *iij. M. D. S.*

Verſüſſend Pülverchen des Tags dreymahl eine Meſſerſpitz voll zu nehmen.

℞. ▽. *Fumar.* ℥iß.
ex lignis ℥j.
Tinct. ♂*ii.* ʒj.
Spir. ⊖*c.* ℈j.
Syr. contrayerv. ℥vj. *M. D. S.* Abends im Schlaffen gehen einen Löffelvoll zu geben.

§. XI. *Tertiæ Indic.* ſatisfaciunt diuretica leniorà virtute emolliente vias urinarias ampliantia; ubi commendari meretur decoctum contra calculum Foreſti, quo per biduum uſurpato in Illuſtri quadam Perſona calculum, qui in dextro rene hæſerat & phaſeolum referebat, absque ullo dolore excretum fuiſſe memini. Proſunt & omnia ex alkekengi baccis parata, ut & terebinthinata, v. g. ipſa terebinthina Veneta cũ vitello ovi ſoluta, & in brodio exhibita, vel Emulſio inde parata; in ſpecie vero ſpiritus terebinthinæ ſuper ſacch. Saturn. digeſtus, qui præterquam quod grata rubedine ſe comendet, quã hac ratione *Elsholtzio z)* acquirit, inſimul reſpectu febris magis redditur ſpecificus, cujus intuitu Phthiſicos ſub im-

z) Deſtillator. Curioſ. Cap. 2. p. 6.

perio Saturni eſſe cenſet Paracelſus. *a)* Externe autem ſimul uſurpentur Balnea & Inſeſſus, ex emollientibus, vel etiam ſimpliciſſima ex polenta & ſtramine avenæ parata, ad imitationem *Sim. Pauli b)* exhibendo ante horum ingreſſum oleum amygdalar. d. vel ſolum, vel cum ſyrupo de althæa Fernelii, anatica portione, cum tantillo ſacchari, mixtum. Horum loco etiam oleum ſcorpionum cum fructu adhibetur, vel & Epithema aliquod applicatur v. g.

℞. *Cortic. cepar.* M. j.
Flor. chamom.
verbaſc.
geniſt. ana. P. ij.
Sem. lini ℥iij.
apii ℥ij. *D. S.* Sachen in einem Säcklein in Wein zu kochen und warm überzulegen.

His nil proficientibus ad fortiora tranſeundem, pellentia ſc. ubi egregie ſe habet Tinctura Tartari, cumprimis ſi ſale volatili inſectorum fuerit acuata, quæ ita præſcribi poteſt:

℞. *Tinctur. Tartari ℥ij.*
Milleped. præp. ℥ß. Stent in infuſione per 24. horas, Colat. D. S. Eröffnende Tinctur Morgends und Nachmittags 6. Tropffen einzugeben.

vel ſi potiuncula magis arrideat.

℞. *Aq. fragor.*
alkekeng. an. ℥j.
Spirit. aperit. Penot. ℥j.
Ocul. ♋. *alcolis.* ℥ß.
Syr. capillor. ♉. ℥ß.

M. S. Wäſſerchen Löffelweis zu gebrauchen.

§. XII.

a) Oper. Tom. 1. p. 554. Edit. Argentin. in Fol. *b)* Quadripart. Botan. 214.

§. XII. Pro *quarto* ſcopo conveniunt omnia balſamica, vulneraria, unitatem ſolutam conſolidantia, ubi in ſpecie balſamum Locatelli, quantitate avellanæ ſæpius in juſculo exhibitum, egregium eſt, it. Balſ. de Copaiva, quod commodiſſimè in forma Balſamo-Sacchari exhibetur, & ita præſcribi poteſt.

℞. *Balſam. de Copaiv.* ℥j.
Sacch. Canarienſ. q. ſ. F. pulv.

D. S. Heilender Zucker, davon offt eine Meſſerſpitz voll zu nehmen.

&, quæ primo nominanda erant, decocta vulneraria, quorum deſcriptiones videantur hinc inde apud Auctores. Simpliciſſimum, utut non temnendarum virium, paratur ex petroſelino *c)* vel hedera terreſtri, in cujus ſingulis hauſtibus gutta una vel altera balſami ſulphuris terebinthinati exhiberi poteſt. Horum tamen vicem lac vaccinum, in quo radices mucilaginoſæ & vulnerariæ v. g. liquiritiæ, conſolidæ, althææ, ſimilesve decoctæ fuerint, ad imitationem Plateri *d)* ſaccharo edulcoratum & ſæpius hauſtum ſupplere poteſt.

§. XIII. Tandem ut ultimæ quoque indicationi ſatisfiat, ad dyſuriam leniendam proſunt omnia mucilaginoſa & balſamica, imprimis Emulſiones ex ſeminibus frigidis paratæ v. gr.

℞. *Sem. 4. frigid. maj. ana* ℥j.
papav. alb. ℨij. *c. s. q.*
🜄 *violar. f. Emulſio, add. ocul.* ♋ *præp.* ℨß. *edulc. c. julep. roſar. q. ſ. D. S.*

Stillende Milch, zuweilen ein paar Löffel voll zunehmen.

Externè Injectones fiant in urethram ex lacte dulci, in quo rad. alth. & liquir. decoctæ fuerunt, addendo ſimul quid terebin-

 thinæ,

c) Jonſton Idea Medic. Pract. L. 10. Tit. 8. C. 10. *d)* Obſerv. L. 3. pag. 817.

thinæ; formulæ variæ videantur apud Practicos. Quodſi dolor quidam nephriticus (quem infantuli non ſemper exprimere poſſunt) conjunctus fuerit, ad hunc demulcendum varia hinc inde commendari videas, præ cæteris tamen laudari meretur ſeq. pulv.

℞. *Ocul.* ♋. ℈ß.
Cin. nativ. præp. ℈ß.
Pulv. anod. Lud. gr. vj.
M. D. pro 3. *Doſibus.*

Cui, ſi potiuncula magis expetatur, hæc ſubſtitui poteſt:

℞. ▽. *fragar.*
ononid. ana ℥j.
Troch. alkekeng. ʒj.
Theriac. Cæl. gr. *ij.*
Syr. de alth. F. ℥ß.

M. S. Stillendes Träncklein, zuweilen einen Löffel-voll zunehmen.

& ſi alvus juſto contumacior ſit, externè ſimul Clyſter infundatur, ex lacte dulci cum butyro non ſalito paratus, vel terebinthinatus v. gr.

℞. *Decoct. emoll. vel lact.* ℥ij. *l. iij.*
Terebinth. c. vitell. ovi ſol. ʒiß.
Sacch. Thom. ℥ß. M.

Quæ omnia in *Calculo Veſicæ* quoque locum habent. Extenuationi ſuccurrimus per Diætam Lacteam, quæ præmiſſis præmittendis hic ægregia eſt; ad præcavendam autem lactis coagulationem tantillum ſacchari vel mellis addatur. *e*) Jungantur tamen inſimul ſpecifica antihectica v. gr.

℞. *An.*

e) D. Valent. Medic. Nov. Antiq. Part. 6. p. 195. & Dolæus Encyclop. Med. L. 2. p. 311.

℞. *Antihect. Poter.* ℥i.
Spec. diatrag. Fr. ʒß.
Sacch. ♄. *gr.* vj.
Canarienſ. ℥j. M. S. Sonderlich Pulver Morgends und Abends ein Meſſerſpitz in der Milch zunehmen.'

Et hæc in morbo incipiente ſufficere potuiſſent. In malo autem deſperato quidam, ut in CALCULO VESICÆ, *Lithotomiam*, ita hic Nevrotomiam inſtituendam eſſe ſuadent, ut ſc. parti primario affectæ remedia facilius applicari poſſint; imo ſunt, qui cauterio actuali, in ſubſtantiam renum adacto, apoſtemata renum in pluribus feliciſſime curata fuiſſe aſſerunt. Verum cum operationes hæ ſint periculoſiſſimæ & Medici fama facile inde lædi poſſit, ab iisdem abſtinendum & ſymptomatibus, quantum fieri poteſt, ſuccurrendum ſuademus, quod qua ratione fieri debeat, ex prioribus aliquo modo patet; plura ergo qui deſiderat adeat Practicos, & in ſpecie ante laudatum *Mortonum* in *Phthiſiologia* exaſciatiſſima & in praxi utiliſſima. Hæc pro ſcopo noſtro ſufficiant.

DEO pro conceſſa hactenus gratia ſit Laus, Honor & Gloria, in ſempiterna ſecula!

CAS. IX.
DE NOSTALGIA.

HISTORIA.

Studioſus Juris, teneræ & conſtitutionis & educationis, temperamenti melancholici, è Thuringia Giſſam prima vice abiens, perpetua triſtitia corripitur, quam paulo poſt immanis ſequebatur anxietas præcordiorum, comitata mox frigore, mox calore præternaturali. Appetitus ſimul deficit, noctes inſomnes agit, viribus fatiſcentibus. Medicus circa mediam noctem vocatus ægrum gemebundum, profunda ſuſpiria ducentem & de maximis anxietatibus cordis conquerentem inveniens carminativa antapoplecticis & anodynis mixta præſcribit, tam interna, quam externa, inſequenti die vomitorium additurus, quod tamen ob herniam, à qua paulo ante liberatus erat, cum in-

ſuſo laxativo permutavit. His cedente quidem, ſed aliquoties recidivante malo, Medicus ex ægro quærit, annon patriam & Parentes ſemper in animo volvat eorumque deſiderio teneatur? quod cum affirmaret, nec inficias ire poſſet, disquiritur, an præſcriptis hactenus remediis inſiſtendum? an verò nova quædam ſive addenda, ſive ſubſtitunenda ſint?

RESOLVTIO.

§. I.

SI quis meum de præſente morbo judicium expeteret, vix aliter ſtatuere poſſem, quàm Ægrum illa cardialgiæ ſpecie laborare, quæ à *DN. D. Zwingero* Prof. Baſil. in *Diſſert. Med. Select. III.* POTHOPATRIDALGIA & NOSTOMANIA, à Celeberrimo vero *Hardero*, Helvetiæ Machaone, primum NOSTALGIA dicta fuit, idque ob intenſum, quod illi conjungitur, in Patriam redeundi deſiderium. Νόσ© enim reditum in patriam ἄλγ© autem dolorem notat. Ut adeoque Noſtalgia nihil aliud ſit, quàm intenſiſſimus præcordiorum dolor, cum febricula, marcore, debilitate ſummoque in patriam redeundi deſiderio, à turbulento ∼uum motu plexuumque nervoſorum tenſione proveniens. Quamvis autem Helvetii primi feræ ſint, qui eandem in vernacula das Heimwehe, in Lingua Gallica

Gallica vero *la maladie du pais* vocarint : tantum tamen abeſt, ut ſolis Helvetiis ſit proprius, ut potius & Germanis & Belgiæ ſæpæ ſit infenſus. Vivum hujus rei exemplum vidimus in Studioſo quodam Theologiæ Amſtelodamenſi, Beatiſſimi *D. Ctodii* quondam Convictore, qui male ſe habens creberrimaque in prandio ſæpe ſuſpiria ducens, cum ab aſſidentibus increparetur, gemebundus in hæc verba erupit : *ô my moer* ! i. e. ô Matrem meam! Idem pluries in militibus ruſticis, à Sereniſſimo Principe Haſſiaco jure ſequelæ recenter lectis & ad caſtra miſſis, ab Officialibus obſervatum fuit, qui lethaliter fere decumbentes continuo ejularunt: mein Moider ! mein Moider ! nec ulla ratione curari potuerunt, quam reditu in patriam. Quosdam diem ſuum obiiſſe pro certo referunt. Alias negari nequit in Helvetis morbum hunc ſæpius obſervari, ut exempla à ſupra laudato *Dn. Hardero, in Diſp. de Noſtalgia* recenſita probant & nuperrime *Dn. Zwingerus in Diſp. Med. Sel.* confirmavit, qui exemplum habet Compatriotæ cujusdam, qui affectu hoc correptus continuo plorans in hæc verba erupit : Was wird mis Mütterli ſagen, was wird mis Mütterli jetzt dencken ? i. e. *Quid dicet, quid cogitabit Mater mea ?* vid. *cit. loc. p.* 94.

§. II. Quod vero in præſente noſtro Ægro morbus hic revera ſubſit, probamus (1.) ab eſſentialiter inhærentibus, ſummis ſcilicet anguſtiis cordis, cum perpetua patriæ cogitatione. (2.) Ab antecedentibus & cauſis occaſionalibus prægreſſis, quales præter temperamentum melancholicum, ad cogitationes fixiores diſponens, eſt tenerior non tantum corporis textura, ſed & blanda educatio, ſiquidem plerumque glebæ ſuæ tenacius adhærent & ab exteris regionibus magis abhorrent, qui blandius à Matribus tractantur ; unde *Willius in Diſſert. 2. de Philiatrorum Germanorum itineribus* eosdem vocat : die Mutter-Söhnlein, die Mutter-Kindlein, cætera textus habet. Idem (3.) confirmant ſymptomata conſequen-

ſequentia, ſcilicet proſtratio appetitus, agrypniæ, virium lapſus &c. quæ omnia conjunctim ſumpta morbum hunc adeſſe clare & diſtincta ob oculos ponunt.

§. III. In SUBJECTO ſeu PARTE AFFECTA determinanda diſcrepantia aliqua occurrere videtur inter Autores. Sunt enim, qui cerebrum & in ſpecie albos corporum ſtriatorum tractus & centri ovalis tubulos, ceu locum imaginationis, pro ſubjecto venditant, ſicque noſtalgiam pro ſymptomate læſæ imaginationis habendo deliriis annumerant, Νοσομανίαν ſeu φιλοπατριδομανίαν appellantes. Alii idem hic ſubjectum ſtatuunt, quod in cardialgia patitur, os ſc. ventriculi ſiniſtrum, quod καρδίαν vocant, ſicque noſtalgiam pro ſpecie cardialgiæ habent. Nos pro conciliatione diſtinguimus inter ſubjectum ſymptomatis & ſubjectum cauſæ. Prius eſt orificium ſtomachi ſiniſtrum, quod inſigniter hic affici & anxietates præcordiorum & appetitus proſtratus adſtruunt. Poſterius vero eſt ipſum cerebrum, ſpirituum animalium receptaculum, quorum motu in operationibus ſuis utitur anima rationalis, cumprimis in imaginatione & appetitu rationali, adeo quidem, ut ob indicibile, quod animæ rationali cum corpore intercedit, commercium ſub intenſo deſiderio aut appetitu per motum ſpirituum ipſum corpus ejusque partes ſæpe lædantur, ut non tantum in nævis maternis, à Picantibus puerilis impreſſis, ſed & ipſa cardialgia, ab effectibus animi ſæpe orta, videre licet. Cumprimis autem illæ partes tunc Manes ſuos patiuntur, in quibus inſigniores occurrunt plexus nervoſi, qualis in orificio ſtomachi ſiniſtro obſervatur. Hic enim ſpiritus confertim confluendo & ſub vehementioribus animi affectibus tumultuando plexus nimium tendunt & extendunt, unde non poſſunt non dolores quidam exoriri. Quid quod in quibusdam ſubjectis ſub talibus animi paſſionibus tormina abdominis ſpasmodica oriantur & in deſiderio ardenti quibusdam venter dolore dicatur, unde formu-

 la

la plebejis noſtris uſitata: Er hätte es ſo gern, daſs ihm der Bauch wehe thut: quod ſine dubio à nimio ſpirituum tumultu, ſive in plexu meſenterii magno, ſive in pyloro indeque orta tenſione radicatur; id quod Helmontio forte occaſionem dedit, ut animam in pyloro ſedem ſuam habere dixerit, materialem magis, quam rationalem intelligens. Nec prorſus abſurde puellarum animas in utero eſſe Medicus quidam ſive joco, ſive ſerio hoc ſenſu dixit.

§. IV. Pro CAUSA PROXIMA & IMMEDIATA turbulentum ſpirituum animalium motum & nimium plexuum nervoſorum, cumprimis ſtomachicorum, tenſionem habemus. Illum teſtatur continua eaque fixa Patriæ meditatio, cum impatienti ejus deſiderio, delirio melancholico fere ſimili, quæ absque ſpirituum motu depravato concipi nequit. Hanc vero triſtis illa ſenſatio ſen dolor circa præcordia fere arguit, quæ à p. n. tenſione & ſpaſmodica quaſi contractione plexus ſtomachici in orificio ventriculi ſiniſtro oritur. Neque putandum eſt anguſtias illas & anxietates circa præcordia ſemper & ſolum ab ægritudine animi provenire: ſed ſæpiſſime, cumprimis in ſubjectis ejusmodi melancholicis, ſimul humores acidi & acerbi orificium vellicantes in primis viis colliguntur, quatenus ob ſpirituum animalium, per continuas Patriæ meditationes in cerebro detentorum, abſentiam chylificatio minus legitime perficitur, ſicque loco chyli laudabilis humores acido-viſcidi p. n. generantur, qui plexus nervoſos ſimul vellicando CAUSAM PROPINQUIOREM & MATERIALEM conſtituunt.

§. V. Hinc ergo, tanquam ex ſcaturigine, promanant omnia in Caſu enarrata SYMPTOMATA, ſiquidem animus ſive dulce ſolum Patriæ, ſive reditum in hanc continuo meditando non tantum ſpiritus animales ad unum hoc objectum fixiores reddit, ſed & plicam quandam, h. e. diſpoſitionem in motu eorum &

& facilitatem (quam ideam alii vocant) in ſerio illorum formando efficit, ut eundem ſemper tramitem eundo nunquam non objectum illud de novo ſiſtant. Quatenus non autem continua hac in cerebro functione detenti, in debita copia, per nervorum tubulos ad reliquas partes influere earumque functiones adjuvare non poſſunt, mirum non eſt *appetitum proſterni*, utpote qui tum à ſtudiis nimiis & meditationibus profundioribus, tum ab animi affectibus vehementioribus, in ſtatu etiam naturali, ſæpiſſime hebetari ſolet. Appetitui autem dejecto plerumque chylificatio læſa conjungitur, ab eadem cauſa profluens; unde alimenta ægris obtruſa, ob defectum ſpirituum menſtruumque ſtomachicum nimis iners, non tam in chylum laudabilem, quam paſtam viſcidam, acidam & p. n. abeunt, quæ in flatus eundo, ventriculum inflando, orificium ejus ſiniſtrum irritando *cardialgiam* illam immanem & anxietates pariunt, dum ſpiritus in plexus ſtomachicos impetuoſe irruendo eosdem nimis tendunt & extendunt. Quin & è ventriculo elapſæ cruditates in primis viis aut inteſtina, aut plexum meſenterii magnum quodammodo vellicando & fibrarum criſpaturam inducendo *frigus* & horripilationem: per vaſa meſaraica vero & ductum thoracicum in ſanguinem delata, ob particularum inæqualitatem, motum inconditum variumque producendo *calorem* p. n. & febriculam, Hecticæ fere ſimilem, cauſatur, quæ duo tam frequenter in ægro noſtro alternare ſolent. Quia vero id, quod in prima coctione non legitime fit, neque in ſecunda, neque in tertia corrigitur, hinc ſponte ſua fluit, exinde nec conveniens nûtrimentum, nec ſpiritus vitales in debita copia generari poſſe, ſicque illic partium *contabeſcentiam & marcorem*, hic autem *virium* inconſtantiam & *debilitatem* oboriri, eoque magis, quod ob ardentiſſimum illud Patriæ deſiderium ſpiritus animales quiete ſua ſolita & alterna (ſine qua nil quicquam eſt durabile) deſtituantur ſicque *noctes diesque inſomnes* ducantur.

 §. VI.

§. VI. Inter CAUSAS REMOTIORES præter temperamentum melancholicum ad cogitationes ejusmodi fixiores & perpetuas diſponens, è rebus nonnaturalibus, vulgo ita dictis, aëris & climatis permutatio potiſſimum accuſatur à DN. *Scheuchzero*, in Relationibus ſuis Phyſico-Medicis, quas menſtruatim in vernacula, ſub rubrica: Beſchreibung der Natur-Geſchichten des Schweitzer-Landes, edit, in quibus *Part. I. p. 57. & ſeqq.* Helvetiorum noſtalgiam inde deducit, quod populi hi ſupremum Europæ verticem incolant adeoque non tantum mediante reſpiratione, ſed & in cibo & potu aëre ſubtiliori fruantur, qui minus premat corpora, ac craſſior, in aliis regionibus declivioribus obſervandus, ſicque æquilibrio inter internum & externum aërem in Patria durante illi pancratice & athletice ſe habeant, cum aër internus tantum reſiſtere queat ac aër externus premit. Quamprimum vero Helvetii aërem ejusmodi ſubtilem in venis habentes in Germaniam, Bataviam aliasque regiones aëre denſiori magisque elaſtico gaudentes deferuntur, priorem aërem tanquam ſubtiliorem & expanſiorem, ac conſequenter minus elaſticum non amplius reſiſtere poſſe aëri externo magis elaſtico, ſicque neceſſario cardialgiam & anxietates præcordiorum provenire putat. Quamvis autem ex Phyſica Modernorum Experimentali conſtet aërem ſuperiorem & ſubtiliorem minori elaſticitate gaudere, ut barometra, in montes excelſiſſimos delata, per ☿. ſubſidentiam ob oculos ponunt (*vid. D. Valentini, in Prodr. Hiſtor. Nat. Haſſiæ*) adeoque hæc Excell. Dn. Scheuchzeri ætiologia ſalem habeat, attamen illud obſtare videtur, quod non tantum Helvetii, ſed & Germani & Batavi, denſiori aëri adſueti talemque in venis ſuis habentes, malo huic quoque ſint obnoxii, ut exempla ſuperius allata adſtruunt; niſi forte dicere velimus Batavos ex aëre denſiore magisque elaſtico ad ſubtiliorem minusque elaſticum delatos eam ob cauſam anxietates præcordiorum experiri, quod æquilibrio aëris interni & externi per contrariam cauſam ſublato aër venis illo-

rum

rum incluſus, ob minorem aëris externi reſiſtentiam, in vaſis ſanguiferis, imo & corde, plus juſto ſe expandat, tenſionem cordis (à Celeb. *Camerario* hic eleganter in *Diſp. Grad. de Tenſione Cordis* accuſatam) & nimiam expanſionem inducat, ſicque immanem ejusmodi cardialgiam producat, eo fere modo, ut animalia vacuo Guerikiano incluſa intumeſcunt, ſi aër craſſior inde per antliam pnevmaticam extrahatur. Quam ſalſe vero Batavi, cumprimis Amſtelodamenſes, illos rideant, qui aërem illorum craſſum & elaſticum ſubterfugiunt, ſequenti fere hiſtoria in Ephemeridibus ſuis, anno 1686. in vernacula ſic enarrarunt: Een Geldersman van Uytrecht komende varen, had in den Roef wel geslapen, tot ontrent Ouwerkerk toe. Wacker wordende komt vor den dagh, ſeggende: Schipper waer ſyn wy tegenwardig. Myn Heer, antwort d' ander, noch anderhalf Uer van Amſterdam. My docht wel aen't ſtyncken, ſeyt hy, dat wy ontrent de Stadt waren, 't is jammer van ſoo enn herrlyke Stadt, dat ſe met ſulke dampende vileyne geqvelt is: ach dat Gelderlant is een luchtigh en ſuyver lant &c. Den Schipper, die nie langer konende verdragen, ſecht, waerachtigh, myn Heer, gy hebt geliick, Amſterdam heeft een overmatige ſware Lucht, principael tegenvvordigh. Waer op den Geldersman: hoe, Schipper is ſy nu noch ſvvaerder als anders? Ja, myn Heer, ſey de Schipper, vvant de Vloot van Cadix is ingekomen, met een party haren Silver, 't vvelck een ſvvaere Lucht geeft, die de Gelderſen niet gevvent ſyn te ruyken. Den Geldersman antvvorde: Schipper, ick ben vvaerachtigh vvel betaelt. Sic auri ſacra fames è gravibus levia, ex inſalubribus ſalubria, è fœtidis fragrantia efficit, ſiquidem lucri bonus odor ex re qualibet eſt. Interim præter aërem & rèliquæ res diæteticæ huc ſymbolum ſuum conferre poterunt, cibus ſc. & potus, ſi, ut æger noſter, laute apud Parentes & delicatule tractati juvenes in externis aut durioribus, aut palato minus arridentibus alimentis utantur, ſicque inſtar Iſraelitarum in deſerto priſtinorum & con-

ſuetorum ferculorum deſiderio teneantur: vel ſi otio antea & quieti dediti laboribus adſtringantur, aut è contra motui & diſcurſitationibus adſueti vitæ ſedentariæ, ſtudiis & lucubrationibus mancipentur, citiusque ſolito evigilare cogantur. Cumprimis autem animi pathemata vehementiora morbum hunc inducere poſſunt, amor ſc. tenerior domeſticorum, nimia Patriæ morumque patriorum æſtimatio: item, ſi juvenes in exteris malè tractati aut commodo miniſterio deſtituti triſtes reddantur. Quemadmodum & in ſtatu præternaturali melancholia aliique morbi, vel & remediorum aut curæ denegatio ægris occaſionem dare poteſt, ut de patriis Laribus repetendis cogitent iisque denegatis in morbum ejusmodi incidant. Prorſus autem curioſum eſt Helvetios caſtra ſequentes ex perceptione melodiæ & cantionis illius, quam ruſtici, in Helvetia armenta paſcentes, tibiis cantare & in vernacula den Küh-Reyen nuncupare ſolent, morbo hoc corripi, adeo quidem, ut Tribuni militum ſevera lege prohibuerint, ne quis amplius cantilenam illam, ſive ore ſibilando, ſive fiſtula canendo, ſuſtineret, ut ſupra laudatus *Zwingerus l. c.* (ubi melodia illa notis Muſicis exprimitur) atteſtatus eſt.

§. VII. Quod jam PROGNOSIN concernit, morbus hic nec prorſus inſuper habendus, neque riſu excipiendus eſt, cum exempla proſtent eundem, denegato cumprimis in Patriam reditu, lethalem fuiſſe. Hic vero ubi locum habet, aut perſuaſionibus amicis deſiderium illud animis excuti poteſt, facile & ferè absque inſigni remediorum apparatu curari poteſt, quod ſequens *DN. Harderi* exemplum atteſtatur, dum *l. c. p.* 18. non diu abhinc (inquit) eſt, ex quo Ruſtica quædam agri Baſileenſis, ex alto delapſa, adeo graviter lædebatur, ut pro mortua ſublata atque in Noſodochium deportata per aliquot dies ſine ſenſu & motu jaceret: tandem autem uſu remediorum, tam Pharmacevtiorum, quam Chirurgicorum ad ſe rediit paulatim, cumque videret inter

aniculas

aniculas ſe verſari rixoſas & querolas, Noſtalgia ſtatim correpta, cibos atque medicamenta ſingula, quibus ob virium magnum languorem maxime indigebat, reſpuit frequenti ejulatu nihil aliud ingeminans, quam: Ich vvill heim, Ich vvill heim, neque ad interrogationes quascunque aliud reſpondens, quam idem illud: Ich vvill heim. Tandem ergò à Parentibus, licet maximè imbecillis, domum eſt delata, ubi intra paucos dies, nullius fere medicamenti ope, integerrime convaluit. Quid quod alius famulus Helvetius Mercatoris Pariſienſis ſola ſpe repetendæ Patriæ curatus legatur *ibid. §. ultima.* Eo periculoſius autem malum eſt, ſi aut ipſe æger recuſet iter in Patriam, aut illi denegetur, vel & febris ardens aut maligna combinetur, quæ cum in ægro noſtro deſint, eundem optime quoque ſperare jubemus.

§. VIII. Ut ergo præſens Æger ab ulteriori inſultu liberetur, in CURA 1. obſervetur, ut cauſæ procatarcticæ externæ, malo ſive occaſionem ſubminiſtrantes, ſive pro alimento ſervientes, removeantur. 2. Humores p n. ſub curſu morbi in primis viis geniti malumque exacerbantes, aut foventes, eliminentur. 3. Spirituum animalium perturbatus motus emendetur & idea deſiderii prorſus exſtinguatur. 4. Symptomatibus moleſtioribus occurratur.

§. IX. PRIMÆ INDICATIONI per Diætam convenientem ſatisfaciendo hoc quidem in morbo totum fere negotium conficere poterimus. Sola enim aëris locorumque mutatione vitæ ſanitatique ægrorum hic conſulere poterimus, non ſecus ac in Peſte, ſuadendo electuarium de tribus adverbiis:

Mox, longè, tarde, cede, recede, redi.

Maturandus ergo eſt abitus, dulce ſolum Patriæ, utut longe remotum, repetendum, nec prius, quam animus ad quasvis in exteris obvenientes viciſſitudines perferendas obduratus fuerit, redeundum. Cum vero non omnibus liceat aut contingat redire Corinthum,

rinthum, Ægerque noſter ægrè ſe à ſtudiis & collegiis inceptis abſtrahi patiatur; hinc reliquis rebus diæteticis, cumprimis alimentis gratis ſolitisque ipſi conſulendum, adeoque ut Helvetii nonniſi lacticinia expetunt, cibi delicatiores, quibus educatus fuit, ipſi porrigendi locoque potus vinum aqua temperatum propinandum, quo ſpiritus animales ad motum ipſeque æger ad lætitiam componatur. Somnus deficiens refrigerantibus & emulſionibus papaverinis promoveatur, ne nimiis vigiliis magis confundantur. Corpus, ſi vires ferant, blandis deambulationibus exerceatur, cum aliis inſtitutis, quo & ea, quæ ingeruntur & egeruntur, legitime procedant & lætis confabulationibus frons animusque ægri explicetur, cui nimium illud Patriæ deſiderium amicis perſuaſionibus & prudentibus ratiociniis eſt excutiendum; & cum æger noſter delitias patrias cogitando magis ruminet, quam repetere (quod generoſitas ejus & verecundia prohibebat) deſideret, comminationibus ad meliores meditationes redigatur, quod, ni ab ulterioribus illis phantaſiis abſtinuerit, neceſſario ad patrios Lares ex Academia relegandus ſit. Interea adſtantibus & domeſticis ſerio quoque injungatur, ut ne ullis occaſionibus animum ejus excrucient, nec vel irritationibus, irriſionibus, aut ſervitiorum debitorum denegationibus illum ad iram, mœrorem, aut triſtitiam commoveant, ſed quibuscunque modis ad hilaritatem animique tranquillitatem diſponere ſtudeant.

§. X. SECUNDAM INDICATIONEM evacuantibus & cumprimis vomitoriis obtinere poſſemus, præſcribendo vel Tartarum emeticum ad gr. ij. vel iij. vel Ipecacuanhæ ℈j. vel miſcendo utrumque, utrobique dimidiata doſi. Verum cum metus herniæ ejusdem uſum in Ægro noſtro prohibeat, hæcque non tantum ab illis, qui methodum medendi publice ſcripſerunt, ſed & *Hadriano à Mynſicht* poſt Tartari emetici deſcriptionem inter contra indicantia vomitoriorum numeretur; hinc aliam per inferiora

riora viam ingrediendo (ſedato prius paroxyſmo) laxans aliquod præſcribi poterit, cumprimis nuper admodum inventa magneſia alba, ad ʒij. in amygdalato tenuiori danda, quæ & acidum in primis viis abſorbens & cum eo in concretum ſalinum abiens viſcidum abſterget ſicque absque ullis torminibus cauſam continentem evacuabit, de qua fuſius D. Valentini, in Epiſt. ad Dn. Leibnizium, de illa nup. evulgata. Quodſi autem ad manus non ſit, ejusdem vices infuſum aliquod ſennatum, ſive Magiſtrale, ſive Officinale, gerere poterat, v. g.

℞. *Aq. laxativ. Viennenſ.*
ſeu
Infuſ. Senn. Mannagetæ ℥iij.
Mann. liquid. ʒj.

M. D. S. Laxier-Träncklein Morgends auf einmahl einzunehmen.

Vel

℞. *Fol. Oriental.* ʒiß.
Rhab. veri ʒß.
⊖♀. ʒij.

Infund. in s. q. ▽. fl. acaciæ, ſtent in loco cal. per ℘. mane.
Col. ℞. ℥iij.
add. *Syrup. de Cich. cum rhab.* ℥iß.
M. S. ut ante.

Si ſcabies Dnn. Studioſis recens huc advenientibus infenſa jungatur, aut æger à potiuncula aliisque formulis abhorreat, Pilulæ ☿riales præſcribi poterunt:

℞. *Extract. panchymag. Cr.*
helleb. nigri ana ℈ß.
☿. *dulc. gr. xv.*
ſcammon. 🜔*rati gr. iij.*
C. s. q. *Eſſent. jalapp. vel ſyr. roſ. ſol.*
F. Pil. pond. gr. j.
Conſp. pulv. liq. aut inaurentur.
D. pro doſi.

Quodſi dolores adhuc urgeant, alii laxantibus anodyna & ipſum laudanum opiatum miſcere non dubitant. Aſt mallem tunc Clyſteres ex carminativis emollientibus & laxantibus habere, v. g.

℞. *Rad. angelic.*
althææ ana ℥j.
Herb. menth.
chamom. Rom. c. flor.
Flor. malv. arboreſc.
ana Mj.
Summit. anethi p. ij.
Semin. fœniculi.
fœnugræci aa. ʒij.
Coq. in ſ. q. ▽. *ſimpl.* Col. ℞. ℥x.
add.
🝆. *laurin.*
chamom. infuſ. aa.
℥j.
Caſſ. pro clyſt. extr. ℥iß.
Vitell. ov. N. j.
M. F. Clyſter. injic. calide.

Egregiè quoque hic ſeſe gerunt Clyſteres Terebinthinati, ſive cum lacte, ſive cum ⊡. pueri parati, additis ⊖. vol. CC. ſuccini & ſimilibus.

§. XII.

§. XII. Pro TERTIO SCOPO *Dn. Harderus* Helvitiis ſuis ⊖ rata, aerem compreſſum continentia, commendat, arcanum ſc. duplicatum, ⦶ fixum, ſpiritum nitri & ſimilia, extus aëris elaterem per ſuccenſos ignes debilitando. Verum neſcio annon incidendo, abſtergendo, aut flatus diſſipando hæc conducant, ſicque intentioni proxime præcedenti ſatisfaciant. Mihi placent hic carminativa & nervina opiatis temperata, qualia ſunt Sem. 4. calida majora, Herb. menth.-meliſſ. hyſſop. Flor. chamomill. noſtr. & Rom. aneth. It. Præcipitantia & inter ea cryſtall. præp. ſpec. lætif. Galeni & ſi vires labaſcant, ambrata ſp. diamoſch. Pulv. anal. Mind. variaque inde præparata & compoſita, quæ naturam, h. e. ſpiritus tonumque partium confortant, easdem ad aëris externi preſſionem ſuſtinendam roborant, tenſiones & ſpaſmos internos ſiſtunt, ſicque anxietates præcordiorum ſiſtendo ægritudinem animi ſimul ſopiunt, quæ blandis, amicis & rationalibus perſuaſionibus inſimul tollenda, ſicque & corpori & animæ ſuccurrendum. Formulas ſeqq. in ſimili caſu admodum conveniſſe comperi.

℞. ▽. *menthæ ſpirituoſ.*
meliſſ. c. vin.
Naphæ aa. ℥j.
-⊖*
Eſſ. cort. aur. aa. ʒj.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. cort. aurant. ℥ß.

M. S. Stillendes Träncklein auff etlichmahl.

In forma pulveris:

℞. *Pulv. analept. Mindereri* ʒiß.
Cinnab. nativ. præp. ʒß.
elæoſacch. citri ℈ß.

M. D. bis vel 3. de die etliche Meſſerſpitz voll in Balſam-Waſſer.

In formâ pilularum Theriaca cœleſtis c. extr. ligni aloës dari poterit: EXTERNE ſimul imponendo Emplaſtrum de Tacamahaca, aut de caranna, imponendo deſuper laterem calefactum, aut lapidem anticolicum, einen Grimſtein, ex lapide ſerpentino excavato conſtantem; vel & ſeq. balſamum ſcrobiculo cordis aſſricari poterit:

℞. ºº. *Nuciſtæ* ℥ß.
deſt. menth.
mac.
anethi aa
g. ij.

M. F. Balſamum S.

Magen-Balſam auf die Hertzgrube zureiben.

Vulgo Butyrum viride, ſeu unguentum potabile virid (grüne Butter) in uſu eſt, idque non contemnendum, ſi ex herbis ſtomachicis, nervinis & carminativis ſit paratum.

§. XIII. QUARTA denique INTENTIO tempore paroxyſmi potiſſimum locum habet, præſentibus nimirum ſymptomatibus urgentibus, è quibus dolor nimius & anxietas præcordiorum carminativis, nervinis, ſtomachicis & anodynis jam ante laudatis: Vigiliæ nimiæ emulſionibus papaverinis, epithematibus, linimentis & balſamis ſomniferis externis: ac virium debilitas confortantibus, analepticis & ſimilibus profligari debent.

CAS.

CAS. X. DE HÆMORRHOIDIBUS CAECIS.

HISTORIA.

Theologus quidam XL. circiter annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici & obeſus, præcedente horripilatione, frequentibus phlogoſibus corripitur, cum anxietatibus præcordiorum & dolore, tum pungitivo, tum pulſatorio, in poſterioribus analyticis acerrime inſtante, qui, dum ſarcinam ventris deponebat, indicibilis fere erat, ita ut ad ſyncopen proclivis appareret. Medicus, in conſilium vocatus, Chirurgum accerſere jubet, ut legem de inſpectione ventris obſervaret, qui prope ani ſphincterem tuberculum rudicundum adeſſe refert, quod nonniſi cum ſummo patientis dolore & ejulatu contrectari poterat; quamobrem etiam atque etiam auxilium & levamen petit.

RESOLVTIO.

§. I.

SI omnia & ſingula in caſu hocce enarrata ſymptomata obſervemus, cæcus ſit, oportet, quisquis non primo ſtatim intuitu videat Ægrum noſtrum HÆMORRHOIDIBUS CÆCIS laborare. Hæmorrhoidum autem vox aut generaliter pro quacunque ſanguinis extravaſatione ſumitur, ut apud *Hippocr. lib. 2. Prorrh. & Celſum lib. 2. cap.* 8. vel ſpecialius, pro ſanguine e venis in cavitatem quandam protuberantibus effuſo, quo ſenſu & hæmorrhoides uteri dantur, quales à B. *Joh. Dan. Horſtio* olim obſervatas *Dn Valentini*, p.t. Rector Academiæ Magnificus & Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ Decanus Spectatiſſimus, recenſuit in *Miſcell. Cur. A. N. C. Dec.* 2. *A.* 4. *pag.* 192. Quemadmodum & narium hæmorrhoides ex Arabibus obſervat *Marcus Aurelius Severinus, in Tr. de recondita abſceſſuum natura p.* 290. quas alii cum polypo narium confundunt. De oris & veſicæ hæmorrhoidibus *vid. Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ao.* 9. *&* 10. *p.* 208. Specialiſſime tandem hæmorrhoides illos tandem fluxus notant, qui è venis ani fieri ſolent, aut debent, ac in fluentes & furentes dividuntur. Poſteriores cæcæ dicuntur, non quod, ut meatus cæci, inviſibiles ſint, ſed quod inſtar inteſtini cæci, ſinu minus aperto ſint inſtructæ. Adeoque *Hæmorrhoides cæcæ nihil aliud ſunt, quam intumeſcentia venarum hæmorrhoidalium doloroſa, à ſanguine illic intercepto orta.*

§. II.

§. II. Morbum hunc & non alium hic adeſſe demonſtrant 1. *Eſſentialiter inhærentia*, ſeu concomitantia, dolor ſc. pungitivus & pulſatorius inteſtini recti, cum inflammatione & tuberculo rubro. 2. *Antecedentia*, ad hunc affectum alias diſponentia, quibus temperamentum ſanguineo-melancholicum, heic occurrens, annumerat accuratiſſimus *Stahlius* Prof. Hallenſis, *in Diſput. de Hæmorrhoidum internarum motu pag.* 5. quo pariter horripilatio, phlogoſis & anxietas præcordiorum referenda. Nec 3. abludunt *Conſequentia*, ſyncope ſcilicet & lipothymia, augmentum & exaſperatio doloris ſub alvi depoſitione accidens. Quæ omnia & ſingula iis , quæ hæmorrhoidibus cœcis obnoxii ſunt, familiariter accidunt.

§. III. SUBJECTUM, ſeu PARS AFFECTA hic ſunt Venæ Hæmorrhoidales externæ, utpote quæ circa iuventutis progreſſum & ætatem virilem præ internis magis affliguntur, ut modo laudatus DN. *Stahlius* in alia, *de Motu Sanguinis Hæmorrhoidali, Diſſertatione p.* 17. obſervat. Duplices enim ſunt Venæ Hæmorrhoidales, internæ ſcil. & externæ, quæ illarum diſtinctio licet Veteres Anatomicos latuerit (monente *Andrea Laurentio*) ſubſequentibus tamen annis à *Veſalio* , *Columbo* , *Laurentio* & aliis dilucide ſatis eſt propoſita. Hæmorrhoides ſc. externæ à ramificationibus iliacis venæ cavæ , internæ vero à ramo hæmorrhoidali venæ portæ oriuntur ; & quum ramuli hæmorrhoidales interni non tantum confertiores, ſed & recto magis tramite inteſtino recto inſerantur, quam externi, hinc mirum non eſt hæmorrhoides cæcas magis in his , quam illis , obſervari & frequentius occurrere.

§. IV. CAUSA PROXIMA FORMALIS eſt interceptio & ſtagnatio ſanguinis in venis hæmorrhoidalibus , unde

non

non poteſt non tumor ille ſuboriri. Hinc de nihilo non eſt *Ettmüllerus*, qui hæmorrhoides cæcas nihil aliud, quam ani inflammationem incipientem eſſe dicit, in *Collegio Pract. p.* 170, *Part. II. Oper. Edit. Weſtphalianæ.* Imo non deſunt è Modernis, qui tumorem, in hæmorrhoidibus cæcis occurrentem, non tam in ipſa vena hæmorrhoidali, quam confiniis ejus ſubſiſtere putant, quorum tamen ſententiam nondum meam facio. Hoc ad minimum certum eſt, hæmorrhoides cæcas, non ſecus ac inflammationes, ex circulatione ſanguinis impedita profluere, dum ſanguis, propter irritationem & inſequentem clauſuram oſculorum in vaſis hæmorrhoidalibus, non poteſt excerni, nec tamen remeare, unde ibidem ſtagnans neceſſario tumorem, ruborem, dolorem aliaque inflammationibus conjuncta ſymptomata producit. Hinc non rarum eſt, tumorem hunc non ſecus ac aliæ inflammationes ſolent, quandoque ſuppurari, ac in abſceſſus ani, aut fiſtulas degenerare.

§. V. CAUSA PROXIMA MATERIALIS igitur eſt ſanguis, non tantum qualitate, ſed & quantitate peccans. Neque enim putandum in hæmorrhoidibus ſemper expurgari ſanguinem melancholicum, h.e. fixum, terreſtrem & plus minus acidum, quæ ſententia *Galeni* ejusque ſequacium eſt: ſed vel ipſo *Hippocrate* teſte etiam illi, quorum ſanguis minus melancholicus eſt, hæmorrhoidibus ſunt obnoxii, ita, ut in plethora, ſive vera, ſive apparente, ſanguis omnino floridus emittatur. Interim negari non poteſt, eos, qui ſanguinem habent melancholicum, magis proclives eſſe ad hunc morbum, ſive jam ſanguis, ob particularum terreſtrium gravitatem, ad partes haſce ruat, ſive particulis acidis, illic abundantibus, venas hæmorrhoidales irritando earumque ſtricturam cauſando, circulationem ſanguinis illic ſiſtat, perinde eſt.

§. VI. Facile hinc tota SYMPTOMATUM CONNEXIO deduci poteſt, ſiquidem M. S. in venis his earumque confi-

confiniis intercepta cumulataque easdem in *tumorem* agit, qui pro varia magnitudine & figura à Practicis variis nominibus inſignitur. & prout aut verrucas, aut uvarum acinos, mora, ficus &c. æmulatur, hæmorrhoides inde aut verrucales, aut uveas, aut ficales audiunt, teſte *Ettmüllero l. c. p.* 171. qui ſimul cavere jubet, ne hæmorrhoides hæ cum verrucis, criſtis, mariſcis, aut ficubus ani confundantur. *Rubicundus* eſt ille tumor, ob ſanguinis transparentiam in quavis inflammatione occurrentem: & cum particulæ illic incarceratæ motu interno varioque ſe extricare conentur, non poteſt non calor p. n. & *phlogoſis* conjuncta eſſe, præcedente tamen rigore & *horripilatione*, cum fibræ nerveæ vellicatæ inſimul vibrentur, unde ſimul *dolor acerbisſimus* profluit, qui valde exacerbatur, quando *recrementa alvi præterlabentia* vellicationem illam adaugent: & quum fibræ hæ inſignem cum reliquo ſyſtemate nervoſo, cumprimis autem plexu meſenterico & ſtomachico, conſenſum alant, mirum non eſt *cardialgiam* quoque & anxietates cordis ægro moleſtas eſſe, quibus tandem, ob vires à doloribus proſtratas, ipſa ſyncope aut propenſio in eandem ſupervenire ſolet.

§. VII. Omnibus his, è CAUSIS REMOTIORIBUS, occaſionem dare potuit tum obeſitas ſubjecti, tum ejusdem temperamentum ſanguineo-melancholicum. Prior cauſa venas hæmorrhoidales comprimendo agit, quatenus pinguedo, in clunibus & inteſtino recto utplurimum uberior, easdem premit ſicque ſanguini, per vaſa hæmorrhoidalia erupturo, viam præripit. Si enim fœminæ in ultimis geſtationis menſibus, aut ſi partu difficili laborant, hæmorrhoides cæcas incurrere poſſunt, ut ſæpe laudatus *Ettmüllerus in Collegio Practico l. c.* bene

Nnnn obſervat,

obſervat, quatenus vaſa ab uteri mole anguſtata ſanguini viam intercludunt, non video ſane, cur non idem à pinguedine exſuperante fieri poſſit, cumprimis ſi & ex altera parte ſanguis, ob temperamentum ſanguineo-melancholicum & in eo prædominantes particulas fixiores & plus minus acidas, ad grumeſcentiam aliquam & ſtagnationem proclivis ſit, quæ utraque cauſa in Theologo noſtro concurrebat.

§. VIII. Quod PROGNOSIN attinet, hæmorrhoides cæcæ, ob indicibilem illum dolorem & conjunctam ſyncopen, ſatis periculoſæ ſunt, cum in ſcorbuticis mortis cauſæ fuerint, ut in *Miſcell. Germ. Cur. Dec.* 1. *A.* 3. *obſ.* 331. & apud *Hippocr. lib.* 4. *Epid.* §. 11. *& aphor.* 12. *ſect.* 6. obſervatur. Lethales pariter *Horſtius lib.* 2. *obſ.* 26. recenſet. Quemadmodum autem nigra, craſſa & fæculenta, per hæmorrhoidalia vaſa exeuntia, ſubjecta illis obnoxia à morbis pituitoſis & melancholicis, imò arthritide, præſervant, ut B. Dn. *Schraederus in prælect. ad aphor. Hippocr. Sect.* 4. *aphor. XXVII.* teſtatur, ita iisdem ſuppreſſis non poſſunt non pejora ſequi. Sic & hæmorrhoides cæcæ, vel inſuper habitæ, vel male curatæ, apoſtemata, fiſtulas ani & ſimilia inferunt. vid. *Sennert. lib.* 3. *p.* 2. *S.* 2. *c.* 13. *p.* 378. *Edit. Pariſ.* Hinc non ſine cauſa Germani noſtri hæmorrhoides, legitime & periodice fluentes, ob euphoriam inde ſperandam, die Güldene Ader eo ſenſu vocant, quo alia ſibi amica & conducibilia hoc epitheto inſignire ſolent. Curioſum autem eſt, quod *Dominicus Panarolus Pent.* 2. *obſerv.* 47. de Sene quodam habet, cui cum Juveni hæmorrhoides ſalubriter fluxiſſent, actibus ſæpe iteratis motum illum naturalem in voluntarium fuiſſe commutatum, ita, ut quoties ſe male habuerit, ſanguinem pro lubitu, nunc majori nunc minori copia excernere potuerit.

§. IX.

§. IX. Cum vero non omnibus hic Corinthum adire liceat, nec quilibet Medicus ſui ipſius eſſe poſſit, hinc de CURA Ægri noſtri cogitandum, quæ ita dirigenda, ut ſi dolores nimium urgeant, illi, ne æger ſuccumbat (I.) ſopiantur. (II.) tumor aut diſcutiatur, aut (III.) emolliatur aut aperiatur: illud quidem in iis, qui fluxui illarum ſunt aſſueti. Licet enim omnis fluxus hæmorrhoidalis ſit p. n. quia tamen legitime procedens à pluribus aliis affectibus præſervare ſolet, hinc è duobus malis illud, quod minus affligit, eligendum eſſe duco.

§. X. PRIMÆ INDICATIONI ſatisfacimus per medicamenta demulcentia & anodyna, tam interna, quam externa, quibus in plethora, aut ſuppreſſa evacuatione quadam ſanguinis conſueta, V. S. in brachio præmitti poteſt. Anodyna autem vel generalia ſunt, vel ſpecifica. E prioribus interne conveniunt emulſiones ex ſeminibus 4. frigidis majoribus, papaveris albi, extractum & eſſentia opii, laudanum opiatum, magiſterium anodynum & ſimilia: Externè unguentum anodynum Aug. lac calidum in veſica applicatum, ℴ℘. lil. alb. c. ℴ℘. hyoſc. expreſſo, aut ℴ℘. Momord. & ſimilia. Illic ergo

℞. *Sem. 4. frigid. major. ana* ℥ß.
papav. albi ℥ij.
c. *ſ. q.* ▽. *papav. rhœad.*
flor. ſambuc. ana F. Emulſ.
edulc. c. ſacch. perlato. D. pro aliquot doſibus.

Hic

℞. *Unguent. anod.* ℥ij.
🜖. *hyoſc. expreſſ.*
Momord. ana ℥j.
M. F. Linimentum crebro illinendum.

E ſpecificis laudatiſſima & tantum non infallibilis eſt linaria olim in ſecretis habita, adeo ut *D. Johannes Wosſſius*, Archiater Haſſiacus, eandem Ludovico Haſſiæ Landgravio, glorioſiſſ. memoriæ, prius aperire noluerit, quam ipſi bovem ſaginatum annuatim promitteret, quo obtento, monſtrata herbula, verſum addebat:

Eſula lacteſcit, ſine lacte Linaria creſcit.

Quod cum audiret Nobilis adſtans, reſpondebat:

Eſula nil nobis, ſed dat Linaria taurum

referente *Gregorio Horſtio Lib. 4. Obſervat.* 42. Applicatur autem vel in forma fotus, vel in forma linimenti, ex 🜖. ejus parandi. Ibi

℞. *Flor. Linar.* Mj.
Verbaſc. p. ii.

Coq.

TAB. VI. ad pag: 653.



Coq. in Lacte rec. & appl. calid. vel ſub forma epithem. vel ſacculorum inde parandorum, vid. *Hartmannus in Praxi Chymiatrica.* Hic

℞. *Unguenti de Linar. Off.* ℥ß.
Ol. de Linar.
verm. majal. aa ℥j.
M. F. Linimentum.

An experimentum *Helmontii*, cum ſudore morientium linteolo excepto & hæmorrhoidibus cæcis applicato, ſuccedat, experientia dabit. *Grembſius* ad minimum illud vel ex eo commendare videtur, quod furibundum Archæum triſti quaſi mortis imagine & idea terreat, ut ab impetu ſuo deſiſtat, vid. ejus *Arbor integra & ruinoſa Homin: Lib.* 2. *Cap. I.* §. 74.

§. XI. Sublato dolore fibriſque à ſpaſmodica contractione ſui remittentibus, aut diſparet tumor, aut ſponte ſæpe aperiri ſolet. Sin minus, in non adſuetis, vi SECUNDÆ INDICATIONIS, diſcutientia adhibenda ſunt, tam interne, quam externè, qualia (hoc in affectu) ſunt balſamum ♀. flores verbaſci, ſambuci, urticæ cum fol. & cumprimis ſecundinæ Rajarum, in Belgio nomine murium marinorum, ob analogiam figuræ, venientium, quæ in ſuffimentis adhibita, ⊖ vol. intuitu, tumorem hæmorrhoidalem egregie diſcutere valent, ut Excellentiſſ. *DN. D. Spenerus*, Potentiſſimi Regis Pruſſiaci Archiater, Soc. Regiæ Berolinenſ. Coll. & Prof. Ord. in eleganti *de Muribus Marinis Epiſtola*, *ad Magnif. DN. D. Valentini*, in Belgio olim typis expresſa, docuit & in *Tab. Ænea V.* fig. I. II. III. ob oculos poſuit, quorum uberiorem explicationem vid. in *Polychreſtis Exoticis Valentinianis.*

§. XII. Quod ſi firmiores radices egerint, nec tam facili negotio diſcuti poſſint, vi TERTIÆ INDICATIONIS ſunt emolliendæ & aperiendæ, idque vel medicamentis, vel ope Chirurgica. Si medicamentis agere velimus, internè nonnulli ſtimulantia laudant ac laxantia, cumprimis aloetica & rhabarbarina, quæ poſteriora in familiari uſu erant *DN. Wolff Henrico à Baumbach*, Locumtenenti Generali & Gubernatori hujus municipii quondam Generoſiſſimo, affectui huic ſæpius obnoxio. Externè laudantur ſemicupia & fomenta, vel ex lacte ſolo, vel cum emollientibus decocto parata. Mucilagines item Sem. lini, fœnugræci, cum vel ſine opio, vid. *Coſter. Tab. XV.* Specifice autem hic conducere ſolet ſcrophularia, ſignaturam hæmorrhoidum cæcarum referens, vid. *Crollius de ſignatura rerum.* Confert autem radix, autumni tempore collecta & vel amuleti inſtar geſtata, vel in decoctis & fomentis adhibita. Eadem in butyro frixa unguentum præbet, hoc in morbo laudatiſſimum. Nec internus ejus uſus rejiciendus eſt, ſive potui infundatur, ſive in forma pulveris ſumatur, vid. *Henricus ab Heer, in Obſerv. oppido raris num. 29.* Alias oleum aſellorum, ſcarabæorum & vermium majalium etiam ſpecificè laudantur, imprimis ſi c. ℴℴ. violarum, momordicæ ac lini parentur. Ex his & ſimilibus formulæ ſequentes concinnari poterunt:

℞. ℴℴ. *Scarabæoeum* ℥ß.
Balſam. Saturn. ʒij.
M. D. S. Euſerliches Oel auff die Geſchwulſt zu ſtreichen.

℞. *Mucilag. ſem. pſyllii* ℥ß.
ℴℴ. *momord.*
verm. maj. ana ʒj.
M. S. ut ante

Vel

Vel

℞. *Infuſ. ſcarabæorum in* 🜄.℥j.
~. ⊖.✱. ʒiij.
M.
applicetur ſæpius cum pluma.

§. XIII. Quodſi ab uſu medicamentorum illorum hæmorrhoides ſe non aperiant, ope Chirurgica id fieri debet, ſive jam lanceola, aut phlebotomo pertundantur, ſive per hirudinum applicationem apertio illarum promoveatur, perinde eſt. Hirudinum applicatio ſequentem in modum fieri debet: Parti ſc. affectæ prius illinatur lac tepidum, aut ſanguis animalium recenter mactatorum, aut & aqua ſaccharata. Abhinc applicentur hirudines bene lotæ, quæ ſi forte ſugendo decidant, immitte eas aquæ, ut evomant ſanguinem, quod ut faciant, paululum ⊖. inſperge, & abhinc ſi volueris, de novo applica, vid. *Marcus Gattinara de cur. ægritud. partic. fol. 49.* Sin tenacius adhæreant & ſanguine plenæ ſint, in votis autem ſit, ut amplius ſugant, caudæ partem abſcindas, ut ſanguis effluat: ita enim tantum ſanguinis extrahere poteris, quantum volueris. Summopere autem cavendum, ne violenter abripiantur, ne aculeum relinquendo inflammationem pariant. Hoc ne fiat, aut parum ⊖. communis adſpergatur, aut eſſent. abſinthii illinatur, quo facto ſponte ſua decident. Cavendum etiam ne ſibi relictæ ano ſe inſinuent: quod alligato iis filo evitari poterit. In incautis vero introrepentes clyſmatibus ſalitis coerceri poterunt & eliminari.

TANTUM!

THE-

THEMATA INAUGURALIA,

in Examine Rigoroſo reſoluta & loco Appendicis hic annexa.

P. P.

QUod attinet themata â Gratioſiſſima Facultate Medica mihi propoſita eorum prius *Ventriculum*, alterum *Cardialgiam* concernit.

Ventriculus

autem eſt pars corporis humani principalis, duobus orificiis & fundo gaudens, in quo alimenta per *æſophagum* ingeſta, ope liquoris gaſtrici, caloris & fibrarum, decuſſatim ſibi invicem incumbentium, in chylum transmutantur.

Orificia modo dicta rectius in dextrum & ſiniſtrum, quam ſuperius & inferius diſtinguuntur, cum ſub eodem quaſi horizonte ſita ſint. Siniſtrum cibos excipit & quia inſigni plexu nervoſo (à *Williſio* accuratè deſcripto, gaudet, admodum ſenſile, indeque dolori illi, quem paulo poſt deſcribam, obnoxium eſt. Dextrum *Pylorus* ſeu janitor audit & chylum cum recrementis ad inferiora demittit.

Reliqua partis hujus ſtructura variis tunicis & vaſis abſolvitur. *Tunicarum* quidem tres communiter enumerari ſolent, quarum prima externa, à peritonæo orta, fibras ab uno ventri

ventriculi orificio ad alterum, ſecundum longitudinem, demittit. Secunda fibras craſſiores & quodammodo carnoſas ita expandit, ut exteriores ventriculum circuli in modum ambiant, interiores oblique per eandem diſcurrant. Tertia, ſeu intima, *Williſio* nervea dicitur, variis fibris inſtructa, per quas vaſa ſanguifera ad ſubjectas glandulas decurrunt, cruſta ſimul villoſa inſtructa, quæ *Williſio* tunica quarta dicitur; Et quum tunica nervoſa & villoſa multo ampliciores ſint, quam exterior & carnea, hinc non poſſunt non rugæ quædam (in intima ventriculi ſuperficie obſervandæ) oriri, quæ impediunt, ne ante chylificationem abſolutam cibi ventriculo elabantur.

Vaſa ventriculi ſunt 1. *Arteriæ* gaſtricæ, à ramis cæliacæ demiſſæ: *Venæ* item gaſtricæ, tam dextræ, quam ſiniſtræ, quarum hæ ex ramo ſplenico, illæ ex trunco venæ portæ oriuntur, & cum nonnullæ ex his omento cum ventriculo communes ſint, hinc illæ gaſtroëpiploicæ dicuntur. Accedit tandem vena coronaria, è prioribus orta & ſic dicta, quia ventriculum inſtar coronæ cingit, Quin & vena ſplenica ſurculos quosdam breviores ad ventriculum transmittit, qui vas breve dicuntur, quod cum ſanguinem, lege circulationis, è ventriculo reducat, hinc minus recte humorem acidum è liene in ventriculum adducere putatur.

Nervos ſuos ventriculus à pari vago mutuatur non ſecus ac cor & pulmones, unde inſignes illi cum viſceribus his conſenſus intercedit; licet & propagines quasdam à plexu meſenterii magno obtineat, ſicque ſimilem conſenſum cum abdomine alat. Nec tandem *vaſis lymphaticis* deſtitutus eſt, quæ ſeſe in receptaculum chyli Pecquetianum exonerant.

Omnia hæc vaſa materiam ſuppeditant *liquori gaſtrico, in glandulis ventriculi* generando, quem in ſanis non tam acidum, quam ſalino-volatilem aquoſum ſtatuimus, ſicque duplicem illi qualitatem, inciſivam ſcilicet & fermentativam, tribuimus

mus, quarum hanc à particulis volatilibus ſpirituoſis, illam à ſalinis deduco.

Uſus Ventriculi eſt efficere chylum ex alimentis, qui utplurimum candidus eſt, quia (ut amygdalata) particulis aquoſis & 🝆ſis gaudet, quæ ſimlem liquorem efficiunt.

Ob easdem particulas 🝆ſas chylus balſamicus & ventriculo innocuus eſt, niſi in ſtatu p. n. forte aceſcat, aut alia ratione vitioſus reddatur, qui ſtomachum irritando affectum illum, quem Cardialgiam dicimus, producit, quæ alterum mihi oblatum thema conſtituit.

Cardialgia

ergo eſt dolor præcordiorum acerbiſſimus, tenſivus & conpreſſivus, ab irritatione ſiniſtri ventriculi orificii ortus.

Subjectum ejus eſt ſtomachus, ſeu orificium ventriculi ſiniſtrum, admodum ſenſile & nervoſum, Anteceſſoribus noſtris καρδία, ſeu cor, dictum, unde non tantum Græcis morbus hic καρδιαλγία, ſed & Latinis anguſtia cordis & in vernacula die Hertzens-Angſt audit. Cum enim in eadem fere cum corde regione ſitum ſit, mirum non eſt, quod vulgus in hoc dolore cor affligi putet.

Cauſa proxima formalis eſt irritatio hujus orificii eandemque conſequens conſtrictio nervorum, quæ tanta eſt, ut cor quaſi prelo comprimi putetur; unde dicunt: Es will mir das Hertz abdrucken.

Cauſa proxima materialis ſunt humores varii p. n. ſive acidi, ſive bilioſi, æruginoſi, aſſumta aut inſpirata acriora, venena aliaque fermenta maligna; unde frequentiſſimum febrium malignarum ſymptoma conſtituit. Pertinent huc flatus, in ventriculo geniti, qui ſimilem dolorem producere poſſunt. Quid quod &

M. S.

M. S. quantitate & plethora peccans ſæpe in cauſa ſit, ut in puellis difficulter menſtruantibus obſervare licet.

Inter *Cauſas Remotiores*, è rebus naturalibus, temperamentum bilioſum, aut melancholicum, ventriculi vitioſa conformatio & ſimilia: è rebus nonnaturalibus, aër frigidus, nebuloſus, impurus, cibi & potus acidi, eſus fungorum, crapula, motus inordinatus & fluctuans in nautilia, mœror, triſtitia &c. è præternaturalibus, venena, hisque ſimilia catharctica vehementiora, febres malignæ, vermes, deglutita p. n. aliaque morbo huic occaſionem dare poſſunt.

Quod *Diagnoſin* attinet, morbus hic, ut ſorex, ſeipſum per dolorem prodit. Adſunt ſæpe vomitionis ſigna, tremor labii inferioris, os ſalivans & in malo graviori ſyncope. An vero malum per eſſentiam, an per conſenſum ortum fuerit? ſymptomata, quæ in aliis partibus præceſſerant, manifeſtare poterunt.

Quod *Prognoſin* attinet, malum hoc ſæpiſſime magis ſævum, quam periculoſum eſſe ſolet. In febribus tamen malignis & veneficio ſæpiſſime funeſtum. Periculoſius etiam eſt, ſi à cauſa interna, quam ſi ab errore externo ortum fuerit, quod, ſi tempeſtive illi occurramus, facile ſiſtitur.

In *Curatione*, dolore nimium urgente, methodo extraordinaria procedendo, ſtatim dolor ſopiendus eſt per carminativa, ſtomachica, anodyna, præcipitantibus ſeu abſorbentibus mixta, qualia ſunt mentha, chamomilla, caſtoreum, cinnabarina, opiata & varia ex illis parata. E quibus ſequens formula conduceret.

℞. ▽. Menth.
chamomill. ana ℥iß
Eſſent. caſtor.
cortic. aurant. ana ʒj.
*♈. ⊖. *. ʒß.*
Laudan. opiat. gr. iij.
○○. aneth. gutt. ij.
Syrup. cort. aurant. ʒj.
M. D. cochleatim.

Dolòre quodammodo ſopito, aut ſi malum inducias patiatur, methodo ordinaria procedendum eſt. Adeoque remota I. per convenientem diætæ præſcriptionem cauſa occaſionali II. fomes morboſus eſt eliminandus, ita, ut in plethora, ſive ad vaſa, ſive ad vires, V. S. aliis autem in caſibus vomitorium quoddam præſcribatur, ſumendo Tart. Emet, gr. ij. vel iij. c. ſacchar. gr. vj. Vel, ſi contraindicans quoddam vomitorium diſſuadeat, laxans aliquod ſurrogetur, cui, hoc in caſu, Practici quidam opiata miſcere non dubitant, ut una fideliâ bini dealbentur parietes.

His præmiſſis III. ipſi Ventriculo tonicis ſtomachicis, tam internis, quam externis ſuccurratur, & ſi rudera quædam fomitis morboſi adſint, præcipitantibus & cinnabarinis ſubjugentur. Sequens poſtremo in caſu laudarem:

℞. Cinnab. nativ. præp. ʒj.
Extract. lign. al. ℈ß.
laud. op. aut
Theriac. cæleſt. gr. ij.
M. D. in 3. p. æ. dando bis de die, in ▽. menthæ.

Externè tandem Empl. de Tacamahaca, aut Caranna laudatur, imponendo deſuper laterem candefactum. De balſamis, unguentis & ○○ ſtomachicis res lippis & tonſoribus nota eſt.

CAS.

CAS. X.
DE
FOETORE MENSIUM.

HISTORIA.

VIrgo XXIII. citciter annorum, honeſtis, ſed ſcorbuticis, Parentibus prognata, conſtitutionis melancholicæ, certis temporibus, cumprimis iis, queis tributum lunare, utut difficulter, ſolvit natura, horrendum & cadaveroſum fœtorem ſpirat, adſtantibus non tantum, ſed & ſibi moleſtiſſimum, ita ut ejus intuitu celebritatem hominum prorſus ſubterfugiat. Adſunt ſæpe dolores abdominis, cum facie pallida. Noverca tandem moleſtiæ hujus pertæſa, rem totam Medico aperit & ab illo conſilium & medelam petit.

RESOLUTIO.

§. I.

UT lucri bonus odor eſt ex re qualibet, ita nec præſens MENSIUM FOETOR Medicis officium ſuum damnoſum reddet. Tale autem ſymptoma hic adeſſe facile colligere poterimus; ſi antecedentia conſequentibus in caſu noſtro probe conjunxerimus & trutinaverimus. Illic tum ſcorbutica Parentum, tum Melancholica Parentis conſtitutio ſymbolum ſuum conferre poſſunt, quatenus utraque ſanguinis curſum quodammodo ſiſtere, ſicque eundem ad putredinem diſponere valet. Accedit malum hoc eo, quo menſes fluere ſolent, tempore obſervari ſeque tetro illo & cadaveroſo odore, (ſi fœtor quoque odoris nomen meretur) ſoricis inſtar prodere, qui ut morbo huic eſſentialis eſt, ita dolor abdominis & pallor faciei conjunctus, tanquam conſequentia, idem teſtari poterunt; ſicque Fœtor menſium nihil aliud erit quam malus corporis fœminini odor, cum pallore & dolore, à ſanguine menſtruo, circa uteri confinia putreſcente, ortum trahens.

§. II. Antequam autem SUBJECTUM hujus morbi determinemus, inquirendum primo erit, per quas vias ſanguis menſtruus ordinariè ſoleat erumpere? ordinarie inquam. Quod enim vias extraordinarias, quas in obſtructione menſium Natura ſibi, ſive per canthos oculorum, ſive per vaſa hæmorrhoidalia, ſive per ulcera pedum (ut Lugduni Batavorum in Noſocomio quondam vidimus) parare novit, eæ huc non pertinent. Ordinarias autem & quaſi regias vias alii vaſa arterioſa vaginæ uteri, alii ipſius uteri vaſa, alii glandulas uterinas eſſe putant. Nos ſanguinem menſtruum ex ipſa uteri cavitate profluere exiſtimamus,

mus, moti præter alia experimento *Bidlovii*, qui ceram arteriis hypogaſtricis ope ſiphonis injectam magna copia in uteri cavitatem penetrare obſervavit. Nec alium in finem tot in utero carunculæ naſcuntur, per quas & fœtui in primis menſibus nutrimentum miniſtratur. Modum autem & rationem, qua menſtrua erumpunt, quodammodo per craterem diabeticum *Schotti* exprimere poterimus, de quo in *Armamentario* noſtro *Artis & Naturæ*. Cæterum maxima, quæ hic remanet difficultas, reſidet in periodo menſtruorum explicanda, cur ſc. menſtruo quovis ſpatio & non citius vel tardius, in ſtatu naturali, menſtrua (inde ſic dicta) erumpant? Sunt qui ſuam hic ignorantiam fateri, quam incerti quid ſtatuere malunt, quibus & Celeb. *Bohnius*, Vir alioquin ingenioſiſſimus, accedere videtur. Alii cum *Franciſco Bayle*, utero fermentum tribuunt & huic ſingulis menſibus exæſtuanti fluxum illum adſcribunt. Aſt licet prælaudatus Autor opinionem hanc in peculiari *de cauſis fluxus menſtrui mulierum* diatriba, inter *Diſſertationes* Ejusdem *Medicas* proſtante commendare ſuſtineat, adeo tamen mentem veritatis cupidam exſatiari non valet, ut potius dubia dubiis cumulare videatur. Unde enim fermentum illud? annon M. S. inde continuo fermenteſceret & tantum non continuæ hæmorrhagiæ, tum in utero; tum in aliis partibus orirentur. Annon à ſanguine fermenteſcente diameter vaſorum ſanguiferorum nunc major, nunc minor evaderet, ſicque momentanea pulſus variatio oriretur, quam & ratio & experientia ignorat? Taceo fermentationem totius maſſæ quietem requirere, licet particulæ intus moveantur, ut ex Chymicis conſtat. Novam ergo eamque maximè probabilem hujus rei ætiologiam ex analogia microcoſmi cum macrocoſmo & principiis Hydravlico-Pnevmatico-Phyſicis eruere jam licet, ita, ut fluxum hunc à preſſione Lunæ in atmoſphæram derivemus. Quod enim fluxus & refluxus maris eſt in macrocoſmo, hoc fluxus menſtruus eſt in microcoſmo. Quemadmodum igitur æſtus marinus à nulla alia

cauſa deduci poteſt, quam à diverſa Lunæ ſituatione & atmoſphæræ preſſione, ut in Phyſicis oſtendimus: ita fluxus menſtruus mulierem eandem vel omnino ſimilem agnoſcit rationem, non quod Lunæ phaſibus occultam quandam qualitatem cum Scholaſticis adſcribere velimus, juxta vulgare iſtud:

Luna vetus veteres purgat, nova Luna puellas:

ſed illud tantum aſſerendo, quod ſingulis menſibus Lunaribus, in ſtatu naturali, ſemel ad minimum recurrat, i. e. quod unaquævis muliercula tredecies in anno purgetur, quodque nulla in unoquovis menſe ſit dies, qua vel hæc vel illa purgari non poſſit, ea tamen lege, ut periodus recurrens ſemper reſpondeat eidem Lunæ ſtationi. Hujus rei vera ratio vix aliunde deduci poteſt, quam admirando atmoſphæræ in nos dominio, quæ quantum juris in nos habeat, abunde teſtantur meteororum mutationes. Nil dicam de controverſiis, quas Philoſophi inter ſe de majori ſucculentia animalium & vegetabilium in Novi- & Plenilunio reciprocant. Quodſi jam certum, ut certum eſt, ſemel tantum in menſe fluxum menſt. periodicum contingere; maxime ſane probabile eſt, eundem à ☽. in atmoſphæram preſſione dependere, eaque vel majori, vel minori, prout ☽. magis minusve ad Terram accedit vel recedit. Quantum enim ex Philoſoph. conſtat, ☽. in Conjunctionibus & Oppoſitionibus Terræ propinquior eſt, quia dum turbine (vortice) terræ circa Solem ſuo itinere pertingit ad turbines ♂ vel ♀, ab iis medietate ferè ſui vaſti corporis magis ad Terram cogitur. unde Terra cedens (donec æquilibrium cum puncto oppoſito acquirat) ſuſtinetur in anguſtiori atmoſphæræ diametro, hocque ſemper fit tempore Novi & Plenilunii. In Quadraturis vero rurſus ad medietatem ſui corporis Luna recedit, quia in medio turbinis terræ non eſt tale impedimentum. Inſuper cum Terra motu proprio diurno ſingulis 6. horis utrinque vel hoc vel illo ſui loco ſalutet corpus Lunæ, quod ſua vaſtitate eo in loco, ubi hæret, anguſtiorem cum Terra diametrum cauſatur reſpectu atmoſphæræ, vel

ratione

ratione circuli ☾. hinc ſingulis 6. horis erit preſſio vel remiſſio alternativa. Cum autem Phyſici ab hac ☽. in atmoſphæram preſſione derivent æſtum maris, quid non in Microcoſmum & tranſpirabile Sanctorianum, facilime opprimendum, valeret? quod & meteororum preſſio (quæ tantam in mare vim non habet) horrendo ſæpe modo alterat. Poſito jam ſingulis diebus ☽nam bis 6. horis atmoſphæram magis premere & bis iterum 6. horis remittere, illam quoque in Pleni- & Novilunio tranſpirationem magis, quam in Quadraturis, cohibere, inde fiet neceſſario quædam collectio ſeu retentio in corpore, ſique tale atmoſphæræ dominium non adeſſet, dubium videretur, an poſito etiam incrementi limite plethora non difflaretur. Ponamus jam corpus ſanum ita diſpoſitum, ut in Quadraturis Lunæ tranſpiratio ſit liberior & quæ ferè reſpondeat aſſumtis, in hoc quo magis aut Pleni- aut Novilunium accedet, eo magis ejus tranſpiratio inhibebitur. Ad hanc retentionem multum quoque facit acceſſus & receſſus 6. horarum; hinc ſi ſingulis diebus ſaltem ℥j. retineatur, facile quantitas 28. dierum inde definitur. Objiciat autem quis, tot eſſe gradus in receſſu à diametro anguſta, quot in acceſſu: Ergo relaxatio tantum remittet, quantum impedivit. Sed ℞. Neg. conſeq. quia debilior eſt vis tranſpirationis; quam preſſio ſolito auctior atmoſphæræ & talem propenſionem ad retinendum potius, quam æqualiter emittendum œconomia requirit: æquilibrium enim à minima liquidorum exagitatione, quavis de cauſa orta, tolleretur, & licet id non fieret, attamen ex concluſione ſolum ſequitur, remiſſionis tempore tantum emitti, quantum abſente preſſione fieret: Ergo ſaltem acceſſus tempore fiet retentio. Cumque *fœminæ* generaliter ſint 1. habitus tenerioris. 2. Pulſus earum ſit debilior. 3. Laxior receſſus, cum uterus iis inſit, quo viri carent, hinc in fœminis longe notabilior hic effectus ſequatur, oportet. Nunc merito QUÆRITUR: *Cur non æque* hic preſſionis actus & effectus notetur *in Puellis, Vetulis, Gravidis & Lactantibus?*

ræ. In omnes q. eandem redundare preſſionem, verùm cum *Puellæ* 1. nondum incrementi limitem adeptæ 2. melioris laxiorisque ſint habitus, quam juvenes, 3. minus ſe motui dent: hinc O. plethora, quæ in illis amiſſa reſarcienda ſuperat, in ſolidorum augmentum abſumitur; unde puellæ citius matureſcunt, quam juvenes, quia hi præter robur majus per motus animales ſe fortiter exercendo retinenda expellunt: quodque exercitatio plurimum faciat ad procraſtinationem hujus fluxus, patet in filiabus ruſticis, quæ ordinario tardius menſtruantur, ſudando namque multa diſflant & tardius incrementi limitem adipiſcuntur. Quod vero augmentum plurimum dependeat à mollitie & retentione debita, docet fœtus primis annis maxime creſcens. In *Vetulis* alia eſt ratio, quam demonſtrat ſeq. veritas: quo origini propriores ſumus, eo major vis cordis &c. Clarum id eſt in infantibus, qui, ut dictum, eo citius augentur, quo origini ſunt propiores. Si enim vaſa reſiſtunt æqualiter, non augemur amplius: Sin magis reſiſtunt, corpus imminuitur, quia plus expellitur, quam par eſt, ut fit in Senibus. Hinc à media ætate fluxus modo minuitur, donec circa ſeptimum ſeptenarium illarum habitus ſolidior tantum per tranſpirabile vel alio expellat, quantum aſſumſere; & hoc confirmatur, quia dum per 2. vel 3. menſes non menſtruantur, tum quandoque quarto rurſus cum impetu purgantur, quia ſc. vaſa rigidiora non amplius tam facile cedunt. Nec mirum eſt tales inſignem mutationem cum moleſtiis pati, antequam fluxus ceſſet penitus. De *Lactantibus* & *Gravidis* id non mirum. In iis enim materia plethoræ ſubtrahitur plus minus: In his contra pro uteri incraſſatione retinetur. Hactenus CAUSA REMOTA, ſc. preſſio ☽. in atmoſph. Sumatur jam limes incrementi in omni homine, junctus naturali corporis conſtitutioni & reliquis circumſtantiis & videbit quisque luculenter ſequi IMMEDIATE plethoram, quæ ſi non per labores fortes, ſudores, aut crebriores alvi vel ⊟ ſeceſſus minuatur, aut aſſumtis æquiparetur, neceſ-

ſario

ſario poſt collectionem 28. dierum, vel circiter, aggeres perrumpet. Quod autem menſes non diu ultra hoc tempus retineantur, à certa menſura ſolidorum & certa cum liquidis proportione pendere videtur: ſin minus, id aliis determinandum relinquo. Sufficerit mihi maxime probabiles hujus rei cauſas attuliſſe & quod reliquuum erat, idem affectus noſtri ſubjectum & partem affectam, ſc: ipſum uterum ejusque vaſa ſtatuendum eſſe.

§. III. Cæterum cùm menſtrua in ſtatu ſ. n. aut omnino nullum, aut non adeo ingratum (fragrantiæ Calendulæ à *Riverio* aſſimilatum) odorem ſpirent, hinc quæritur, unde tantus in ſubjecto noſtro illorum fœtor oriatur? cui problemati antequam ſatisfaciam, ex Phyſiologicis hic repetere liceat, ſanguinem naturaliter è particulis ſalino-volatilibus ☍ſis, copioſo ſero innatantibus, conſtare, quæ legitime contemperatæ vim balſamicam habere, neque quemquam moleſtia afficere dicuntur *Hippocrati*. Quamprimum vero à ſe invicem ſeparatæ ſaliaque volatilia à particulis oleoſis diſcerpta fuerint, non ſecus ac in præparatione ſalis volatilis CC. penetrantiſſimus inde fœtor oboritur, qui eo major & abominabiliot eſt, ſi talis ſolutio lenta magis, quam violenta fuerit, ut in putrefactione ejus videre licet. Quemadmodum igitur in moribundis & cadaveribus demortuis M. S. in vaſis quieſcens & computreſcens horrendum & cadaveroſum odorem ſpirat: ſic pariter in corporibus viventium extra vaſa circulatoria dopoſitam talis particulatum ſeceſſio & conſequenter putrefactio facile ſubſequitur, ut ſanguis purulentus & ſanioſus in ulceribus antiquis ad oculum oſtendit. Cum autem in noſtro ſubjecto ſanguis menſtruus extravaſatus, ob aliqualem grumoſitatem, aliquantiſper ſtagnet circa uteri confinia ibidemque putredinem aliquam concipiat, mirum non eſt tantum ſœtorem, ſoli putrefactioni adſcribendum, oriri, ſicque hanc ipſam pro CAUSA PROXIMA FORMALI & IMMEDIATA habendam eſſe ſtatuo.

§. IV. Facile hinc CAUSAM PROXIMAM MATERIALEM exprimere poterimus, quæ non alia eſt, quam ſanguis menſtruus, in glanduloſa uteri ſubſtantia diutius juſto hærens & putredinem concipiens. Licet enim in ſtatu naturali ſanguis menſtruatim per uterum excretus ejusdem cum reliquo, in vaſis ſanguiferis circulando, ſanguine naturæ ſit meritoque pro figmentis atque fabulis anilibus habeantur, quæcunque de qualitate ejus venenata & maligna vulgo effutiuntur, ſiquidem nec plantæ ab illo conſpurcatæ pereunt, nec fæminæ menſtruationis tempore halitu ſuo ſpecula commaculant, nec canes inde rabidi fiunt, nec maculæ inde linteis impreſſæ indelebiles ſunt, quicquid tandem ineruditum vulgus etiam perhibeat: attamen in ſtatu p. n. minus recte procedente menſtruationis negotio variis ille vitiis obnoxius fieri ſolet: unde qui floridus alias & vividus effluxit, nunc lividus & flaveſcens in menſium decoloratione, nunc albus in fluore albo, nunc purulentus in lue Venerea, nunc cadaver aut hircum olens in Fœtore Menſium præſenti ſolet obſervari.

§. V. Ecquis jam mirabitur *Fœtorem* illum intolerabilem ex putrilagine illa naſci, præcipue in tali parte, quæ totius corporis ſentina fere eſt, ita quidem, ut *Joh. Valentinus Willius in Tr. de Itineribus Philiatrorum Germanorum pag.* 155. miretur tantum ejus rationem haberi à mortalibus, verbis ibi: qui ani„mum ſublimibus devotum ad fœtidiſſimum fæminæ antrum, „omnis putrilaginis ſentinam, abominabile garum redolens, cu„jus vel nomen apud omnes gentes turpiſſimum eſt, demitte„rent, niſi indicibilis illa voluptas pro ſpeciei conſervatione „frangeret rigores animorum. Dolor fœtori conjunctus à ſanguine jam ſtagnante, acrimoniam concipiente uterumque & reliquas abdominis partes per conſenſum vellicante producitur.

Quan-

Quantus enim uteri cum reliquis corporis humani partibus conſenſus (in cohæſione nervorum potiſſimum radicatus) obſervetur, ſupra laudatus *Bayle* in peculiari *Diſſertatione de conſenſu uteri cum reliquis partibus* egregie jam docuit. Tandem *pallor faciei* partim ex dolore, partim ex pudore inſecutus fuit, quum ordinarius valetudinariorum color ſit.

§. VI. E CAUSIS REMOTIORIBUS ET PROCATARCTICIS duo ferè ſunt, quæ ſuum hic ſymbolum conferre potuerunt: tum Parentum ſcorbutica conſtitutio, per traducem ſimul in ægram noſtram propagata, tum complexio hujus melancholica. Utraque enim humores circulantes & conſequenter ſanguinem debito tempore erupturum ad ſemicoagulum & grumeſcentiam aliquam diſponere valet, cum utrobique particulæ acidæ, fixiores & terreſtres, ad quietem magis quam motum inclinantes, abundent; quapropter in viis excretoriis hærendo & plus minus putreſcendo malum hoc inferre ſolet. An & vitia diætæ, ut probabile eſt, concurrerint, in caſu non exprimitur. Aliunde tamen conſtat ægram acetariis gaudere & frequenter uti.

§. VII. Quod PROGNOSIN concernit, affectus hic periculoſus quidem non eſt, ſumme tamen moleſtus, cumprimis in conſervatione communi, ita ut verendum ſit, ne, ſi in vulgus propaletur, impedimentum matrimonii futuri poſſit eſſe. Si enim ob ſolum alarum fœtorem divortium quæſitum fuit, prout caſus in *Pandectis n. Medico Legalibus Part. I. Sect. 2. caſ.* 10. *pag.* 178. habetur, quid non metuendum foret in præſenti fœtore cadaveroſo. Merito igitur & non ſine prægnanti cauſa medelam & curationem petiit Noverca, hoc in paſſu minime novercans, quam adeo impoſſibilem non eſſe confidimus.

De utilitate autem hujus fœtoris in ſiſtendo ſanguine *vid. Miſcell. Cur. Dec. II. A. VI. p. 37. in App.*

§. VIII. Ut igitur virginem noſtram à moleſtia hac penitus liberemus, in CURATIONE (1.) ea, quæ malo aut occaſionem dederunt, aut porro favere poſſent, ſunt amputanda (2.) Sanguis menſtruus, in confiniis uteri plus minus ſtagnans, reſolvendus & promovendus. (3.) Putredine ejus & corruptioni convenientibus remediis reſiſtendum, dando hic balſamica, illic reſolventia, aperientia blandeque pellentia & iſtic obſervando legitimam diætam, quæ ita debet eſſe comparata, ut miſſis omnibus acidis, ſalſis, crudis & minus elixatis eligantur olera balſamica, chærefolium, petroſelinum, juſculis pullorum gallin. & caponum incoquenda. Laudantur inſimul aromatica, ex mace & croco conſtantia, utut non immodicè ſumenda. Carnibus jungantur embammata ex ſem. ſinapi, cochlearia, raphano ruſticano, piperitide &c. Potus ſit vinum generoſum, aut cerevíſia probè lupulata, aut enula, radice caryophyllatæ, angelicæ & ſimilibus medicata: quibus omnibus I. indicationi ſatisfacere poterimus.

§. IX. II. Indicationem implebunt reſolventia & ſanguinem grumoſum fundantia, qualia è regno minerali ſunt præparata quædam ♁alia, ut ♁ diaphoreticum ♂ale, præ ſimplici magis appropriatum, cum & aperientis loco inſervire queat. It. ♂alia ad unum omnia, cum pulv. cinnamom. acuenda. E regno vegetabili conjungi poterunt Radices balſamicæ, angelicæ, leviſtici, oſtrutii, è quibus cum Herb. menthæ, pulegii, meliſſæ & ſimilibus infuſa quoque & vina medicata fieri poterunt. E regno tandem animali ocul. ♋. mumia & ſperma ceti conveniunt: E quibus variæ concinnari poſſunt formulæ, v. g.

℞. ♁. *dia-*

℞. *♁. diaphoret. ☍alis ʒiß.*
ocul. ♋.
mum. præp. aa. ʒß.
extract. angelic. ℈i.
⊖. vol. ſuccin. ʒß.

D. S. Zertheilendes Pülverlein, 8. Tag vor dem Neuen Licht täglich 2mahl 3. Meſſerſpitzen in Balſam-Waſſer zu nehmen.

℞. *Rad. angel.*
lev. ſt. aa. ℥ vj.
Herb. puleg.
menth. ana Mj.
Flor. calendulæ
cheyri aa. p. ij.
Bacc. lauri n. vj.
Cinnamom. acerr. ʒß.
Croci integri ℈ß.
⊖. ♀. ʒiß.

Inciſ. & contuſ. D. S. Blutreinigende Species in 3. Nöſſel firnen Wein zu legen, und täglich 2mahl einen Trunck davon zu thun.

Quodſi autem tempeſtas indulſerit, cura acidularum haud inutiliter ſuaderi poterit.

§. IX. Ultimæ tandem indicationi reſpondent balſamica, putredini reſiſtentia, qualia ſunt myrrha ejusque eſſentia ſalutifera, aloetica & inde conſtantia elixiria, elixir ſc. proprietatis ſine acido, elixir uterinum Mœbii, quæ cum eſſentia caſtorei, ſuccini & ſimilibus maritari poterunt, v. g.

℞. *Eſſ.*

℞. *Eſſ. myrrhæ*
ſuccini aa ℥j.
croci ℈ß. M.D.
S. vermiſchte Bornſtein-Eſſentz, morgends und abends 15. bis 17. Tropffen in Meliſſen Waſſer oder warm Brüh zu nehmen.

℞. *Elixir. propr. alb.*
uter. Croll. aa. ℥j.
Eſſ. ſuccin. ℥ß.
M. S. ut ante.

Pertinet huc elixir catholicum Geilfuſiii, ejusdem virtutis, laxans ſimul & humores p. n. blande educens. E compoſitionibus antiquioribus maſſa pilularum fœtidarum commendari poterit, ut fœtorem fœtore pellere & lumen minus per lumen majus exſtinguere poſſimus.

§. X. Quodſi EXTERNE etiam ſuccurrere velimus, præter ſuffimigia & balſama palliativa non inconveniens erit, ſi in maritatis ~⊖✻ci vaporem, per inſtrumentum *Glauberi* phioliforme excipi jubeamus, qui ſanguinem menſtruum in utero ſtagnantem fortiſſimè reſolvere & promovere poterit. In virginibus autem ejus loco evaporationes decoctorum balſamicorum & hyſtericorum, vel & filorum lineorum recenter in lixivio elixatorum (vulgo Garn-Brühe,) absque inſtrumento illo, cruribus divaricatis excipi poterunt, quæ non minus eo penetrabunt, ubi

Noctes atque dies patet atri janua ditis.

FINIS.

CAS.

CAS. XII.
DE
HÆMORRHAGIA UTERI.

HISTORIA.

Matrona XL. circiter annorum, ſanguineo-melancholica, poſtquam à tribus, ut credebat, menſibus utero conceperat, una cum integra, quæ alio transferebatur familia, iter per viam non adeo commodam facere cogebatur, quo abſoluto fluxum menſtruum, ab eo quidem tempore more ſolito emanentem, redire ſenſit. Cum vero aliquoties in Patria abortierit, adeoque vereretur, ne idem infortunium hic immineret, Medicum hujus loci advocari jubet ipſique totum

hoc negotium patefacit. Præſcribuntur ab eo confortantia æque ac adſtringentia, v. g. *Pulv. contra abortum A. cum Ther. cœl.* in vehiculo convenienti, *ſyr. corall.* edulcorato, quo per aliquot dies continuato, horrore corripitur inſigni, cum ſubſequente æſtu, crebris rigoribus interpolato, quæ febris malignæ (qua paucos ante dies ſublatus fuerat Hoſpes) ſuſpicionem metumque injiciebant, contra quam *mixtura bezoardica* parabatur, qua nondum ex officina allata, immani & horribili hæmorrhagia uteri corripitur ægra, quam *lap. hæmatit.* cum *blandis anodynis* interne, *ligaturis* vero ex ſerico (quod vulgus alias urget) rubro externe inhibiturus erat Medicus, quorum utilitatem præſentaneam in ſimilibus fere caſibus perceperat, ſed fruſtra. Accedunt potius tormina atrociſſima, doloribus parturientium ſimilima, ſanguine adeo confertim manante, ut præ nimia virium imbecillitate, poſt aſſumtam hoſtiam, S. S. calicem benedictum absque reſpiratione & mora interpoſita aſſumere vix potuerit. Verbo: Status mulieris lamentabilis erat ac miſerrimus, eoque magis, quod Natura medicamenta non tantum non actuabat, ſed & omnino reſpuebat. Medicus Obſtetricem advocari eamque ſolutum in utero abortum extrahere jubet. Muliercula vero adſtans fœtum

con-

confortandum eſſe cenſet, & *ſyrupum corall.* miris hunc in finem laudibus extollit, Medicus è contra fœtum non confortandum hic, ſed pellendum eſſe replicans, pulv. ex *borrace, troch. de myrrh.* &c. præſcribit, & in ▽ *artemis*, propinat (cujus primam tamen doſin vomitu rejecit ægra) inſimulque Obſtetricem officii ſui admonet, quæ tandem concretionem quandam membranoſam, cum ſanguine plus minus coagulato, extrahit, quo facto ſtatim quodammodo ſiſtebatur fluxus, ſucceſſive penitus remittens. Poſt aliquot dies febricula quædam urgebat, quæ *præcipitantibus, expellentibus & balſamicis* quoque feliciter ſublata, quibus & teter odor, quo de ægra querebatur, externe ſublatus eſt. An vero cura hæc methodica & conſcientioſa fuerit, diſquiritur?

RESOLUTIO.

§. I.

Non eſt, ut diu de nomine affectus Ægram noſtram affligentis ſimus ſoliciti, qui ſoricis inſtar ſe ipſum prodere ſolet. HÆMORRHAGIAM enim UTERI adeſſe vel quævis muliercula determinare poterit. Cur autem in vernacula eandem das Hertz-Geblüt vocare ſoleant, ratio forte eſt, quod lipothymia, ſyncope & conſimilia cordi vulgo adſcripta pathemata illi facile ſuperveniant; quo nomine etiam hæmorrhagia uteri puerperis vel gravidis contingens magis exprimitur, de qua vulgo dicunt das Hertz-Geblüt ſeye angegangen, ut eandem à menſibus nimiis ſecernant, quos verbis magis abſolutis efferunt: das Geblüt ſeye angegangen, vel, das Geblüt gehe zuviel. Interea cavendum ne ſanguini hac via effluenti prærogativam quandam tribuamus, & ſecundum vulgi ſententiam è corde immediate effluere putemus, quod circulationi ſanguinis è diametro contrarium.

§. II. Non ergo ſimplicem & vulgarem, ſed HÆMORRHAGIAM UTERINAM cum ABORTU complicatam hic adeſſe, teſtantur 1. *ANTECEDENTIA*: Iter per viam inæqualem minusque commodam, menſes ſuppreſſi antea & nunc præter morem redeuntes, ut & abortiendi conſuetudo, quæ omnia quem facilime & abortum & hæmorrhagiam uteri producere valent. Idem confirmant 2. *CONCOMITANTIA*: Fluxus ſcil. ſanguinis immanis, cum virium lapſu & inſignibus doloribus ſpasmo parturientium ſimilibus, quæ omnia non vulgarem uteri hæmorrhagiam, aut menſes nimios, (qui & minus doloroſe & minus confertim fluunt, nec vires tantopere debilitant)

tant) adeſſe, ſed talem ſanguinis fluxum, qui ab abortu provenit, indicant. Accedunt 3. *CONSEQVENTIA*, juvantia & nocentia, ſtyptica, ſcil. adſtringentia & anodyna, divina alias & præſentanea in vulgaribus hæmorrhagiis remedia, quæ tamen hic omnem ſpem omniuo fefellerunt: Obſtetricis vero manus opem præſentaneam attulit; quæ omnia fluxum hunc à ſeparato intempeſtive ab utero embryone (vel abortu) contigiſſe clare ob oculos ponunt. *Eſt* autem præſens Hæmorrhagia uterina *nimius & immodicus ſanguinis fluxus, ortus à p. n. vaſorum uterinorum per abortum apertura.*

§. III. SUBJECTUM affectus hujus eſt uterus, cujus forma, partes & textura ex Anatomicis ſatis patent. Hæc membranacea eſt, è fundo & vagina conſtans: illæ vaſibus utrobique ſanguineis, lymphaticis & nervoſis inſtructiſſimæ, è quibus arteria hypogaſtrica notam meretur ſingularem, per cujus ramulos & ſanguinem menſtruum excerni & ſuccum nutritium cum fœtu communicari certis mihi conſtat experimentis: Iſta pyro (vel cucurbitæ) in non prægnantibus haud abſimilis eſt, conceptionis vero tempore in majorem molem aliamque formam extenditur. Omnibus abdomen conſecratum, tanquam infima C.H. regio, ita ut inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum ſit locatus. Huc ergo te recipe homuncio, qui pavonum inſtar rotatis exuviis extollis ſupercilia! huc in palatium tuum priſtinosque natales te confer, in quibus ſcybala loco pulvinaris, matula Microcoſmi pro umbraculo ſunt! Scil.

Cum fæx, cum fimus, cum nil niſi ſtercora ſimus,
Quare ſuperbimus?

§. IV. Afficitur autem Uterus hoc in affectu quoad ſuperficiem interiorem, eo in loco, ubi placenta uterina ipſi cohæret, cujus præmatura ab utero ſeparatio vaſorumque, in placentam alias inhiantium, apertio CAUSAM PROXIMAM FORMALEM & hæmorrhagiæ & cum ipſa abortus conſtituit.

Hoc ut clarius pateat, duo hic ex Anatomicis & Phyſiologicis, tanquam in parentheſi, annotanda erunt: 1. Cohæſio fœtus & ſecundinarum cum utero. 2. Ejusdem ſeparatio legitima tempore partus ordinaria, quo contraria juxta ſe poſita magis elucefcant. Illa, connexio ſcil. embryonis cum placenta, admiranda eſt. Poſtquam ſc. ovulum per tubam Fallopianam in uteri concamerationem devolutum eſt, primis temporibus aliquamdiu per humores nutritios, in uterum quaſi ſtillantes, per modum traſſudationis alitur, donec ab archæi & plaſtici elatere, diſcurſibus (ut *Carteſius l. de format. fœtus* oſtendit) mechanicis, partes antea in ovulo delineatas explicante, ea ſine dubio in parte, ubi reliquis in ovario ovulis quodammodo connexum & per corpus glanduloſum protuberans ſeparatum fuerat, ruptis repagulis fibras quasdam protendat, quibus uteri ſuperficiei interiori paululum adhæreſcit. Quamprimum vero ex nutrimento proprio, illic ſimul quodammodo extravaſante, rudera placentæ uterinæ formantur, hujus eminentiæ papillares alveolis uteri, tubulorum lacteorum mammariorum inſtar, in prægnantibus conſpicuis & ex pluribus radicibus in lacunas ampliores & in uteri cavum inhiantibus, haud aliter immerſæ & quaſi impactæ hærent, ac dentes per gomphoſin alveolis gingivæ ſunt inſertæ; quod ſingulare Naturæ artificium pro more ſolide deſcribit *Illuſtris Bohnius*, P. P. Lipſienſis, in *Circul. Phyſiol. An. & Diſſ. Phyſiol.* 25. §. 12. Moles autem hæc tamdiu firmiter adhæret utero, donec fœtu ultimis geſtationis temporibus graviore reddito ſeſeque movente quodammodo à tenacitate illa remittat, & ad ſeparationem ſub partu, vel à fœtu prodeunte, vel manibus Obſtetricis blande & caute inſtituendam, diſponatur, quæ ordinario quidem contingit decem à conceptione menſibus Lunaribus, novem Solares efficientibus, & quidem utplurimum eo die, quo ante conceptionem alias debitum lunare Naturæ ſolvitur. Interea tamen ut nulla regula ſine exceptione,

ne ita neque hic (tanquam ordinarius) terminus adeo eſt perpetuus, ut neutiquam & à Matribus & à fœtibus robuſtioribus anticipari, poſtponi vero à debilioribus ſoleat; quin & ſeptimo ac octavo menſe partum legitimum & vitalem edi poſſe, ratio docet & experientia; Et ne quis exiſtimet hoc ab errore calculi, quem Mulieres haud exactè ſæpe ponunt, contingere, ex obſervatione omni exceptione majori, à Magni Nominis Theologo, à vaniloquio atque fabulis alieniſſimo, nuper aſſerta conſtat, cui certa Matrona eſt cognita, quæ ipſo puetperii tempore à Marito (nimio amore abrepto) ingravidata, ſeptimo menſe inſequente puerum eſt enixa omnibus numeris abſolutum, adultum nunc & incolumem, quod ex communicatione amici cujusdam benevoli huc apponere volui. Quid quod *Cornel. van Solingen* Med. & Chirurgiæ D. *Hagæ Comitis* Celeberrimus, Tr. von dem Ammt und Pflicht der Hebammen, *Cap.* 3. non *Sylvii* tantum, ſed & propria experientia ſuffultus, integras aſſerat dari familias ſeptimo ordinario menſe liberos ſuos in lucem edentes. De partu autem octimeſtri non eſt ut verbum amplius addam: hujus enim exiſtentiam & poſſibilitatem adeo ſolide in pecul. de eo Tract. ob oculos poſuit Inclytus & Sublicis *Drelincurtius*, meus olim in Batavia Profeſſor, ut neque Medicis, neque JCtis amplius ullum de eo dubium hærere poſſit. Quod enim hic deſideratur in brevitate temporis, reſarcitur à Naturæ bonitate.

§. V. Sed cur in partu naturali & legitimo tam enormis hæmorrhagia non conjungitur, ac in abortu præſenti? Dicam, attende! in partu naturali ſanguinis quoque fluxum ingentem obſervari, præter experientiam teſtatur *Hippocrates*, adeo quidem, ut velut à victima ſanguis, (als wann man einen Ochſen ſchlachtete) ſi bene ſe habeet & habitura ſit mulier, exeat, *lib. de Nat. pueri* §. 12. *edit. Linden.* nam & hic poſt ſecundinarum ſeparationem aliquantum hiant vaſa. Quod vero

ſtatim

ſtatim ſopiatur, nec ad tantum temporis ſpatium, ut in abortu duret, ratio eſt, quod chorii papillulæ ab uteri alveolis, quibus inoculatæ quaſi erant, blande & ſucceſſive ſeparatæ fuerint, & poſt fœtum protinus excluſum uterus coarctatus oſcula vaſorum comprimendo & quaſi obturando omni hæmorrhagiæ viam præcluſerit; in abortu e contra ſeparatio illa violenter & non ſine laceratione vaſculorum capillarium contingit, unde vaſa in uterum hiantia plorant ſanguinem, & horum apertura alitur ab abortu & placenta uterina intus fluctantibus, quæ uteri concidentiam & coarctationem inpediendo hæmorrhagiæ tam enormis CAUSAM PROXIMAM MATERIALEM conſtituunt & omnem malorum Lernam producunt.

§. VI. Hinc enim tanquam è fonte ſcaturiunt omnia in caſu enarrata SYMPTOMATA, jugi ſerie cohærentia, quatenus ſcilicet chorii papillulæ, ob violentiam externam ex uteri vaginulis quodammodo expulſæ, *ſanguinis* (ut videbatur) *menſtrui*, antea more ſolito ſuppreſſi, *reditui* mareriam ſubminiſtrarunt: cujus particulæ quædam, ob orificii uteri interni conniventiam, intus retentæ & acriores redditæ non uterum tantum irritando & procul dubio ejusmodi horripilationem producendo *rigorem* & *horrorem febrilem*, ſed & M.S. permixtæ eique motum p. n. auctum inducendo *æſtum* illum inferre potuerunt, febris malignæ metum incutientem; hoc autem utero cum reliquis partibus adeo debilitato non potuit non plenaria placentæ cum fœtu ſeparatio ab utero ſuccedere, quam horribilis ille *ſanguinis effluxus*, è vaſibus in uterum hiantibus, inſecutus eſt, cum immani *virium proſtratione*, quam augebant *dolores parturientium*, ab intus fluctuante conceptu ſecundinisque utero gravibus ejusdemque ſpaſmum producentibus exorti. Quod autem *extracto* poſtmodum *abortu perieuloſiſſima* hæc *hæmorrhagia* ſtatim remiſerit, in cauſa eſt, quod uterus à mole, qua antea extenſus fuerat, liberatus ſe corrugare, vaſcula coarctare eorumque apertutam hac ratione obturare,

obturare valuerit, remanente tantum *febricula*, à reliquiis ſanguinis intus corrupti & M. S. commixti, oriunda, præcipitantibus tamen, diaphoreticis & balſamicis feliciter quoque ſublata, quibus illæ partim correctæ, partim è corpore eliminatæ fuerunt.

§. VII. Omnibus autem his è CAUSIS REMOTIORIBUS occaſionem dederunt partim crebrior abortus, indeque & debilitate & ad ſimilem relaxationem abortivam diſpoſitæ fibrillæ ipſius uteri: partim & iter per loca inæqualia, montana & ſaxoſa, quæ in cauſa ſunt, ut agitatis & concuſſis hinc inde carpentis embryo in ſubjectis jamdum tenerioribus & ad abortiendum (uti hocce) diſpoſitis minus firmiter utero annexus, acetabulis ſuis excidat, qui ſi utero diutius inhæreat, nec ſtatim excludatur, ob dictas ſupra rationes facilime ejusmodi hæmorrhagiam funeſtam inferre valet. Frequentiſſimam ſane hanc abortus cauſam eſſe, honeſtiſſimæ ſæpe Matronæ damno ſuo ſæpius ſunt expertæ, quod tantum tamen in animo cordeque illarum, ſæpe inſontiſſimo, vulnus non relinquit, ac calumniantium (è centro regni Diabolici oriundorum) mendacia, quibus & liberorum, intempeſtive ita magis expulſorum quam enixorum, legitimationi æque ac Parentum (primipararum cumprimis) famæ inſidias ſtruunt nefandas. Anne temperamentum ægræ ſanguineo-melancholicum aliquid hic contribuere potuerit, inficias ire non audeo, quum acido abundans ſanguis papillulas in vaginulis ſi non vellicando, titillando ſane firmiorem illarum adhæſionem quodammodo inhibere, adeoque ſolutionem hinc magis promovere potuerit, De aliis in caſu non expreſſis rebus diætoticis nihil addo, quamvis & illæ forte ſymbolum ſuum conferre potuerint.

§. VIII. Quam periculoſo autem in ſtatu verſentur Ægræ, tali hæmorrhagia affectæ, non tantum teſtatur *Hippocrates*, dum *aph.* 56. *S.* 5. animi defectum muliebri profluvio

 ſuper-

ſupervenientem malum eſſe pronunciat, quam menſtruis ordinaris etiam abundantibus morbi eveniant, *ibid. aph.* 57. Hic autem fluxus eo periculoſior erat, quod ab abortu in utero adhuc fluctuante ortus fuerit, qui niſi otius extrahatur, certo certius lethalis eſt. Plures ſane novi, quæ purpuream hac via animam exhalarunt, non aliam forte ab cauſam, quam quod omiſſa enchireſi, abſolute hic neceſſaria, ſolis confortantibus, adſtringentibus & opiatis, abortui alias dicatis, fuerint tractatæ.

§. IX. Cæterum facile hariolor, fore, qui nos ipſos in caſu præſenti confortantibus æque ac adſtringentibus uſos eſſe, adeoque fruſtra illa rejici, arbitretur? aſt vide quam acerbe, ne dicam inique, judices? Utique præſcripta ſunt adſtringentia, confortantia & anodyna, eo ſc. quo indicabantur tempore: tunc autem indicantur, ſi guttatim ac moderate effluente ſanguine placenta ab utero nondum prorſus ſeparata eſſe videatur, non facto, ſed inſtante abortu. Truculentum enim & crudelis animi ſignum eſſet, tunc intempaſtive manum admovendo prorſus evellere ea, quæ lapſum minantur; quin potius omni prius ſtudio in id eſt annitendum, ne remittens à priſtina connexione ſarcina omnino decidat, ſed potius, ut fibris confortatis vaginulisque uterinis quodammodo conſtrictis fortius comprehendatur papillulæ elapſuræ. Quem in finem E FONTE PHARMACEUTICO blanda *adſtringentia, ex Rad. tormentill. flor. balauſt. Cort. granat. cydon. maſtich. corall.* r. *terr. ſigill.* &c. eorumque præparata, tam ſimpliciora, quam varia inde compoſita, tam in quam externe feliciter præſcribuntur, inter quæ agmen ducit tot retroſeculis decantatus *Pulv. contra abortum A.* quem f. m. fere ſcribere poteris:

℞. *Pulv.*

℞. *Pulv. contr. abort. A.* ʒj.
Pannon. rubr. ʒß.
Terr. catech. ℈j.
Ther. cœl. gr. ij. M.
D. S.

Stärckend- und anhaltendes Pulver, davon des Tags etlichmahl ein paar gute Meſſerſpitz voll zunehmen.

℞. ▽. *torment.*
plantag ana ℥iß.
Extr. torment. ʒj.
Syr. corall. r. ℥j. *M. S.*
Waſſer zum Pulver.

Quodſi vero gravis ac moleſtus ſit pulverum uſus, ſubjectis delicatioribus, tincturas ordinarie amantibus, ſequens præſcribi poteſt:

℞. *Tinctur. terr. catech.*
corall. c. ♁. *pan. ana* ʒj.
M. S. Anhaltende Tinctur des Tags etlichmahl 20. Tropffen zunehmen.

Interponuntur quoque *confortantia fœtumque roborantia*, inter quæ polychteſta eſt ▽. compoſita, quam vulgo *Balſamum Embryonum* vocant, quæ vel per ſe, vel cum aliis ſive acuta, ſive temperata, eſt egregia.

℞. ▽. *flor. tunic.* ℥ij.
balſ. Embryon.
roris Sol. ana ℥j.
ſyr. corall. ʒvj. M. S.

Stärckendes Träncklein davon offt ein paar Löffel voll zunehmen.

Anodyna vero non niſi in orgaſmo ſanguinis aut doloribus ſpaſmodicis conveniunt & quidem *blandiora*, cautiſſime quoque adhibita, in ſpecie opium, quod fœtui infenſum valde eſt, de quo acute Illuſtris *Wedelius in Opiologia* curioſiſſima.

Addantur his quoque EXTERNA *adſtringentia* fibrarumque tonum confortantia, unguenta, emplaſtra, periapta ſ. amuleta.

Inter priora decantatum eſt *Ungt. Comitiſſæ*, ita præterpropter præſcribendum:

℞. *Ungt. Comitiſſ. A.* ℥j.
ſang. dracon.
maſtich. elect. ana ℈j.
°o. *Nuciſt. expr.* ℈ß.
M. lento △. add. °o. omphac. q. ſ.
F. Linim. D. S.
Sälblein den Unterleib und Rücken darmit anzuſtreichen.

Inter *Emplaſtra* laudatur *Empl. contra rupturas D. Hoffmanni*, ſpinæ dorſi è regione lumborum applicandum.

Præterea à vulgo ex amuletis *lapis aëtites* de collo ſuſpenditur, quem licet non omnino rejiciamus, in cauſa tamen violenta non æque conducere exiſtimamus cum B. D. D. *Bauſchio Tr. de Aëtite & Hæmat.* quem in compendio videre poteris in *Hiſtoria D. Valentini, Miſcell. Cur. Germ. Dec. II. Ann. IV. pag.* 221. annexa.

E FONTE CHIRURGICO in mediis geſtationis menſibus etiam V. S. non inſuper habenda, quæ in plethoricis in ſpecie præſervationis ergo laudatur.

§. X. Quod ſi vero certi ſimus placentam uterinam cum annexis ab utero jamdum ſeparatam in hujus cavitate fluctuare, tantum abeſt hæmorrhagiam nunc contingentem adſtringen-

ſtringentibus & ſtypticis curari fœtumque (ſeu potius abortum) in utero conſervari poſſe, vel debere, ut potius omni opera inde promovendus ſit. Advocata ergo Obſtetrix ſana & ſapiens, more ſolito digitos ꝙ. lil. alb. illitos inſerat orificio uteri interno, hujus diductionem quantocyus promoveat fœtumque capite prius, ſi fieri poteſt, ſin minus, pedibus Agripparum inſtar arripiat & cum ſecundinis extrahat. Si vero rudera tantum embryonis adſint, hæc eodem modo extrahat. Quæ ut facilius procedant, ipſæ pariter ægræ ſpiritum tenendo, moreque ſolito, in quantum vires patiuntur, collaborando ſymbolum ſuum conferant. Neque in extremo neceſſitatis caſu piaculo ſibi ducat Medicus ea, quæ in partu difficili alias præſcribi ſolent, *pellentia* ſc. tunc ordinare, qualia ſunt *hepar anguillæ* c. *felle*, *borax Venet*. *myrrhata*, *caſtorina*. &c. v. g.

℞. *Borr. Ven.* ℈ij.
Myrrh.
Croc. ana ℈ß. *D. in* 2. *p. æ.*

D. S. Pülverlein davon eines in Beyfus-Waſſer zu nehmen.

Quodſi tandem omni etiam opera adhibita fœtum ita promovere nequeas, ſique de morte ejus certi ſimus, à Chirurgo experto Embryotomia & Embryulcia, juxta methodum Verſatiſſimi his in rebus *Dn. van Solingen*, adhibenda, eaque peracta DIÆTA tenuis, puerperis alias conſueta, imperanda eſt.

§. XI. Coronidis loco jam ad quæſtionem in caſu propoſitam, an ſc. *cura hæc methodica fuerit & conſcientioſa?* reſpondeo, affirmandamque cenſeo, cum experientia teſte conferat eamque facile ferant ægræ, quæ ſolis adſtringentibus ab aliis, hujus methodi ignaris, è contra aut negliguntur, aut quam officioſiſſimè ac feliciſſimè (ſcilicet!) enecantur. Ne vero primus hoc, idque periculo ægrorum ſive tentaſſe ſive ſuaſiſſe vi-

 dear,

deat, en Practicos & Archiatros apud Exteros Famigeratiſſimos, idem non ſuadentes tantum, ſed & imperantes. Agmen inter illos ducat Senex quondam & Machaon Anglorum Venerandus, *Theodorus de Mayerne*, qui *Tr. de cura gravidarum ſect. XI. pag.* 52. in ſimili hæmorrhagia feſtinandum eſſe dicit, in ope ferenda, ne ægræ paucarum horarum ſpatio ſuccumbant. Præſtantiſſimum (ait) remedium eſt Fœtus extractio, quæ Matris vocatur liberatio, quia tunc uterus concidit, quæ concidentia patula vaſorum oſcula occludit, & per conſequens ſanguinem ſiſtit. Huic parallela eſt methodus *D. Craanii*, qui in *Praxi Medica Reformata C. IV. pag.* 416. in ſimili ſanguinis fluxu immodico cum fœtu mortuo, in curatione Partus, inquit, provocandus erit, Chirurgicè extrahendo fœtum per partes, præſcribendo ſimul pellentia ex *borrac. Ven. croco.* &c. Addo his Chirurgos & Embryulcos his in rebus Verſatiſſimos, alterum citatum ſæpius *D. van Solingen.* qui *lib.* von dem Ambt und Pflicht der Wehe-Mütter, *cap. XV.* in tali hæmorrhagia fœtum ocyus extrahi jubet, ni matris cum fœtu mortem infallibiliter exſpectare velis. Quod jam ante eum patria quoque fretus experientia commendârat *Mauriceau*, artem obſtetriciam quoque ipſemet exercens Pariſiis, im Hebammen-Buch, *l.* 1. *cap.* 21. E quibus apparet methodum ſupradictam cum horum experientia exacte convenire, qua tractata Ægra DEO benedicente feliciſſime ex Orci faucibus erepta eſt.

Illi ſit laus, honor & gloria in ſecula ſempiterna!

CAS.

CAS. XIII.
DE
MACULIS VOLATICIS CONVULSIVIS.

HISTORIA.

MAtrona 26. circiter annorum; temperamenti cholerici, in cœlibatu pica ſæpe laborans, Viro vero juncta, tempore graviditatis, braſſicam muria conditam, eamque crudam, jejuno ſæpe ſtomacho comedens ſalſisque inhians, anno 1703. puellum enixa eſt primogenitum, quem per 14. dierum decurſum ipſamet lectat, abhinc vero, neſcio qua de cauſa, Nutrici adſcitiæ committit, ob deflorationem, quam perpeſſa erat

rat, ſubtriſti, nec ab ira aliisque affectibus immuni. Puerulus autem vix 14. menſem agens puſtulis quibusdam & ſcabie in cervice deturpatur, quas curatura Mater vino ſæpe abluit. Evaneſcentibus puſtulis macula inſignis rubra lataque in brachio dextro effloreſcit, non ſine calore p. n. ſimul juncto. Medicus illius loci hanc à ſcabie repulſa generatam fuiſſe credens pulv. bezoardicum expellentem præſcribit, idque cum levamine, evaneſcente rurſus macula. Cum vero ſcabies non tantum priori in loco, ſed & in dorſo ſtatim recrudeſceret, Mater ab eadem abhorrens & pro turpitudine ferè habens infantulum priori modo abluendo ſcabiem denuo repellit. Quid fieret? retropulſa materia peccante & in M. S. remiſſa non tantum calor p. n. accenditur, ſed & tormina abdominis ac convulſiones epilepticæ horribiles inſequuntur, quarum paroxyſmus 3. horarum decurſum emetiebatur, repullulante macula priori ſimili, quæ dextrum mox humerum, mox & collum, pectus abdomenque ſimul occupans, longe lateque ſerpebat eundo. Adhibentur varia, internè bezoardico-diaphoretica: Externè ſpiritus vini camph. empl. ex theriaca, ſed in vanum omnia, recurrente epilepſia, inflammatione cutis in abdomine &

cum-

cumprimis ſcroto adeo creſcente, ut rubedo in atro-purpuream nigredinem degenerans ſphaceli metum incuteret, prodeuntibus alvi fæcibus intenſe viridibus, æruginoſis & viſcidis. Vocatur interim Chirurgus veteranus illius loci, qui abdomini ſic inflammato & intenſe calenti epithema, ex fl. chamomillæ in lacte decoctis paratum, linteis duplicatis admovebat. Cum vero non adſtantibus domeſticis tantum, ſed & Medico peregre accerſito hoc ipſum minus tutum, ſed ſuſpectum videretur, quæſtio ſuboritur, utrum topicum hoc ſit continuandum? & qui radix morbi ſit tollenda?

RESOLUTIO.

§. I.

Ponderatis omnibus & ſingulis ſymptomatibus, in præſenti caſu obviis, non poteſt non eluceſcere, infantulum hunc MACULIS, ut audiunt, VOLATICIS, Germanis noſtris der Flug dictis, laborare, quæ, ſi Convulſiones Epilepticæ conjungantur, ab aliis der Gicht-Flug appellantur, haud aliter ac tuſſis puerorum convulſiva der Ginx-Huſten, vel rectius der Gicht-Huſten dicitur. Morbus eſt infantulis communiſſimus,

utut multis Medicis incognitus, vel non ſatis exploratus, ut *Jünckenius in Medico præſenti ſeculo accommodato Part. II. Sect. II. Cap. II pag.* 791. loquitur, qui eodem autore ſub purpuræ miliaris ſpecie, ut ſæpe fit, adoriens ab aliis der Fräſel, nobis autem maculæ volaticæ convulſivæ, aut purpura infantum volatica & convulſiva dicitur, quæ nihil aliud eſt, quam eryſipelas cutis ambulatorium, cum torminibus alvi & convulſionibus, ab acido quodam volatili acerrimo productum.

§. II. Pro EXISTENTIA & præſentia affectus hujus in præſente ægrotulo militant, (1) Eſſentialiter inhærentia, ſeu concomitantia: efflorescentia ſc. cutis rubicunda & plus minus purpurea, vaga quidem, ſerpens & ambulatoria, non fixa & ut in eryſipelate uno in loco permanens, nec è parvulis exanthematibus conſtans, ut in ſcorbuto, morbillis & febribus petechialibus, ſed lata & eryſipelatodes, torminibus & convulſionibus epilepticis juncta. Eadem (2) confirmant antecedentia, errores ſcil. in diæta, tunc à matre, tum à nutrice commiſſi. Illa tempore graviditatis acidis & ſalitis nimium indulſerat, quæ non tantum ſanguini materno acrimoniam quandam affricare ſed & humores in fœtu circulantes inficere & plus minus corroſivos reddere potuerunt. Hæc vero affectibus animi diſtracta vitioſi lactis generationi occaſionem dedit, quod in tenerrimo infantuli corpuſculo interne & externe varios dolores & efflorescentias cauſari valet. Ut jam nihil de ſcabie retropulſa dicam, quæ vel ſola malo huic inferendo par eſt. Saltem conſequentia adhuc attendi merentur, ſcilic. alvi fæces intenſe virides, æruginoſæ & viſcidæ, huic morbo ſemper conjunctæ; adeoque ex omnibus illis, collective ſumtis, haud obſcure patet, infantem hunc non alio, quam ſupradicto, morbo decumbere.

§. III. Quum autem morbus hic ſoricis inſtar ſe ipſum prodat, haud difficulter quoque SUBJECTUM ejus, ſeu pars affecta determinari poterit: Cutis ſcil. & cuticula, quæ utrobique

que

que maculis illis & efflorescentiis p. n. deturpantur. Cutis equidem, tanquam verum tactus organon, pars eſt admodum ſenſilis, ob copioſas, quibus retiformis ejus expanſio diſtenditur, fibras nerveas & papillulas, à *Malpighio in Tr. de Organ. Tactus* obſervatas, ita quidem, ut haud pauci eandem nihil aliud, quam expanſionem extremitatum nervearum aut ligamentorum eſſe ſtatuant, ut celeberr. *Bohnius in Exercitat. Phyſiolog. XXIII.* docet. Mirum ergò non eſt, quod, ſi particulæ acidæ & plus minus acres, cum humoribus circulantibus, ad eandem deferantur, illamque ſuis ſpiculis irritent & vellicent, fibræ ſe contrahant ſanguinique viam intercipiant, qui per cuticulam translucendo maculas illas & efflorescentias conſtituit. Interea ut

Qui viret in foliis, venit è radicibus humor,

ita particulæ illæ acidæ & acres, antequam ad cutim, tanquam ſubjectum inhæſionis, deferantur, partim in M. S. partim in primis viis latent; hinc utrobique ſubjectum radicationis & ipſius cauſæ quærendum erit, illic quidem propinquius, hic vero remotius.

§. V. Pro CAUSA PROXIMA & IMMEDIATA interceptio ſanguinis & humorum circulantium horumque ſtagnatio inter fibrarum cutanearum interſtitia eſt habenda, quæ ut in omni inflammatione atque eryſipelate, ita & hic accuſanda venit. Quamprimum enim ſenſiles & nervoſæ cutis fibrillæ, à particulis acribus vel acido ſalinis, lege circulationis, cum ſanguine arterioſo, ad cutis retiformem expanſionem delatis vellicantur criſpando ſe & quodammodo corrugando ſanguini præterlapſuro viam & commeatum intercludunt, qui ſe extricaturus crebrius in illas impingit & inſignem ſimul dolorem cauſando ſpiritus jamdum irritatos eo allicit, qui furioſum illuc impetum faciendo fibrasque magis tendendo dolorem motibusque reciprocatis calorem augere poſſunt.

§. VI. Fomitem & materiam, morbum hunc & producentem & alentem, tanquam CAUSA MEDIATA, miniſtrant

ſtrant particulæ p. n. acido-ſalinæ & plus minus acres, quales in pueris adhuc lactentibus quam facillime generari poſſunt, tum, quod lac maternum, ſive bonæ, ſive malæ notæ ſit, facile aceſcat, tum quod nutrices affectibus quibuscunque animi vehementioribus distractæ, eidem facilime acrimoniam quandam affricare poſſint. Unde plerique Scriptores, qui de morbis infantum ex profeſſo, quod dicitur, egerunt, *Primeroſius* ſc. *Strobelbergerus*, *Ettmüllerus*, *Harris* & alii, tantum non omnes illorum affectus acido p. n. tribuunt & pro curatione illorum alcalia & abſorbentia præ aliis laudarunt. Omnes ergo cauſæ ægritudinum infantilium antecedentes & mediatæ, quotquot revera fuerint aut excogitari poterant, in una cauſa proxima tandem coaleſcunt, nimirum in acido longe lateque præpollenti, verbis Doctiſſimi Angli, *Gualteri Harris*, *Tr. de Morbis acutis Infantum p. 25.*

§. VII. Acidum hoc præternaturale in ſubjecto noſtro non tantum ad oculum oſtendere fæces alvi virideſcentes, quæ à nulla alia cauſa deduci poſſunt, cum juxta recentiſſima *Baglivii*, Medici Romani Celeberrimi, experimenta, *Tr.* ejus *de fibra motrice* ſubjuncta, acetum bili commixtum ſimilem tincturam efficiat: ſed & idem reliqua in Caſu noſtro obvia SYMPTOMATA eorumque connexio confirmant. Scabies certè & puſtulæ in collo dorſoque effloreſcentes ab omnibus fere Practicis à particulis acidis & acribus, cutem erodentibus deducuntur: eaque de cauſa nonniſi alcalibus & balſamicis, acidum illud aut invertentibus, aut obtundentibus, curatur. Quum vero neglectis hiſce in præſenti ægrotulo per alia inconvenientia topica ſpicula illa acido-viſcida retropulſa fuerint, non potuerunt non per crebriores ſanguinis circulationes magis attenuatæ eaxſperari & ferociores reddi, ut de novo ad expanſionem cutis retiformem delatæ eandem vellicarint & irritarint, unde fibrillæ cutis horripilatione quaſi correptæ, ſe ſtringendo, ſanguini circulanti viam intercludebant, qui ali-

quantiſper

quantiſper illic ſtagnando & per cutim translucendo maculam & efflореſcentiam cutis rubram in brachio puerili efformabat. Et licet hæc partim per tranſpirationem inſenſibilem , partim per ſcabiem , poſt diaphoreticorum & expellentium adhibitionem redeuntem, prima vice evanuerit, attamen denuo retropulſa ſcabie non potuit non major illarum partium inflammatio oriri, quæ ſucceſſivè aucta totum corpus occupavit & ob ſanguinem quodammodo coagulatum nigricantem fere colorem, ſphacelo fere proprium, præ ſe ferebat, non ſine adſtantium terrore. Quandoquidem vero magna quoque ſpiculorum illorum & particularum inæqualium colluvies & in M. S. & in primis viis remanſerat, illic motum fermentativum ciendo febrim : hic vero tormina & inde deducendam Epilepſiam per conſenſum intulerunt, quæ non niſi ejecta per clyſteres , partim & per diaphoretica cauſa morbifica ceſſarunt.

§. VII. Anſam his, tanquam CAUSÆ OCCASIONALES & externæ , è rebus naturalibus , procul dubio dedit temperamentum matris cholericum, quod cumprimis à *Junckio l. c. p.* 29. accuſatur, ſiquidem & ſimile, plus minus acre , nutrimentum fœtui communicatur & lactantes ad crebram iracundiam diſponit, quæ eo pejor, ſi & triſtitia nutricis (ut in noſtro caſu) acceſſerit, cum per utrumque affectum & nutrimentum in utero materno & lac in mammis depravetur. An & incendium, in vicinia exortum, Nutrici ex arce ſpectanti terrorem incuſſerit , certo aſſerere non audeo. Curioſa tamen eſt citati modo Autoris relatio , quod ab exorto incendio cujusdam civitatis periculoſo lactentes plus centum , poſt diem ab incendio ſeptimum , hoc morbo correpti ſint & illorum plurimi die 4. epilepſia interierint. Unde factum eſſe putat, quod mulierculæ morbum hunc cum epilepſia confundant. *vid. l. c.* Maxime autem è rebus non naturalibus vitia diætæ tempore geſtationis à matre commiſſa hic conſideranda ſunt, quum acida, quibus plus, quam expedit, ineſcata fuit, ſimilem acri-

 moniam

moniam humoribus in fœtu circulantibus affricare potuerint: quæ in cauſa ſæpe eſt, ut aut in utero latentes tenelluli ſuos quoque manes patiantur, ut *D. Frid. Hoffmannus in* Diſp. *de Morbis Embryonum* oſtendit: Vel in lucem editi variis affectibus fiant obnoxii eoque facilius, ſi mutata nutrice nova quædam alteratio in M. S. oboriatur. Sicut enim lacti materno jam in utero adſuefactum fuit infantuli corpuſculum, ita viæ, per quas nutriri debet extra uterum porique lacti novo Nutricis minus proportionati ſunt, unde plerumque plurimis morbis obnoxii fiunt infantuli, qui non materno, ſed peregrinarum nutricum ſanguine aluntur. Hinc non ſine cauſa *Phavorinus* Philoſophus, *A. Gellio* præſente, cujusdam Auditoris ſui, Senatorii Ordinis & Nobilis, uxori tam ſerio ſuaſit, ut filium recens natum lacte ſuo nutriret, non obſtante matris proteſtatione, ut apud *Gellium in Noct. Attic. lib. 12. C. 1. p. 281.* videre licet. Quantum vero è rebus præternaturalibus nocumentum adferat ſcabies retropulſa, de eo pleni ſunt Practicorum libri hicque viva docuit experientia. Nec mirum eſt particulas illas acido-ſalſas in ſcabie notoriè peccantes, per repetitam ejusmodi retropulſionem majorem acrimoniam contraxiſſe & cum antea particulis viſcidis irretitæ fuerint, per motum circulatorium inde liberatas & quaſi volatiliſatas tum calorem p. n. tum & maculas illas volaticas induxiſſe, cum hac ratione ad motum promptiores reddantur, à quo calor & ſerpendo creſcens rubedo in corpuſculo infantis dependebant.

§. VIII. Quoad PROGNOSIN Maculæ Volaticæ ſolitariæ adeo periculoſæ non ſunt, cum & hic applicari poſſit *Aph. Hipp. 25. ſect. 6.* Eryſipelas foris intro converti, malum: Intus vero foras, bonum. Interim raro prius evaneſcunt, quam per totam corporis peripheriam graſſatæ fuerint, ſive deſcendendo à capite ad calcem, ſive aſcendendo à pedibus ad caput illud fiat, cujus utriusque exemplum novi. Convulſionibus autem

junctæ

junctæ & nigricantes periculo non vacant, cum, ni tempeſtivè obviam eatur, plures inde puerili diem ſuum obiverint, quod de unica ſua ſobole conqueritur *Volterus* im Heb-Ammen Buch p. 421. Curioſum hic & inquiſitione non indignum eſt, quod tum *Gregorius Horſtius*, tum *Jonſtonus*, de maculis hiſce perhibent, quod tantum non ſemper lethales ſint, quando in orificium aliquod incidant & per illud corpus intrent. Prior enim *Tom. 2. Oper. lib. 9. l. 44. in Epiſt. ad D. Hochſtetterum* ita loquitur: cæterum in *Germanico libro Medicinali Principiſſæ Darmſtadinæ p.* 648. der Flug ita deſcribitur: der Flug der kleinen Kinder ſeyn braun - rothe Flecken, welche ſich an einem Ort des Leibs erheben und allezeit fortlauffen, biſs ſie ein Loch antreffen da ziehen ſie ſich in den Le b, und muſs alsdann das Kind ſterben, &c. Poſterior vero in *Idea Medic. Pract. pag.* 270. his ſimilia habet, quæ ſequuntur: Maculæ infantum Volaticæ ſunt maculæ rubræ & purpureæ, hinc & inde ſerpentes, quod ſi orificium aliquod, puta os, nares, oculos, aures attigerint, malum lethale fieri æſtimatur. Equidem ſi per orificium uteri aut ani hoc accidat & malum intus ſerpendo inflammationem producat, illud facile crediderim. An vero hoc adeo perpetuum ſit, ut & in aliis partibus, ore, v. gr. naribus & oculis ſimile periculum immineat, illud non facile admiſero, quum caſus mihi cogniti ſint, ubi & anum citra periculum obſederunt maculæ hujus generis, quod & in noſtro ægro obſervatum fuit. Ut adeoque certum & infallibile inde prognoſticum, ſive ſalutis, ſive mortis, deſumi non poſſit.

§. IX. Pro feliciore mali hujus CURA ad 4. ſequentes ſcopos attendendum erit, quorum I. Cauſarum Occaſionalium remotionem indicat, ut uberior illi focus præſcindatur. II. Materiæ peccantis eliminationem per vias convenientes indigitat. III. Sanguinem in partibus & integumentis externis hærentem & quodammodo ſtagnantem in priſtinum motum reſtituendum eſſe dictitat,

ctitat & demum IV. ſymptomata conjuncta, cumprimis tormina abdominis & convulſiones, ſopienda ſuadet.

§. X. Vi I. Indicationis aër fugiatur frigidus: in calore enim detinendi ſunt infantuli, non ſecus ac ſi morbilli aut variolæ exprimendæ ſint, verbis ſupra *cit. Jungkii Med. præſ. ſec. accommod. pag.* 792. id quod tempore autumnali cumprimis & hyemali obſervandum eſt, quo puerili ad ſudorem usque linteaminibus involuti, facillimè hoc morbo corripiuntur, ſi partes extricatæ ab aëre frigidiori ſubito obruantur ſicque ſanguis hic ſiſtatur, wann das Geblüt geſchrecket wird, ut *Volterus l. c.* cum vulgo noſtro loquitur. Cibi ultra appetitum (qui ſimul proſtratus eſt) non obtrudantur. Sufficit ſi ubera præbeat Nutrix, cui balſamicis & alcalinis proſpiciendum, prohibendo acida. Infantuli autem in continua quiete detineantur, & quantum fieri poteſt, ad ſomnum diſponantur. Alvus aperta ſervetur ipſaque nutrix ab omnibus animi pathematibus vehementioribus abſtineat.

§. XI. II. Indicatio particulas morbificas à circumferentia cutis in ſanguinem repulſas ocyus exterminandas eſſe ſuadet, & quidem per diaphoretica, bezoartica & expulſiva, qualia ſunt C. C. ſine △. unicorn. Bezoar. or. & occid. ♁. diaphor. ſpin. viper. & inde conſtans bezoatd. animale, pulv. bezoart. Angl. Pulv. Marchionis, Eſſ. Myrrh. Liq. C. C. ſucc. Aqua card. B. flor. ſamb. fumar. &c. v. gr.

℞. *Pulv. bezoard. Angl.* ʒj.
Antim. diaph. ℈j.
Cinnab. nat. præpar. ℈ß.
Ther. coel. gr. ij.

M. D. S. Austreibendes Pülverlein, des Tags 3mahl ein Meſſer-Spitz voll zu geben.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. fumar.*
fl. ſamb. aa. ℥iß.
Liq. CC. ſucc. ʒj.
Syr. flor. Tunic. ℥j.
M. D. S,

Waſſer zum Pülverlein. Vel & Emulſio parari poterit ex ſeminibus expulſivis, Sem. ſc. C. B. C. M. nap. &c. ſequentem in modum:

℞. *Sem. card. bened.*
Mariæ aa. ʒj.
Amygd. d. rec. ʒij.
C. S. Q. *Aq. fumar. F. Emulſ.*
Add. *Ceruſſ. antim.*
C. C. ſine △. *aa.* ʒß.
Edulc. cum *rot. man. Chriſt. perl.*

M. D. S. Vermiſchte Mandel-Milch, davon offt ein Löffel voll zu geben.

Quodſi vero à talibus, infantulis alias acceptis, formulis & medicamentis abhorreat puerulus, tentandum, an vel Liq. C. C. ſucc. vel Eſſ. Myrrh, vel ſimilia guttatim in lacte nutricis propinari poſſint.

§. XII. Eadem III. quoque indicationi ſatisfacient, quibus & ſpecifica quædam & externa topica addenda ſunt. Illic duo cumprimis vegetabilia ſunt, quæ morbo huic ſpecifice conveniunt, dentaria ſc. & viola tricolor, vulgo flos Trinitatis dicta. Utrumque enim vegetabile in Palatinatu, ut & Norimbergæ Fraiſam, Freiſcham-Kraut dicitur, ut ex *Camerario* perhibet *Simon Pauli*, *Quadrip. Bot. pag.* 59. *&* 167. Vox autem Germanorum Fraiſam Epilepſiam denotat, cumprimis illam, quæ ex abdomine per conſenſum oritur & recrementa alvi virideſcentia conjuncta habet, quæ & eodem hoc nomine ſæpe mulierculis venire ſolent. Quemadmodum autem prioris radice potiſſimum utimur in praxi,

 ita

ita poſterioris herba, ſive in decocto, ſive in infuſo adhibita, tam diluendo, quam edulcorando, egregie ſe gerit. Quibus & externa nonnulla topica adjungi poſſunt, pulveres ſc. eryſipelatodes, ♈. Camphoratus, ſpir. ſal. ammon. & ſimilia, v. gr.

℞. *Flor.* ♃*ris.*
Ceruſæ aa. ℥ij.
Sacch. Saturn. ℈iß.

M. D. S. Euſſerlich Pulver auff die Röthe zuſtreuen.

§. XIII. Quæritur, an Epithemata vel Cataplaſmata à Chirurgo adhibita continuari debeant? Non æſtimavero, cum ſimilia in lacte decocta ſanguinem, à fibris cutaneis ſe ſtringentibus interceptum, adeo non diſcutiant, ut particulis oleoſis & viſcidis, poros cutis obſtruendo, ejusmodi diſcuſſionem magis impedire valeant. Equidem & mulierculæ norunt eryſipelas humida cumprimis aquea & plus minns viſcida, perferre non poſſe, ſed vel exſiccantia, vel ſimul ſpirituoſa volatilia exigere. Cum vero revera hic ſpecies quædam eryſipelatis occurrat, ſane magmata ſimilia non tantum fruſtranea prorſus, ſed & inſimul nociva ſunt. Unde & in noſtro caſu tum Ordinarius, tum Extraordinarius (qui ſimul in conſilium vocabatur) Medicus, Chirurgi hujus, à domeſticis aniculis commendati, remotionem jure meritoque urgebant ejusque impaſtationes cane pejus & angue fugiendas eſſe docebant.

§. XIV. Inter ſymptomata, quibus juxta IV. Indicationem quoque occurrendum erat, tormina abdominis, indeque per conſenſum excitatæ Convulſiones Epilepticæ cumprimis attendi debent, quorum illa Clyſteribus ſæpius iteratis: hæ vero ſpecificis antepilepticis ſopiri debent. Illic Clyſteres Terebinthinati egregie ſe geſſerunt. ſeq. in modum præſcripti:

℞. *Decoct.*

℞. *Decoct. Chamomill. cum flor. ℥iij.*
Tereb. Venet. in vitello ovi ſol. ʒj.
Sal. vol. ſucc.
CC. ana gr. iij.
M. F. Clyſt. injic. tepidè.

quo excrementa alvi viſcida & æruginis inſtar virideſcentia copioſiſſima educta fuerunt cum levamine. Hic cinnabarina Bezoarticis mixta egregie ſe geſſerunt, in aqua ceraſ. nigrorum & fl. lil. exhibita. Summum vero puerulus levamen ſentiebat ex fabæ S. Ignatii uſu, quæ in forma pulveris & in infuſo exhibebatur, cum præſentaneo & admirando fere effectu, ſiquidem vix prima doſi exhibita motus epileptici externi ſtatim ceſſabant: repetita vero doſi & internæ convulſiones omnino profligatæ fuerunt.

§. XV. Ne tandem inflammatio ad orificia ſe approximando & ad interiora ſerpendo vergat, ſaltem ne aliquid omiſiſſe videamur, commune plebeculæ experimentum quoque non prorſus negligendum, quo crocum cum aqua roſarum, vel qui præſtat Sp. V. Camphorat, ambitus orificiorum penna illis intincta illinendo muniendi ſunt: quibus & macularum atropurpurearum circumferentia, ad præcavendam gangrænam, circumduci poſſunt. Quin & ulcuſculum aliquod circa femora aut pedes apertum relinquatur, ut verſus exteriora vergat tandemque prorſus evaneſcat inflammatio, qua durante puerili balneo imponendi non ſunt, ſuadente *Voltero l. c.*

TANTUM!

CAS. XIV.

DE RHACHITIDE.

HISTORIA.

Puerulus á magnæ proſapiæ Parentibus, ſed ex parte ſcorbuticis, progenitus, jam à ſesquiennio & quod excurrit, inſigni gravisque artuum debilitate corripitur, ut neque pedibus inſiſtere, neque erecto, ſed inclinato ſemper capite ſedere valeat. Adhæc notabili quadam corporis diſproportione laborat, ita ut caput juſto majus, abdomen tumidum & tenſum, oſſa, tibiæ cumprimis, incurvata, ſpina dorſi nonnihil arcuata, pectus anguſtum & acumi-

acuminatum, artus interea cum partibus carnoſis flacceſcentes, graciles & effæminati appareant: circa articulationes ſimul in carpo & tarſo nodi quidam & excreſcentiæ obſervantur, cute flaccida exiſtente. Variis, ſed incaſſum fere adhibitis remediis, iisque utplurimum externis, balneis, linimentis &c. tandem contumaces pectoris anguſtiæ, diſpnœa, tuſſis imprimis nocturna accedunt. Quandoque & aphthæ in ore & lingua conſpiciuntur, maſticationi incommodantes. Cum vero infans ultra ætatis rationem perſpicax & ingenioſus ſit, & facillime medicamentorum, potui & cibis immixtorum, odorem perſentiſcat omniaque abhorreat, hinc usquedum, ingratiis etiam Medicorum, ſymptomatibus illis exercetur, eamque ob cauſam Parentes etiam atque etiam auxilium efflagitant.

RESOLVTIO.

§. I.

Affectus ægrotulum noſtrum præmens Rhachitis eſt, morbus infantum cunas infeſtans, Veteribus aut planè non, aut obſcure ſaltem cognitus, quem in Anglia natales ſuos habuiſſe, ac propterea Anglis de eo primum commentandi occaſionem dediſſe, non tantum Angli, *Gliſſovius* & *Mayovius*, ſed & aliæ nationes atteſtantur. Vid. *Primeroſius de morbis puerorum cap. ult.* Interea temporis tractu alienas terras viſitans in noſtram etiam Germaniam transmigravit, id quod ubivis fere obſervare licet, ſpeciatim vero propoſita hiſtoria abunde teſtatur, adeo, ut quamvis pro novo habeatur morbo, tamen lippis, tonſoribus ac mulierculis jamdum cognitus ſit, qui eum à ſolo natali vulgo die Engliſche Kranckheit, & in quibusdam locis doppelte Glieder, doppelte Gewerber, Angli vero nomine *the Rickets* appellare ſolent. *Eſt* autem Rhachitis *depravata partium nutritio, qua nonnullæ in molem juſto majorem excreſcunt, quædam vero extenuantur, cum partium flacciditate, plerorumque oſſium, tibiæ cumprimis ac ſpinæ dorſi incurvatione, ex inæquali nutrimenti & ſpirituum diſtributione orta.*

§. II. Hoc autem morbo ægrum noſtrum conflictari confirmant (1.) Rhachitidi eſſentialiter inhærentia, nempe depravata plerarumque corporis partium nutritio, caput juſto majus, oſſa, tibiæ cumprimis, incurvata, ſpina dorſi varie inflexa, pectus anguſtum & acuminatum, artus cum partibus carnoſis flacceſcentes, graciles & effæminati, nodi & excreſcentiæ circa articulationes in carpo & tarſo, Prout idem etiam oſtendunt (2.) cauſæ

ſæ antecedentes, inter quas potiſſimum eminet ætas infantilis, cui ob teneritatem ac exilitatem nervorum proprius eſt hic morbus, ut & diſpoſitio hæreditaria ſcorbutica, à Parentibus communicata, quam ob particulas acidas maximum pondus huic morbo progenerando afferre nemo ibit inficias. Nec (3.) Symptomata morbum hunc aggravantia, utpote contumaces pectoris anguſtiæ, dyſpnœa ac tuſſis imprimis nocturna, aphthæ in ore, ut & ingenium ultra ætatem perſpicax, ac denique curatio longa & difficilis alium morbum, quam rhachitidem, adeſſe convincunt.

§. III. Quamvis vero tota machyna hydraulico-pnevmatica, tanquam ſymptomatum recenſitorum ſubjectum, hic ſit affecta, primarius tamen, in quo arma ad eam debellandam fabricantur, focus eſt medulla ſpinalis, quæ nihil aliud eſt, quam propago cerebri per ſpinam dorſalem huic uſui dicata, ut ea nervorum paria, quæ ſpinalia vocantur, in collum, thoracem ac artus diſtribuat, ad ſenſum & motum mediantibus ſpiritibus animalibus perficiendum. Hac igitur in ipſo principio obſtructa, facile hariolari poſſumus, partes illas prænumeratas, pro ratione obſtructionis illius vel majoris vel minoris, ſpiritibus vel omnino privatas, vel non ſufficienter irradiatas, aut ſenſu & motu, aut nutrimento deſtitui.

§. IV. Cauſam igitur proximam formalem hujus affectus ſtatuimus obſtructionem medullæ ſpinalis, ortam quidem à materia quadam pituitoſa, viſcida, eam replente, tanquam cauſa proxima materiali. Quod ut eo clarius intelligatur, conſiderandum, nutritionem in ſtatu ſ. n. eo fieri modo, quo ſerum ſanguinis, in legitima craſi conſtitutum, cum ſanguine porulos & meatulos partium præterfluens, iiſdem ſeſe inſinuat, ac ſecundum fibrarum, pororum ac meatuum ductum adhærendo eas nutrit ac auget. Hæc autem actio rite

proce-

procedere nequit, ni ſpiritus animales, per nervorum tubulos omnibus partibus transmiſſi, poros earundem apertos ſervent, ne horum anguſtia ſucco nutritivo viam præcludat, ejusque ingreſſum ac inſinuationem ſubſequentemque agglutinationem impediat. Cum vero ſanguis in hoc caſu legitime circulum ſuum per venas & arterias abſolvat, nec etiam tanta ſit ejus intemperies, ut ea nutritioni obſtare poſſit, cum videamus partes quasdam, veluti oſſa ac cartilagines, ut & viſcera abdominis ac muſculos capitis, probe nutriri, evidentiſſime eluceſcit, hanc partium inæqualem nutritionem non ſanguini, ſed obſtructioni nervorum quorundam & hinc reſultanti denegato ſpirituum in quasdam partes influxui deberi: cumque partes à medulla ſpinali nervos recipientes emacientur, è contra, quibus iidem immediate è cerebro communicantur, in molem majorem augeantur: obſtructionis hujus ſedem in medulla ſpinali merito collocamus. Hac enim via ſpiritibus ad partes præcluſa, pori harum ac meatus, qui ab eorum motu antea aperti tenebantur, nunc collabuntur, anguſtantur, ac ingreſſum inſinuationemque roris nutritivi impediunt. Hinc ſi partes muſculoſæ (quibus præter defectum & ſubtractionem debiti augmenti, quod pro ratione ætatis capere debeant, etiam ſemper aliquid per inſenſibilem transſpirationem ſecedit) defectum hunc reſarcire nequeunt, emaciantur. Emaciati muſculi, præterquam quod cutis ſpatiola minus repleant, ac ita ejusdem flacciditatem cauſentur, oſſa annexa, quæ ad nutritionem ſpirituum auxilio non indigere ſtatuimus, tendunt, hæc quamvis nutrita, tenſa tamen, cum in longitudinem excreſcere ſeſeque extendere nequeant, incurvantur, unde oſſa, tibiæ cumprimis, nonnihil incurvata, ac ſpina dorſi ſimiliter arcuata & literam S. quodammodo repræſentans, pro varia muſculorum diverſis in locis annexione conſpicitur; cumque muſculi intercoſtales extenuentur, coſtæ è contra alantur, illi has conſtringendo impediunt, quo minus ſecundum longitudinem augmentum capere poſſint, ſed in nodos & acumen excreſcere faciunt, quæ omnia

in

in elegantiſſimis figuris æneis ob oculos ponit jam ſupra laudatus *Mayovius, Tract. de Rhachitide.* Nec alia eſt ratio, cur nodi in carpo & tarſo obſerventur: eorum enim oſſa à muſculis eadem undique cingentibus conſtricta cum æqualiter ab omnibus lateribus tendantur & propterea nec in longitudinem creſcere, nec etiam incurvari queant, in magnitudine ac mole tantum augentur, ac in nodos excreſcunt. Interea dum ſpiritibus animalibus influxus in denominatas partes denegatur & tamen in ſufficienti quantitate illi generantur, in majori copia ad eas ablegantur partes, quarum nervi à cerebro (quod minus eſt obſtructum) immediate oriuntur. Hæc ſcilicet vera eſt cauſa, quamobrem caput in molem juſto majorem excreſcat ingeniumque ultra ætatis rationem perſpicax ſit & acutum, ſpiritibus ſcilicet in majori copia in cerebro detentis & velocius animæ rationalis juſſa exequentibus; viſcera autem abdominis juſtam proportionem excedunt, utpote quæ nervos ſuos à cerebro recipiunt, qui ipſis ſatis copioſum ſpirituum animalium proventum largientes ea latius excreſcere & conſequenter abdomen tumere faciunt. Cumque hac ratione pulmonum ſubſtantia veſiculoſa in majorem molem, quam loci anguſtia capit, augeatur, hinc à compreſſione pectoris per vitioſam ſterni ac coſtarum conformationem ſanguis non legitime per venam pulmonariam circulatus, ſtagnando pulmones infarcit, qui humores ſtagnantes poſtea acriores redditi, rodendo ſubſtantiam pulmonum eos diſcontinuant pure, replent eorumque cum pleura adnaſcentiam cauſantur, quam in omnium, hoc morbo defunctorum, cadaverum ſectione ſeſe obſervaſſe teſtatur *Gliſſonius*; unde non mirum pectoris anguſtiam, dyſpnœam ac tuſſim ægrum noſtrum affligere, quæ nocturno tempore, ob impeditam transſpirationem, ingraveſcit, quamvis etiam tum ex diætæ errato, tum ex MS. vitio in ſtomacho coacervatæ cruditates eam exacerbare valeant, (præſertim in tenellis infantibus, quorum tuſſim fere ſemper ex hoc fonte derivat *Lindenius* & ex hoc *Ettmüllerus*) quæ etiam in caſu propoſito tragœdiam ſuam ludunt,

dum chylo & ſanguini commixtæ in eoque exaltatæ & per circulationem ad gingivas & palatum delatæ, teneras has partes rigiditate ſua rodendo, aphthas in ore & lingua producunt, maſticationi incommodantes, quæ alias absque MS. vitio in infantibus erumpentes vix aliam originem agnoſcunt, quam acorem vitioſum ex ſtomacho exhalantem, qui in hoc affectu ſuos etiam patitur Manes, dum ejus fermentum à ſanguine & ſero, ob defectum ſpirituum aceſcente, inquinatum ac debilitatum variis cruditatibus ac flatibus, tum in ipſo, tum in annexis inteſtinis anſam dat, quæ hæc inflando hypochondriorum tenſionem cauſantur, pectoriſque anguſtiam ac difficilem reſpirationem adjuvant. Summa præterea adeſt artuum debilitas, quæ tum muſculorum extenuationi, tum ſpirituum animalium defectui debetur.

§. V. Diris autem hiſce ſymptomatibus tanquam Occaſionalis Cauſa anſam occaſionemque dedit ætas infantilis, non ſolum ob teneritatem & exiguitatem viarum, quæ facillime occludi poſſunt, ſed etiam ob mollitiem & teneritatem oſſium, quæ à leviſſima cauſâ inflecti & intorqueri queunt; unde etiam morbus hic infantibus proprius eſt, nec adultos facile affligere ſolet. Quamvis enim horum nervi ab obſtructionibus immunes non ſint, durities tamen oſſium, quæ jamdum juſtam magnitudinem & craſſitiem adepta ſunt, nec amplius augmentum capere poſſunt, obſtat, quo minus incurventur, adeo, ut eorum obſtructio tabem potius inferat vel paralyſin, quàm Rhachitidem proprie ita dictam. Nec inſuper habenda eſt diſpoſitio hæreditaria ſcorbutica, à Parentibus ex parte ſcorbuto inquinatis tenero infanti communicata, cujus contagioſa indoles notiſſima, quæ ob particulas acidas, craſſas ac fæculentas maximum pondus huic morbo progenerando afferre ſolet, adeo ut ſint, qui hunc affectum nihil aliud niſi ſcorbutum eſſe defendere ſuſtineant, quamvis omnia ſymptomata inde deducere vix ſit poſſibile. Præterea etiam cibus & potus, tum quantitate tum qualitate peccantes, ad obſtructiones quam facillime

me diſponunt, præſertim in infantibus, quibus ad quemlibet ex quacunque cauſa excitatum ejulatum, licet renuentibus, ad nauſeam ac vomitum usque eos ori intrudunt nutrices, ac, dum lactant, mactant, recte hoc obſervante *Kerckring. Spicil. Anat. obſ.* 40. Tenerior enim eorum ſtomachus eſt & minus exaltatum fermentum digeſtivum, quam ut quantitate nimia, vel etiam qualitate excedentia rite ſubigere poſſit, unde ſuperficietenus tantum ſoluta vel per alvum amandantur, vel per portam, quam intrarunt, iterum exeunt, vel ſanguini infuſa & commixta eum variis cruditatibus inquinant; in quo diætæ vitio cumprimis ſuperflua & inordinata lactis infuſio conſideranda, priori, licet crudo adhuc & nondum digeſto, in ſtomacho hærente, unde novi ſuperingeſti neceſſaria congrumeſcentia, ac utriusque in paſtam viſcidam acidam corruptio ſuccedit, ut jam ejus alterationem ac depravationem per varia, tum ab infante, tum à nutrice ingeſta qualitate peccantia, ſilentio prætercam.

§. VI. Optimum interea in Prognoſi inſtituenda fuiſſet, ſi, non omiſſis externis, balneis, linimentis &c. ſtatim in morbi principio ipſa ejus radix, ex qua omnia hæc ſymptomata progerminant, internis quoque medicamentis evulſa atque extirpata fuiſſet, quæ jam tam firmiter inhærere videtur, ut vix ſperare liceat, eam amplius evelli poſſe, inprimis, cum ingenii perſpicacia Medicorum aſtum, quo medicamina, quæ alias horrerent ægri, deſiderati ab ipſis cibi potusque involucris tegunt, eludat, ac ita omni fere curæ obicem ponat, tantusque jam ſit ferocium ſymptomatnm confluxus, ut eorum tanta ſit habenda ratio ac ipſius morbi, curamque ſi non plane nullam, ſane tamen difficilem minentur. Interea non omnino deſperandum, ſed, ſecundum *Celſi* præceptum, præſtat anceps, quam plane nullum experiri remedium.

§. VII. Ut itaque in Cura ſcopum noſtrum obtineamus, attendendum eſt tum ad cauſas morbificas, tum ad ſympto-

matum atrociam, quæ penitus penſitata nobis indicant (1.) removenda eſſe omnia, quæ malo huic fomitem ſubminiſtrare illudque exacerbare poſſint: (2.) materiam medullam ſpinalem obſtruentem incidendam & præparandam & per vias convenientes educendam obſtructionesque aperientibus reſerandas, ac ita æqualem ſpirituum animalium diſtributionem promovendam eſſe: (3.) virium habendam eſſe rationem, nervosque confortandos: (4.) ſymptomatibus urgentioribus obviam eundum.

§. VIII. Primæ indicationi ſatisfacimus imperando DIÆTAM, quæ eo collimare debet, ne ab illegitimo ſex rerum nonnaturalium uſu novæ fæces collectæ obſtructionem pertinaciorem reddant. Proinde aër, quantum poteſt, eligatur temperatus, ac, ſi climatis temporisque injuria non permittat, arte talis reddatur. Vitetur inprimis frigus, quod poros cutis occludendo obſtructionum mater eſſe ſolet. Hinc proſpiciatur, ut ſtomachus à ſaburra viſcida, qua oneratus eſt, per lene vomitorium (quod hic cæteris paribus, maxime proficuum eſſe nemo ſanæ mentis negabit) liberatus, chylum impoſterum laudabilem M. Sæ. transmittat. Poſtea cibi porrigantur boni ſucci & boni nutrimenti, cocti quidem cum herbis & radicibus aperientibus, caput & nervos corroborantibus: vitentur omnia acida, ſalita ac fumo indurata, imprimis tenellis infantibus communiſſima & nocentiſſima ἀδδηφαγία, quæ particulis viſcoſis ſanguinem replendo multorum malorum ſemina ibidem ſpargit, in exitiales fructus ferentes arbores etiam in provectiori ætate progerminantia. Quare poſt paſtum parum ſem. fœniculi, aniſi vel carui aſſumat æger, quæ ſaccharo obducta facillime ipſi porriguntur & digeſtionem ac debitam chyli diſtributionem adjuvant flatuumque generationem impediunt. Potus propinetur conſuetus ac probe defæcatus. Quieti non nimium indulgeatur, ſed variis exercitiis huic ætati convenientibus, geſtatione in ulnis, jectigationibus in iisdem ac cunis, luſu in ſedendo, equitatione in equo ligneo &c. ſpiritus animales

males in motum rapiendi & eo adigendi, ut impetum in humores ſtagnantes faciendo obſtructiones reſerent. Præterea ſomnus & vigiliæ modum non excedant, hæ tamen illi præponantur. Ex animi pathematibus vitentur, quæ humorum motum retardare eosque incraſſare queunt, terror, triſtitia, ira &c. eligantur vero, quæ ſpirituum motum concitatiorem procurant, ut gaudium, lætitia &c. Alvus denique ſuo ſatisfaciat officio, aut, ſi hoc neglexerit, clyſteribus emollientibus vel ſuppoſitoriis ejus commonefiat: ſin vero nimis fuerit liberalis, lenioribus adſtringentibus ad frugalitatem adigenda erit.

§. IX. Quamprimum igitur hoc modo undique proſpectum eſt, ne malum per errata diætæ incrementum capiat, nihil non tentandum, ut (quæ altera Indicatio jubebat) materia medullam ſpinalem obſtruens loco moveatur æqualisque ſpirituum animalium diſtributio promoveatur. Cum autem materia hæc tum ſua natura, tum ob moram, quam traxit, valde tenax ſit, adeoque firmiter inhæreat, ob id neceſſum erit, ut per digeſtiva aliquamdiu præmiſſa incidatur & attenuetur, quo eo felicius poſtmodum ejus evacuatio per vices inſtituta ſuccedat. In uſum igitur vocanda Aperientia, Epatica, Splenetica, ac Antiſcorbutica dicta, tum ſimplicia, tum compoſita, qualia v. gr. ſunt *Rad. filic. aſparag. petroſel. ruſc. cichor. fœnic. glycirrh. Herb. cochlear. naſturt. rut. murar. capill.* ♀. *epat. nob. ling. cerv. nummular. beccabung. veronic. Flor. geniſt. bugloſſ. borrag. Sem. aniſ. fœnic. carv. aneth. coriandr. Paſſul. Lign. ſaſſafr. Cort. tamariſc. Gumm:* ♓, *Tartar.* & ex eo parata: *Milleped. Caſtor. Lap.* ♋. ⊖. ♓. *Cinnab.* tum *nativ.* tum *ex* ☿. parat. &, ſi viſcerum tonus adhuc conſtaret, ♂. & ex eo parata *Croc.* ♂. *Tinctur.* ♂. *pomat. cydoniat. Eſſ.* ♂. *Tartaris: Tinctur.* ♂ ☉*ris, &c.* cum vero tonus viſcerum in ægro noſtro ſit valde debilitatus, merito à ♂ialibus abſtinemus. Ex compoſitis *elix. ſcorbut. Rolfinc. pulv. sach. Querc. abſcorb. Wed.* &c. quorum uſus ad malum hoc de-

 bellan-

bellandum præſtantiſſimus eſt, *flor.* ⊖. ♓. ſive communes, ſive tincti, qui poſtremi ab *Helmontio Ens* ♀. dicuntur, quod, ut ex ordinatione *Magnifici Dn. Rectoris D. Valentini*, juxta enchireſes *Illuſtris Boyle* heic locorum præparavit Dn. *Scipio*, Pharmacopœus ad cervum verſatiſſimus, nunc ab aliis quoque Practicis celebrioribus feliciſſime præſcribitur. Cæterum ex hiſce variæ poſſunt præſcribi formulæ, v. g. pro decocto:

℞. *Rad. apii fœnic. polyp. ana* ℥ß.
glycirrh. ʒij.
Fol. ling. cerv. capill. ♀. *cuſcut. beton. chelidon. tamariſc. ana* Mß.
Uvar. Corinth. ℥ij.

Coq. in ▽. hord. ℔ij. ad dmiidium Colat. D. S. Sonderlicher Tranck 3. biſs 4. Löffelvoll des Tages 3. mahl zunehmen.

Infundi ſimul poſſunt Spiritus, Tincturæ, Eſſentiæ, v. gr.

℞. *Eſſ. Pœon.*
Fumar. ana ʒij.
Fl. ⊖. ♓. ℈j. *M. D. S.* Sonderliche Eſſentz, des Tages etliche mahl 5. Tropffen im verordnetem Tranck zunehmen.

Vel

℞. *Pulv. ad Rhachit. Bateani* ℥ij. *D. S.* Sonderlich Pulver auf die Suppen oder Brey zuſtreuen.

Hiſce per aliquot dierum ſpatium præmiſſis, curandum, ut purgantibus lenibus ſordes hæ per epicraſin eliminentur, ubi quidem ſedulo abſtinendum à purgantibus draſticis, quæ nimium quandoque humorum motum cientia exitialia inferre ſymptomata queunt. Conveniunt igitur laxantia leniora, ſemel in hebdomade propinanda, qualia ſunt *rhab. mechoac. alb. ſyr. d. cich. c.*

rhab.

rhab. d. ſpin. cerv. elect. lenitiv. Mann. Calabr. pul. pil. aloët. quibus commode præparantia antedicta permiſceri queunt, v. g.

℞. *Syr. d. cich. c. rhab.*
Mann. liq. ana ℥iij.
Pulv. Jalapp. gr. iß.
Crem. Tartar. ℈ß. *M. D. S.*

Laxier- Safft Morgends frühe auf einmahl zunehmen.

Quodſi abdominis inflatio (vulgo das Anwachſen) aut tormina ſimul jungantur, clyſteres *terebinthinati* cum ⊖ib. vol. applicari debent.

℞ *Decoct. cham.* ℥iij.
Tereb. in vit. ov. ſol. ʒiiß.
⊖. *Tartar.* ℈ß.
vol. CC. gr. *vj. MF. Clyſter.*
injiciatur tepidè.

Nec etiam inconveniens erit motum & circulum ſanguinis promovere & particulas heterogeneas per poros cutis expellere diaphoreticis, tum fixis, tum volatilibus, quæ humorum viſciditatem corrigendo forti penetratione obſtructos antea meatus reſerare queunt, qualia ſunt præter jam ante inter præparantia enumerata *Decoct. lign. herb. theé*, quorum hoc pro potu ordinario etiam propinari poſſet, *Mandib. luc. piſc. bezoart. min. Tincturæ bezoart. Rolfinc.* aut *Wedelii, Tartar.* ♋. *CC. ſang. hum.* & eorum ⊖. *vol.* ac qui in puerorum affectibus omnibus palmam præripit, *liq. CC. ſuccin.* v. g.

℞. *Liq. CC. ſuccin.* ʒiß.
Ent. ♀. *Helm.* ℈ß. *M. D. S.* Schweiſstreibende Tropffen davon des Morgends 6. einzugeben.

Præter medicamenta interna externa quoque adhibenda, quæ ⊖e vol. penetranti nervos deoppilare fibrasque eorum emollire queunt, qualia ſunt: *Axung. hum. vulp. mur. mont. tax.*

caſtor

caſtor. viper. ſerpent. °o. *terr. deſt. junip. ſuccin. ſpic. ſalv. menth.* ∽ *lumbr. terr. formic. ungu. nerv.* ♂*iat paralyt. ejusd. &c.* quæ ſpinæ dorſi inuncta magnum levamen promittunt, ex quibus variæ poſſunt concinnari formulæ v. g.

℞. *Axung. hum. anſer. tax. ana* ℥ii.
°o. *laur.* ℥iß.
deſt. ſalv. major. orig. calam. ana gutt. ij.
balſ. ſuccin. ℨß. M. F. Balſ. D. S. Balſam zum Rückgrad, Morgends und Abends zugebrauchen.

Pertinet hæc balſamum ſpinale in *Pharmacop. Bateana* deſcriptum & ſimili modo adhibendum, ita ut balnea & inſeſſus ſæpe præmittantur. Quibus & ∽us & aquæ ∽uoſæ externæ ſubjungi poſſunt v. g.

℞. ▽. *artic. ad extr.* ℥ß.
∽ *lumbr.* ℨij.
⊖*. ℨj. *M. D. S.* Euſſerliches Wäſſerlein dem Kind in den Rückgrad und andere Glieder zureiben.

§. X. Interea dum remediis ex FONTE PHARMACEUTICO petitis hoſtem hunc debellamus, auxilia quoque ex CHIRURGIA depromta non inſuper habenda, ubi ſcarificatione in concha aurium facta à *Glyſſonio* & *Mayovio* tradita & ab Empricis profecta, ut & hirudinum ſuctione, tanquam nec ratione, nec experientia fundatis hoc in affectu remediis, auctoribus ſuis relictis, egregiam nobis operam præſtant fonticuli, qui inter primam & ſecundam colli vertebram excitati, ſuperfluam capitis ſeroſitatem educendo, nimiam ejus magnitudinem, ordinarium hujus affectus ſymptoma, impediunt, ſimulque etiam non parum materiæ peccantis ſpinalemque medullam obſtruentis eliminant. Quamvis enim remedium hoc multis audiat mere palliativum, quod,

quod, relictis cauſis, productum morboſum tantum aggrediatur & cum vitioſo latice utilem alimentoſumque ſuccum in pus corruptum ſimul emungat; tamen non diffitendum, facilius ſuccos excrementitios, utpote per ſe naturæ inimicos & laudabilibus non miſcibiles, ſed potius iisdem ſupernatantes, per eosdem excerni. Nec etiam veſicatoria ex cantharidibus vel ſem. ſinap. cum ferment. vet. vel pulp. fic. miſtis parata & parti prædictæ applicata minus emolumentum promittunt, dum non ſolum ⊖e ſuo vol. acri pituitam viſcidam incidunt, attenuant & educunt, verum etiam dolorem faciendo majorem ſpirituum copiam ad locum affectum derivant, qui in materiam oppilantem impetum facientes obſtructiones eo facilius reſerare queunt; quo etiam ſetaceum & cucurbitularum, absque ſcarificatione, ſecundum ſpinæ longitudinem, applicatio pertinet. Quantum autem frictiones in ſuris, brachiis & ſpina dorſi conveniant, tum ad curandum morbum, tum ad præcavendam curvitatem partium, ipſa teſtatur experientia.

§. XI. Jactis hiſce fundamentis de felici cura animum non omnino deſpondemus, inprimis ſi juxta tertiam indicationem naturæ ſuccumbenti ſuppetias feramus nervosque confortemus. Cui ſcopo ut ſatisfaciamus, ad manus debent eſſe remedia cephalica & nervina, quæ materiam ſpiritibus animalibus ſuppeditando exhauſtos reſtituant & torpeſcentes reficiant, deſumta ex *flor. til. lil. convall. ſambuc. roremar. meliſſ. chamædr. chamæpyt. ſtœch. Arab. ſalv. prim. ver. pœon. cinnam. ſuccin. caſtor. moſch. zibeth. ambr. &c.* cum ▽. *analepticis* & *epilepticis* ex floribus enumeratis paratis &c. v. g.

℞. ▽. *meliſſ.* ~*uoſ. c. vin.* ℥iß.
ceraſ. nigr. ℨvj.
cinnam. ~*uoſ.* ℨiij.
Eſſ. ambr. ℈ß. *M. D. S.* Stärckend Krafft-Waſſer, davon zuweilen ein Löffelgen zugeben.

Externè *unguentum nervin. Aug.* ▽. *calc. viv.* ∽. *lumbr. formic. infuſ. nervin.* Ludov. ▽. *artic. ad extr.* eandem ob cauſam applicentur.

§. XII. Inter SYMPTOMATA graviora morbo huic conjuncta, quibus ex quarta indicatione obviam eundum, eminet tuſſis & reſpiratio difficilis, ad phthiſin ſæpe diſponens, cui tum *opio, theriaca cœleſti, papav. ſperm. cet. pulv. contr. tuſſ. inf.* Mynſ. *pulv. haly contr. phthiſ. anon. rec. pect. Wed. oxymell. ſcillit. ſyr. de eryſ.* Lobel. aliisque pectoralibus, tum & *ſpir. pectorali aniſato* obviam ire poteris.

℞. *Pulv. contr. tuſſ. inf.* ʒß.
Liquir. coct. ℈j.
Antihect. Pot. ℈ß.
Sacch. ♄. *gr. j.* *M. D. S.* Bruſt-Pülverlein des Tages etlichmahl eine Meſſerſpitz in dem ordentlichem Geträнck zugeben.

℞. ∽ *pectoral. aniſat.*
liq. CC. ſuccinat. ana ʒß. *M. S.* Eröffnender Lungen-Spiritus, 3. biſs 5. Tropffen auf einmahl.

Crurum ſpinæque incurvationem frictionibus frequentibus, ocreis & ſimilibus quodammodo prævenire poſſumus. DEUS autem, qui ſanitatem cum membrorum corporisque dedit elegantia, & conſervet & reſtituat illam, quia ſine ejus Numine nihil eſt in homine, nihil in inguine, vel unguine; cui Laus, Honor & Gloria.

CAS.

CAS. XV.
DE SCABIE ENDEMICA ET CONTAGIOSA.

HISTORIA.

Studioſus viginti circiter annorum, Durlaco, à Gallis eheu ! miſere devaſtato, Giſſam ſtudiorum cauſa veniens, poſtquam cibo & potu illic conſueto aliquantiſper uſus fuiſſet, incidit in pruritum totius corporis, cum puſtulis plus minus purulentis, artus inprimis occupantibus, poſtmodum tamen & reliquum corpus deturpantibus, excepta tantummodo facie plus ſolito extenuata. Contubernalis ejus eodem cum illo lecto utens, vix paucis diebus elapſis, ſimilia experiebatur ſymptomata, quorum ambo pertæſi Medicum adeunt ejusque curam expetunt.

RESOLUTIO.

§. I.

BIni quidem in præſenti Caſu ægri obſervantur, ſed eodem morbo laborantes, qui perpenſis omnibus ac ſingulis circumſtantiis eſt SCABIES, vulgo die Krätze, à ſcabendo vel fricando; ita tamen ut in priori malum hoc per ſe, in altero vero per contagium exortum fuerit, quod cum Giſſæ noſtræ familiare ſatis obſervetur, non incommode *endemicum & contagioſum* dixeris.

§. II. PROBABUNT hoc, ſi quis de eo dubitaverit, 1. *Antecedentia*, ſc. *vitæ genus*, quum ambo ſint Studioſi, quibus familiaris eſt hic morbus, ut infra ex paragrapho 8. patebit. Deinde *mutatio climatis & aëris*, cibi & potus idem quoque & adſtruit & producit malum, ex cauſa infra explicanda. 2. Idem docent *Concomitantia* & eſſentialiter morbo inhærentia, *pruritus* ſc. totius corporis, cum *puſtulis* pure repletis, quibus Scabies ut ſorex ſe ipſam prodit, cum hæc talia ſymptomata morbo huic ſint familiaria; quem & 3. *Conſequentia* ſatis arguunt, *extenuatio* ſcilicet corporis & imprimis faciei, quæ plerumque affectibus cutaneis, ob nutritionem ſive imminutam ſive depravatam conjunguntur: quæ omnia tandem per ſubſequens *contagium*, quo contubernalis infectus fuit, magis magisque confirmantur, quod in ſcabioſis utique pertimeſcendum eſſe vel unicum *Helmontii* exemplum adſtruere poſſet, de quo paulo poſt.

§. III. Scabies autem *definitur* quod ſit cutis exulceratio in puſtulas & ſquamas, cum pruritu, à nutrimento p.n. acido-ſalſo, & perverſione pororum orta.

§. IV. SUBJECTUM INHÆSIONIS ſeu PARS AFFECTA, in ipſa definitione expreſſa, eſt cutis & connexa cuticula, de

de quarum textura & conſtitutione heic nobis non licet eſſe prolixioribus; quare cupidum Lectorem remittimus ad Anatomicorum obſervationes, in ſpecie vero *Gliſſonii, Angli, Tr. de partibus continentibus & Malpighii, Itali, Epiſt. de externo tactus organo,* qui ambo habentur à fronte *Bibliothecæ Anatomicæ* Genevenſium. SUBJECTUM RADICATIONIS vero & cauſæ morbificæ eſt partim maſſa ſanguinea, partim ſerum nutricium, hoc quidem proximum, illud vero remotum.

§. V. CAUSA PROXIMA FORMALIS eſt eroſio & exulceratio cutis in puſtulas & ſquamas, quæ in utroque ægro eadem ſe habet ratione ac in retiformi cutis ſubſtantia, particulas acriores facile excipiente ægreque dimittente, haud adeo infrequens eſſe ſolet, in qua ſemper aliquid hæret.

§. VI. IN CAUSA vero PROXIMA MATERIALI quædam differentia obſervatur in binis illis Scabioſis Academicis, quæ in priori per ſe, ex cauſis internis, in altero vero per externam, contagium ſc. ſubnata eſt, utut in qualitate rurſus conſpirent in uniſonum, quatenus & ſerum nutricium & inde evolans contagium acrimonia ſalina plus minus acida laborant, id quod non tantum ipſius morbi indoles, ſed & juvantia & nocentia ipſaque ſymptomata confirmant. Quid enim facilius cutem exulcerat, quam acida? quid pruritum majorem excitat, quam acido-ſalſa? ſicut prius aqua fortis, poſterius vero ſpiritus nitri adſtruunt, quæ non pruritum modo intolerabilem, ſed & omnimodam eroſionem cuti forte fortuna affricta inferunt; ſicut e contra oleoſa & alcalina hæc ſedare ſolent & compeſcere.

§, VII. Pari E. ratione SYMPTOMATA in Caſu noſtro ſibi invicem connexa dependent ab acido quodam p.n. Hoc enim ſenſibilem admodum & fibroſam cutis expanſionem hinc inde vellicando *pruritum* primum in toto corpore moleſtum excitavit, haud alia ratione, ac ſi quis urticarum ſpiculis vexatus fuerit. Hac ratione autem cutis crebris horripilationibus concuſſa particulas illas acres in nutrimento abſconditas fibrarum & pororum inter-

ſtitiis fortius impegit; unde fieri non potuit, quin crebris morſicationibus fibræ tandem penitus eroſæ diſſilierint; unde ſanguis & lympha vaſis capillaribus elapſa cutem & cuticulam elevantes illicque hærentes *puſtulas* produxerunt plus minus *purulentas*, quatenus particulæ ſanguinis balſamicæ, oleoſæ & alcalinæ per reſolutionem ab hoſtili acido factam, à rubedine deſciſcunt & cum aquoſis lymphæ particulis dilutæ pus albicans præ ſe ferunt. Particulæ enim oleoſæ cum aquoſis dilutæ albedinem induunt, ut in Emulſionibus Pharmaceuticis, lacte & aliis apparet; unde *Beccherus in Phyſ. ſubterranea Part.* 1. *pag.* 322. puris generationem ita quoque fieri exiſtimat. *Artus* præ aliis partibus primo occupabat Scabies, ob copiam glandularum & lymphæ, quæ acido p. n. infecta illic tragœdiam primo exorditur, donec repetito ſanguinis circuitu ad reliquas partes delatum malum in *toto corpore* ſe manifeſtet, *excepta* tantum *facie*, quia textura cutis in ea eſt ſolidior fibrisque fortioribus inſtructa, quæ tam facile non eroduntur; forte & pori ejus aliter ſunt figuratæ, ut ſpicula illa p. n. non tam facile admittant, quam pori reliquarum partium. Interim *facies marceſcit* & extenuatur, quia defraudatur nutrimento ſuo proprio, quod in aliis partibus in pus abeundo ſcabie conſumitur, idque ob viſciditatem Contubernalis cuti adhæreſcens eandem contagio illo ſcabioſo affecit, haud alia ratione ac *morbida facta pecus totum corrumpit ovile.*

§. VIII. Omnibus autem hiſce accidentibus in priori ægro occaſionem dederunt è CAUSIS REMOTIS 1. *Vita ſedentaria* ſtudioſis familiaris, quæ in cauſa eſt, quo minus ſanguinis particulæ motu, alias admodum neceſſario, volatiliſari poſſint, unde acrimoniam aliquam & aciditatem contrahunt. Quemadmodum enim facile *vitium capiunt, ni moveantur aquæ*, ita maſſa ſanguinea in Literatis, ob deficientem motum, aceſcendo in partibus internis dolores, in externis affectus cutaneos procreat, unde & inter morbos Studioſorum ſcabiem recenſet *Horſtius de conſerv. Valet. Studioſorum.* Deinde è rebus nonnaturalibus huc 2. ſymbolum

lum ſuum contulerunt *aëris & climatis* calidioris in frigidum (cujus intuitu ſcabies huic urbi fere endemia cenſetur) *mutatio*, qua factum, ut pori antea hiantes connivere & collabaſcere inceperint; unde particulæ exhalantes via intercluſa illic hærendo acorem & acrimoniam contrahere ipſamque cutem erodere potuerunt. Sic pariter 3. *uſus ciborum* in Haſſia familiarium, ſalitorum ſubinde & fumo induratorum, ut & potus cereviſiæ poſt vini (quo Durlaci quotidie paſcebatur) generoſioris uſurpationem ad malum illud inducendum apta nata ſunt, quæ utrobique ſanguinem minus balſamicum ac volatilem, ſed fixum & muriaticum relinquunt; quum è contra vini quotidianus uſus ſanguinem ſpirituoſum, dulcem & balſamicum progeneret, ac omnes aciditates præternaturales demulceat. Tandem 4. in poſteriori ægro particulæ acriores mediante ſudore purulento à priore communicatæ malum illud propagarunt; unde ſcabiem ad morbos contagioſos referendam eſſe conſtat: id quod *Helmontius* damno ſuo expertus confirmat, *Tr. Scabies & ulcera Scholarum* §. 3. his verbis: *Adoleſcens cuidam Domicellæ valedicturus chirothecam atque manum aliquantisper detinui, occulta ſiccaque ſcabie laborantem. Ego vero inde ſanioſam ſcabiem mox contraxi, ac dein obſervavi pluries mantilia ſcabioſorum pſoras propagaſſe.* Hactenus *Helmontius* de amore ſuo ſcabioſo.

§. IX. Quoad PROGNOSIN, ſcabies malum eſt moleſtum magis quam periculoſum. Quin imo cum hac via corpus à pravis humoribus exoneretur, ab aliis morbis ſæpe præſervat: Sicutècontra topicis intempeſtive adhibitis retropulſa ſæpe lethalia cauſatur ſymptomata. Non igitur negligenda eſt, partim ob turpitudinem, partim quod tandem in lepram degenerare poſſit. Facilioris interim erit curationis in Contubernali Scabioſi mei, quum tantum à contagio externo ſit oborta: altera vero ab interna cauſa prognata plus nobis negotii faceſſet.

§. X. Ad hujus igitur affectus non minus ac aliorum CURAM requiritur legitima medendi methodus, quæ hoc in loco tribus

bus innititur indicationibus, ſc. ut 1. Humores acriores muriatici in corpore ſtabulantes enerventur & edulcorentur, ne contra præceptum *Hippocratis* cruda moveantur. 2. Ut correcti per convenientes vias evacuentur & 3. Ipſa cutis exulceratio & deformatio per externa tollantur.

§. XI. Hunc in finem ANTECESSORES noſtri admodum operoſi fuerunt in curanda Scabie, per repetitas Venæſectiones, per Apozemata ſesquipedalia refrigerantia, incidentia, extenuantia &c. quas tamen prolixitates tanquam minus neceſſarias falſe traducit *Helmontius* loco citato & iterata vice *Part.* II. *pag.* 115. *de febribus c.* 1. §. 10. Quod enim fieri poteſt per pauca, non debet fieri per plura.

§. XII. Modernis igitur per compendium ire placet, adeoque ut primæ & ſecundæ indicationi ſatisfiat, ante omnia propinant *purgans* aliquod *Mercuriale*, quod & obtundit acidum p. n. & exterminat, eaque ratione duos una fidelia dealbant parietes. vid. *Craanius in Praxi Medica Reform. cap. CXX. pag.* 474. Scabioſus meus ſequenti utebatur cum levamine:

℞. *Extract. Panchymag. Crollii, helleb. nigr.*
ana ℈ß.
☿. *dulc.* gr. XV.
Scammon. ſulph. gr. IV.
c. ſ. q. Syrup. de fum. F. Pil. pond. gr. j. *Conſperg.*
pulv. liquiritiæ. D. in ſcatula S.

Purgier-Pillen Morgends auf einmahl zunehmen.

Si alia placuerit forma, cum conſerva roſar. vel fumariæ inde bolus fiat: ☿rialia enim in pulvere vel electuario minus commode præſcribuntur, cum dentibus ſint inimica; unde poſt illorum uſum oris pariter collutio adhibenda.

§. XIII. In morbo contumaciori his commode ſubjunguntur *diaphoretica*, imprimis ex lignis parata, v. gr. decoct. lign. eſſent. lignorum, quibus addenda viperina, ſpir. & ⊖. vol. viper. & omnia ex fumaria remedia, cujus ſuccum tantopere deprædicat

Senner-

Sennertus. In formulis magis compoſitis illa quandoque etiam ♁atis poterunt maritari, v. g.

℞. ▽. *fumar.* ℥iß.
♁. *diaph.*
Eſſent. lign. ana ℈ß.
⊖. *vol. viper.* gr. VI.
Syr. de fum. ℥ij.
M. D. S.
Schweiſs-treibende Blutreinigung auff einmahl.

Sunt qui uſum Tinct. ♁ ex ſcoriis reguli paratæ ſummopere commendant, in affectibus cutaneis aliquantiſper continuandum, ad gutt. 20. vel 30. non ſine fructu.

§. XIV. His ita præmiſſis ad *Topica* eo tutius progredimur, *ſulphurea* cumprimis & ☿*rialia*, quorum priora locis affectis, poſteriora vero juncturis & articulis tantum applicata conferunt. *Helmontius* ſanè per tres menſes pluribus remediis fruſtra fatigatus & tantum non ad incitas redactus, poſtea ſulphuris facili inunctione à ſcabie convaluit, ut *l. c.* teſtatur. Quem in finem vel axungiæ porcinæ, caninæ, vel butyro non ſalito commiſceri & inungi poterit. Loco ejus *flores ſulphuris* præſcribi poterunt, hac ratione:

℞. *Unguent. Camph. alb.* ℥j.
Flor. Sulph. ℨij.
Ol. Tartari per del. q. s.
F. linim.

Sin unguentum ☿iale deſideretur, ☿. dulc. facile addi poterit hac ratione:

℞. *Unguent. enul.* ℥j.
Flor. Sulphur. ʒiß.
☿. *dulc.* ʒj.
Ol. lign. Rhod. gr. iij.
c. ſ. q. ol. *Nic.* F. liniment. S.
Salbe in die Geläncke zureiben.

Eadem ratione *Cingulum* ☿*riale* conducere ſolet, quod tamen legitime præparatum & nonniſi præmiſſis præmittendis adhibeatur. Loco unguentorum etiam *ſapones* eleganter commendantur, ex ſpecificis parati, ſicut ſeq. egregie profuiſſe novi:

℞. *Tartari calcin.* ʒij.
Flor. Sulphuris ʒiß.
☿. *dulc.* ℈ß.
Pulv. Irid. Flor. ℈ij.
Ol. lign. Rhod.
Caryoph. ana g. ij.
Cum Sapon. Ven. ℥ij.
F. Glob. N iij.

S. Seiffen-Kugeln, ſich offt damit zu waſchen.

§. XV. Tandem & cavendum, ne DIÆTA minus recte obſervata medicamentorum efficaciam eludat. Hinc *aër* eligatur temperatus, ad caliditatem tamen magis quam frigiditatem inclinans. *Cibi* ſint boni ſucci, relictis acribus, acidis, ſalitis, fumo induratis. *Potus* non ſit acido-vappidus. *Somnus* & *Vigiliæ* blanda viciſſitudine moderentur. *Motus* & *Labores* cibum antecedant, nec ſtatim à prandio lectioni impalleſcant ægri. *Excernenda* tam ſenſibilia, quam inſenſibilia legitime ſuccedant, ideoque munditiei ſtudeant ambo ægrotantes. Denique *affectus* animi non exorbitent, ſed animus ad tranquillitatem componatur.

TANTUM!

CAS,

CAS. XVI.
DE ELEPHANTIASI GRÆCORUM.

HISTORIA.

Virgo quædam, annorum circiter XIX. diæta minus laudabili dudum enutrita, incidit in pruritum totius corporis, quem puſtulæ primum in articulis, mox in reliquis quoque partibus conglobatim & quaſi per racemos diſpoſitæ ſequuntur, quæ unguibus ſcalptæ ichorem plorant ſalſum, qui paulo poſt in ſquamas abit, univerſam corporis ſuperficiem deturpantes, adeo, ut cutis rugæ & fiſſuræ corium Elephantis fere referant, nodis hinc inde ſemicorneis interpoſitis. Inſuper ſiti ſubinde premitur intenſa, cum inſigni membrorum gravitate atque laſſitudine. Anxia igitur & ſollicita de vita ſua plurimos usque Medicos auxilium petiit.

RESOLVTIO.

§. I.

SI morbum, quo præſens ægra periclitatur, *Elephantiaſin Græcorum* eſſe pronunciavero, neutiquam è muſca, quod dicitur, Elephantum fecero, quum Medicorum quorundam Celeberrimorum autoritate ipſaque ratione & experientia illud facile demonſtrari poſſit. Omnes enim, quotquot hactenus conſulti fuerunt, morbum hunc pro quadam lepræ ſpecie, quam *Elephantiaſin Græcorum* vocant, habuerunt, ſive jam denominationem illam à ſimilitudine, quam ægrorum cutis habet cum elephantorum corio, petierint, ſive à morbi magnitudine, ſive à quodam ſerpentis genere, perinde eſt.

§. II. *Confirmant* hoc I. *Eſſentialia* hujus morbi Symptomata, *in Definitione* ejus expreſſa, cum *Elephantiaſis Græcorum* nihil aliud ſit, quàm *ſcabies cum profunda cutis & carnis exulceratione, per totum ſerpens corpus, illudque ſquamis & corniculis elatis obducens, ex humoribus ſalſis, acidis & acribus bilioſis ortum trahens.* Quæ omnia haud obſcure in caſu noſtro cuivis obvia ſunt. II. Idem quoque adſtruunt *cauſæ antecedentes*, diæta ſc. minus caute adminiſtrata, quæ facile focum atque fomitem largiri poteſt ejusmodi humorum p. n. generationi, cum alimenta in prima digeſtione non legitime digeſta neque in tertia coctione corrigantur, ſiquidem communi artis noſtræ regulæ fidendum. Nec III. abludunt à ſententia noſtra *conſequentia*, gravitas membrorum atque laſſitudo huic morbo ſæpius adjuncta, ut & *juvantia* & *nocentia*, de quibus infra.

§. III. SUBJECTUM inhæſionis affectus hujus eſt ipſa cutis

cutis univerſi corporis, cujus intuitu diſtinguitur ab *Elephantiaſi Arabum*, quæ pedibus tantum infenſa eſt; cutis autem nihil aliud eſt quam contextus retiformis, ex innumeris filamentis vaſorum ſanguineorum, nervorum tendinumque, mira arte implicatis, conſtructus, per quorum ſpatiola velut ordine parallelo emergunt ductus quidam excretorii, *Stenoni* primum obſervati, à glandulis cutis miliaribus exeuntes & papillæ quædam pyramidales à nervis exortæ, quas cum *Malpighio* pro immediato tactus organo habemus; ſicut glandulæ ſecretioni & excluſioni ſudoris inſerviunt, in quibus ſi particulæ juſto acriores acidæ hæreant easve quovis modo arrodant, mirum non eſt affectus varios cutaneos inde pullulare.

§. IV. Quemadmodum autem omne acidum, juxta *Helmontium*, nervis eſt inimicum, ita particulæ ejusmodi acres ſalſæ & plus minus acidæ, quas heic pro CAUSA PROXIMA habemus, in poris cutaneis relictæ, acrimonia ſua ſcabiem, pſoram & tandem Elephantiaſin quoque cauſari ſolent, id quod in præſenti affectu facile probari poſſet 1. à corroſione partium carnoſarum & ipſorum ſæpe oſſium, quæ vix ab alia cauſa produci poteſt. 2. à colore obſcuro & nigricante, quem ſanguis elephantiaſi affectorum refert, qui ſimilis eſt illi, quem ∽ acidi minerales in venas canis vivi per ſiphonem *Græfii* aut *Bartholini* injecti producunt; ſicut è contrario ſalia alcalia, imprimis volatilia, ſanguini infuſa colorem ejus exaltant. 3. à coagulatione illa ſanguinis leproſi per venæſectionem educti, cujus notabile admodum exemplum ex *Marcello Donato* habet *Schenckius in Obſerv. Med. p.* 891.

§. V. Particulis hiſce acribus generandis, ut CAUSA ANTECEDENS, fomitem ſubminiſtrarunt ſanguis partim acrior, partim ipſe chylus, aut minus exacte in ventriculo digeſtus, aut non bene in duodeno depuratus. Quam enim neceſſarium ſit, ut aciditas chylo in ventriculo affricta invertatur, vel ex eo apparet, quod ipſa natura ea propter bilem in hepate ſecretam haud procul à ventriculo in inteſtina derivarit, ut particulis ſuis balſamicis

& alcalibus acidas, chylo adhuc inhærentes, præcipitet & edulcoret, haud alia ratione ac cereviſia acida ab injecta creta dulceſcit, vel ✢ & ~ acidi minerales à Saturno ſaturati ſaccharum Saturni conſtituunt. Quod ſi igitur hæc duodenalis chyli edulcoratio vel imminuatur, vel omnino ceſſet, mirum non eſt ſi tandem ipſa maſſa S. omneſque corporis humani liquores eandem acrimoniam imbibant & participent.

§. VI. Maſſa igitur ſanguinea, una cum lympha, hac ratione infecta partibuſque cutaneis per jugem ſanguinis circuitum approximata, non poteſt non gravia illa in caſu noſtro enumerata progignere SYMPTOMATA: Particulæ ſc. acriores in glandulis miliaribus exinde ſecretæ primum teneram & ſenſibilem admodum cutis expanſionem morſicant, vellicant atque pungunt, unde *pruritus* exoritur: Mox ipſa vaſcula excretoria irritando eadem ad ſerum copioſius emittendum inſtigant, quod ſub cuticula ſtagnando *puſtulas* illas copioſas progenerat, quæ primum circa digitorum flexuras & *articulos* obſervatæ ſunt, cum illic glandulæ copioſiores cauſæ morbificæ magis ſint expoſitæ; & cum præter lympham extravaſatam ob continuam irritationem partibus etiam proprium hinc inde nutrimentum ſit emunctum, hinc illud in partibus cutaneis concreſcendo *tubercula & nodos*, ruptis vero veſiculis demum *ſqamas* illas leproſas conſtituit, quum illud facile in conſiſtentiam ejusmodi duriuſculam quam leviſſimo etiam calore indurari poſſit. Nutrimentum enim corporis humani nihil aliud eſt quam ſerum ſanguinis, quod leni accedente calore inſtar albuminis ovi facilime indureſcit: cumque ea ratione plus corpori ſubtrahatur, quam per alimenta reſarciri poſſit, ipſaque M. S. cachexia ejusmodi ſalſa & acida infecta inepta ſit pro ſufficienti ~uum generatione, hinc mirum non eſt tandem *membrorum gravitatem* & totius corporis *debilitatem* inde exoriri; *ſitim* vero à lympha acriore fauces irritante provenire vel in vulgus notum, cum & in ſtatu S. N. nimium ſalita eſculenta ſitim accendant.

§. VII.

§. VII. His & ſimilibus incommodis, è CAUSIS REMOTIS, occaſionem dederunt varii in diæta errores, qui licet ab ægra non omnes ſpeciatim fuerint expreſſi, conſtat tamen eandem carnibus fumo induratis, braſſica condita, ſalſamentis, acetariis & ejusmodi aliis plus juſto indulſiſſe, quæ, ſi quid aliud, acrimoniam ejusmodi præternaturalem ſanguini imprimere valent. Quo & ægræ conſtitutio & ut vocant *temperamentum ſanguineo-bilioſum* accedere poſſet, quatenus particulæ ſulphureæ inibi prædominantes jamdum acidum occultum fovent, quod à cauſis ante dictis exacerbatum & quaſi extraverſum oleum igni addere poteſt.

§. VIII. Hinc meritò & non ſine cauſa ſolicita erat de ſalute ſua ægra, cum, ſi malum altiores impoſterum radices egiſſet, facile in Leucen, qui deſperatiſſimus lepræ gradus eſt, degeneraſſet, Judæis olim in V. T. familiarem. Quod ſi è contra ſe Arti Medicæ, uti hactenus, morigeram exhibuerit, nullus dubito, quin malum, jamdum ſatis obtuſum, prorſus ſit ceſſurum, cum neque hæreditarium ſit, neque ſigna adſint lepræ omnino incurabilis, quales ſunt fœtens halitus, cutis inſenſibilitas & quæ ſunt alia.

§. IX. Ut igitur eo felicius obſtinato atque moleſtiſſimo huic malo obviam eatur, ſequentes INDICATIONES accurate ſunt annotandæ, ut ſc. 1. Primæ viæ, quæ prima mali ſcaturigo ſunt, ad feliciorem medicamentorum operationem depurentur.

2. Ut humores acres in M. S. redundantes enerventur.

3. Correcti ex corpore eliminentur.

4. Cutis hactenus graviſſimè læſa in integrum reſtituatur.

§. X.

§. X. *Pro intentione* 1. ſequens dedi vomitorium:

℞. *Tartar. emet. Mynſ.* gr. iiß.
ocul. ♋. gr. vj.
elæoſacch. citri.
gr. iij.

M. D. S. Brech Pülverlein Morgends mit dem Thee zunehmen.

Huic ob conſtitutionem plethoricam ſubjunxi V. S. in pede, ut ipſa M. S. ad dudum ſuppreſſum menſium fluxum ſimul inſtigaretur.

§. XI. *Pro ſecundo ſcopo* ordinavi decoctum lignorum & quidem ſecundarium pro ordinario potu, primarium pro remedio, quod tale erat:

℞. *Lign. Guajac.*
ſaſſafr. ana ℥ß.
Rad. ſarſap.
Chin.
polypod. q. ana ℥iß.
Cortic. rad. capp.
tamariſc. ana ʒiij.
Herb. fumar.
ſcab. ana Mij.
Summit. lupul. mß.
Sem. fœnic. ʒiij.
♁ *crudi in pet.* ℥ij.
Tartar. alb. ℥j.

Inciſ. & contuſ. F. infuſ. calid. per noct. in ſ. q. ſeri caprilli, poſtea decoque & col. ℞. ℔ iv.

addc

adde oxym. ſcillit. ℥ij.
♁⊖*. ʒij.
ſyr. de fumar. ℥ij.

M. S. Sonderlicher Tranck, darvon des Tags 4mahl ein guter Becher voll zu trincken, und morgends etwas darauff zu ſchwitzen.

Remanentia decocti ebulliat adhuc ſemel c. ſ. q. aq. ſimpl. pro potu ordinario.

§. XII. *Tertiæ indicationi* inſerviebant ſequentes pilulæ Mercuriales, in affectibus cutaneis omnium Clinicorum conſenſu probatiſſimæ.

℞. *Extr. helleb. nigr.*
panchym. Croll.
ana gr. xij.
☿. *dulc. gr. xv.*
Diagr. gr. iv.
c. ſ. q. Syr. de fumar. F.
Pil. Numero XXVII. conſperg.
Sem. lycopod. D. S.
Purgier Pillen auff einmahl.

Hæ bis adhibitæ expectationem meam nunquam fefellerunt.

§. XIII. Ipſi cuti iv. ſeq. linimento ſuccurrere intendebam:

℞. ☿. *dulc.* ʒij.
Flor. Sulphur. ʒj.
c.ſ.q. Axung. porcinæ &
Ol. Nicot. F. Linim.
add. gutt. ij. *Ol. Lign. Rhod.*
D. S. Gliederſalb warm in die Gelencke zu reiben.

Hoc aliquamdiu uſurpato præter omnem expectationem plus juſto ſalivabat ægra, quod pro fauſtiſſimo ſigno habens jubeo continuare unguentum, cum debito regimine & largius profluente ſaliva cruſtæ cutim obtegentes ſquamatim decidebant, cum præſentaneo omnium ſymptomatum levamine, ut nullus dubitem, ægram quam proximè ad priſtinam valetudinem integre redituram eſſe, cui interea *diætam* exactiſſimè obſervandam commendavi, in qua ⊖ſa cumprimis, acida fumoque indurata fugiat!

NOTA.

Pertinent huc Caſus illi, quos in Collegio quodam Conſultatorio *Dn. Roſenſtengelio*, Phyſico Duderſtadienſi è Praxi mea reſolvendos dedi, qui eosdem Operibus poſthumis *D. Bartholdi* (Manibus hujus ne per ſomnium quidem eo cogitantibus) inſerere non dubitavit. Ita lucri bonus odor eſt ex re qualibet.

TANTUM!

DISPEN-

DISPENSATORIUM DOMESTICUM.

PRÆFATIO.

SI quidquam eſt, quod ad emulgendas ægrorum crumenas planam qſ. viam ſternit, illud non niſi per conſuetud,nem receptus hactenus receptiſmus eſt, quo (ſi dicendum quod res eſt) Proximi facultatibus nihil exitialius excogitari poterat. Quando enim priſtinis temporibus & hodienum in Oriente ægrotantes ab iisdem, quos ſanitatis ergo conſulunt, ſimul remedia ſua obtinent: noſtris in oris miſeri à Medicaſtris ad iniquos (probos excipio) ſæpe Myropolas, h. e. à Pilato ad Herodem ablegantur & dum ab illis jamjam depilari ſunt, hiſce prorſus excoriandi transmittuntur,

qui, ut *Helmontius* alicubi loquitur, pediculorum inſtar aliorum ærumnis ſaginantur. Mirum ergo non eſt, quod maxima pars ægrorum ab Officinis Pharmaceuticis non minus abhorreat, ac à Dicaſteriis Curiisque male conſtitutis, cum utrobique non niſi ad burſam detur appellatio. Hinc illæ lachrymæ! hinc tertia pars hominum mortem citius, quam mortificationem Unguentariorum crumenimulgarum experiri amat: aut ſi quandam adhuc ſalutis ſuæ atque vitæ rationem habeat, ad Empiricos magis, quam Medicos deflectit, Carnifices ſcilicet, Balneatores, Judæos, Vetulas, Agyrtas, ſicque Charybdim vitatura periculoſam Scyllam incidit. Meritò ergò calamitoſis his & nil niſi penuriam minitantibus temporibus de remedio quodam cogitandum, ne miſeri prorſus derelicti pereant ægerrimè. Re autem ultro citroque penſitata nonniſi duo ſunt, queis malo huic obviam ire poſſemus, unum taxarum moderatio, alterum privata remediorum diſpenſatio. Utriusque neceſſitatem ſuperiori jamdum ſeculo ſolidiſſimis & á nemine hactenus ſolidè attactis, nedum refutatis, argumentis ob oculos poſuit *Daniel Ludovici*, Archiater quondam Ducalis Saxo Gothanus, in binis diſſertationibus *Pharmaciæ moderno ſeculo applicandæ* ſubjunctis. De priori tamen deſperare

ſperare nos jubet eorum, quorum intereſt; verſutia, qui, ut quovis modo illud impedirent, nullum non lapidem movebunt, vel ſi non obſtantibus illorum blanditiis Cordatus Magiſtratus moderamen quoddam inſtituerit, aliis inventis atque ſtrophis curam illam plusquam paternam facilè eludere valebunt. Cum enim magnæ ſimplicium, quæ Materialia vulgo audiunt, parti certum & perpetuum, quo veneant, pretium ſtatutum non ſit ſed mox pluris, mox minoris emantur, hinc vel illorum intuitu avaritiæ limites quidam poni nequeunt. Hæc namque cauſa eſt, quod non tantum Pharmacopoei, verum & Aromatarii, illorum gratia, in communicandis ſchedulis pretium ordinarium deſignantibus, vulgo *Prix Courant* dictis, adeo difficiles ſe præbeant, ne ſubducta inde ratione Medicis innoteſcat, quid diſtent æra lupinis? Tutius ergo & conſultius erit, ut jure ſuo Medici utentes pharmaca, à ſe probè elaborata, ipſimet cum ægris illos conſulentibus dividant, iis quam maximè in locis, ubi vel nulla myrothecia aluntur, vel per ſpeciale ſtatutum privata diſpenſatio prohibita non eſt. Quin & illic, ubi publicæ Pharmacopœorum officinæ proſtant absque omni illarum diſpendio id fieri poſſet, cum Medici ſimplicia à Pharmacopœis coemere, hicque tot otioſis & ſuper-

vacaneis

vacaneis, compoſitionibus commode carere poſſent. Hac quippe ratione medicamenta ditioribus tolerabili, mediocris conditionis hominibus viliori pretio, pauperibus vero & egenis gratis diſpenſari, ſicque omnium ſaluti velificari poſſemus. Ut taceam alias ſat validas & prægnantes rationes, à ſupra laudato *Ludovico* c. l. in medium allatas. Quæ cum ita ſint, non potui non Sereniſſimorum Haſſiæ Principum curam plus quam Paternam venerari ſæpius, quod in *Statutis Medicinalibus Ao. 1670. Tit. 1. de Medicis, §. 2.* Practicis in Haſſia viventibus privatam medicamentorum diſpenſationem liberrimam indulſerint, verbis ibi: Sonderbahre Circumſpection, Treu und Fleiſs ſoll ein jeder Medicus anvvenden, daſs den Patienten mit guter heilſamer Artzney, vvelche in alle vvege, ſie vverde gleich vom Medico ſelbſt dargegeben, oder in der Apotheck gehalten, der Tax-Ordnung gemâſs angeſchlagen vverden ſoll &c. vvieder auffgeholffen vverde. Eaque de cauſa iis, qui vel Praxin ſuam jam exorſi ſunt, vel & animum ad τὸ τεχνωθῆναι applicant, ὑποτύπωσιν *Diſpenſatorii* alicujus *domeſtici* ob oculos poſui, quod licet è paucis & vix X. vel XII. Quaternionibus conſtet, ſufficientibus tamen & ad quoscunque fere caſus paratiſſimis remediis eſt inſtructum, quibus nihilo infelicius plures hactenus ægros, DEO benedicente, in integrum reſtituimus, quam alii tot farraginibus officinarum & ſesquipedalibus receptorum formulis. Fruere hiſce, φιλιατρε, & ſi bene proſpereque illis frueris, Domino benedicito, qui de terra creavit medicinam!

SCIA-

SCIAGRAPHIA DISPENSATORII DOMESTICI.

QUATERNIO I.

Pulvis antefebrilis. *Pulvis emeticus.*
bezoardicus. *laxativus polychreſtus.*

SCHOLION.

CUm pulveres ſimplicium facultatem ſpecificam (in Chymica texturæ immutatione ferè pereuntem) mage conſervent, mirum non eſt eosdem certiorem præ aliis remediorum formis effectum præſtare; Et licet palato utplurimum ingrati ſint, facilè tamen ſub alia conſiſtentia illi palpum obtrudere licebit, ſi v. g. *pulverem antifebrilem*, è Cortice Peruviano & extracto gentianæ potiſſimum conſtantem, cum ſyrupo aliquo in Electuarii Bolique formam redegerimus: qua ſpecie eundem vel millies hactenus præſcripſi. *Pulvis emeticus* autem ex una parte ♀. emetici & ſextuplo ſacchari à gr. viij. ad ℈ß. dandi, ſimili larva non indiget, cum neque ſapore, neque mole ſit moleſtus, in ſyrupi aut oxyſacchari emetici formam etiam facilime, ſi opus eſſe videatur, transmutandus. *Pulvis laxativus polychreſtus* nihil-aliud eſt, quam Magneſia alba, panacea ſolutiva aliis dicta, cujus uſum ut epiſtola peculiari ad Illuſtrem Leibnizium data olim ob oculos poſuimus, ita in ſecunda hujus editione genuinam ejus deſcriptionem & præparationem inſeruimus, vid. Supplementa Polychreſtorum Exoticorum opuſculo huic ſubjuncta. Quemadmodum vero triumviratus hic ad edomandas febres intermittentes eſt validiſſimus, ita *pulvis* tandem *bezoarticus* febres ardentes, tam benignas, quam malignas, purpuram puerperarum, variolas, morbillos, inflammationes & catarrhos, ab humorum

morum circulantium ſtagnatione oriundos, cito, tuto & jucunde abigit, cinnabarinis, ſulphureis & anodynis varie miſcendus & confortandus. Paratur ita :

℞. *CC. ſine △.*
mandib. luc. piſc. ana p. ii.
terræ ſigill. Laubac.
unicorn. foſſ. ana p. j.
M. Doſ. à ℈ß.
ad ʒß.

QUATERNIO II.

Pulvis alcalinus invertens. ***Pulvis Martialis.***
cinnabarinus. ***ſulphureus pectoralis.***

SCHOLION.

Quemadmodum purgantia aliaque univerſalia plerumque in curationibus morborum præmittuntur : ita illis nunc alterantia ſubnectimus, quæ ſpicula ſalina & plus minus acida, in C. H. remanentia, vel obtundunt, vel abſorbent , invertunt & enervant: quo nomine polychreſtus admodum ***pulvis alcalinus invertens*** è concharum præp. p. ij. & corall. rub. p. j. conſtans in ardore ſtomachi, phlogoſibus vagis, nephritide & ſimilibus affectibus egregie ſe gerit, in cardialgia, convulſionibus generisque nervoſi affectihus cum ***pulvere cinnabarino***, è ***Cinnab. nat. pur. Succin. præp. ana p. j.***
Ocul. ♋. p. ij. conſtante :
in morbis chronicis , obſtructionibus viſcerum vulgo adſcriptis, dolore ſc. hypochondriaco , ſcorbuto , menſtruis ſive ſuppreſſis, ſive parce & inordinate fluentibus , hydrope incipiente, ictero flavo æque ac nigro, cum ***Pulv. Martiali*** , ſeu minera ♂. ***cinnamomiſata*** : In angina demum , pleuritide , peripnevmonia, empyemate , phthiſi & ſimilibus cum ***pulvere ſulphureo-pectorali***

rali maritandus; qui ultimus ſi ingratus ſit, facile quoque in rotulas aut trochiſcos pectorales formari, ac in tuſſi aliisque pectoris affectibus propinari poterit. Recipit autem:

Rad. ireos Flor.
♎. citrini ſel.
ana p. i.
Liq. coct. p. ij.
M.

QUATERINO III.

♁. diaphoreticum. *Regulus Medicinalis.* ☿. *dulcis.* *præcipitatus rubeus.*

SCHOLION.

Ne ab antimoniatis & Mercurialibus prorſus abhorrere videamur, ex illis bina facile parabilia & revera probatiſſima remediorum genera ſeligimus, ♁ *ſc. diaphoreticum*, in plerisque caſibus, ubi expulſione opus eſt, cumprimis in aſthmate, nephritide, colica, podagra à ſcabie retropulſa, febribus continuis &c. nobiliſſimum: ac *Regulum* ♁. *Medicinalem*, contra febres intermittentes (ubi Chinæ Chinæ locus non eſt) feliciſſimum eaque de cauſa à Practicis, auri ſacra fame detentis, hactenus in arcanis habitum. E poſteribus ☿. *dulci* in ſcabioſis, verminantibus & cumprimis morbis ♀reis carere non poſſumus, non quidem vulgari modo, ſed ita præparato, ut absque ſalivatione violenta magis abſorbendo agat. ☿. *præcipitatum* vero in affectibus Chirurgicis ad mundanda curandaque ulcera cacoethea Venerea, enecandos cimices & pediculos nobiliſſimum ſimul adjicere expediet.

QUATERNIO IV.

Borrax | ⊖. *fixum Catholicum.*
⊕. *depuratum.* | *CC. volatile.*

SCHOLION.

E Salium numeroſa ſatis & fœcunda familia pauca quoque Medicum nobilitant: duo ſcilicet è nativis, totidemque ex artificialibus. Illic *borrax Venetorum* ſingulare quid habet in pellendis menſibus, lochiis, ſecundinis, molis, & ipſo partu, ſive vivo ſive demortuo ⊕. vero *depuratum*, Verulamio non ſine cauſa aroma frigidum dictum, in ſopiendis inflammationibus, colli cumprimis & faucium, æſtu febrili, furore uteri, tentigine, libidine exſtinguendis aliisque in caſibus revera polychreſtum eſt. Heic loco tot ſalium fixorum æquipollentium & in viribus concurrentium vel unicum ⊖. *catholicum*, è cineribus abſinthii & ononidis paratum, facilime ſufficiet. Cui ſi è volatilibus ⊖. *CC. volatile* addideris, non erit, ut rariora illa & pretioſiora ſalia volatilia lumbricorum, viperarum, ſanguinis & cranii humani operoſe conquiramus, quibus parum forte ſalis & efficaciæ ineſt, quam non è priori quoque ſperare poſſimus.

QUATERNIO V.

▽. *fumariæ.* | ▽. *Veronicæ cum vino.*
menthæ. | *roſarum.*

SCHOLION.

Aquas deſtillatas ſimplices nihil aliud quam ſudores & inutiles plantarum udores eſſe, non tantum Helmontius, ſed & Cardanus jam ſuo tempore obſervarunt. Hinc ſi pauciſſimas exceperis, non alium in finem aſſervari ſolent, quam ut vehiculum præbeant aliis medicamentis efficacioribus: quod cum è liquore quovis domeſtico quoque expectari poſſit, hinc maxima aquarum illarum mole commode carere poſſumus. Sufficiant ergo modo nominatæ, ſua adhuc laude & virtute præditæ, ita ut *aqua fumariæ* deobſtruentibus, viſceralibus, diaphoreticis, expulſivis

&

&c. ſimilibus: *aqua menthæ* cephalicis, ſtomachicis, hyſtericis: *aqua Veronicæ* pectoralibus, nephriticis, travmaticis: ▽·*roſarum* denique cordialibus & confortantibus inſervire poſſint. E quibus facilime aquæ pariter compoſitæ concinnari poterunt, ſi tincturis, eſſentiis & ſpiritibus acuantur, v. g. ſi ▽· menthæ vel ſola eſſentia caſtorei, vel ∽⊖*. imprægnetur, cuicunque aquæ apoplecticæ, ſive ſimplici, ſive amaræ, epilepticæ, hyſtericæ &c. æquivalebit. De cæteris par parium eſt ratio.

QUATERNO VI.

Spiritus CC. ∽⊖. *dulc.*
⊖*. ⊕.

SCHOLION.

Non credendum eſt omni ſpiritui, ſed antequam tantopere lau- dentur ſpiritus Chymice parati, prius ſunt probandi. Suffi- ciant nobis generoſiores facileque parabiles, bini quidem ex alca- libus & urinoſis, totidemque ex acidis. E priori claſſe *ſpiritus CC.* ſale ſuo imprægnatus, in affectibus capitis, à ſanguine plus mi- nus congrumato lymphaque glutinoſiore, catarrhis v. g. cephalal- gia, hemicrania, apoplexia ſenum motibusque convulſivis eſt e- gregius, attamen caute & cum moderamine inculpatæ tutelæ ad- hibendus. Nimium enim veritur in vitium, cumprimis in ſubje- ctis tenerioribus, ſanguineque facile inflammabili repletis. Succe- dat huic ∽⊖*. ſive cum ♆. ſive cum ⊖. tart. aut cineribus cla- vellatis paratus, qui nihil aliud, quam ſpiritus urinæ eſt, per ſubi- taneum ſudorem miaſmata maligna in febribus, non tantum inter- mittentibus, ſed & ipſa peſte quaſi ſcopis aut ventilabro diſcutiens, omnium antiſcorbuticorum, ſpiritus cochleariæ, naſturtii, rapha- ni ruſticani &c. vices obiens & in apoplexia, auditus & olfactus læſionibus neminem facile deſerens. Ex poſteriori claſſe vero *ſpi- ritus ſalis dulcis* in confortandis ſtomachi fibris nimium flaccidis & acuendo menſtruo ſtomachico ſua laude defraudandus non eſt adeoque in anorexia & apepſia loco elixiris proprietatis, in ſabulo

renum vero diſſolvendo loco liquoris cujuscunque nephritici, non ſine fructu præſcribendus. *Spiritus* ⊖. autem ſive per ſe, ſive cum aquæ ſimplicis quantitate ſufficienti in 🜄. mutatus, ſitim & æſtum febricitantium reſtinguit & Tincturis bellidis, roſarum &c. ſubſtitui poterit, cavendo tamen, ne abuſum hujus ⊖. internecinum turpiſſimè approbemus.

QUATERNIO VII.

Oleum deſtill. carui. — *expreſſ. amygd. dulc.* — ⁂. *expreſſ. nuciſtæ.* — *infuſum lil. alb.*

SCHOLION.

Olea deſtillata vegetabilia ſunt ſpiritus concentrati: cumque hic vis unita fortior ſit, una vel altera guttula idem præſtant, quod ab integro ſpirituum diffuſorum ſcrupulo expectare licet. Quandoquidem vero tantum non omnia aromatica & inflammabilia ſint & magnam ad partem calefaciendo partes ſuas agant; hinc vel unicum ex illis v. g. ⁂. *deſtillatum carui* vel *fœniculi*, in ſelectu domeſtico, ſufficere & vel guttatim, vel cum ſaccharo in forma elæoſacchari, contra vomitum, colicam, ardorem urinæ, ſtranguriam, rigorem febrilem &c. non tantum interne dari, ſed & externe cum ⁂. *Nuciſtæ expreſſo* in forma balſami, tum iisdem in caſibus, tum in cardialgia, diarrhœa, torminibus infantum aliisque occaſionibus adhiberi poterit. Demulcendi autem & leniendi gratia *oleum amygdalarum dulcium*, recens & frigide expreſſum, in colica humoroſa, ileo ab induratis ſcybalis aut invaginatis inteſtinis oborto, dolore hypochondriaco, nephritide, tuſſi puerorum & ſimilibus interne: *oleum liliorum alborum* ècontra, aut oleum olivarum communiſſimum externè in iisdem aliisque caſibus reliquorum oleorum externorum, ſive coctorum, ſive infuſorum, vices explere valebit, cumprimis, ſi pro re nata aliorum vegetabilium virtutibus ex tempore quaſi impregnetur.

QUATERNIO VIII.

Eſſentia abſinthii C.	*Eſſentia enulæ.*
caſtorei.	*ſuccini.*

SCHOLION.

Neque hic entia præter neceſſitatem multiplicanda, ſed contrahendæ potius ſunt eſſentiæ rerum, in ſcholis magis, quam officinis Pharmaceuticis æternæ. Facile ergo paucæ hæ, omnibus pariter C. H regionibus dicatæ, ſufficere poterunt. Cum enim plerique capitis affectus, cephalalgia puta, catarrhi & convulſiones per conſenſum ſtomachi in viris, aut uteri in mulieribus ſæpiſſime oriantur, hinc illic *eſſentia abſinthii*, hic *eſſentia caſtorei*, (in omnibus affectibus nervinis jamdum efficaciſſima) partes ſuas egregiè agunt, quarum hæc tantum non omnibus affectibus mulierum, illa in morbis ventriculi & ſymptomatibus appetitus, colica item, febribus intermittentibus & cachexiis alioquin maſculè ſe gerunt. *Eſſentia* verò *enulæ* in Pectoris affectibus, loco cujuscunque eſſentiæ pectoralis: *Eſſentia* tandem *ſuccini* in catarrhis aliisque capitis, renum & uteri affectibus polychreſta eſt.

QUATERNIO IX.

Extractum aloës	*Extractum liquiritiæ.*
angelicæ vel Theriaca.	*opii.*

SCHOLION.

Extracta proprie ſic dicta ab eſſentiis nonniſi conſiſtentia ſpiſſiori differunt, quæ ad maſſas pilulares potiſſimum expetitur. Quum vero pilulæ utplurimum non tam alterandi, quam purgandi gratia præſcribantur, hinc vel ſolum *aloës extractum* gummoſum ſufficiat, ſive jam ad imitationem pilularum Francofurtenſium ex ſola aloë ▽. & ſucco violarum paretur, ſive ad imitationem Glaſſianarum, Beccherianarum &c. alia ſimul addantur, perinde eſt: quæ poſteriores loco cujuscunque extracti panchymagogi

ſtare poſſunt. Quodſi vero pilulæ ſimul antifebriles aut anodynæ deſiderentur, illas facilimè *extractum angelicæ*, has *extractum opii*, internè in ſingultu & vomitu dandum, externè in odontalgia denti cavo inſerendum, ſuppeditabit; quamvis utrobique *theriaca recens*, revera polychreſta, etiam conduceret, non quidem ex farragine illa Galeni & Andromachi, ſed ex ſelectiſſimis & efficacioribus ſimplicibus, ad imitationem D. Ludovici, parata modiceque camphorata. *Extractum* tandem *liquiritiæ*, ex Hiſpania aut Franconia tolerabili admodum pretio habendum, pro medicamentis arteriacis & demulcentibus, in raucedine, tuſſi, aſthmate aliisque pectoris affectibus, loco quorumvis trochiſcorum becchicorum, eſt egregium.

QUATERNIO. X.

Tinctura bezoartica.	*Tinctura tartari.*
Martis ſolaris.	*opii.*

SCHOLION.

Tinctura in officinis longa ſerie proſtantes, utplurimum plus in rubro, quam in nigro fovent, colore magis, quam virtute coruſcæ, quam plerumque menſtruo ſuo debent, ut in omnibus tincturis acidis, ſc. Tinctura flor. bellidis, roſarum, violarum &c. eluceſcit. Suo adhuc talo ſtat *tinctura bezoardica*, non vulgaris illa, ex omnibus fere radicibus & herbis diaphoreticis, ad præſcriptionem D. Michaelis, parata, ſed è ſelectis alexipharmacis extracta ſufficientique quantitate camphoræ imprægnata, cui maxima forte virtus tribuenda eſt. Interim cave, ne eadem tanquam panacea aliqua in omnibus febribus ardentibus & malignis indiſcriminatim abutendo inflammationes ſanguinis, per fixiora, ad imitationem Apini, Baglivii & Hoffmanni, felicius ſopiendas, magis augeas, quam exſtinguas. *Tinctura ♂Oris* è Minera ♂Ori Haſſiaca

Haſſiaci cum rore majali extrahendo facili negotio penes nôs habenda, in obſtructionibus viſcerum, vulgo ita dictis, menſibus reſtitantribus, malo hypochondriaco, ſcorbuto &c. egregie ſe gerit. *Tinctura tartari* cachecticis & nephriticis: *Tinctura* tandem *opii* in fluxionibus humorum p.n. hypercatharſi, hyperemeſi, hæmorrhagiis, ſudore nimio, catarrhis & doloribus eſt egregia.

QUATERNIO XI.

Emplaſtrum de hyoſciamo. *Emplaſtrum Saturninum.*
Norimbergenſe. *veſicatorium.*

SCHOLION.

Cum emplaſtra utplurimum nil niſi tegmina ſint, operationem ſuam aut aërem arcendo, aut effluvia cohibendo exſerentia, hinc neque tanto, qualis in officinis occurrit, apparatu indigemus. Quodſi enim humores in tumoribus aut digerendi, aut ad ſuppurationem deducendi ſint, loco diachyli, ſive ſimplicis, ſive compoſiti, *emplaſtrum de hyoſciamo* ex 🜔. ſem. expreſſ. ſucco ejus, cera & terebinthina parandum, facile parabile ſufficiet, vi quoque anodyna præditum: ſin iidem diſcutiendi ſint, *emplaſtrum Norimbergenſe*, ad ulcera, vulnera, luxationes & fracturas percurandas quoque nobiliſſimum, conveniet & quodcunque ſticticum, catagmaticum, de minio, oppodeltoch & ſimilia ſi non ſuperabit, ad minimum tamen æquabit: Sin exſiccandum, aut cicatrices inducendæ ſint, *emplaſtrum Saturninum* convenientiſſimum eſt, quod in curandis ulceribus tibiarum aliarumque partium quoque egregium eſt, ac emplaſtrum album coctum, emplaſtrum de ranis, ſive cum, ſive ſine ☿. aliaque facile adæquabit. Quibus ſi *emplaſtrum veſicatorium* junxerimus, ſufficientia nobis ſcuta ſuppetunt, quibus externa morborum tela excipere valebimus.

QUATERNIO XII.

Unguentum album C.	*Unguentum de litharg.*
catholicum viride.	*nervinum.*

SCHOLION.

Tandem nec unguentorum officinalium cohors arroſas ungues ſapit, ſed & reformatione quadam indiget, ita, ut è quatuor decuriis nobis tot unguentorum unitates ſufficere poſſint. Quod enim unguentum Saturninum, infrigidans Galeni, de minio, ſantalinum & ſimilia promittunt, vel ſolum *unguentum album*, facile camphorandum, præſtare poterit, loco defenſivi cujuscunque, ad præcavendas inflammationes & gangrænam nobiliſſimum. Quod Ægyptiacum, aureum baſiliconis, fuſcum, purpureum &c. præ ſe ferunt, *unguentum de lithargyrio* expedit, in curandis ulceribus antiquis probatiſſimum. Quod ex unguentis Agrippæ, Arregonis, Martiato, de naſturtio, ſantalino, ſplenetico & ſtomachico expectas, omnia in *unguento catholico* ſeu butyro viridi & *nervino*, axungiam taxi vel humani c. lumbric. terreſt. & formicis continente, reperimus, anodynis & appropriatis facile maritando, ut neque alabaſtrino, anodyno, de linaria, ſomnifero, potabili, ſive rubro ſive viridi, indigeamus: multo minus ad ſuſpectum multis unguentum armarium deflectamus. Nunquid reſina non eſt in Galaad & Medicus non eſt ibi?

SUP-

SUPPLEMENTA POLYCHRESTORUM EXOTICORUM.

PRÆFATIO.

Luſtrum jam agitur, cum *diſputationi* publicæ *de Novellarum publicarum uſu & abuſu in rebus Phyſico-Medicis*, ſub præſidio meo, in Ludoviciana noſtra habitæ, præſentem *de magneſia alba*, novo, genuino, polychreſto & innoxio pharmaco purgante, Roma nuper advecto, *relationem* per formam Epiſtolæ ad Illuſtrem & Excellentiſſimum DN. Godofredum Guilielmum Leibnizium, Potentiſſimi E-

lectoris Hannoverano-Brunſvicenſis Conſiliarium Intimum, Regiæ Pruſſiacæ Societatis Scientiarum Directorem Graviſſimum & Polyhiſtorem Conſummatiſſimum exaratam, mantiſſæ loco ſubjicerem. Cum autem dictam modo diſſertationem diverſis Fautoribus & Amicis & inter illos Illuſtri Domino Schelhamero, Anteceſſori Chilonienſium Famigeratiſſimo, peregre transmitterem, neſcio quo fato accidit, ut mantiſſa hæc ſive Typographi errore, ſive forte fortuito, omiſſa & adjecta non fuerit: quod ut ægre tulit Vir Nobiliſſimus, ita paulo poſt ſequentibus reſponſoriis, utut civiliter & amice, mihi exprobravit, quas, cum plura ſcripta, quæ meditatur, concernentia contineant & L. B. haud ingrata futura ſint, in ſolidum huc repetam.

P. P.

Quæ per Collegam tuum, noſtrum quondam Kortholtum, miſiſti Academiæ veſtræ illuſtria monumenta, gratiſſima fuere: quibus ſi adjeciſſes epiſtolam de terra magneſia, cujus in Diſp. Tackiana fit mentio, magnam reputaſſem beneficii acceſſionem; ſed, cujus nunc es caput, Academiæ famam pro officii ratione plus videris curaſſe; quam tuam: pluris-

pluriſque feciſſe, aut forte præ majoribus illis, quæ meditaris, leve hoc viſum eſt; ego vero, cui magna & eximia meditari per ingenii tenuitatem non licet, in tenuibus ejusmodi exerceor ſolis: itaque talia etiam mitto, quæ boni conſules. Stadiorum Medicorum Viæ Regiæ *deeſt ultimum, in quo elaboro, lucemque videbit circa finem anni.* Xiphiæ piſcis anatomen *præceſſit* Phocæ marinæ *quondam, ſequetur* Rangiferi cervi *accuratior* deſcriptio. *Mirum quam ſit parum certa, quæ ab auctoribus etiam graviſſimis prodita eſt hiſtoria horum animalium: ſed quid dicam de aliorum omnium? quæ nihilo melius elaborata eſt. Præterito anno* Nitri hiſtoriam *magno ſtudio conſcripſimus, quam DN. Hottoni, Viro præſtantiſſimo & ad literas cum ornandas, tum promovendas nato, Lugdunum Batavorum transmiſi, qui editionem ejus in ſe ſuſcepit: ſed ab eo tempore, quid ea fecerit, nihil habeo compertum. In hac liberrime à dogmatis plerorumque diſſenſi, experimentis fretus & veritate, tamen verendum eſt, ne totum noſtrorum hominum chorum in me concitem. Et jam plura edidiſſem & inter alia* Arniſæi vitam, *lectu jucundiſſimam, à ſemetipſo perſcriptam, niſi Bibliopolarum ſumma obſtitiſſet inſcitia & moroſi-*

tas, qui ſpretis, quæ veram eruditionem ſpectant, nonniſi nugas & gerras Germanas & Germanicas expetunt. Si quis eſſet Francofurti delirio illo contagioſo Sociorum minus particeps, ut ſumtus vellet facere, transmitterem. De viro, qui de publico tam magnifice meritus eſt, viciſſim bene merebitur, quicquis opuſculum, ut lucem publicam videat, promovebit. Addidiſſem & de affectibus animi, *minus Medicis exculto argumento*, meditationes novas, *in formam diſſertationis adornatas, ſed Reſpondentem expecto, qui obſtetrices præſtet manus. His vale, Vir Excellentiſſime & publico bono diu felix vive. Scr. Kal. Aug. 1708.*

G. C. SCHELHAMER.

Hactenus Vir Nobiliſſimus, cui hac in parte obſtrictus magis, quàm adverſus ero. Quandoquidem vero anno inſequente ſupra memorata *Hiſtoria Nitri*, ad Inclytum Dn. D. Bohnium Prof. Lipſienſem perſcrpita, prelum typographicum ſuperaverit & circa finem ejus, *capite* ſc. *XIV.* §. *XXV. pag. 198.* nonnulla, ſcriptum noſtrum de Magneſia, ſeu Panacea ſolutiva, tangentia, inſeruerit, quæ ſi non mihi, attamen aliis partim diffiden-

tiam,

tiam, partim ironiam quandam ſapere videntur; hinc æqui, bonique conſulet Vir Amiciſſimus, ſi quoad ea, quæ publicè deſideravit, publice quoque tribus ſaltem verbis me explicuero. Ita autem cit. modo loco: *Dum hac finio, commode in manus incidit* Michaelis Bernhardi Valentini, in Acad. noſtræ Leopoldinæ Adjuncti, *Relatio* de magneſia alba, *quam ex Italia primum in Germaniam perveniſſe refert, ubi à Monacho Batavo, Apoſtata, parari ſolitum fuiſſe ex Amico ſuo intellexit. Eſt autem pulvis candidiſsimus, imo, ut ipſe loqui amat, nive candidior, creta ſimilimus & admodum levis, & cum inſuper inſipidus ſit, terram ipſi appellare placuit, neſcio cur etiam alcalinam, niſi fortaſsis ideo, quod acidum abſorbere credit. Paratur vero & hac è ♁. cum ſale quodam (fixo ut opinor) alcalico calcinato, quo eluto, hac levis terra ſeorſim exiſtens ab eo ſecedit. Hoc tanquam novum, genuinum, polychreſtum & innoxium pharmacum purgans ipſe titulus commendat & laudibus in cœlum attollit, utpote quod nec ullam moleſtiam, nec nauſeam creet, neque hypercatharſin, nec virium debilitatem, ſanguinis orgaſmum, aut ullum grave ſymptoma, quoniam nonniſi acidum abſorbendo*

& dein detergendo agat, adeoque noxios ſalſo-acidos & biliosos humores blandiſſime educat, ad ℥ij. adſumtum. Itaque medicamentum hoc acidularum aut vini medicati loco per x. xii. aut plures dies uſurpatum, prima die ℥ij. reliquis ℥j. ſumendo, multos ab affectibus pertinaciſſimis liberaſſe Amici illius fide refert ſuaque experientia omnia comprobaſſe aſſeverat. Quæ ſi vera ſunt, ut quidem eſſe ob tanti viri ſummam auctoritatem dubitare non licet, quid gratius toti humano generi, aut Medicis acceptius accidere poſſet? Nos interim, cum de tota illa ratione, tum modo parandi ſuſpendere judicium adhuc jubemur, donec plura de eo innoteſcant: occultaſſe enim quædam de ratione acquirendi tam divinum pharmacum videtur Vir doctiſſimus. Quid enim vult, quod lixivii ⊖. tanquam materia ex qua paratur, meminit & quod encheireſes præſcriptas obſervandas eſſe ait? Sed prudenter ſane in hoc ſe gesſiſſe videtur. Si enim in vulgus innoteſceret tantum remedium, ut cuilibet in promptu ſit, magno ſane Medicorum id foret detrimento, qui parum habituri ſunt, quod agant, ſi ab effectibus illis omnibus pertinaciſſimis quilibet hoc uno ſe poſſet liberare. De cætero in ⊖. etiam

nihil

nihil mutato eſſe abſtergendi alvumque movendi quandam vim, initio capitis & jam ante etiam notavimus: quibus accedunt, quæ inciſo VIII. ejusdem de ⊖. polychreſto, à Pharmacopæo quodam corrigi ſolito memoravimus, quæ tanto majorem rei faciunt fidem. Hæc iterum Vir Celeberrimus, circa quæ pace DN. Autoris ſeqq. notare liceat, quod licet *niveam hanc terram acidum abſorbere* non tam *credam*, quam certiſſimè compertum habeam, *non tamen ea de cauſa*; ut conjicere videtur, eandem *alcalinam vocaverim*, ſed quod ſalium alcalium, (cumprimis fixorum) inſtar per calcinationem & uſtionem paretur. *Kali* enim Arabibus uſtum quid notare ſaliaque fixa non tam ab herba kali, ſed modo præparandi alcalia vocari, è Fontibus hujus linguæ alibi demonſtravimus. Quod autem *cum ſale quodam (fixo ut opinatur) è ⏀. præparetur* magneſia, illud nuſpiam in Epiſtola mea reperitur. Sunt quidem nonnulli, qui Magneſiam hanc è lixivio ſ. matrice ⏀riorum cum ♂♀. p. del. præcipitare ſatagunt, ſed nec tam copioſam, nec tam candidam obtinent magneſiam, quam per nudam lixivii exhalationem & calcinationem, absque ullius ⊖. additamento. Dum porro me nimiis eandem *lau-*

dibus

dibus in cœlum attollere ſcribit Autor Nobiliſſimus. in ſubſidium hic voco Practicum & Phyſicum Blaubyrenſem Celeberrimum, *D. Vitum Eberhardum Rothium*, qui in *Medicina Portatili*, Ulmæ ſuperiori anno in lucem edita, *pag. 9. & 10.* magneſiam hanc vocat incomparabile alcani terrenum, ad Illuſtris *Dn. Zelleri* non minus quam propriam experientiam provocans & panaceæ titulo inſigniens. In ſubſidium etiam voco Excellentiſſimum *DN. Zvvingerum*, Prof. Medicum Baſileenſem, qui in *Faſciculo Diſſertat. Medicarum ſelectiorum*, ſuperiori anno edito, *Diſſert. VI. p. 221.* efficuciam ejus & virtutem tantam eſſe dicit, ut ipſi cedere debeant qualiacunque hactenus à variis decantata fuerunt arcana, *Aura potabilia*, *Tinctura ☉. aut ☽. Eſſentiæ dulces*, *Elixiria balſamica*, *Liquores alkaheſt* & ſimilia, quæ maximis in cœlum usque laudibus ab inventoribus ſuis, *B. Valentino*, *Paracelſo*, *Helmontio*, *Butlero*, *Fabro*, *Poterio*, *Bechero*, *Penoto*, *Etnero*, *Gnöſelio* aliisque plurimis evecta fuerunt & per breve tempus durarunt: uſque adeo, ut peſſime feciſſe cenſeat, qui præſtantiſſimum hoc Naturæ Artisque donum

num pro impotenti fugacique remedio, *(für ein à la mode Artzeney)* exclamare & contemnere auſi ſint. Quin potius circa finem citatæ diſputationis divini hujus remedii vires quotidie magis magisque ſe extendentes nos ultro ad gratias Cœleſti Archiatro infinitas, pro ejusdem inventione, reddendas nos urgere atque incitare cenſet.

Ne vero quis ironice exiſtimet, me ea de cauſa *modum acquirendi tam divinum pharmacum occultaſſe, ne, (ſi in vulgus innoteſceret) id Medicorum detrimento foret, utpote qui parum habituri ſint, quod agant,* & ut appareat, *cur lixivii ⊕. tanquam materia ex qua, meminerim & cur encheireſes* Pharmacopœo tunc à me ſub fide ſilentiii *praeſcriptas, obſervandas eſſe* dixerim, en! genuinam & plenariam deſcriptionem ac præparandi modum (eo, quem Nobiliſſ. *Zvvingerus pag. 211. Diſſertat. Med. ſel.* proponit longè certiorem) hic omnibus candide & ſincere patefaciam, quæ ita ſe habet: Recipiatur olla terrea vitreata, ac ad manubria usq; lutata, capacitatis circiter menſurarum vij. quæ imponatur furno, eousque huic immittendo, quousque lutata eſt & ut baculo ferreo incumbat olla oportet. Ollæ huic infundatur matricis Nitrariorum menſ. ß. ſupponendo ignem carbonum, coquatur donec nonnihil albeſcere incipiat. Tum re-

centis materiæ hujus menſ. ß. affunde, eodem modo ac priorem incoquendo, continuo, ſi ebulliendo vaſis margines ſ. limites tranſcendere conetur, baculo ligneo agitando. Sic quoque tertia, ac tandem quarta vice menſuram ſemis addes, tamdiu ſemper expectando, donec prior quantitas inſpiſſata fuerit. Continua ignem gradu nonnihil aucto, ſub indefeſſa agitatione, & ſulphureus ſpiritus acidus flamma ignea eructando evolabit tandemque maſſa flaveſcere incipiet & exſiccari, quo obſervato ignem augere poteris, ut rurſus liqueſcat & fluat & tandem inſtar lactis candidiſſimi in fundo ollæ fluctuabit. In ſtatu hoc vehementiſſimo igne detineatur, per horam unam, aut donec nullum vaporem amplius, ſi agitetur, eructet & plane figatur. Sic maſſam fervidam in ollam aqua tepida fontana repletam infundere poteris, ſed magna cum cautela, cum olla fere candeſcat & manus ea de cauſa duplicatis linteis munienda ſit, caput ſub effuſione ſemper retrahendo. Aquam tandem decanta & affuſione ▽ fontanæ reiterata maſſa edulcorari & à ſalibus ſuis liberari debet: quo facto nonniſi exſiccatio ad ſolem, vel poſt fornacem ejusque pulveriſatio, ſi placet, ſupereſt, ſicque laudatiſſimam habebis panaceam ſolutivam,

qua utere

FELICITER!

POLY-

POLYCHRESTORUM EXOTICORUM
SVPPLEMENTVM I.
DE
MAGNESIA ALBA
AD
VIRUM ILLUSTREM
DN. G. G. LEIBNITIUM.

VIR

PER-ILLUSTRIS & EXCELLENTISSIME!

SOrdidi humique repentis animi τεκμήριον eſſe judico, ſi quis præſentaneum crebriorique experientia comprobatum remedii genus tenaciſſime abſcondat turpisque lucelli gratia bono publico invidendo ſilentio plusquam Pythagorico involvat. Alia mens hæret iis, quibus de meliori, liberaliori inquam, luto

- - *finxit præcordia Titan.*

Hi enim non ſibi, ſed Proximo nati, omnia in honorem DEI Fratrumque ſubſidium expediendo, Creatoris benigniſſimi magnalia palam celebrare Publicoque publicis documentis inſervire ſtudent. Qui ſibi ipſis nati ſunt, haud inter homines, ſed potius inter bruta animantia numerandi. Homines enim hominum gratia generati ſunt, ut alter alteri prodeſſe poſſimus, verba ſunt *Penoti*, cujus in variis peregrinationibus hoc quondam votum fuit, ut de omnibus bene mereri & cunctis Mortalibus prodeſſe valeret, ideoque ſoli ſibi nullum arcanum, utut pretio comparatum, ſervavit, ut de ſeipſo in *Tr.* de *Med. Chymic. pag. 194.* gloriatur. Ethnici ſane vetuſtiſſimi Chriſtianos hic in ruborem dare poſſent, qui profligato per remedia probata morbo hæc non ſibi tenaciter reſervabant, ſed tabulis votivis inſcribendo in vano Æſculapii publicè ſuſpendebant, quo omnibus innoteſceret, quibus ſanitatem & ſalutem ſuam in acceptis ferant. Quod laudatiſſimum Antiquorum inſtitutum noſtris diebus Reges alicubi & Principes æmulari videntur, qui magno licet ære redemta polychreſta in Subditorum gratiam & ſubſidium publicè deſcribi & in uſum trahi juſſerunt, ut in *Polychreſtis* meis *Exoticis* quondam ob oculos poſui. His ut Tuam, Vir Illuſtris Excellentiam ibidem junxi (quis enim jungere vetaret Eum, quem DEUS à Principum Electorum latere hærerē voluit?) ita jam Publici nomine gratias Tibi ago, quod Emeticum blandiſſimum & tutiſſimum (Ipecacuanham puto,) in curandis dyſenteriis, chronicis alvi fluxibus & febribus probatiſſimum, primus in Germaniam invexeris & S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum ſcripto publico aperueris. Antidori loco Tibi aliud, forte non abſimile, jam ſiſto, purgans ſcilicet noviſſimè inventum & Roma primum in Germaniam advectum, ne in claſſe medicamentorum univerſalium (quæ vocant) quicquam amplius deſiderari valeat. Eſt vero id

MAGNE-

MAGNESIA ALBA,

ob niveum, quo gaudet, candorem procul dubio ſic dicta & ob incomparabiles, quas generi humano præſtat, utilitates magni, imo maximi, habenda: cujus antequam hiſtoriam, præparationem & uſum ex condicto tradam. ea prius expedienda erunt, quæ huic ſcriptioni meæ anſam miniſtrarunt.

Poſtquam ſcil. Illuſtris Societas Scientiarum, quæ ſub Potentiſſimi Regis Pruſſiaci clypeo & benignitate Tuoque Præſidio caput efferre cœpit, miſſo haud ita pridem Diplomate reliquis Societatis hujus membris me benevole adſcripſit: æquum omnino erat, ut publico quodam documento tum Excellentiæ Tuæ, tum omnibus Collegii hujus Aſſeſſoribus gratitudinem meam conteſtarer novoque argumento ſaluberrimi inſtituti legibus obtemperarem; quæ ſi dignum illud judicaverit, quod examini & judicio ſuo committeret, erit, de quo impenſe mihi gratulabor. Sin minus, ſat me feciſſe putabo, ſi voluntatem & Publico ſerviendi deſiderium, (quod ad ultimum vitæ halitum mihi integrum conſtabit) eo paucis declaravero.

Cæterum, ni ſacra profanis applicarē dedeceret, de novo eoque genuino & innoxio purgante medicamine dicturus intonare non dubitarem:

Jam mœſta quieſce querela;

Quantæ enim querimoniæ hactenus de purgantibus vulgatis in Scholis Medicorum exauditæ fuerint, vix eos latere poteſt, qui vel prima illarum limina ſalutaverint. Pars ea de cauſa remedia hæc naſo ſuſpendebat adunco & ſive cum Hiſtrione Gallico *Molierio* in ludis ſcenicis, ſive picturis ignominioſis omnium riſui & opprobrio exponebat. Pars in iram verſo dolore eadem, ceu venenata & lethifera, diſputationibus pro cathedra ventilatis, è foro Medico proſcribere & pro horrendis Sicariorum adminiculis (grauſahme Mediciniſche Mord - Mittel,) integris commentariis proclamare ſuſtinebant, ut poſt *Helmon-*

tium à Gehema nuper eſt tentatum ; & licet beatiſſimus *Geuderus* eadem à nimio Reformatorum furore liberarit , neſcio tamen, an omnem illis malignitatem atque noxam (quam tot correctionibus olim evitare conabantur) inſimul ademerit, cum & in benigniſſimis eccoproticis, ſennatis puta & aloeticis, adhuc inveniamus , quæ laudibus illorum labem quandam affricare valent. Purgantia autem fortiora virulentia ſua & putrefactiva colliquatione, tam homogeneos, quam heterogeneos , alimentoſos & excrementitios corporis ſuccos reſolvunt , colliquant & quas non inveniunt ſordes , corrumpendo laudabiles humores conſtituunt. Quis enim crediderit omnes illas ſordes, quæ ſub forma ſtercorum 30. 40. & pluribus quandoque ſedibus rejiciuntur, in corpore prius exſtitiſſe? Unde *Fürſtius* (cujus verbis modo utor) non ſine cauſa in *Dialogo Hygiaſtico pag.* 126.126. quondam ſuſpirabat: Ah! utinam vera darentur purgantia, id eſt talia, quæ nihil aliud , quam humores heterogeneos & excrementitios educerent! quod itidem *Maxvelli* olim votum erat, dum in *Medicin. Magnetica pag.* 61. nondum medicamentum aliquod magneticè purgans, omnique venenata qualitate carens, inventum eſſe fatetur.

Quod ergo felix fauſtumque ſit, obtinemus per DEI gratiam , quod fruſtra olim exoptabant : ut merito quis cum *Archimede* nudus in hominum celebritatem proſiliendo exclamare poſſit: εὕρημα! εὕρημα! obtinemus , inquam , magnum Italorum polychreſtum, MAGNESIAM ALBAM, cujus hiſtoriam verbis Amici quam propriis exprimere malo, ne Stentorum inſtar panegyricum illi recitare, aut per hyperbolen plura, quam res ipſa loquitur, attribuere videar. Ita autem Vir Nobilisſimus, *D. Otto Philippus Praunius*, lit. die 9. Septembris 1704. ad me datis: Silentium meum tam diuturnum turbis Bavaro - Gallicis adſcribas velim: quibus per DEI gratiam ſuperatis piaculo mihi duco Profeſſori meo, ad ultimum vitæ halitum venerando noviſſi-

noviſſimum medicamenti genus, Romæ Magneſia albâ dictum, reticere, nullus dubitans E. T. tanquam curioſum Diſcipuli ſui obſtrictiſſimi donum & tributum æqui bonique conſulturum & niſi jamdum virtutes & effectus ejus innotuerint, ex primo ſtatim intuitu, tanquam ex ungue leonem, agniturum eſſe, ut propriam æque ac aliorum ſanitatem & ſalutem eo porro curare valeat. Ante biennium & quod excurrit, *D. Cöferle*, (qui paulo ante obitum Invictisſimi quondam Cæſaris Leopoldi S.C. Majeſtatis Archiater deſignatus fuit) regiones Italiæ perluſtrans Roma primus nobis attulit famam remedii hujus elegantis, ubi à Religioſo quodam, natione Batavo (qui religionem Reformatam, in qua educatus erat, neſcio qua ratione ductus, illic cum Romana - Catholica permutarat) apud Canonicos Regulares Minimos à S. Lorenzo à Luzina degente, magna ejus copia paratur & non ſine lucro ingenti publicè divenditur. Vocatur ipſi MAGNESIA ALBA: aliis *Il polvere del Conte di Palma* vel & PANACEA SOLUTIVA & ANTIHYPOCHONDRIACA, das Engliſche bewehrte Miltz - Pulver, tradente *Zvvingero, Faſcic. Diſp. Med. Select. p.* 209. De Autore ſeu Inventore nil certi habeo. Dictus Archiater poſt reditum hanc medicinam præparare & magna cum fama adminiſtrare ſolitus, multis noſtris precibus quidem modum præparandi oſtendit, materiam vero ex qua prorſus celavit, niſi quod dixerit eandem è ⊕ peti. Secreto etiam hic æque ac Romæ tenetur, adeo ut Curioſiſſimus alias rerum novarum Indagator *Sylvius Beccone Obſervat. X. pag.* 265. ad ejus notitiam penetrare non potuerit, quod ex ſeqq. ejus verbis colligere eſt. „Dum Romæ, inquit, " Pharmacopœus degit, aliusque Viennæ (quo per Legatum " Cæſareum myſterium delatum eſt) ad D. Petri Eccleſiam, qui " pulverem quendam contra acidum efficaciſſimum parare norunt. " Dicunt eundem è teſtaceis conſtare & ad ejus præparationem "

inde-

„indefeſſum improbumque laborem requiri. Prioris ſine dubio „è conchis cum ⦶. calcinatis hincque edulcoratis oritur &c. Pergit Amicus: Multa tentavi ſudavique in pulveris hujus indagatione, ſed omnia in caſſum, usque dum aliunde ad Nos pervenerit ſincera materiæ deſcriptio, quod ſc. ſit Matrix Nitrariorum (Salpeter-Lauge) lixivium non perſpicuum, ut *Harderus* apud *Zvvingerum in Diſſert. Med. Sel. p.* 211. habet, ſed obſcurum inſtar cereviſiæ pinguis & denſæ, cum ſpuma albicante, cujus præparationem alia vice expectabis. Quandoquidem vero Nitrari-Opifices in hac materia concedenda moroſi admodum & tenaces ſint, nec citra Sereniſſimi diſpenſationem palam divendere audeant, non deſtiti mihi portionem quandam Magneſiæ, peregrè huc miſſæ, comparare, quæ nive candidior, levis admodum cretæque ſimilima videbatur, ita ut novum argumentum pro verſione *Lutheri*, qua *Proverb.* 25. ℣.20. ⦶. per cretam expreſſit, illis, quorum intereſt, ſuppeditare valeat, eoque magis, quod ✱. aut ſpiritus ⊕. Magneſiæ affuſa, prævia ebullitione, priſtinam aciditatem & acrimoniam amiſerint. Quo ipſo difficultates in obſcuro ejusmodi loco obviæ magis magisque evaneſcunt, de quibus ex profeſſo olim in Mantiſſa quadam Diſputationi publicæ annexa ſolliciti fuimus.

Quapropter, ut in viam, unde paululum digreſſi ſumus, redeamus, pauciſſimis ⦶ (quod prodigiale concretum audit *Boyleo* in *Tentam. circa partes nitri ſect.* 22.) hiſtoriam præmittamus, oportet. Ubi primo omnium notari velim ea, quæ in *Muſeo Muſeorum* è *Jungii Doxoſcopia* de inſigni illa differentia inter verum ⦶ Antiquorum & ⦶ Modernorum (quod ſal petræ rectius dicendum) allegavimus. Prioris ne rudera quidem amplius ſuperſunt in Officinis noſtris Pharmaceuticis. Poſterioris autem præparatio in vulgus nota alibique l.c. fuſius deſcripta eſt. Hac vice de anatomia ejus & principiis

cipiis conſtitutivis potiſſimum ſollicitì erimus, quorum intuitu ſale petræ è ſale acido, maxime igneo, alcalique, ſeu vicem hujus ſubeunte 🜔. vol. pure ſalſo, conſtare *Mayovius* Anglus *Tr. de Sale Nitro Cap. I. pag.* 2. docet. Sulphur vero, quod addunt plerique, admittere recuſat, ductus rationibus & experimentis tum à 🜕. generatione, tum ejusdem redintegratione, imo & artificiali 🜕. imitatione, per ∽. acidum & 🜕. fixum, petitis, de quo ultimo fuſe quoque agit *Dn. Boyle l. c.* Nec obſtat non produci 🜕 in experimentis illis, ſed 🜕. in 🜕. fixo prius occultatum tantum reſuſcitari: cum particulæ illæ, quæ forte remanſerant in 🜕. fixo, vix ac ne vix quidem ſufficiant ad tantam quantitatem ſiſtendam & deſuper res ipſa cum aliis ſalibus fixis etiam ſuccedat, ſi cineribus v. g. clavellatis, ſali ♀. & ſimilibus 🜃. aut ſpiritus quidam acidus affundatur. De præparatis 🜕. officinalibus & Chymicis non eſt ut actum hic agamus, conſulatur ſaltem *Penotus* in verſione *Tr. Anglici de* 🜕. *& ejus præparatione*, ubi ſuſe tum de Spiritu, tum & 🜕. fixo, è quo liquorem ſuum alkaheſt parabat *Glauberus*, in 🜕. hiſtoria, ſi quis alius, curioſus & ſollicitus. Originem ſpiritus acidi è 🜕. aëreo, ſalis fixi autem è terra deducit *Mayovius*. De ipſa vero terra alba, levi, inſipida, vacua & alcalina, quam 🜕. in ſinu ſuo fovet, pauciſſima vel omnino nulla hactenus aut obſervarunt aut revelarunt Chymici, ſine dubio præjudicio excœcati, omnes ejusmodi particulas terreſtres, poſt analyſin Chymicam remanentes, pro capite mortuo & terra damnata habendas eſſe, non ſine deplorando & vix reparabili Medicinæ damno. Solus *Helmontius* aliquid per tranſennam hic conſpexiſſe videtur, qui *Cap.* 4. *de Lithiaſi* §. 17. ope ſulphuris ♉. totum 🜕. in terram converti poſſe ſcribit. Alii autem terram ejusmodi pinguem tantum pro matrice, in qua generatur 🜕, habent, *vid. Ettmüllerus in Pyrotech. Tit. de* 🜕. Occultantur hæ particulæ terreſtres in 🜔. acido terreſtri fixo eique adeo arcte cohærent, ut non niſi magno ingenio ſeparari queant.

Capitur ſc. avicula hæc (ut verbis laudati ſupra Amici habent) per admixtionem ⊖. alcali: quæ duo invicem mixta ſi calcinentur, primo ▽. & Spiritus (addunt alii ſulphur) à corpore ſuo ſecedunt & ſub fumi ignei ſpecie avolant, ut in deſtillatione ▽̶. videre licet: Sal vero acidum fixum terreſtre, complectendo ſal alcali adhuc remanens, terram hanc, quam antea captivam tenebat, dimittit & dum priora nova copula maritantur & in ⊖. neutrum abeunt, hæc interim priſtinæ libertati reſtituta vinculisque ſoluta in ſalium fluore libera fluctuat & ſpectaculum amœniſſimum præbet, cum & ipſi lacti albedinem diſputare valeat. Hanc igitur terram libera à ſalibus, externe tantum adhærentibus, ſicca & magneſiam habebis, Anteceſſoribus noſtris prorſus incognitam. Spiritus autem acidiſſimus & ⊖. vol. manifeſto ſatis ſub præparatione ſentiuntur, quæ tenues in auras enaneſcendo ⊖. acidum fixum, terræ immixtum, in fundo relinquunt, cui ſi modo ſupradicto ſeparatæ Spiritum ⦶. ſuperfundas, parvo temporis intervallo rurſus in verum ⦶, totum per aërem humidum in aquam, ſine terræ remanentia, ſolubile reducere poteris. Hactenus de origine & præparatione terræ polychreſtæ. Jam ad vires ejus, tum propria, tum Amici ſæpius laudati experientia compertas, ſimul excutiamus, qui ſequentia de Magneſiæ qualitatibus ſubjungit: Purgat, inquit, tuto, blande & jucunde, ut porro non habeant Medici, quo uſum purgantium, propter conjunctam nauſeam, tormina, hypercatharſes, virium detractiones, ſanguinis & humorum circulantium orgaſmos, abortus aliaque incommoda, tantopere reformident, cum ne ullum quidem dictorum ſymptomatum unquam inde ſecutum ſit, quoniam nonniſi acidum abſorbendo & abhinc detergendo agit. Quia enim terra hæc ſale ſuo acido privata eſt, eſurit aliud, idque in primis corporis humani viis, una cum bile, famelice abſorbet ſicque noxios, ſalſo-acidos & bilioſos humores blandiſſime educit. Quemadmodum acidum, tanquam vinculum humorum peccantium, figendo, ligando eosque ad ſtagnationem

tionem

tionem diſponendo in cauſa eſt, ut iidem in corpore humano reſtitent variosque morbos inducant: ita ſupplantato & abſorpto eo per magneſiam Romanorum non ſolum alcalinum hoc ſubjectum in ſal ſalſum abit & ipſos ſimul humores atque ſordes detergendo abluit, (quod pruritus ſphincteris & fluxus hæmorrhoidalis quaſi excitatio, à me nuper obſervata, adſtruunt) ſed & humores vitioſi ab acido antea vincti, poſt ablationem ejus liberati, magis fluxiles redduntur ſuaque ſponte per monoculum qua data porta ruunt.

Quo vero ſingulares magneſiæ noſtræ prærogativæ dilucidius innoteſcant ſimulque appareat eandem omnia boni & genuini pharmaci purgantis titulos & requiſita poſſidere, paucis adhuc qualitates ejus & virtutes, quibus reliqua in Praxi Medica hactenus vulgaria purgantia longis paraſangis ſuperat, ea, qua fieri poterit, brevitate contemplabimur. Equidem purgantia vulgaria tantum non omnia I. nauſeam & ſubinde vomitum cauſari ſolent: Magneſiaècontra ſine ulla notabili averſione ventriculique ſubverſione, etiam in doſi majori, ſumitur nec ullam aut ſtomacho aut abdomini moleſtiam creat, multo minus tormina quædam inducit.

II. Communia purgantia, particulis ſuis acribus, quas per ⊖. vol. acre, vel ſapam ſalino-vol. & plus minus venenoſam exprimunt alii, cardialgiam, hypercatharſes & ſimilia ſæpe excitant, quæ in noſtro medicamine vix unquam obſervare poterimus, cum nihil ſalini, nihil venenoſi in ſe habeat, ſed ut nuda, vacua & inſipida terra tantum abſorbendo agat, ſicque tum modo operandi, tum & effectu, qui ſemper exoptatus & ſalutaris eſt, reliqua pſeudopurgantia antecellat.

III. Alia eaque draſtica purgantia ſemper aliquid de viribus ſubtrahunt tonumque partium deſtruendo Naturam hominis debilitant, indeque ab iis, qui de vita longa & ſana ſcripſe-

runt, damnantur unanimiter. Magneſia ècontra nec viribus nec partibus incommodat, cum quicquid eſt laudabile in C. H. neutiquam aggrediatur, ſed tantum noxios humores educat, reliquosque vitæ ſuccos, à jugo illorum liberatos, ad majorem puritatem & perfectionem deducat. Cumprimis autem cholericos & melancholicos, h. e. acido p. n. abundantes feliciſſimè purgando curat: & licet phlegmaticos non eadem vel ſimili efficacia aggrediatur, nullum tamen illis detrimentum infert, quale ab aliis ſæpe purgantibus in corpore retentis metuendum erat.

IV. Tamdiu purgat, quamdiu heterogenei aut impuri quid in corpore ſtabulatur: hoc prorſus eliminato, nil amplius efficiet aut exterminabit, licet vel centies repetatur, cum pſeudo-purgantia totam maſſam ſanguineam, imo & ſtamina partium colliquando, humidum radicale (ut ita loquar) cum ipſa vita elutriare valeant.

V. Catarctica vulgaria, imo & lenitiva, plerumque alvi contumaciam & adſtrictionem poſt ſe relinquunt: Magneſia ècontra alvum ſi non fluidorem, attamen magis obtemperantem reddit, cum noxios tantum & acidos humores, inteſtinorum contenta plus minus indurantes & ſpiſſiores reddentes, educat, unde nec exſiccat corpora, nec eadem exhaurit, adeo quidem, ut diuturnæ & chronicæ alvi ſiccitates ea ipſa, per 7. aut 10. dierum decurſum aſſumta, curatæ fuerint.

VI. In tritis hactenus purgantibus facilimè doſi, ſive in exceſſu, ſive in defectu, peccari ſolet, unde *Simon Paulli* ad præcavendos errores in Praxi ſingularem *de doſibus purgantium* tractaculum conſcripſit elegantique *Quadripartito Botanico* ſubjunxit. Hic vero metus ille ceſſat, cum certa experientia conſtet eandem in duplo vel triplo impunè & absque ullo nocumento datam fuiſſe.

VI. Dum purgantia vulgaria Prægnantibus, in primis ad minimum ultimis menſibus, juxta unanimem Medicorum ſententiam

tentiam ſecure præſcribi nequeunt : Magneſia èecontra & Prægnantibus & Puerperis, imo ſi opus ſit, fluentibus nonnunquam in minori doſi tuto propinatur.

Unicum hoc in doſi quis deſiderare poſſet, quod ʒij. quæ ab adulto plerumque aſſumendæ ſunt, ob nimiam molem ſint moleſtæ, ſicque tenerioribus ad minimum & delicatioribus nauſeam procreare poſſent. Aſt neque hic eſt, de quo conqueramur. Cum enim pulvis ſit prorſus inſipidus, leviſſimus & candidiſſimus, ſicque amygdalatis aut emulſionibus tenuioribus, tantillo ▽ roſarum & ſaccharo palato gratioribus redditis, admiſtus ſupernatet, ſumptu adeo difficilis non eſt, ut qui ab omnibus alias purgantibus abhorrent, hanc potionem ambabus manibus arripuerint & jentaculi inſtar abſorpſerint. Hinc videas qui tempore vernali, imo & hyemali, pharmacum hoc acidularum aut vini medicati loco per X. XII. aut plures dies continuando & primo die ʒij. reliquis ʒj. ſumendo, ſimulque in diæta ab acidis abſtinendo, ab affectibus pertinaciſſimis ſe liberarunt.

Tantum de laudatiſſima novi pharmaci virtute ex relatione Viri Nobilisſimi innotuit, cui eo ſecuriorem fidem abhibere potui, quo certior de candore ejus & amore dudum redditus eram. Attamen ne ſola referentis authoritate niti videar, comparata ſufficienti quantitate lixivii ſupra requiſiti, opera Pharmacopœi hujus loci dexterrimi, DN. Scipionis, majorem pulveris hujus copiam mihi fieri curavi, qui licet primum dubitaret, an terreſtris quid inde lucrari poſſit, obſervatis tamen enchireſibus præſcriptis, vidit & obtinuit,

- - - *fieri quæ poſſe negabat.*

Effectus ſaltem & qualitates adhuc ſcrupulum movebant, cum ne minima quidem acrimonia in fæcula prorſus inſipida occurreret, quæ facultatem quandam purgatricem aut laxantem argu-

at.

bus rei periculum faceremus, ut eo curatius obſervare poſſimus, quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Dictum factum. Omnia præter exſpectationem voto & relationi reſpondebant: nec, cum aliis Illuſtribus æque ac Plebejis, tam Viris, quam Mulieribus, eadem doſi pulverem commendarem & præſcriberem, ſpem noſtram unquam decollaſſe ſancte teſtari poſſum.

Quod reliquum eſt, DEUM, Archiatrum cœleſtem, devotè veneror, quod bonitate ejus & clementia non tantum in illis Medicinæ partibus, quæ ad theoriam propius accedunt, rebus ſcilicet Phyſicis, Botanicis & Anatomicis, quamplurimas hactenus acceſſiones & inventa noviſſima viderimus, ſed & paucis abhinc annis in Praxi Clinica ſelecta nonnulla, probata & tantum non infallibilia polychreſta obtinuerimus. Faxit alma Trias, ut & aliis, pro incurabilibus vulgo habitis, affectibus ſimilia porro antidota invenire & feliciter opponere valeamus! Cujus in exhauſtæ benedictioni & protectioni Excellentiam Tuam etiam atque etiam, commendans æternum perſevero

Illuſtris Tui Nominis

meritorumque publicorum

Dabam
Giſſæ Haſſorum,
d. 12. Maji, Ao. 1707.

Cultor Indefeſſus

VALENTINI.

POLY-

POLYCHRESTORUM EXOTICORUM SVPPLEMENTVM II. DE FILTRO LAPIDE.

INTROITVS.

Quo rariores & curioſiores ſunt operationes Chymicæ ſine igne culinari perficiende & à Jacobo Barnero in Chymia Philoſophica pag. 547. *quadantenus deſcriptæ , eo majus encomium meretur vulgaris quidem , ſed utilis omnino & neceſſaria FILTRATIO, qua liquor aut ſolutum per filtrum , h. e. corpus aliquod poris inſenſibilibus pertuſum trajicitur ſicque à particulis craßioribus & terreſtribus absque ſubſtrato igne defæcatur. Filtrum vero plerumque charta bibula*

bibula ſeu gryſea emporetica conſtituit, quæ vel ſimplex, vel complicata, aut vaſi cuidam obtenditur, aut in cuculli formam complicata infundibulo aut virgultis, ne concidat, imponitur, ſicque liquorem infuſum recipit, ejusque particulis fluidioribus tranſitum præbet, relictis craßioribus, impuris aut nocivis, ut in præparationibus quibusdam antimonialibus, ♀. emetici aliisque contingit; & quamvis eadem ratione particulæ ꝏſa ab aquoſis ſeparari poßint, modo filtrum aqua prius imprægnetur, curioſior tamen & ſubtilior hic eſt filtratio per laciniam ſeu ellychnium, è goſſypio paratum, cujus enchireſin & ætiologiam eleganter habet Bohnius in Diſſert. Chymico-Phyſic. XV. §. 6. 7. *Quodſi vero liquores ob intimiorem particularum connexum ſimul expreßione quadam indigeant, adeoque filtrum vi externæ ſimul ſubjectum ſit, tenacior quædam & firmior materia requiritur, prout in Hydrargyri depuratione per corium, qua aut à fæcibus, aut à metallis, quibus amalgamationis ergo commixtum erat, exprimendo liberatur, videre licet. Eſt & ubi ob liquoris* ⩫⊖.⊕. *aliorumque* ⩫. *mineralium acidorum corroſivitatem, vitrum pulveri-*

ſatum

ſatum, parti infundibuli cujusdam anguſtiori impactum, filtri munere defungitur. Noviſſimum vero omniumque curioſiſſimum filtri genus eſt lapis hujus nominis, quo Mexicani aquam aliaque potulenta defæcare ſolent: quem (cum in noſtris regionibus à nemine, quod ſciam, vel nominetenus deſcriptus ſit) dignum omnino cenſuimus, qui ventilationi publicæ ſubjiceretur. Faxit DEVS ut omnia feliciter!

SVMMARIA
TOTIUS DISSERTATIONIS.

Theſ. I.

AN aqua unicum omnium corporum naturalium elementum ſit? diſquiritur.

II. Neceſſitatis aquæ ad conſervationem C. N. oſtenditur.

III. In potuum differentiam & bonitatem inquiritur.

IV. Aquæ tam jure antiquitatis quam ſalubritatis palma tribuitur.

V. Ejusdem vis Medica in ſtatu p.n. Ubi incidenter de Fontibus ſoteriis & potu Thee, Coffi, &c.

VI. Hydropotarum exempla allegantur.

VII. Bonitas & ſelectus aquarum experimentis hydroſtaticis demonſtratur.

VIII. Aquæ pluviales & fontanæ examinantur, ac præ aliis eliguntur.

IX. Rejiciuntur ▽. ſalſæ marinæ, ubi ſimul de amaritie maris Caſpii & de lacteſcentia maris Indici, vulgò von der Milch See.

X. Aqua nivalis & glacialis, aliisque iis refrigerati potus (à laglace) omnino proſcribuntur.

XI. Variæ aquarum impuriorum correctiones proponuntur.

XII. Filtratio ejus, cum deſcriptione Filtri Lapidis.

XIII. Uſus hujus in aliis liquoribus filtrandis.

TRACTATIO.

§. I.

Qui ſolam aquam cum *Orpheo* & *Thalete*, Philoſophis Antiquiſſimis, pro unico corporum naturalium elemento habent, haud minimum aſſertionis ſuæ argumentum inde petunt, quod ex iis, quibus corpora nutriuntur, etiam conſtare putentur. Cum enim per varia Modernorum, *Helmontii* cumprimis, *Boylei* & *Davidis van der Becke* experimenta conſtet, non vegetabilia tantum, mentham v. g. vel ſalicem ſola aqua, indies affuſa, ad debitam proceritatem ſuccreviſſe, ſed & piſces in vitris per aliquot annorum decurſus eadem aqua ad inſigne corporis augmentum enutritos fuiſſe, haud difficulter inde concludebant, omnia ex eadem aqua, tanquam vero & unico rerum naturalium elemento contexta eſſe eoque magis, quod citatus *Helmontius* liquore ſuo alkaheſt omnia in meram aquam inſipidam & conſequenter elementarem fere ſolvere potuiſſe in ſcriptis ſuis palam aſſerere non dubitaverit: ita ut non à priori tantum, ſed & à poſteriori (ut in ſcholis loquuntur) aquam unicum corporum naturalium elementum eſſe concludant.

§. II. An vero utraque hæc illatio firmo ſtet talo? an & experimenta illa ſemper & ubique ſuccedant? non eſt, ut hac

vice

vice diſcutiamus, quum inclytus *Dn. Rechenbergius*, Lipſienſium Decus, jamdudum fundum huncce in *Diatribe: an aqua tantum ſit unica corporum materia & principium primum?* occupaverit. Sufficiat hac vice ſtatuiſſe, aquam ad minimum vehiculum nutrimenti eſſe eaque de cauſa nullum fere corpus absque interventu aquæ ſubſiſtere: nullum omnino animal absque illa nutriri poſſe, adeoque in rebus diæteticis liquidorum potulentorumve concurſum adeo neceſſarium eſſe, ut *Salernitani* ſemper à liquidis initium ſumendum eſſe ſtatuant, vulgari illo: à potibus incipe cœnam.

§. III. Quænam autem potus genera ad vitæ ſanitatisque obſervationem magis apta nata ſint? inter Scriptores Diæteticos quam ſolicite, nec otioſe, controvertitur. Sunt qui vino primas dfeerunt, quod non tantum lac Senum, ſed & reliquorum hominum verum nutrimentum & cardiacum cardiacorum vocat *Guybertus de Conſervat. Sanit. pag.* 489. Hinc parum abeſt, quin ejus Conterranei Adamo ſuccenſeant, quod ſe pomo potius, quam botro ſeduci paſſus fuerit, in taberniis & contuberniis ſuis ita canentes:

Si le bon Dieu euſt fait naître
Un peu de ce bois tortu,
Dans le Paradis terreſtre,
Pavre Diable ou ſerois tu?
    Crois tu qu' Adam le premiere homme
    Euſt êté ſi grand badin,
    Que de choiſir de la pomme
    Pour y laiſſer de raiſin?

quamvis *Samuel Reyherus in Matheſi enucleata* vitem revera arborem cognitionis boni & mali fuiſſe, nõn dubitet aſſerere, quam tamen ſententiam jam noſtram non facimus, cum alius fori negotium ſit & Rabbini adhuc diſputent, an arbor, an planta, vel aliud quid ita dictum fuerit? de quo *Urſinus* in *Arboreto*

Biblico cap. 45. *p.* 583. Alii forte lac, Getis, Scythis, Batavis, Helvetiis aliisque γαλακτοπόταις adeo familiare, ob copioſas particulas nutritivas, potum ſaluberrimum eſſe dixerint, quod & priſcis Germanis in eodem uſu fuiſſe ex Cl. *Conringii Tr. de habit. corpor. Germ. pag.* 58. *& ſeqq.* quis colligere poſſet. Tandem alii vel hydromel Polonorum, vel cereviſiam è frugibus variis paratam, tanquam mage nutritivam, eligent, de cujus encomio *Eobanus Heſſus de natura cereviſiæ & Henricus Meibomius in eleg. de cereviſiis commentario* videri poterunt. Pauci è contra vel omnino nulli ſunt, qui aquæ ſimplici locum inter potulenta ſalubria concedunt, quam omnibus viribus deſtitutam adeoque ventriculo reliquisque viſceribus gravem, nocivam, Ruſticis ac Meſſoribus relinquendam eſſe clamitant.

§. IV. Aſt quam plauſibiles etiam videantur modo recenſitæ opiniones, non ſine cauſa tamen omnibus illis contradicit Medicus quondam Feliciſſimus, *D. Waldſchmidius*, dum in *Inſtit. Med. Rat. p.* 108. aquæ inter omnia potus genera palmam tribuit, utpote quæ tum jure antiquitatis, tum ſalubritatis prærogativam obtineat & in ſe ſpectata potus medicus ſuo merito audire poſſit. Quoad antiquitatis prærogativam conſentientem habet Celeb. Antiquarium *B. Henricum Meibomium*, qui in *Diſſ. Medica de potu aquæ calidæ* §. 2. ita ſcribit: Quemadmodum cibus prima mundi ætate ſimplex fuit & talis , qui dicente *Seneca Epiſt.* 95. nonniſi eſurientibus placere poterat , & ut *Ovidius* 4. *Faſtor.* canit:

Panis erat primis viridis Mortalibus herba
Quam tellus nullo ſollicitante dabat:

ita quoque potus non alius primis hominibus, isque cum plurimis animalibus communis, quam pura & ſimplex aqua fuit, quæ etiam idcirco naturalis & maxime neceſſarius potus paſſim audit, quamque non tantum ex fluviis petere, ſed fontes etiam eo nomine quærere ſolebant, uti præter alia ex ſacris literis & imprimis

ex *Gen.* 26. conſtat. Salubritatem vero ſufficientibus ibi rationibus confirmat antea laudatus *Waldſchmidius*, quod lubricitate & flexibilitate particularum ſe poris, cujuscunque ſint figuræ, facilè inſinuet, acidum vitioſum temperet, ſalia diluat, pituitam fluidiorem reddat, bilis æſtum demulceat & ſanguini humidas particulas reſtituat: ſuperfluum per vias urinarias, tum per exteriorem corporis ſuperficiem & ambitum iterum excernatur & quod caput rei eſt, nullibi aceſcat, ut ipſis etiam ægrotantibus, modo frigus ejus non obſtet, tuto propinari poſſit. Quantum è contra acido ſuo occulto nocet vinum, è quo ſtagma acidum corroſivum, aquæ forti non multo inferius, arte Chymica extractum fuiſſe experientia edoctus ſum! quantum lac ad coagulum & caſeitatem proniſſimum! quantum cereviſia, aut viſciditate partium obſtructiones pariens, aut facile aſceſcens! quantum hydromel in bilem & cruditatem nidoroſam facile degenerans! quæ omnia in aqua, quæ ſola ſimplicitate ſe commendat, pertimeſcenda non ſunt, ut non ſine cauſa agreſtis vitæ ſanitatem in ea quam maxime locaverit *Rivinus in pec. diſſert. de agreſtis vitæ ſanitate p.* 27.

§. V. Nec in ſtatu tantum naturali, omni etiam ætati, potum convenientiſſimum præbet aqua, ſed & ſub curſu morborum inculpatæ prorſus indolis eſt; quod neque de cereviſia, neque de vino vel aliis æque dici poteſt. Quis enim cereviſiam impune concederet febricitantibus, aſthmaticis & aliis diæta tenui opus habentibus? & licet de vino adhuc ſub judice lis ſit, an in febribus ardentibus & in ſpecie malignis conveniat nec ne? certum tamen eſt in multis idem affectibus locum habere non poſſe. Utrobique autem aqua conceditur ab omnibus, quæ in nonnullis affectibus ſæpe medicamenti vicem ſuſtinuit, ita ut ea mediante dyſenteria birioſa apud *Amatum Luſitanum Cent.* 2. *Cur.* 46. cholera *apud Borellum Cent.* 2. *Obſ.* 27. colica *apud Rivinum c.* I. §. 28. *ac* podagra *apud Bruerynum de re cib. lib.* 16. *c.* 13. *&* *Trinca-*

 vellium

vellium de curand. morb, lib. 12. *c.* 2. curata fuerint; quemadmodum & ejus adminiculo à Corpulentia nimia ſe tuentur Virgines, corporis gracilitatem affectantes. Nec alia forte ratione Fontes Soterii, vulgo die gute Brunnen, Geſund-oder Heyl Brunnen, tot effectus exſerunt, niſi quod particulis aqueis acrimoniam in partibus internis æque ac externis eluant. Imo decantatus adeo thee & coffi potus plura aqueis, acidum in corpore diluentibus, particulis in acceptis refert, quam herbaceis & fœnum fere redolentibus moleculis, ſub momentanea extractione aquæ ſaporem tantillum immutantibus; quamvis non omnem utrique potui vim, ſi diutius in digeſtione aut extractione ſteterint, denegare audeam.

§. VI. Licet autem facile concedamus aquæ potum noſtro tempore non cuivis ſubjecto indiſcriminatim expedire, nec quæ hactenus in ejusdem encomia allata ſunt, ea intentione ſcripta ſint, ut eandem omnibus ſuaderemus: certum tamen eſt dari plures etiam magni ſtemmatis nominisque viros abſtemios, qui vel ex idioſyncraſia naturali, vel ob votum DEO nuncupatum, vel & ex conſilio Medicorum, ab omni fere potûs genere, præter ſolam aquam, abhorrent, ut Illuſtri quodam exemplo nos Magnus JCtus, *Andreas Tiraquellus* docuit, qui ſola aqua contentus non tantum optimo corporis habitu in omni vita eſt gaviſus, ſed & ſine Cerere & Libero totidem liberos, quot libros (utrobique autem 45. genuit) relinquens, Poëtæ Epigrammati, quod ſequitur, anſam dedit:

Fœcundus facundas aquæ Tiraquellus amator
Ter quindecim librorum & liberum Parens,
Qui niſi reſtinxiſſet aquis abſtemius ignes,
Impleſſet Orbem prole animi atque corporis.

Cum vero hi tales non minus de bonitate aquæ, quam alii de divino vini ſint ſoliciti Medicosque ſubinde de ſalubritate ejus conſulant,

ſulant, hinc operæ pretium merebimur, ſi de aquarum differentia & prærogativa adhuc paucis egerimus.

§. VII. Quæritur ergo, quænam inter aquas optima, ſaluberrima & conſequenter potui aptisſima cenſenda ſit? *Hippocratem* ſi conſulamus, levisſimam commendabit *Lib. de aere locis & aquis*, quia hæc dulcisſima ſimul & limpidisſima, h. e. purisſima, ut *Sponius in Comment. ad hunc aph. p.* 244. *Aph. nov.* explicat. Levisſima autem eſt, quæ cito incaleſcit & cito refrigeratur, *Aph.* 26. *Sect.* 5. vel in Sole citius exhalat. Hunc in finem *Piſanellus de eſculent. potulentorumque facult. pag.* 308. *ſeq.* experimento utitur: Linei panni, ejusdem ponderis, binas capit particulas, quas diverſis aquis immerſas Soli exſiccandas exponit: harum quæ prima ſiccatur, levisſimæ immerſam fuiſſe aquæ extra controverſiam eſſe putat. Eandem pariter levitatem Moderni Philoſophi Experimentales hydrometro, ab *Athan. Kirchero in Mund. Subterr. Lib. V. Sect.* 2. *cap. V.* & *Dn. Sturmio in Colleg. Cur. Part.* 2. *pag.* 60. depicto, indagare ſolent, quod phiola parva eſt, cui aliquid ☿. injicitur, antequam Hermetice ſigilletur, ut erecto ſitu aquis innatare valeat: in collo vero gradus ſunt deſcripti, qui majorem vel minorem gravitatem aquæ indigitant, prout inſtrumentum plus minus emergit: quo plerumque Salinarum Præfecti (vulgo die Saltz-Factors) in probatione ſalinarum utuntur. Haud abſimile cum annulis variis, parti infimæ appendendis, habet *Monconyſius in Itinerar. Part. I. pag.* 173. Horum loco DN. *Volder*, Profeſſor Lugduni-Batavorum Ingenioſisſimus, cubo quodam æneo, à *Franckio Fr. Juniore, in Epiſt. ad D. Bergerum de ſucco nutrit. nerv.* deſcripto, utitur, quo *Snellius lib.* 2. *cap.* 5. *Eratoſth.* aquam pluvialem deſtillata, in cubo pedali, ℥ij. gr. 612. graviorem: putealem vero pluviali ʒvj. & gr. 30. propenſiorem expertus fuit. Ubi tamen notari velim aquas poſt brumam à curioſioribus rerum æſtimatoribus graviorem repertam fuiſſe, cum ſpiri-

tus

tus illos ſubterraneos in ſe exſtinxit & inde craſſamentum ſibi fecit, ut *Fromondus in Meteorolog. pag.* 359. loqui amt. Hinc per clepſydras olim diffluens hyemales horas paulo longiores reddebat æſtivis, exitu tunc ob craſſitiem tardiore.

§. VIII. Facile hinc explicare licet, cur aquæ pluviales leviſſimæ, adeoque & dulciſſimæ, tenuiſſimæ & limpidiſſimæ dicantur *Coo lib. de aere, loc. & aq.* quum revera ſint aquæ à Natura deſtillatæ, quatenus radii ſolares tenuiores & ſubtiliores particulas, è globo terr-aqueo vaporetenus in ſublime propellunt, relictis fixioribus terreſtribus: unde non poſſunt non reliquis leviores, adeoque & ſaniores eſſe, quicquid etiam *Plinius* in contrarium reponat. Optimæ quoque, juxta eundem *Coum l.c.* ſunt, quæ è ſublimibus locis & terræ tumulis fluunt, quum eo puriores & à terreſtribus particulis defæcatiores fiant, quo longius & diutius per terræ poros deſcendunt & à portionibus fixioribus, filtratione interveniente, liberantur. Noxiæ autem ſtagnantes & male olentes, quum ob putredinem & particularum heterogenearum copiam & obſtructiones in vaſis capillaribus & ſanguinem impurum generent, adeoque ad potum ordinarium prorſus ineptæ ſint.

§. IX. Eandem ob cauſam aquæ ſalſæ & indomitæ ad quotidianum potum improbandæ ſunt, quales ſunt aquæ marinæ, quæ ob ſalis intermiſtionem omnium graviſſimæ, adeoque minus ſanæ dicendæ. Quid quod & aliæ ſæpe illi combinentur particulæ prorſus heterogeneæ, bituminoſæ v. g. & reſinoſæ, è fundo & profundo littore emergentes, à quibus mari Caſpii amaritiem non ſine ratione derivavit eruditione & itineribus Clariſſimus *DN. Engelbertus Kæmpfferus, in Decade Obſervationum Exoticarum, Lugd. Batav.* loco *Differt. Inaug. ventilat.* §. 3. Quin & ab iisdem particulis ſulphureis, aqueis & ſalinis invicem mixtis, paucisſimis hactenus perſpectam maris lacteſcentiam (vulgo die Milch-

Milch-See) ſingulis annis bis circa Bataviam novam verſus Amboinam, tempore nocturno, obſervandam deducit DN. *Eberhardus Georgius Rumphius*, in *literis ad D. Wilhelmum ten Rhyne, Amboinæ Victoriæ Ind. Orient. die* 20. *Aug. Anno* 1687. datis: quas cum aliis ſimilibus *diſſertationibus epiſtolicis Indiæ Orientalis*, è MSC. originalibus in vernaculam translatis, cum *Muſeo Muſeorum* luci publicæ expoſuimus.

§. X. De aqua nivali atque glaciali diſcrepant Autores diætetici. Quidam apud *Athenæum lib. 1.* eandem ſaluberrimam eſſe contendunt. *Hippocrates* autem *Ariſtoteles & Plinius* ut inquinatisſimam damnant, neque ſine cauſa. Revera enim terreſtre illud, quod in ea fundum petit, ſatis ejusdem impuritatem arguit. Hinc *Agellius lib.* 19. *cap.* 15. *Noct. Attic.* cum in illa plurimorum hæreſi eſſet bibendi nivalem, ſe ad meliorem ſententiam à Peripatetico quodam reductum eſſe ſcribit, auctoritate *Ariſt.* aſſeverantis ἀπὸ χίονος καὶ κρυστάλλων ὕδατα φαῦλα εἶναι: aquas è nive & glacie vitioſas eſſe. Idem de potibus aliis nive refrigeratis (Gallorum à la glace) ſentiendum, quos Colicam Convulſivam internecinam in Illuſtr. Comite de Dhaun excitaſſe vidimus, per literas in conſilium vocati.

§. XI. Quid vero ſi in defectu aquæ puræ vitioſa (qualis fere ea eſt, quam heic Giſſæ è puteis quamplurimis haurimus, calcem poſt decoctionem uberrimam & nocentiſſimam relinquens,) neceſſario potanda ſit? En! remedium modo indigitatum fuit. Ad omnia enim vitia corrigenda, imo quamcunque aquam uſui accommodatiorem reddendam, optima eſt decoctio & cum *Plinio lib.* 31. *cap.* 3. plerique omnem decoctam aquam non decocta utiliorem ſentiunt. Deſtillationem tamen ſi quis adhibere velit, is aquam procul dubio puriorem & non paulo meliorem reddet, judicante ſic *Sennerto Inſt. Med. Lib.* 4. *P. I. Cap.* 4. *pag. m.* 752. Alii allium infundunt, aut pulverem pyrium, quod militibus &

aliis caſtra ſequentibus ſuadet Inclytus *Dn. Ludovici, Tr.* von den den Feld-Kranckheiten *cap.* 2. *pag.* 18. loco quorum ditiores cortices citri, aurantiorum & alia pro gratiore ſapore adjiciunt. Alii aqua ſulphurata utuntur & vaſa, quibus aſſervatur, fumo, ut dolia vinum continentia, impraegnare jubent, Sie geben ihm einen Einſchlag, cumprimis ubi febres malignæ, peſtis & ſimilia mala epidemice graſſantur, in quibus omnes potus ſulphurati ſummopere *ab Ettmüllero* aliisque Practicis felicioribus laudantur. Ad minimum vero aqua per linteum, ſtrophiolum, aut aliud filtri genus filtrare jubet *Mindererus* in der Kriegs-Artzeney *p.* 75. ne ranarum, rubetarum, aut ſerpentum ſeminium forte ſimul hauriatur, ut Ruſtico illi accidit, è quo 245. ranas expulit, quarum majores nonnullæ exſiccatæ in Mantuæ, jam obſidione cinctæ, Muſeis & Auguſtæ Vindelicorum, in ædibus Dn. Hainhoferi ſpectantur.

§. XII. Quam maxime vero ultimæ huic aquarum depurationi ſervit & inſervit Filtrum Mexicanorum rariſſimum & prorſus inſolitum, lapis ſcilicet, aut fungus lapideſcens ejus nominis, cujus deſcriptionem horno tempore, cum Aulam Principalem frequentaret, Darmſtadii, à *Dn. Schazio*, Advocato Argentinenſi & Conterraneo meo Honoratiſſ. obtinuit Dominus Præſes, quam cum neque *Böetius à Boot* (qui *Hiſtoriam lapidum* optime & ex profeſſo, quod dicitur, pertractat) neque *Sterrebekius* in *Theatro Fungorum*, multo minus alii generales rerum naturalium Scriptores tradiderint, Curioſo Lectori iisdem, queis obtinuimus, verbis, Latinitate donatis, communicare voluimus:

Memoire.

Memoire

Sur le Filtre, ou Pierre de Mexique, curieuſe & extraordinaire.

IL croiſt naturellement dans quelques endroits du Golfe de Mexique une eſpece de champignon medicinal, a environ cent braſſes de profondeur ſous l' eau, ſur la roche vive, lequel ſe petrifie par luy meſme à l' air, dont les Eſpagnols d' Amerique transportent à grands frais les plus groſſes pieces jusqu' à la mer de ſud, d' ou ils les embarquent pour les Jappois, ou ces ſortes de pierres, ſur tout lors qu' elles ſont groſſes, ſont tres eſtimees & ſe vendent au poid de l' or, parce qu'ils eſtiment, que l' impreſſion de ce Champignon petrifié ſert à longue vie.

Les Japponois le font creuſer en forme des pots ou des mortiers, pour pouvoir contenir les liqueurs & particulierement l' eau pour boir,

Hiſtoria

Filtri, Lapidis Mexicani rariſſimi & omnino curioſi.

In quibusdam ſinus Mexicani locis ſpecies fungi cujusdam medicinalis naturaliter ſuccreſcit, qui ſub profundo aquarum, ad 100. circiter ulnarum altitudinem, rupibus adhæret & in aperto aëre ſponte ſua lapideſcit, cujus fruſta majora Hiſpani in America viventes, non ſine ſumtibus ingentibus ad mare meridionale deferunt, indeque navibus onerariis in Japponiam deportant, ubi hæc lapidum ſpecies, cumprimis craſſiores, magno in pretio habentur & æquali cum aurô pondere venduntur, cum impreſſionem fungi hujus petrificati ad vitam longam conferre exiſtiment.

Japponenſes eundem in formam ollæ aut mortarii redigunt, ut liquores varios, cumprimis autem aquam potui deſtinatam recipere poſſit,

deſiderio illorum & appetitui gratisſimam.

Aqua autem ſimplex tranſit & permeat poros hujus lapidis, quæ licet etiam clariſſima aut limpidiſſima videatur, dum filtro huic committitur, nunquam tamen non deponit & relinquit certam fæcum inſenſibilium quantitatem, donec tandem ad ſenſum levior & conſeqnenter etiam purior, melior & ad ſanitatem conſervandam aptior reddatur. Quũ enim aqua in ſe ſpectata nihil aliud ſit, quam aër condenſatus, haud aliter ac aër eſt aqua rarefacta: hinc facile concludere licet aquam bonæ notæ indies potu aſſumtam eundem cum aëre, per reſpirationem hauſto, effectum exſerere.

Inde forte eſt, quod incolæ hujus inſulæ, quibus calculus renum aut nephritis ne nomine quidem, nedum eſſentia perſpecta ſunt, quive ſanitatem ſuam omnibus aliis corporis & fortunæ bonis anteponunt, maxime autem Principes, Mandarini aliique Magnates in ædibus ſuis ſcrinia quædam aut re-

dont ils ſont grands amateurs.

L'eau commune ſe filtre & paſſe au travers de cette pierre poreuſe & quelque claire qu'elle paroiſſe lors qu'on la met dans ce filtre, elle y depoſe toujours une quantité de faiſſes imperceptibles, au point qu'elle devient ſenſiblement legere & par conſequent plus pure, meilleure & plus propre à la ſanté, puisque l'eau, n'étant de ſoy qu'un air condensé, de meſme que l'air étant une eau rarifiée, il eſt de bons ſens de conclure, que la bonne eau, qu'on boit à l'ordinaire, fait le meſme effet, que le bon air, qu'on reſpire.

C'eſt pour cela, que ces Inſulaires, qui ne ſçavent ce que c'eſt que gravelle ny maux de reins dans leur pays & qui preferent leur ſanté à tous les autres biens de la vie, principalement les Princes, les Mandarins & les autres gens de qualité, ont dans leurs maiſons des armoires ou bufets, faits

faits expres, dans lesquels ils tiennent enfermez ces filtres ſur des trepieds propres, ou paſſe continuellement l'eau pour uſage perſonnel, dont ils ne confient la clef à perſonne, pas meſme à leurs femmes, ny à leurs enfans. Ils diſent vulgairement, que c'eſt leur treſor. Ce qu'il y a de certain, eſt que cette eau, ainſi depurée, conſerve ſans glace beaucoup plus long temps ſa fraicheur naturelle, & quelle ne ſe corrompt plus, quelque long temps qu'on la puiſſe garder.

Il eſt à remarquer, que les Grands Seigneurs Eſpagnols ne reviennent presque ſans rapporter avec eux en Europe ou pour leurs uſages particuliers, ou pour donner à leurs amis (qui eſt ſelon eux un preſent magnifique) quelquunes de ces pierres de Mexique, dont les plus groſſes ne contiennent gueres, que cinq ou ſix pintes d'eau, tout au plus,

ceptacula hunc in finem parata habent, in quibus filtra hæc fulcris ſuis tripedalibus innitentia aſſervant, ut aqua proprio illorum uſui dicata nunquam non per illa procoletur, quorum claves ne quidem Conjugibus aut liberis ſuis, multo minus aliis fidunt aut concedunt. Imo (quod palam toto die aſſerunt) hæc pro optimo ſuo theſauro habent. Hoc ad minimum certiſſimum eſt, aquam ita depuratam vigorem ſuum & frigiditatem naturalem, etiam ſine glacie circumpoſita, diutius ſolito retinere & absque ulla corruptione per longum temporis intervallum aſſervari poſſe.

Notam meretur Magnates & Grandes, ut audiunt, Hiſpanorum raro in patriam revertere, niſi ſimul lapides quosdam Mexicanos, vel pro uſu proprio, vel pro Amicis ſuis (cum eosdem pro dono ſplendido & liberali habeant) ſecum in Europam attulerint, quorum majores ſive craſſiores vix ultra V. & VI. aquæ quartaria recipiunt, quoniam ma-

ximi, ut jam ſupra dictum fuit, commercio, quod cum Japponenſibus & Chinenſibus alitur, deſtinantur, idque reſpectu lucri, quod exinde expectant eo majus, quo lapides ſunt craſſiores.

parce qu'en effet les plus grandes pieces, ſont, comme il eſt marqué cy deſſus, pour le commerce du Jappon & de la Chine, qui leur eſt tres avantageux par le grand profit, qu'ils font ſur ces pierres, lors qu'elles ſont fort groſſes.

In Portu Gades, Seviliæ, imo & Madriti reperias Magnates, qui duo aut tria ejusmodi filtra ita ſe mutuo excipientia, ut unum alteri incumbat, ſibi comparatunt: aſt omnes in eo conſentiunt, quod unicus è majoribus & craſſioribus lapidibus Mexicanis, intuitu qualitatis, hiſce omnibus longis paraſangis ſit præferendus, cum longe alium ſanitatique magis proficuum effectum edat, ut ope hydrometri cujusdam facile probari poſſet.

A Cadix, Seville & à Madrit mesme il y a des Seigneurs, qui ont chez ſoy deux ou trois de ces filtres proprement agencées l' un ſur l' autre; mais ils conviennent tous, qu' une ſeule de ces plus groſſes pierres de Mexique ſeroit de beaucoup preferable en ſa qualité naturelle, en ce, qu' elle fait ſenſiblement un tout autre effet pour la ſanté, ce qui ſe peut aiſement verifier par le moyen du Peſe- liqueurs.

Perſona quædam benevolentiam & favorem *Domini de Louvois* (qui nil æque magis, quam aquam bonæ notæ in pretio habebat) captatura, credens & perſuaſum ſibi habens Miniſtro huic nequicquam offerri poſſe, quod aut operæ pre-

Une perſonne, qui vouloit ſe menager de la faveur aupres de Feu Monſieur de Louvois (*qui aymoit pasſionnement la bonne eau*) *ayant cru, ne povoir rien preſenter à ce Miniſtre, qui luy fut plus conſiderable, ny puſt mieux*

eux convenir à un Sur-Intendant General des Baſtiments du Roy, qu'une pierre ainſi pretieuſe pour la ſanté, a fait la depenſe d'en faire achepter une d'une groſſeur enorme en ce genre, puis qu'elle contient environ quatre ſeaux. Mais comme ce Miniſtre s'eſt trouvé mort à arrivée de cette pierre, la perſonne la voudroit bien faire paſſer à quelque Grand Siegneur d'Allemagne, qui eut aſſez de ſoin de ſa ſanté, pour en faire la deſpenſe; pour cela elle offre de la faire venir à Strasbourg, pour la mettre à Monſieur S chaz, *ſon particulier amy, lequel en pourra diſpoſer ainſi, qu'il jugera à propos, ſoit pour la preſenter à quelque Prince, ou pour en faire tel autre uſage, qui luy plaira, êtant certain, que n'en eſt pas encor venue en Europe de la groſſeur de celle, dont il s'agit & par conſequent de plus conſiderable & ſi pretieuſe.*

tium mereatur aut Ædili Regio Generali mage dignum ſit, quam lapis hic, ob uſus, quos ſanitati præſtat, adeo pretioſus, nullis pepercit impenſis; quo rariorem quendam & enormis hoc in genere magnitudinis lapidem ſibi compararet, cum quatuor fere ſitulas recipiat. Poſtquam vero Primarius hic Regis Miniſter ſub adventu hujus lapidis diem ſupremum obiit, dicta modo Perſona eundem Magnati cuidam in Germania concedere non dubitaret, qui ſanitati ſuæ præ aliis proſpecturus expenſas non reformidet. Quapropter curaturam ſe promittit, ut lapis is Argentoratum deportetur & interea *DN. Schazio*, Amico ſuo intimo, concedatur, qui prout è re viſum fuerit, eundem aut Principi cuidam humilime offerre, aut aliter de eo diſponere poterit, certo perſuaſus, nunquam adhuc ejus ponderis & magnitudinis filtrum in Europam delatum fuiſſe, quod ejus intuitu rariſſimum non minus, quam pretioſiſſimum haberi debet.

Eſt

Eſt Jeſuita quidam *P. de Martel*, alias famoſus Autor, qui Bloiſii diſſertationem quã-dam de qualitate hujus lapidis Mexicani ejusque virtutibus (quas curioſe prius in lapide mediocris, ut obtinere potuit, magnitudinis examinarat) in lucem edidit &c.

Le Pere de Martel, *Jeſuite, fameux Auteur, à fait imprimer à Blois une diſſertation ſur la qualité de cette pierre de Mexique & ſur les vertus, qu'il dit avoir ſoigneuſement examinées ſur une de cettes pierres de mediocre grandeur, qu'il avoit recouvrée &c.*

§. XIII. Hactenus deſcriptio Anonymi. Quæ omnia ſi veritati & experientiæ reſpondeant, nullus dubito, quin & in aliorum liquorum depuratione, per filtrationem obtinenda, locum habere poſſit novum hoc filtri genus: utut verear, ne illi, qui lapidem hunc aquæ depurationi deſtinarunt, aliis eundem uſibus concedant, memores vulgaris illius: Quo ſemel eſt
imbuta recens ſervabit odorem
teſta diu.

TANTUM!

MICHAE-

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI

ANIMAVERSIONES

IN

MACHIAVELLUM MEDICUM

DE

RATIONE STATUS MEDICORUM,

CUM

ANNEXIS COROLLARIIS MEDICO-POLITICIS,

IN

PRACTICORUM NOVELLORUM GRATIAM

NUNC

SECUNDA VICE IN LUCEM EDITÆ.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM BENEVOLUM.

SEptimum jam luſtrum agitur, ex quo manuſcriptum quoddam ſub Rubrica Machiavelli Medici, ſeu Rationis Status Medicorum, inter Philiatrorum manus oberrabat & ab iisdem adeo in ſecretis habebatur, ut neque pretio, neque precibus à nonnullis obtineri potuerit. Equidem optandum eſſet, ut, quod Autor ejus (quem haud pauci Barnerum, Chymicum magni nominis eſse judicabant) in procemio conſulit, in omne ævum ſuppreſſum & inter arcana ſtatus habitum fuiſſet, ne Medici pro-

 priam

priam turpitudinem allegaſſe aliisque manifeſtaſſe videantur; aſt in hoc ſibi temperare non potuit hominum φιλαργυρία, *quo minus in publicum prodiret typisque traderetur ſcriptum, ad corrumpendos ingenuorum animos fere natum, utut alicubi mancum, alibi corruptum, ubivis adulteratum & in plurimis locis absque ſenſu fuerit expreſſum. Cum vero plura illic obſerventur, quæ contra bonos mores, pietatem & Chriſtianam charitatem militant; hinc ne ſcandalum inde capiant Philiatri, operæ me pretium facturum exiſtimavi, ſi præmiſſo prius textui notas & animadverſiones perpetuas ſubjungerem, mixta hic bona à malis ſeligerem & quæ alii in* Medicis *ſuis* Politicis *ſalutariter monuerunt, cum iisdem conferrem, rejectis ubique fraudibus & impoſturis nunquam non illicitis; quicquid etiam illarum Autor in proœmio proteſtetur. Fruere hiſce, LECTOR CANDIDE & SINCERE, ac ſi bene frueris, certam DEI benedictionem in futura Praxi Tibi promitte, ſine qua nulla felicitas nullusque rerum ſucceſſus.*

Fac tua, quæ tua ſunt, cætera crede DEO.

PROOE-

PROOEMIUM.

M*Achiavellum*, celebrem Scriptorem Politicum, malè propterea audire, quod illicitas quasdam artes, Statui æquè ac Regimini ſummè proficuas, tradiderit, vulgò notum eſt. Sed ſine cauſa id fieri, jure forſan contendit Politicus ſummi nominis, Clariſſimus *Puffendorfius*. Egregiè ſaltem de Machiavello á *Zingrefio* in *apophthegmat. German* dictum: Jedermann ſchilt Ihn, jedermann practicirt Ihn. Machiavellum ſecuti (licitas, an illicitas? jam non dicam) artes, quæ Medicorum ſe in uſus explicant, de illorum Status Ratione ſc. tradere propoſuimus. Hæc vero non ex libris ſunt deſumpta, nec de Machiavello Medico auditum unquam: & quanquam *Medicum Politicum* evulgarint nonnulli, Chriſtiani tamen ſunt ii, h. e. de artibus hiſce vix quicquam apud illos reperitur. E rerum uſu & experientia omnia petuntur, exemplis in præcepta redactis. Quivis

fortè & illa culpabit, quivis nonnunquam, neceſſitate ductus, ipſa ea in Praxi exercebit. Licitæ ſaltem hæ ſunt fraudes, quas Artis noſtræ defectus exigunt, qui eo facilius Nos excuſabunt. Quo vero loco hæc habenda ſint, jam non dicam. Drif *Helmontii* & Lapis *Butleri*, ejuſdem effectus, ſolo ſaltem attactu morbos graviſſimos profligantes, omnem admirationem ſuperant. *Paracelſus* autem & Antiquorum nonnulli majoribus, ut audiunt, arcanis (quæ, ut Helmontius habet, ſub unius ſolventis conſanguinitate conſpirant in uniſonum) incurabilia alioquin malorum monſtra proſternunt. Credamus hoc, modo & credatis mihi, artibus hiſce ritè recteque applicatis tantum poſſe perfici, hoc tamen ſuppoſito: MORIENDUM ESSE OMNIBUS ac Præcurſores mortis eſſe morbos, adeoque majora illa arcana tantum non valere, ne morti aut morbis tandem ſuccumbamus. Suppoſito denique & hoc, ſponte ceſſare morbos, pleroſque eorum à Natura curari, quod tamen Medicæ prudentiæ adſcribi ſolet. Quicquid horum omnium ſit, ſaltim hæc inter arcana habenda, ne, dum in vulgus abeant, nosmet ipſos contemtui exponamus. Si enim & defectus Artis noſtræ & fraudes ſimul innoteſcerent, ve-

reor,

teor, ne Nobis accidat, quod magni nominis Practicus Hamburgi quondam in aurem mihi ſuſurravit: Wann die Leute vvüſten, vvie es mit den Medicis beſchaffen vvâre &c. &c. Sed ad rem!

PROPOSITIO I.

MEdicus re, non nomine, talis ſit, ut dicit *Hippocrates*: aſt ſi modo nomine talis ſit, ſufficit.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

UT re ipſa Medicus quis ſit, requirit in eo Hippocrates *morborum cognitionem, ſignorum notitiam, utque debitis remediis nos inſtruamus. Nomine vero talis eſt, qui tantum ſiguram ac Perſonam Medici refert. haud aliter ac in ſcenas ejusmodi perſonæ introducuntur. Bene ſe habent hæc omnia. Sed cum ex communi experientia conſtet, imperitos quosvis agyrtas vetulasve æque feliciter, imo felicius ſæpe, curare, quam Medicos Rationales Academicos, hinc aſſerti vis ſibi non ſatis conſtat. Fallax enim experientia ac judicium difficile ſunt in cauſa; quo minus propoſitum finemque per aliquot annorum ſtudia poſſimus aſſequi. E contra multis*

in locis Carnifices, alibi Circumforanei ac Bullati frequentiorem habent praxin, quam promoti Doctores. Nec mutari poſſunt illa. Interim ut nomen nobis conciliemus, rei periti eſſe debemus, aut ſaltem ſpeciem aliquam, aut vaſtæ eruditionis umbram præbere. Interea ſolatio nobis eſt, quod communi Eruditorum ſuffragio habeamur pro Medicis verè talibus, quos honorare juſſit Altiſſimus.

ANIMADVERSIO.

NOmine quidem multos, reipſa vero perpaucos eſſe Medicos, dolet *Hippocrates* in *Lege.* Rationem ſtatim addit: Qui e„nim Medicinæ ſcientiam ſibi verè comparare volet, neceſſe eſt, „ ut naturam nactus ſit doctrinæ recipiendæ aptam, qua repu„gnante irrita ſunt omnia, tum etiam locum ſtudiis commodum, „ inſtitutionem à puero, induſtriam & tempus; à quibus, cum magna Philiatrorum pars, noſtris cumprimis ad barbariem declinantibus temporibus, abhorreat, hinc utique nomine magis; quam re ipſa Medici ſunt & ut *Sponius* in *Comment. ad h. l.* habet, multi quidem ſunt nomine & gradu Doctores, at paucisſimi revera docti. An vero id ſufficiat? illud contra Machiavellum noſtrum conſtanter negat venerandus Senex, dum in eadem Lege, imperitia, inquit, malus eſt theſaurus, timiditatis & audaciæ nutrix. Timiditas enim impotentiam, audacia vero ignorantiam arguit: quod *D. Joh. Sporiſchius* in *Idea Medici p.* 11. ſic explicat: Ingens dedecus ac jugum graviſſimum eſt, cum multis incommodis conjunctum, tam præceptorum utilium, quam neceſſariarum rerum ignorantia, adverſus quam Medico contendendum eſt, non aliter atque adverſus hoſtem maximum, cum ſit noxius mali reconditi theſaurus atque quippiam ambiguo ſomnio non abſimile mile habent, quoniam in multis hominibus, qui integro & prudenti alias ſunt animo, timiditatem agendi, in multis

multis vero & iis potiſſimum, qui extremæ improbitatis ſunt & neque DEUM neque hominum bonorum judicia verentur, impudentem audaciam & temerariam occidendi homines licentiam parit. Videat ergo quanto cum periculo vulnereque conſcientiæ aliis perſuadere conetur Autor, ſufficere, ſi modo nomine quis Medicus audiat. Nec obſtat Thraſones & Carnifices ſæpe felicius curare morbos, quam Medicos Rationales: ſiquidem hic valet illud:

- - careat ſucceſſibus opto,
Quisquis ex eventu facta probare velit.

Neque imperitiæ tribuenda, quæ ſors fortè effecit, poſthac inconſtantiam ſuam teſtatura. Multo minus exinde veritas aſſerti conſtat, quod experientia fallax judiciumque ſit difficile: cum vel eam ob cauſam nos prius in accurata morborum cognitione exercere teneamur, licet etiam majus, quam aliquot annorum, ſtudium requiratur. Umbratici igitur, non veri ſunt Doctores, qui juxta conſilium Autoris nudo nomine ſuperbiunt & nonniſi ſpeciem & vaſtæ eruditionis umbram præ ſe ferunt, qua licet incautis & ineruditæ plebeculæ imponere poſſint, ad profeſſionem tamen ſpecioſam alligati & ſub ingenti titulo laborantes, tædio & pudore ſui intus & in cute divexantur, quod graphicè depingit *Seneca de tranquillitate animi cap.* 5. Quapropter neque ſolatio, quod additur, gaudere poſſunt, niſi miſerrimum illud

- - - ſocios habuiſſe malorum,

intelligatur. Solidam vero eruditionem, cui prudens animus adeſt, multum honoris, commoditatis & emolumenti efferre, ſenarii hi Græcorum eleganter docent:

Τιμὴ πέφυκε πᾶσι πανεία βροτοῖς
ὡς ἐδὲν ἡ μάθησις, ἂν μὴ νᾶς παρῇ.

PROPOSITIO II.

UT nomen tibi concilies, vel habitis quocunque modo diſcurſibus, vel arcanorum jactantia erit etiam in ſpecie allaborandum.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Hic probè attendendum eſt, ut coram imperitò vulgo, qui omnia admiratur hæc agas. Novi quendam imperitum & indoctum ſatis, qui Hamburgi in contuberniis Cæſariorum tum de morborum cauſis, tum de ſecretis etiam remediis, quæ pro arcano ſe à D. Michaelis *impetraſſe jactitabat, ajens, tantam ſibi conciliavit famam, ut hoſpitio Mercatoris fuerit exceptus lauteque egerit.* ⊖* *Vino infuſum alium inducit colorem; hæc & alia ſi vulgo obtrudantur, nonniſi cum applauſu excipi ſolent.*

ANIMADVERSIO.

STratagemata jam & artes Nominalibus ſuis pandit Autor, quæ omnia rurſus ad ſpeciem externam magis quam ſolidum eruditionis & virtutis ornamentum ſunt compoſita. Agmen ducunt habiti quocunque modo *ſermones*, quos, ſi cautè, provide & tempeſtivè inſtituantur, omnino quidem improbare non poſſumus. Interim

Sit modus in rebus, ſint certi denique fines.

Abſit omnis garrulitas, cum fallax & ad errorem proclivis ſit aſſeveratio cum garrulitate conjuncta, docente *Coo lib. de Præceptionibus.* Eo enim tempore, quo morbis conflictantur ægri, non

non tam jocos ſermones, quam fideles Medici prudentes operas deſiderant. Hinc plures tantopere abhorrent audire garrulorum loquacitatem, ut illos longiſſimè à lecto remotos eſſe, quam ſurdis admodumve moleſtis auribus audire teneantur. Rectiſſime enim & prudenter Poeta Græcus ait:

Ἰατρὸς ἀδόλεσχος, νοσοῦντι πάλιν νόσος.

Quam bene autem cum jactantia arcanorum ſibi conſtet, vel exinde patet, quod coram imperito vulgo eadem jactare doceat, probè gnarus Sapientibus & emunctioris naris hominibus propriam ſordere laudem, juxta Gallorum proverbium: Celvy, qui n'eſt vanté, que de ſa Mere & de ſoy meſme, il n'eſt pas grande choſe. Videant autem & caveant Nominales, ne poſt multam jactantiam multumque apparatum, imperitorum Chirurgorum inſtar, tandem nil opis adferant ægro, ut *Hippocrates* eleganter *lib. de articul.* §. 20. loquitur. Reales è contra, h. e. genuini atque generoſi Medici non tam verbis, quam herbis rem expediunt & ea de cauſa vanam oſtentationem & jactantiam cane pejus & angue fugiunt, cum in Thraſonibus hujuscemodi minus animoſæ eruditionis, quam ineptæ loquacitas eſſe, nemo prudentum ignoret. Prout enim vas vacuum, ſi digito malleoque tundatur, aut veſica, cui tres quatuorque lapilli injecti ſunt, cum movetur, multum ſonitum ſtrepitumque edit, nihil vero ſoni, nullusque ſtrepitus auditur, quando ad ſummum replentur & concutiuntur, ſed gravitate prævalent, ne facile loco moveri poſſint: ita Medicus, cui vera eruditio non contigit, multa intempeſtivaque loquacitate ſe effert, ut inſcitiam ſuam apud imperitos homines tegat, cum vere docti ac prudentes Medici moderatè ſe gerant in hac parte, conf. cit. *Sporichius p.* 22. Quodſi tandem efficaciam arcanorum illorum & horribilium ſecretorum examines, plerumque cum montibus parturientibus nil niſi murem ridiculum, aut mera incautorum imperſonalia, pœnitet, tædet, miſeret &c. eniti ſolent.

PROPOSITIO III.

COram vulgo ac Medicis Senioribus, ſi res ægri agatur, de morborum cauſis ex Recentioribus, archæo, alcali, acido, particulis incongruis, ſucco nervoſo &c. loqui non debemus.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

NEque enim vulgus illa capit, ſed potius, cum nova ſint, rejicit, ratus male ſecum agi, cum ab experientia tot ſeculorum deflectitur. Imo ipſi Medici Seniores humoribus enutriti, abhorrent ſuamque apud ægros authoritatem confirmant: Es ſind neue Dinge, die noch nicht experimentiret ſind. Potius his formulis utendum: Die Mutter ſteiget ihr auff. Es iſt ein Schorbutiſch Geblüt. Die Leber ziehet lauter Waſſer. Die Gall ſcheint ihm auff die Leber gefallen zu ſeyn. Die Miltz ſticht Ihn, ja mich dünckt Er ſeye angevvachſen.

ANIMADVERSIO.

QUæ de principiis Recentiorum hic monet Autor, de nihilo non ſunt, ſiquidem nec vulgo, nec Medicis Senioribus ad palatum eſſe videntur. Illic igitur margaritæ porcis non ſunt objiciendæ. Hic ſurdis narratur fabula: adeoque dandum eſt aliquid Seniorum deliranti contumaciæ, qui Galenicorum humoribus enutriti & a præconceptis opinionibus excœcati nonniſi ea, quæ ingeniis ſuis congruunt, admittere ſolent, inſuper habentes,

bentes; quæ juniores prioribus inventis hactenus ſalutariter addiderunt; eaque propter cum ægri res agitur, ab iisdem rectius abſtrahitur. An vero in cathedra pariter Academica præſentibus etiam Senioribus, eadem deſerere deceat, illud eſt, quod penitus negandum puto. Cum ſtupore ſanè legi, quæ moroſus talis Antiquarius in Reſponſo, ſeculo jamdum præcedenti exarato, contra principia Modernorum (ſalvis tamen ſalvandis) evomere non dubitavit; Sie wären noch der beſtändigen Meynung, daſs es unverantwortlich, bevorab in unſerm Studio Medico, ſeye, von denen receptis dogmatibus, ratione & experientia fundatis, abzugehen und eines jeden placita anzunehmen, vielweniger zu geſtatten, daſs ſelbige bey Academien eingeführet, und in publica cathedra dociret würden, indem man mit der Zeit erfahren, daſs ſolche muſtacea dogmata manchem rechtſchaffenen Mutter-Kind ſeinen beſten Halſs gekoſtet, auch ſolche neu-modige Medicin, wann etwa ein oder zwey Augen ſich geſchloſſen, von ſelbſten, wie der Schnee im Märtzen, verſchmoltzen, wie ſolches in dieſem zu End lauffenden Seculo die auff denen Principiis Helmontii und Sylvii fundirte Medicina, wie bekannt, erfahren, und daſs der jetzigen Carteſianæ, Mechanicæ oder Corpuſculari es vielleicht noch vor Ausgang dieſes Seculi nicht anders ergehen werde, wir noch zu erleben verhoffen. Triſtiſſimum ſane & tremendum contra Modernorum dogmata prognoſticon! Allein die alten Propheten ſind geſtorben; Novorum prædictio - -

- - Corvos deluſit hiantes.

Quod fatum quoque illos manet, qui medicamenta polychreſta noviter inventa, ipecacuanham, magneſiam ſolutivam & ſimilia nonniſi ad aliquot tantum luſtra commendari publicè, ſed gratis, muſſitant. Florent & in omne ævum florebunt vera Noſtrorum placita, quamdiu veritati litabunt, rumpantur ut ilia Codro. Cæterum, quod formulas illas, ad Antiquorum mentem, ab Autore commendatas attinet, novi & ipſe nominis haud in-

 ſimi

ſimi Practicum, qui tuſſientibus perſuadere ſolebat; die Lunge liege in einem Schaum, wie Seiffen-Waſſer; apepſia & debilitate ſtomachi detentis: Der Magen liege in dem Leib, wie ein Waſchlumpe. An vero hæc talia ſalva conſcientia tam confidenter poſſint aſſeri, valdè dubito, cumprimis ea, quæ receptiſſimis hodie fundamentis è diametro contrariantur, qualia ſunt omnia, quæ de ſanguificatione hepatis, uteri adſcenſione &c. ab Autore proferuntur.

PROPOSITIO IV.

HAbitus Medici ad gratiam & autoritatem ſit compoſitus.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

HÆc de decenti habitu ſtudioſe non minus inculcat Hippocrates. *Veſtitus itaque ornatus ſit, juxta quem odorata quoque adhibeantur; adeoque balſamo ſemper ſit inſtructus Medicus jusque aureorum annullorum, ab Antonio Muſa impetratum, digitis ſiniſtræ conſervando, dextra ſemper roſam, aut pomum citri geſtet, quod ægris, ceu munuſculum, offerri debet, præſertim, ſi obſervet illorum oculos in illud ferri.*

ANIMADVERSIO.

MEdicus pietate, eruditione cæterisque animi virtutibus, hactenus commendatis, inſtructus, corporis quoque curam agere honeſtoque amictu, ab *Hippocrate* peculiari *de decenti habitu* libro, requiſito, ſibi proſpicere tenetur. Licet enim veſtis (ut

dici ſolet) Monachum non faciat & ſicut ſub ſordido palliolo ſapientia ſæpe latet, ita ſub ſplendidisſimo non raro habitu præſtigiatores ineptiſſimi ſe recondant, nihilominus veſtitus ad honeſtatem & modeſtiam compoſitus Medicum commendat admodum. Hunc autem *Cous* nec exquiſitum, nec curioſum, ſed ut *Sporichius* explicat, mundum, mediocrem & tum elegantem, tum fragrantiam non ſuſpectam ſpirantem, exigit. Veſtis enim honeſta, perſonæ æque ac officio conveniens, magnum decus addit Medico & haud raro magis commendat, quam ſi auro atque gemmis undique niteret effœminatamque mollitiem, vel ſcurrilem levitatem veſtitu ſuo oſtenderet. Fucum eego luxumque, gynæceis familiarem, quantum poteſt, evitet aut diſſimulet, ne videatur affectato ornatu, inſtar pavonis ſuas admirantis pennas, inſoleſcere vulgique admirationem quærere. Quæ vero contra gladiorum geſtationem, Medicos indecentem, affert Autor modo allegatus, contra morem hodierni ſeculi ſtatuuntur, quum non tantum ad lectum ægrotorum ſe conferant,ſed & cathedram hodie gladiis accincti Profeſſores Medici conſcendant, quod olim piaculo ſibi duxiſſent. Unde non verba tantum, ſed & veſtes ut nummi valent & quæ Anteceſſoribus noſtris fortè turpia videbantur, noſtris temporibus honeſta licitaque putantur. Reliqua de balſamo aliisque odoratis aliqua etiam cautela indigent, cumprimis autem moſchata & ambrata, quæ hyſtericis aliisque ob idioſyncraſiam ab illis abhorrentibus, adverſa ſunt. Aliis ergo minus ſuſpectis utantur, præcipuè vero illi, qui aut tetro oris halitu, aut alarum inguinumque hirco, vel & plantarum in pedibus fœtore laborant, ne aut ægrorum iram, aut averſationem experiri cogantur; prout non tantum exempla quædam è *Galeno* refert, ſed Medicos quosdam Regios ab hoc vitio ſe curaſſe teſtatur *Rodericus à Caſtro, in Medico Politico lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 125. Mihi ſimilis eſt cognitus, qui tetrum oris halitum continua calami aromatici maſticatione refrænare ſolet. Idem tenendum eſt de eduliis & condimentis nonnullis odorem aliis ingratum & adverſum

adverſum exhalantibus, raphano v.gr. ruſticano, allio vinoque affatim hauſto, fumo Tabaci &c.

PROPOSITIO V.

ÆGrorum fiduciam omni ſtudio nobis conciliare debemus.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

IN eo tantum ſitum eſt, quantum in uſu & applicatione medicamentorum præſtantiſſimorum; unde ea, quæ in ſequentibus dicenda veniunt, huc ſpectant omnia. Quando enim ægri dicunt, vvann der Herr D. kommt, iſts als vvan ein Engel kähme, tum bene nobiscum agitur. In hunc finem obſervandum, prima vice vocatum Medicum ſtatim quidem accedere debere, ut ſic promptum animum declaret, ſed reliquis diebus, utut ſubinde fuerit arceſſitus, acceſſum protrahere; ſic enim major quaſi appetitus excitatur & augetur deſiderium.

ANIMADVERSIO.

COnfidentia & fiducia ægrorum erga Medicum plus quam tertia curationis pars eſt. Is enim plurimos curat, cui plurimi fidunt. Notabile hujus rei exemplum olim vidimus in Quæſtore Principali, DN. NN. qui gravi quodam morbo detentus Generum ſuum, beatum *D. Rôtelium*, Medicum alioquin dexterrimum, in conſilium vocaverat. Hic vero medicamenta quidem nobilisſima & in conſimilibus caſibus efficacisſima præſcribebat, ſed absque ullo levamine. Vocatus igitur è vicinia Medicus veteranus,

ranus, *D. Geilfuſius*, vix inſpecto ægro, hic omnia ſe perbellè habere, nec tantum, ut relatum ſibi eſſet, periculum ſubeſſe aſſerens, tantum patienti animum addebat, ut antea fere exanimis ſe actutum elevaret & medicamenta quædam ab illo peteret. Præſcribebat autem eadem, aut ſimilia, quæ beatus Gener jamdum propinarat hisque ægrum brevi in integrum reſtituit. Unde quam clariſſimum eſt, quod duo, cum faciunt idem, non ſit idem, ægrorumque confidentia quaſi anima medicamentorum dici poſſit. Hinc *Avicenna 6. naturalium*, non ſine cauſa, fiducia, inquit, quam æger de Medico concipit & arti & conſilio & omnibus Medicinæ inſtrumentis præferenda. Qua ratione vero eandem nobis comparare poſſimus, jamdudum in *Medicina Nov-antiqua pag.* 164. oſtendimus, ægris ſc. animum addendo, in iis, quæ non magnam noxam adferunt, gratificando, remedia non cumulando &c. ubi *Rodericus à Caſtro in Med. Polit.* ſimul concedit, uti Medicus prudenter & modeſte ſimiles & parallelos caſus & morbos à ſe feliciter curatos recenſeat, non quidem ob inanem gloriam, aut lucrum, ſed ut obſequentiores & magis confidentes ægros habeat, ut *Galenus in Comment. ad lib. de iis, quæ in Medicina fiunt*, ſapienter annotavit. Poterit illud quaſi aliud agendo fieri, cumprimis ſi ipſi, ut ſæpe fit, ægri percontentur, an plures ejusmodi morbos curandos ſuſceperit? Quæ de facie Medici angelica habet Autor, in communi radicantur allegoria, qua Medicus trifrons eſſe dicitur. Angeli ſc. faciem gerit, dum curat: Hominis, dum inter alios verſatur: Dæmonis, dum ægro, qui non ſolvit, poſt curationem fit obvius, vid. *Zacchias quæſt. Medico-legal. lib.* 6. *Tit.* 1. *q.* 7. *n.* 6. *ex aliis*, Monitum tandem de accelerando primo Medici vocati acceſſu cumprimis in aulis Principum & curatione Magnatum ſtudioſe obſervandum, ubi veniendum cito, abitusque, ſi fieri poteſt, non nimis urgendus eſt; quod idem in aliis ægris, periculoſe decumbentibus, obſervandum. Novi Medicum juniorem, integros ſæpe noctes penes ægros ditiores, in principio ſuæ

praxeos, inſomnes agendo, frequentem & opimam praxin conſecutum eſſe. Similiter in ſequentibus viſitationibus, ſi neceſſitas urgeat, cunctari noli, ne per appetitum illum deſiderium Tui, quod Autor mora quadam excitare jubet, ægri tandem vita deſideretur, aut minimum negligentiæ alicujus incuſeris. Bis dat, qui cito dat, qui cito curat, nil dat, qui munera tardat.

PROPOSITIO VI.

Curam ac ſollicitudinem meditatione & inquiſitione in ſingula probet ſtudioſe.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Ea, quæ ſecundum Hippocratem *quæri debent, huc quidem ſpectant omnia, ſed externis præterea geſtibus curam tuam probare debes. Vidi quendam, qui digitum naribus admovebat ac ita meditabundus incedebat. Ex Veterum mente & doctrina morborum omnium fons ipſum hepar eſt, adeoque & ægri hepar & bilem utplurimum accuſant, ex aëre ſaltem concepto errore, adeoque ad hepar medicamentum dirigi debet. Si igitur dimidiam formulam præſcripſiſti, inquire etiam, an caput, vel ſtomachus laboret? utplurimum affirmant, etiamſi non ſit. Ergo addamus, dicas, aliquid in gratiam ſtomachi, vel capitis. Sic enim Medicus quidam, reſpectu capitis, addebat fæculæ-pœoniæ gr. ij. imo revera addere debemus, alioquin curioſiores inquirunt apud Pharmacopœos, ob es auch auf das Haupt gerichtet? qui ſi vident gr. ij. fæcul. Pæon. addita eſſe, facile acquieſcunt. Interim & hoc obſervetur, ne præſcripta jamjam &*

ad

ad Pharmacopæum delatæ formulæ aliquid addamus, quod ſuſpicionem alicujus negligentiæ præbere poſſet, Novi quendam, qui adeo impudenter hoc tenebat, ut dum æger pedens ſibi dolere conqueritur, dicat : Wir wollens zugleich auf alle Glieder richten : unde vehemens ſatis catarcticum propinavit, quo æger omnia membra purgata credens dicebat : Ja es nahm mich aber ſehr mit.

ANIMADVERSIO.

Quæ de cura, ſollicitudine & inquiſitione hic dicit Autor, bene ſe habent omnia. Inquirenda autem ſub prima acceſſione proponit *Cous* in ſequentibus : Ὅταν ἐπὶ νοσέοντα ἀφίκῃ, ἐπανερωτᾶν χρὴ, ἃ πάσχει, καὶ ἐξ ὅτε, καὶ ποδαῖος, καὶ τὴν κοιλίην ἢ διαχωρέει, καὶ δίαιταν ἥντινα διαιτᾶται: quibus alii plura addunt in diſticho vulgari :

Ars, ætas, forma, regio, complexio, virtus,
Mos & ſymptoma, repletio, tempus & uſus.

Harum rerum ignarus qui morbum curandum ſuſcipit, non Medicus, ſed molaris lapis à *Galeno* judicatur, vid. pluribus *Rodericus à Caſtro in Medico Politico lib.* 3. *cap.* 5. *p.* 128. Nec improbandi prorſus ſunt geſtus externi, ſollicitudinem exprimentes, modo non nimis affectati & ridiculi ſint. Faciunt enim ad ægrorum confidentiam obtinendam. Interim non tantum in Magnatum & Ditiorum ægritudinibus, ſed & in curandis pauperculis hanc ſollicitudinem adhibeamus, oportet, cum vita & anima illorum æque pretioſe ſit redempta à Salvatore, ac aliorum. Memini, quod JCtus & Cancellarius magni nominis olim Practicum quendam in curandis morbis tum ſatis felicem dixerit, ſi curationem ſibi curæ cordique eſſe ſineret, wann Er ſich recht darzu applicire, quod plerumque in Illuſtrium Virorum morbis facere ſolebat. Aſt peſſima hæc eſt applicatio, quæ gratiam & ſoſtrum intendit, non gloriam DEI proximique ſalutem. Cæterum, an in favorem ægrorum, aut adſtantium, hepar aut bilem ſemper accuſare

debeamus, aut ſalva conſcientia poſſimus, de eo valde dubito. Vulgi enim ſententia falſa nititur hypotheſi de ſanguificatione hepatis, quæ dudum, ut veritati contraria, eſt exploſa. Nec obſtructiones ejus adeo frequentes ſunt, ut omnes morbos chronicos inde, Galenicorum more, derivemus, qui utplurimum in primis viis radicantur. Bilis quidem variis modis peccare actionesque vitales lædere valet: quodſi tamen juſto frequentius eandem accuſare velis, vereor, ne idem Te fatum maneat, quod olim Poliater quidam in vicinia eſt expertus, quem ſcoptici eam ob cauſam Doctorem biliarium (vulgo Doctor Gall) appellare ſolebant. Tandem & illius conſilium, aut ſtratagema, qui circa finem hujus theſeos purgantibus vehementioribus omnia membra ſe purgare prætendebat, der es auf alle Glieder richtete, minus eſt laudabile, cum, quod æger eſt expertus, vires nimium debilitent & ad vitam abbreviandam apta nata ſint, eaque de cauſa à *Gehema*, in Tr. hujus tituli, Grauſame Mediciniſche Mord-Mittel, h. e. Remedia cruenta vocitentur.

PROPOSITIO VII.

Blande ac humaniter, dum juvenes Medici ſumus, agere debemus. Seniores facti, dum in poſſeſſione ſumus loculique noſtri turgent, autoritatem affectare poſſumus.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Juvenes enim neceſſitate quadam ducimur, ut ad praxin perveniamus. Blande autem agimus cum ipſis ægris, confabulan-

do cum illis. Joci ſunt immiſcendi interdum. Virgines, ubi vehementior morbus non eſt, laſciva nonnunquam contrectandæ manu (Ey Herr Doctor!) Ita agi poteſt cum mulieribus & juvenculis, Marito non advertente. Die Medici in China exploriren den Pulſs auf dem Hertzen. Parentum vero & Matrum gratiam præſertim Tibi conciliabis, ſiquidem liberos illorum natu minores laudaveris, blandè cum illis egeris, ſaccharumque vel alia munuſcula offeras, aut ſi ipſimet ægrotent, amplexibus tuis foveas. Dici non poteſt, quantum affectus Parentum illis concilietur. Ita & cum miniſtris ancillisque, ſi vel medicamenta poſtulant, aut de ægri ſtatu relationem ferunt, blande non minus agendum.

ANIMADVERSIO.

SI quicquam eſt, quod Practicum novitium commendat, humanitas eſt, cujus intuitu χαρίεσατος audit. Qui enim ſe humanum erga ægrotos præbuerit, is artis amore teneri cenſetur, verbis *Hippocratis in Præceptionibus.* Aſt cavendum, ne humanitatis, cum honeſtate temperandæ, leges limitesque transgrediatur. Non enim quocunque, ſed legitimo tantum, modo ad praxin pervenire decet: & licet in confabulationibus Medicus ſe moroſum gerere non debeat, jocique ſubinde permittantur, attamen & illi intra cancellos caſtitatis ſe contineant, nec ſpurcitiem aliquam redoleant, quales erant Medici illius Argentinenſis apud *Willium* (vulgo Wigandum) *de Itineribus Philiatrorum Germanorum, p.* 140. Quemadmodum igitur riſum aliorum ſimilibus jocis majoris autoritatis & gravitatis ergo captare non decet, ita nec intempeſtive aut nimium ridendum, quoties ludicra ſive geruntur, ſive proferuntur ab iis, quibuscum converſabimur, cumprimis ad ægrorum lectum, quibus ſcurræ effuſique cacchinni æque grati ſunt, ac concentus Muſici iis, qui ex funere Parentum mœſti ſunt animi.

Mammillas gynæcei impudice contrectare, etiam Parentibus non advertentibus, jusjurandum vetat Hippocraticum. Non accendenda, ſed reſtinguenda eſt libido à Medicis conſcientioſis; hinc manum de tabula! Sinenſium mores ſi velis adoptare, diſce prius *Confucium*, qui frivolam tuam & laſcivam excuſationem facile confutabit.

Romæ ſi fueris, Romano vivito more.

Notam meretur caſus, qui alicubi cum Phthiſico putatitio ſe truſit. Huic à Medicis diæta lactea imperabatur. Cum autem lac humanum omnibus aliis præferri audiret, hinc conducta robuſta nutrice ruſtica ubera lactentium inſtar ſugebat, eo cum effectu, ut nutrix à filio adſcititio ſimul imprægnata eodem anno nova puerpera ſit facta. Quodſi jam ab ægrorum contactu ſororiantes monticuli in tantum pruriunt, quid non fieret à vegeta Medicorum novellorum manu? Minori cum periculo tentari poſſunt, quæ de liberorum natu minorum puſillorumque amplexibus habet Autor, modo & hæc citra turpem adulationis ſpeciem ſuſcipiantur. Quid quod infra dignitatem Medici ſit, Pædophorum ſe præbere. Unde & hic blanditiæ & humanitas gravitate quadam temperanda eſt. Præſtat munuſculis infantulos ſibi conciliare ſicque ad aſſumenda facilius medicamenta (à quibus utplurimum abhorrent) diſponere, qua ratione idem, quem Autor intendit, finis obtinetur.

PROPOSITIO VIII.

Neceſſaria nos loqui jubet apud ægros *Hippocrates*: ſed hodie dandum eſt aliquid confabulationi.

ἘΚΘΕΣΙΣ.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

REſpectu ægrorum, quorum curam gerere debemus, duo attendenda ſunt. Vel enim agitur cum viris primariis, vel cum iis, qui ſunt ſubſellii inferioris. Illorum intuitu ea, quæ nova ſunt, ad unguem è novellis retexere debemus, ſiquidem in ea inquirunt, ſi paulo melius ſe habent: Ey mein Herr Doctor, was hat man guts Neues? Sic Regiomonti Medicus quidam, in Politicis probe verſatus, à Magnatibus propterea in conſilium frequenter vocabatur, quia politicos ſermones cum illis miſcere ſcivit. Ita ſi vulgo nova narras, ille hæc non tantum avide excipit, ſed & honoris loco habet. Ex altera autem parte, ratione mulierculatum, cum illæ nonniſi domeſtica tractent, aut plerumque alias ſexus ſui perſonas traducant, vel de rebus œconomicis diſſerant, ſymbolum tuum ſemper addere debes. Wo man am meiſten Geld kriegt, muſs man am meiſten ſchwätzen.

ANIMADVERSIO.

Novellarum Lectionem Medicis quoque utilem & proficuam eſſe, peculiari olim diatriba, *de Novellarum publicarum uſu & abuſu in rebus Phyſico-Medicis*, è cathedra Acad. ventilavimus; quo referri poterunt ea, quæ Autor de novellis, ad deſiderium Ægrorum primariorum, retexendis habet. Ipſi interim Medici fugiant inanem curioſitatem, qua in minutiſſima quævis haud pauci inquirere ſolent. Sæpe male precatus ſum (inquit *Willius de Itin. Philiatr. Germ. Diſſ. 2. p.* 169.) quorundam Medicorum curioſitati, qui ad medicandum vocati ſtatim quærunt, was haben wir Neues? Wie ſtehts in Franckreich? Was geben die Adviſen? ich halte der Krieg wird ſo und ſo ausgehen, zu meiner Zeit gieng es ſo zu &c. vix obiter injecta ægri mentione, plane obliti eorum, ad quæ juramento *Coi* tenentur. Audiant igitur conſilium *Sporiſchii, in Ideæ Medici p.* 21. verbis ibi: Nunquam

etiam

etiam curioſe percontetur res novas, ſicut faciunt ii, qui novitatis avidos animos gerunt & citra omne judicium rationis vera atque falſa non modo muliebri credulitate arripiunt, ſed etiam in vulgus ſpargere audent, aliquando cum proprio malo, quod cum magna animi mœſti pœnitentia ſero nimis intelligunt; conſtante enim rumore poſtea mendacii convicti in ruborem convertuntur & hoc præmii recipiunt, ut imposterum illis non facile fides adhibeatur, etiamſi vera dicant, ſed rideantur atque contemptui, propter levem credulitatem atque inconſideratum linguæ intemperantis uſum, fiant. Simile fere fatum manet ſciolos nonnullos, qui vel contradicendi ſtudio, vel oſtentationis ergo, aliorum ſermones turbant, ita ut de nulla re unquam ſermo incidat, in qua ſuam ſententiam non immiſceant, ut vere in eos quadret vulgare illud:

> Grammaticus, Rhetor, Geometra, Pictor, Aliptes,
> Augur, Scenobates, Medicus Magus, omnia novit.

Apage igitur cum muliebri garrulitate, qua turpiſſimi lucelli cauſa tum quoque uti jubet Autor.

> Quando conveniunt Margreth, Catharina, Sybilla,
> Sermonesque ſerunt & ab hoc & ab hac & ab illa.

Qua fronte & conſcientia ſymbolum tuum adderes, quando deteſtanda hæc crepitacula alias ſexus ſuis perſonas traducunt, naſo ſuſpendunt adunco, aut omnino calumniis proſcindunt? Effæminati hæc, non boni Virique generoſi ſunt conſilia, è Sardanapali comitiis proficiſcentia.

PRO-

PROPOSITIO IX.

SI quid Mulierculæ vel de cauſis, vel de curatione di[c]ant (utut non ſemper rectum) tu id arripe velut aliud agens, ac pro tuo deinde obtrude, ſic illas applaudentes habebis.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Quocunque modo agendum eſt, ut Muliercularum gratiam nobis acquiramus, ſiquidem per illas res noſtra potiſſimum augetur (die Frau Gevatterinn gebrauche doch dieſen Herr Doctor, Er iſt gar ein freundlicher Menſch, Er hat die Frau Urſel an eben der Kranckheit curiret) nec iis facile contradicendum in themate propoſito: honori enim ſibi ducunt, quod eadem quoque ſciverint. Quin & remediorum intuitu confidentiores redduntur. Non tamen ſemper in iis acquieſcendum, ne ſe omnia ſcire putent Mulierculæ, in præjudicium Medici deinceps agant & experimenta ſua, quæ nonniſi à Medicis hauſerunt, iis non ſalutatis obtrudant (Ey wir wollen nur ein wenig gebrandt Hirſch-Horn darzu thun.

ANIMADVERSIO.

Quemadmodum & Olitor ſæpe opportuna locutus & hinc Venerandus Senex *Cous lib. de Præcept.* ex plebejis ſciſcitari jubet, ſi quid ad curationem morbi utile; ita idem Muliercularum quoque aliquam ſemper rationem habuit, cumprimis earum,

quæ vel partu defunctæ, vel hyſtericis affectionibus quondam obnoxiæ fuerunt, à quibus haud pauca remedia eundem didiciſſe & annotaſſe Celeb. *Sponius in Aph. nov. Part. Therap. Aph. V. p.* 303. vel exinde conjicit, quod in libris de morbis mulierum multa remedia empirica legantur. Quid quod idem *Hippocrates* apertis fateatur verbis, *lib. de partu ſeptimeſtri*, dum mulieribus, in„quit, fides eſt habenda, ubi de iis, quæ circa partum accidunt, „loquuntur; nam & omnia narrant ſemperque dicunt & ſemper „proferunt: Neque aut opere aut ſermone, cujusquam ſe per„ſuaderi ſinunt, ſed ex eo, quod ſibi contigiſſe norunt. Quemadmodum enim Medici valetudinarii omnia morborum ſymptomata variasque mutationes in proprio corpore exactius diſtinguere & obſervare norunt, eaque de cauſa Medicus quidam Celeberrimus in Ducatu Würtenbergenſi omnibus fere Magnatibus illius regionis in pretio fuit, quod morbos tantum non omnes in proprio corpuſculo curaverit; ita ſimiliter Mulieres omnia curatius in ſe experiuntur, quæ vel arduum partus negotium, aut uteri vitia concernunt, hincque conſilia illarum non penitus explodenda aut ridenda erunt. Videas hinc Generoſiſſimum Medicum *Helmontium* remedium à Mulierculis contra ſcabiem laudatum non tantum in uſum adhibuiſſe, ſed & præ magno aliorum Practicorum apparatu commendaſſe admodum. Cum enim adoleſcens adhuc Virginis Nobilis, ſcabie deturpatæ, Chirotecam aliquantiſper manibus verſaretur, mox ſimul per contagium idem malum ſibi attraxit. Duo, quos accerſiverat, Medici bilem accuſabant, ſanguinemque in jecore diſtemperatum, unde de conſilio eorum præmiſſa V. S. apozema forte 50. ſimplicia continens, interjectis ſæpe laxantibus diu continuavit, ſed absque ullo effectu. Tandem communiſſimo vulgi euporiſto, unguento ſc. è ♁. & baccis lauri c. axungia mixtis utens, brevi priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, ut aliquoties in ſcriptis ſuis refert.

PROPO-

PROPOSITIO X.

Quocunque modo gratiam Muliercularum, ut ab illis commenderis, acquiras.

ΈΚΘΕΣΙΣ.

Repeto hoc, quia maximi momenti eſt. Adeoque (1.) attendendum, ut, cum plurimis in locis Matronæ ad ægrum accerſuntur, (wir wollen auch die Frau Urſel holen laſſen, Sie weiſs auch noch guten Raht zu geben) illis hoc modo commenderis. Conſilia cum illis haberi debeut communia, alioquin criminantur (der Herr Doctor iſt gar zu ſtoltz und läſt nicht mit ſich reden.) Ipſæ vero adeo impudentes non ſunt, quin ſubinde quærant, Herr Doctor, ſoll man nicht ein Haber-Grützgen zurichten? tum annuendum eſt, ja es kan nicht ſchaden; ſed ſemper aliquid addendum eſt, ein wenig Sauer-Ampffer, um die Leber zu kühlen, oder etwas kleine Roſinlein, zu laxiren. (2.) Cum Obſtetricibus, quæ frequenter ad ægros etiam vocantur, non minus amice agendum eſt, man muſs ihnen zuweilen ein gut Magen-Elixir geben, uud ſie mit Artzneyen frey halten. Ante omnia tamen videndum, ne Muliercults nimium contradicamus.

ANIMADVERSIO.

Quæ de captanda Matronarum benevolentia hic iterata vice inculcat Autor, in Aulis Principum & Magnatum cumpri-

mis obſervanda ſunt, ubi dici non poteſt, quantum Gynæceum efficere & præſtare valeat. Summa ergo ope niti decet, ut Matronarum & Domicellarum aulicarum favorem & commendationem lucremur, maxime illarum, quas gratia ſua præ aliis complectuntur Principes. Da kan die Frau Hoffmeiſterin oder das gnädige Cammer-Fräulein ein groſſes thun, quas aut polychreſtorum deſcriptionibus, balſamis novis (mit Scherzers oder Hoffmanns Lebens Balſam) l. coſmeticis & ſim. facile Tibi devinctas reddere poteris. Quodſi vero illas quacunque ratione irritaveris, aut conſilia illarum audacter detrectaveris, actum eſt de Praxi Tua. Amiciſſimus quondam mihi erat Medicus quidam Cameralis, qui, ut in omnibus actionibus ſingularem gravitatem & animi generoſitatem ſpirabat, ita mulierculárum, licet natalibus & dignitatis intuitu præ aliis Illuſtrium (quas per contemptum die Schürtzen-Doct. appellabat) conſilia prorſus abhorrebat: quo ipſo nihil aliud lucrabatur, quam ut per clancularias earum inſuſurrationes Maritorum favorem fere penitus amiſerit & pro Medico infelici habitus fuerit. Alius è contra, è vicinia vocatus, titulis noſtrorum temporum abuſivis (der gnädigen Frauen A.) & conſultationibus mutuis pollicem illarum ita premebat, ut poſtmodum ſæpius eo fuerit evocatus. Dandum igitur aliquid ſexus imbecillitati & arrogantiæ, das gibt dann gute Weiber Doctors. Non tantum commendationem illarum ſic lucrari poſſumus, ſed & alia ſæpe per easdem impetrare. Prout enim Stygius hoſpes neſcit præſtare, quod audet,

Effrænis Monachus plenaque fraudis anus:

ita Mulieribus, corda Maritorum quaſi capiſtro regentibus, nihil non effectu eſt facile. Quæ in (2.) porro membro de Obſtetricum amicitia monet Autor, praxi Junioris Medici quoque multum obſtetricari valent, cum in morbis puerperarum non tantum, ſed & aliis in caſibus Medico prodeſſe poſſint. Interim ſicut in priori diſcurſu mulierum remediis ſemper aliquid addendum monet, ne

ne ſibi ſolæ videantur ſapere, ita ſuperſtitioſis Obſtetricum conſiliis, nulla ſæpe ratione fundatis, Medicus Generoſus non facile applaudere tenetur, cumprimis ſi ad nauſeoſa naturæque adverſa, ſive Puerperas, ſive Maritos, adſtringere velint, quale ſpurciſſimum Obſtetricis cujusdam Giſſenæ eſt prophylacticum, quo dolores poſt partum (die Nach-Wehen) præcaveri ſtatuit, dum ſc. tres guttas lochiorum, in hauſtu vini, Puerperæ Marito propinare ſolet, quas, ex intempeſtiva commiſeratione, Viros etiam Prudentes & Eruditos ingurgitaſſe novi.

PROPOSITIO XI.

FIgulus Figulum odit, Medicus Medicum.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

TRia capita invidiæ ac contemptus ſint. (1.) Si quis ab alio Medico curatus morte deceſſit, attende, in quam partem inclinent Mulierculæ, vel quivis alii, qui vel factum, vel neglectum ejus arguunt, (Ach Herr Doctor, wie meynt Er, wenn man ein Clyſtier gebraucht hätte? Tu dicas, ja freylich, addendo rationem, tum illi clanculum calumniando pergent (ja Er hat es verſehen.) (2.) Attende ad formulas Ejus & vide annon quadantenus peccet in contrariorum mixtione? Si ita, vide, ut errorem etiam agnoſcat Pharmacopœus; deinde monſtra, tum hic ſubridebit ſibique gratulabitur, quod idem quoque ſciverit, ac ſic etiam Te non faciente in formulas animadvertet. (3.) Cum ipſo Medico agens, quod tamen cum omni humanitatis ſpecie fiat, vide, ut nonnulla ipſius conſilia taxes, idque in præſentia ægri, aut adſtantium,

 (Mich

(Mich dünckt, es ſey zu hitzig. Frau Gevatterin, ſpührt Sie nicht Hitze ? hocce arripient illi, acſi Medicus alter incaute agat; clanculum deinde ſimul errorem urge (ja man dencke, wann das wäre verſchrieben worden? Cætera Praxis habet, v. g. quando ſcis illum minus Latine loqui, tunc de ſtatu ægri Latine loquere, ſic ad reſpondendum minus paratus à vulgo pro indocto habetur, kan Er nicht einmahl Lateiniſch? Senior factus Juvenem ex capite defectus experientiæ & ignorantiæ Praxeos accuſare, aut, ſi in recentiorum doctrinam inclinet, ea propter ſuſpectum reddere poteris: Es ſind neue unverſuchte Dinge und Speculationes, ſo auf dem Catheder wohl gelten möchten, in der Praxi laut es viel anderſt.

ANIMADVERSIO.

Hæc ad unum omnia, tanquam impia Chriſtianoque indigniſſima, rejicio. Graviſſime ſane *Cous in Præceptionibus*, Me-„ dicus, inquit, ratione utens, nunquam alterum invidioſe calumnia-„ bitur: ſic enim animi impotentiam arguet. Solis autem artium ignaris (ut alibi *lib. de Arte* addit) hoc opus competit, qui ambitioſius contendunt, neque tamen improbitate ſua nullo modo præſtare poſſunt, ut aliorum opera vel recta calumnientur, vel non recta reprehendant. Hos ergo Medicaſtros, qui ex aliorum calumnia quæſtum quæritant, ἐς ἰητρικὴν ἐμπορευομένους, quaſi Artem nundinantes, vocat, quemadmodum animas noſtras negotiari Medicos imperitos argute dixit *Plinius cap. 1. l. 29.* & ex eo *Sponius Aph. nov. V. Sect. I. Phyſiol. p. 5.* Quæcunque ſane calumniæ Diaboli ſcholam ſapiunt, qui ſuum inde nomen habet. Quisquis igitur ab hujus principiis abhorret, à calumniis abſtineat. Videas equidem, qui illos ipſos, à quibus amice & ex ſingulari confidentia in conſilium ſimul vocati erant, clanculariis incuſationibus apud adſtan-

adſtantes inviſos reddere conantur, dum hoc vel illud adhuc fieri potuiſſe muſſitant, humanitatem etiam ad ſpeciem cum Autore ſimulando, annon hoc vel illud in principio adminiſtratum fuerit, haud alia intentione, è priori Medico ſciſcitantur, quam ut Mulierculæ aliquid omiſſum eſſe putent. Videas, qui Medicos in Academiis, vi demandati ſibi officii docentes, alto ſupercilio contemnunt & ſi vel à Magnatibus, vel Eruditis, honorifica illorum mentio fiat, Eosdem omni carere Praxi, (Sie hätten keine Praxin) inepte calumniantur, ac dum ab omni theoria prorſus alieni ſunt, Virorum celeberrimorum ſtudia & inventa theorica clam palamve deprimunt, utut nunquam ſupprimere valuerint. Adeo verum eſt, quod Venerandus *Senex in Lege* §.*1.* dolet: Totam ſc. Artem (quæ non habet oſorem, niſi ignorantem) magnam calumniam (διαβολὴν textus Græcus habet) ſuſtinere. Hoc ſi à plebe tantum fieret, adhuc tolerari poſſet? quod vero ipſi Medici, Ottomannorum inſtar fratres ſuos trucidando, regimen in foro Medico Praxinque ſibi ſolis vindicare & per ruinam aliorum aliquam ſibi nominis celebritatem conciliare ſtudeant, malum eſt intolerabile. Utinam omnium animis inſculptum eſſet aureum illud & omnes rationes ſtatus exſuperans axioma: QUOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS!

PROPOSITIO XII.

Excuſationes omni ſtudio ac contentione prætende.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

DEſumuntur excuſationes è quadruplici potiſſimum fonte, (1.) à prægreſſis. Antequam enim ægri Medicum accedant utplurimum alia in anteceſſum adhibent, was der Apothecker der Frau Gevatterinn gerahten hat. Hæc quocunque modo accuſari debent, quia mors inſecuta eſt. (2.) *Prætende nimis tarde Te vocatum eſſe. Utplurimum tres aut quatuor dies ſubſiſtunt, dicas igitur: Sie haben gar zu lang gewartet, wollen aber doch ſehen, ob noch was zu thun ſeye.* (3.) *Ex neglecta Diæta rerumque nonnaturalium abuſu: ubi quidem inquirendum eſt, num vinum clanculum biberit, hoc vel illud comederit?* (3.) *Si illorum nihil applicari poteſt, in morbi ac ſymptomatum gravitatem rejicienda ſunt omnia, quod ultimum fere optimum eſt. Priora coram ægrotorum adſtantibus non ſunt dicenda, ne illi ſuo muneri videantur defuiſſe, alibi igitur opponi debent. Attendas etiam, in quam excuſationem adſtantes ipſi inclinent. Bey den kleinen Kindern heiſt es, wann ſie nur nicht bezaubert worden? Reſponde: Ja, Frau Gevatterinn, es kan wohl ſeyn, es gibt ein hauffen böſer Leute. Sie laſs etwa vor 6. Pfenning Fenchel-Saamen und Johannis-Blumen holen, und räuchere doch etwas. Sæpe etiam poſt mortem in cadaveribus erumpunt maculæ nigræ; ſi febris jam fuerit ardens, commonefacias adſtantes, ut ſibi caveant à cadavere, propter malignitatem: Sie nehmen ſich ein wenig in acht, dann es iſt ein gar böſe Kranckheit geweſen. Man könte ein wenig mit Wacholder-Beeren oder Agſtein räuchern.*

ANIMADVERSIO.

Excuſationes has *Helmontius* vocat excuſationes excuſationum in peccatis, utut quatuor earum fontes, ab Autore eruti, tam malæ notæ non ſint, ut ſcaturigines in §. præcedenti obturatæ.

Circa

Circa primum ſaltem cavendum, ne incuſatio mortis inſecutæ novum calumniandi aut injuriandi animum conjunctum habeat. Hinc ſi abſit & ſive à Pharmacopœo, ſive ab aliis error quidam, Tibi poſthac imputandus, commiſſus fuerit, ad avertendum famæ & exiſtimationis ſuæ periculum Medicus eundem utique detegere tenetur, utut cum inſigni illorum, quorum intereſt, diſplicentia fiat. Sic cum Nephritico olim trochiſcos alkekengi præſcriberem, Pharmacopœi vero famulus trochiſcos alhandal ſubſtitueret ægroque tormina immania & periculoſa his ipſis cauſaretur, non potui non, pro excuſatione mea, errorem detegere, utut malè illud habuerit Myropolam, qui errorem hunc æterno ſilentii peplo involvi maluiſſet. Simili quoque excuſatione utebatur alius, isque adhuc Novitius Practicus, cum Pharmacopœus regulo ♁ medicinali ab illo præſcripto, Æthiopem mineralem, ☿ dulci autem mercurium ſublimatum, nondum probe edulcoratum, non ſine periculo ægrorum erroneè ſubſtituerat. Quis hæc talia ſalva conſcientia, ſalva quoque exiſtimatione, reticeret? cumprimis ſi mors inſecuta fuerit. Neque de nihilo eſt excuſatio è (2.) fonte petita, ſi pro communi, ſed prava ſeculi conſuetudine, juſto tardius vocetur Medicus, dum optimum ſæpe tempus negligunt domeſtici, immemores vulgati illius:

Principiis obſta, ſero Medicina paratur.
Dum mala per longas invaluere moras.

Unico ſæpe vomitorio, unico ſudorifero in principio poſſent abigi & velut in prima herba ſuffocari, quæ in augmento vix omnibus Seplaſiariorum magmatibus tolluntur. Diætæ vitia (3.) probè etiam obſervanda ſunt, ne, quod dextra Medici per convenientia medicamina ædificarat & ſiniſtra Apitii manus deſtruxerat, ſiniſtre à vulgo explicentur ipſisque medicamentis tribuantur. Contra ſymptomatum mortisque vehementiam (4.) facit brocardicum vulgare:

Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis.

Maculis tandem poſt mortem in cadaveribus apparentibus abuti noli, cum naſutiores illas in omnibus fere, ob humorum circulantium στάσιν & congrumeſcentiam, neceſſario oriri non ignorent.

PROPOSITIO XIII.

UT frequentiorem habeas Praxin, de Matrimonio favorabili Tibi proſpice & cum Concionatoribus, ut commenderis, familiariter age.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

A*Xiomatis hujus nervus in eo conſiſtit, ut ex præcipua urbis familia, ſi fieri poteſt & ratio loci admittit, Tibi aliquam matrimonio jungas. Reliqui enim amicorum propterea tenentur Te in conſilium vocare, præſertim ſi vel Parentum, vel Cognatorum aliquis officio Judicis aut Conſulis fungatur, cujus reſpectu vel coacti reliqui Te vocabunt. Ipſe Medicus, ſi ad officium Judicis, prout in nonnullis locis fieri ſolet, perveniat, eo melius erit. Theologi, cum ægros non minus adeant inque magna apud illos autoritate ſint, præ reliquis Te commendare poſſunt. Vide ergo, ut illos devincias Tibi munuſculis medicis, circa quæ admodum curioſi ſunt. Quodſi morbo aliquo corripiantur, gratis operam tuam iis impende ſoſtrumque recuſa, denn ſie geben nicht gern Geld. Eo namque magis eos Tibi*

bi obſtringes & cum ſanitati ſunt reſtituti , publicè in ſuggeſto primo DEO, deinde Medico gratias agunt , (atque ad id, ſi magna familiaritas Tibi cum iis intercedat , monendi ſunt) tum Auditores, quisnam ille fuerit Medicus? inquirant; quod ſi E. laudaberis, res omnis ſalva eſt.

ANIMADVERSIO.

DUo hic conſilia ſuppeditat Autor, quæ carnali, h. e. humano auxilio fidentibus Medicis haud inutilia cenſeo. Cumprimis autem matrimonium honeſtum & favorabile Practico juniori commendandum eſt. Cum enim, *Sporiſchio* teſte, difficile ſit iis, qui nondum conjugii ſeptis incluſi ſunt, laſciviam, impuritatemque vitæ deteſtari (cumprimis ſi omnium, quæ thorus ſibi vindicat, ex Anatomicis certiores ſint redditi ;) hinc Medicus, ſecundum immortalis DEI æternam & immutabilem voluntatem neceſſariamque de propagatione hominum providentiam, legitimam honeſtamque ſibi conjugem invenire ſtudeat: Ita enim commodius intra continentiæ fines affectus cupidinemque retinebit, bonus Paterfamilias eſſe laborabit atque ægris hominibus minore cum difficultate adeſſe operamque ſuam fidelius communicare poterit, quam cum maritali jugo ſolutus vivit & alienorum opera uti cogitur in iis, quæ ad uſum vitæ humanæ quotidianum neceſſaria ſunt. Adde, quod ſexus ſequior, (qui meſſis Medicorum audit) cumprimis graviditatis & puerperii tempore, arcana ſtatus ægrè Medicis extra conjugium viventibus aperiat, quæ maritatis jam ex parte cognita & perſpecta ſunt. Quodſi tum aliquam è præcipua urbis familia, juxta monitum Autoris, aut bene dotatam obtinere poterit, res erit (cæteris paribus) non vilipendenda, denn eines reichen Weibes iſt man ſein Lebtag froh, Interim non omnes capiunt verbum hoc, der Jungfern Korb hat aller Orthen ein Loch, ut *Willius de*

***Phil. Germ. Itin. Diſſ.* 2. *p.* 109.** obſervat, addito tamen ſolatio ſeq.
„Spondeo, ſi conjunxeris vitæ elegantiam & ſeveram eruditio„nem, nunquam defore Tibi nummos reditusque non modiis, „ſed horreis integris, quicquid æris in procatum eruditionis im„pendiſti, redituros, juxta illud Italorum: „ *Chi ha arte, ha parte.* Quæ de animæ Paſtoribus & Theologis ſubjungit Autor, ipſa pietas & officii præſtantia jubet. Nec commendatio illorum publica è ſuggeſto eſt de nihilo, cumprimis ſi ob reconvaleſcentiam ægrorum agantur grates. Sin vero in curriculis vitæ, quæ *Perſonalia* vulgo audiunt, poſt obitum prælegendis, Practicorum crebra, utut honeſta, fiat mentio, tantum abeſt, id ſemper ad palatum eſſe Medicorum, ut plures illud potius ægerrimè tuliſſe & proxenetis ſuis dira quævis imprecatos eſſe noverim.

PROPOSITIO XIV.

MOrbi magnitudinem & defunctorum copiam, non quidem coram ægris, ſed adſtantibus, præſertim á morte, vel ubi illi reconvaluere, maximopere urge.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

HOc à morte Te excuſabit. Quodſi autem æger reconvaluerit, eum magis Tibi obligatum reddes, ac tuo cedet honori.

ANIM-

ANIMADVERSIO.

PErtinent hæc ad excuſationes paulo antè §. 12. commendatas. Noli tamen Agyrtarum aut Chirurgorum more, citra neceſſitatem & invita veritate, hic ex muſca, quod dicitur, elephantum facere, ac ut illi leve etiam ulcus aut vulnus pro horribili & periculoſo malo habent, ita morbum quemcunque magnum vocare. Recordor hic Virginis alicujus, quæ ulcus in tibia ſive negligens, ſive celans, in cauſa erat, ut illud ipſum latius ſe extenderet & ſerpendo creſceret, adeo, ut tandem Carnificem Gieſenſem, in ulceribus ejusmodi curandis famoſum, conſulere neceſſum habuerit. Hic ad primam ejus detectionem & inſpectionem altiſſima ſuſpiria ducendo alios ſuæ farinæ homines advocabat ipſisque morbum oſtendebat, quem omnes cum ſtupore quodam admirabantur, das wäre ein Schaden! ſo hätten ſie lang keinen geſehen! poſt curationem vel ſolo lithargyrio & alumine uſto perficiendam, ſoſtrum 100. Imperialium exigebat, quod ſine dubio ſumma illa ulceris exaggeratione intendebat. Ne igitur aut ſimilem φιλαργυρίαν, aut vanæ gloriolæ aucupium (ad quod utrobique reſpicere videtur Autor) adſtantes prudentiores Tibi imputare queant, hinc eo quoque in paſſu temperamento aliquo opus eſt, veritati ſemper & ægrorum ſaluti magis, quam privatæ utilitati litando. Quodſi enim periculum revera ſubſit, utique prognoſtico ſe munire morbique magnitudinem adſtantibus ob oculos ponere tenetur, ſi vel honori vel exiſtimationi ſuæ velit conſulere Medicus. Quotupliciter autem morbus aliquis vehemens & magnus dici poſſit, Inſtitutioniſtæ tantum non omnes & ex illis *Rod. à Caſtro l. c. Lib. IV. Cap. XI. pag.* 257. habent: quando ſc. aut viſcus aliquod principale læditur, aut vehementia cauſæ malignitatem arguit, aut ſymptomatum graviorum ſyndrome urget.

PROPOSITIO XV.

CUm Pharmacopœis pacificè & practicè eſt agendum.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

QUanquam non teneantur Medici lucrum omne in illorum uſum convertere, nihilominus tamen poſſeſſione ſua (utut illud ab inſtituto forſan alienum non eſſet) ejici nequeunt, adeoque (I.) ſi quædam habes medicamenta ſpecifica, nec ipſemet ægris diſtribuere vales, Pharmacopæis illa tribue, ac cum vehiculis officinalibus iterum præſcribe. Man muſs es um ein Gevviſſes anſchlagen, daſs der Apothecker monatlich zahle, der doch ſeinen Gevvinn auch darbey hat. Hoc tamen non obſtante privatim ex ædibus tuis Exteris Ruſticisque tua divendere poteris. Si autem alicubi conceſſum eſt medicamenta ſpecifica diſtribuere, hoc agas, ut Pharmacopœi ſyrupos, ecclegmata, ac præparata omni conatu improbes. Occaſionem arripies è præparatis officinarum procul dubio, ſi quæ ægro offerantur, ac dum ſubſiterunt aliquamdiu, præcipitantur, vel turbida fiunt &c.

ANIMADVERSIO.

PRactica eſt multiplex. Quodſi colluſionem intendat Autor, dum cum Pharmacopœis practicè agendum eſſe monet, conſcientiæ Medicorum juniorum male conſulit, utpote qui in plerisque Germaniæ Academiis, antequam Doctoratus gradum obtineant, ad ſceptra Academica ſacro jurisjurandi vinculo obſtringuntur, ut ab omni cum Pharmacopœis colluſione abſtinere, nec

avaritiam

avaritiam illorum quovis modo alere velint. Hoc tamen non obſtante videas, qui clandeſtina cum illis pacta ineunt & pro ſingulis formulis, quas recepta vocant, certam nummorum ſummam expectant: cujus intuitu Pharmacopœi medicamenta majori, quam decet, pretio divendunt. Unde mirum non eſt ægros quamplures myrothecia cane pejus & angue fugere & ad Empiricos deflectere. Aliter res ſeſe habet, quando medicamenta polychreſta, aut ſpecifica, quorum deſcriptionem illis fidere non expedit, domi elaborata illis diſpenſanda committimus, quorum tamen pretium ita temperandum eſt, ut, quod Pharmacopolæ pro labore diſpenſationis relinquendum eſt, non tam ægris, quam Medicis decedat. An iis in locis, ubi myrothecia probè inſtructa aluntur & ſpecialibus Statutis diſpenſatio privata interdicta eſt, nihilominus tamen ex ædibus Medicorum, ſive exteris, ſive inquilinis, medicamenta divendi poſſint, res hodienum adhuc inter Medicos quosdam & Pharmacopœos Francofurtenſes admodum controverſa & ſcriptis publicis in utramque partem agitata eſt. Deciſionem vid. apud *Dan. Ludovici, in Diſſ. de privata remediorum diſpenſatione*; qua tamen non obſtante, ad conſervandam pacis publicæ tranquillitatem, glorioſum eſt Medico, ſi de jure ſuo liberaliter aliquid concedat Pharmacopœis, nec ſine cauſa legitima præparata illorum improbet, cumprimis ſi Medicos debito, ut decet, honore proſequantur eorumque præſcriptis examuſſim ſatisfaciant. Illis enim ut ſervis, non ut ſociis utendum, ſiquidem & hic nimia familiaritas parit contemptum. Quodſi ſcrupulus aliquis Tibi hæreat circa medicamentorum compoſitionem, illos non tam de remediis, quam de mixtione illorum poteris conſulere, ne criſtas erigendo ſibi majorem, quam Medici, ſcientiam attribuant & ut ſæpe fieri ſolet, falcem ſuam in illorum meſſem immittere ſuſtineant.

PRO-

PROPOSITIO XVI.

SPecifica ſua in minori doſi ac ſola divendere noli; ſic enim, ſi mixta fuerint cum vehiculo, pretium æquare videbuntur, nec habebuntur pro Chymicis.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Multis in locis adeo exoſa ſunt medicamenta Chymica, ut pro venenis habeantur. Vulgus autem medicamentum Chymicum eſſe cenſet, quod in minori quantitate exhibetur. Si enim vehicula fuerint addita, evitabitur illa ſuſpicio, und der Bauer kriegt etwas umbs Geld.

ANIMADVERSIO.

DIlatationem formularum & ipſorum medicamentorum ſæpiſſimè neceſſariam eſſe, jamdudum oſtenderunt illi, qui de compoſitione medicamentorum ex profeſſo, quod dicitur, egerunt. Bini quoque caſus, ab Autore allegati, ſæpe ſe offerunt, quibus monito hoc licet obviam ire. Novi enim Medicum, è ſcriptis celeberrimum, à quo vulgus vel ea de cauſa abhorret, quod nil niſi Chymica propinet, quæ periculoſa putat: adeoque decentibus vehiculis illa dilatando ſcrupulus hic animis eorum eximi poterit. Contra delicatiores, nonniſi guttulas & granula admittentes, hanc remediorum augmentationem non requirunt, qui de ſecuritate medicamentorum Chymicorum utplurimum etiam melius informati ſunt. Cumprimis autem in Plebejorum & Ruricolarum morbis (2.) idem obſervandum, utpote qui remedia præſcripta non qualitate, ſed quantitate metiuntur, ut ſæpisſimè in tartari emetici præſcriptione mihi accidit. Quoties enim Ruſticis adſtantibus non niſi pauca ejus grana ponderari & pro doſi illis offerri juſſi, quid auxilii & efficaciæ inde ſperari poſſit? (Was dann ſo ein klein wenig thun könne?) quæſiverunt, unde vel triplum ſacchari aut alius pulveris, vel uncias aliquot vehiculi ſuperaddere juvabit, ne & nummorum elocandorum pœnitentia ducantur.

PRO-

PROPOSITIO XVII.

Nonnulla medicamentorum tuorum ut copioſè divendas, Germanica illis impone nomina; Gifft-Tinctur, himmliſchen Theriac, Gnaden-Balſam: & licet omnia ex officinis habeas, dicas eſſe meliora, vel ſpecifice ad hunc vel illum morbum directa.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Inde nonnullorum Practicorum medicamenta Germanicis inſignita ſunt nominibus, v. g. ſpeciſicum cephalicum Doct. Mich. das rohte Pulver audit. Alius acidulas habebat artificales, quas vocabat die Saurtröpffgens, has frequenter petierunt cives, wann ſie ſich Bier holen lieſſen, muſten die Saurtröpffen hinein. Interim ſufficit, ſi unum tantum aut alterum è medicamentis tuis commendes, acſi polychreſtum ſit; ad quod confugient homines viliores, qui ad evitandos ſumtus Medicum non ſtatim vocant in omnibus morbis: da muſs man kleine Gläſergen fertig haben, vor 2. 3. 6. Gr. Wann in Leipzig einem das Ohrläplein wehe thut, holet Er D. Michaelis Tinct. Bezoardicam. Utplurimum autem adſueti ſunt purgantibus, (Ich befinde mich nicht recht im Leib, und muſs etwas zu purgieren einnehmen.) Ergo pulverem aliquem purgantem in promptu habeas, der auf alle Glieder gerichtet iſt. Purgans tale ſit in forma pilularum, pulv. potionis, eſſentiæ, vel tincturæ, das bringt am meiſten Geld. Deinde & propter dolores habeas pilulas anodynas (Schmertzſtillende) inauratas: nam quocunque oborto dolore petuntur illæ,

cum aliqua cautione vendenda. Novi Medicum, qui lucrum capiebat ex pulvere aliquo, quem vocabat das Kinder Pulver. Ad hunc, velut ad ſacram anchoram, confugiebant muliercula in liberorum ſuorum morbis. Alius adhibebat ein Sauff-Pulver, quo potatores à crapula ſtomachum reſtituebant. Spiritus ſalis armon. Hamburgi audit der Sauff Spiritus, ſtrenue juvans potatores.

ANIMADVERSIO.

Germanica, quæ hic laudantur nomina, iis tantum in locis, ubi diſpenſatio privata locum habet, proficua eſt. Ubi vero hæc per ſtatuta peculiaria non conceſſa eſt, tantum abeſt exinde commodum aliquod in Medicum redundare, ut potius multum inde detrimenti capiat, ut certo heic exemplo innotuit. Cum enim ante hos & XX. annos Medicus quidam Corticis Peruviani & inde parati Electuarii uſum introduceret, isque ob euphoriam Civibus ita innoteſceret, ut idem D. N.N. Fieber-Lattwerg diceretur, vulgus hoc nomine pharmacum illud à Pharmacopœis obtinebat, nec tam frequenter amplius opem Autoris in curandis febribus expetebat; quod ipſum tamen adeo ægre non tulit, cum plus ſemper de bono publico quam lucro proprio ſolliciti eſſe debeamus, eaque de cauſa remedia probatiſſima, ad exemplum Regis Galliarum, ſtatim luci publicæ communicanda eſſent, ut ſub Morbonæ injuriis ſuſpirans Proximus eo facilius & uberius ſolamen & levamen inde ſentire poſſet. Multo minus medicamenta vulgaria, ex Officinis petita, horribilium Secretorum titulo, ut ſæpe fieri ſolet, imperitis obtrudenda, aut in præjudicium & contemtum Pharmacopolarum officinalibus meliora dicenda ſunt, licet quam maxime ad hunc vel illum morbum ſpecifice fuerint directa. Quæcunque ergo hic fieri poſſunt, ſalvo jure & honore tertii fiant, oportet, ſalva etiam veritate, honeſtate & exiſtimatione; id quod in tribuendis titulis & imponendis medicamen-

camentis nominibus des Gnaden Licht- und Lebens-Balſams, des Himliſchen Theriacs und dergleichen conſervandum eſt, ne Medici Cordati & Generoſi Harpyjarum illorum & Crumenimulgarum, Stentorum ſc. & Circumforaneorum morem imitari videantur, qui oleum petræ & ſimilia, viliſſimo pretio ab Aromatariis obtinenda, ſub ſpecioſis o͞o. S Catharinæ, S. Jeſu Chriſti &c. titulis Panaceæ inſtar care admodum divendunt & nullo diſcrimine habito contra quovis morbos ſimplicioribus & incautis commendant.

PROPOSITIO XVIII.

Experientiam ſin minus tuam; ſaltem aliorum; quibus tamen adſtitiſti, crepa.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

SI quid aliud, experientiam ſane, ceu idolum venerantur ægri indeque Senum autoritas eſt. Vel itaque dicas Te huic vel alteri Practico, Rolfincio *v. g.* Wepfero *&c. adſtitiſſe & eundem morbum curatum vidiſſe, daſs eben dergleichen Kranckheit vorgangen, wie die ſeye: Vel dum aliquamdiu Praxin exercuiſti, Te eundem plane in hac vel illa perſona curaſſe. Patavium huic inſtituto favet, da gehet man mit dem Doct. auf der Praxi herumb. Wer den lügen will, der leugt von fernen, niemand ziehet hin und fragt gern.*

ANIMADVERSIO.

Quamvis bonus Theoreticus non poſſit non felix eſſe Practicus, modo pietatem morumque elegantiam comparatæ ſibi eruditioni junxerit ſeniumque Medicorum non tam mento, quàm mente ſit metiendum eaque de cauſa *Heurnius* Celeb. Juvenis adhuc omnibus Medicis Senioribus olim prælatus fuerit, ut in vita ejus *Freherus, in Theatro Virorum Illuſtrium pag. m.* 1309. refert: attamen communiſſime juniores & recenter adhuc elixatos Doctores declinare ſolet vulgus, ob tritum in Vernacula proverbium: Ein neuer Medicus, ein neuer Kirchhof. Experientiam igitur deſiderant, quam ut vere & absque falſiloquio crepare poſſit is, qui ad τὸ τεχνωθῆναι animum applicuit, operæ pretium merebitur, ſi finito Studiorum Academicorum curſu ſibi Practicum quendam celebriorem amicum reddat, ut vel eundem ad ægri lectum comitetur, vel in viſitandis ægris ſublevet, cumprimis autem pauperibus, quos ſi gratis curandos ſuſcipias iisque parabiliora medicamenta tuis impenſis ſuppedites, ſufficientem mox ægrorum numerum obtinebis, qui redhoſtimenti loco felicitatem tuam & in Praxi habilitatem ubicunque deprædicabunt, ut accedente DEI benedictione brevi in celebrem Medicum evadas. Quodſi vero in itinere conſtitutus, ſive apud Exteros, in Noſocomiis Lugdunenſibus, Londin. Pariſinis &c. Medicos ad id vocatos comitari Eosque morboborum curationem ad ægri lectum docentes audire valeas, non opus eſt, ut è longinquo mentiaris, ſed illorum experientiam bona cum conſcientia crepare poteris. Quodſi Corinthum omnibus adire non licet, idem in noſocomiis Germaniæ, Lubecenſibus, Hamburgenſibus, Argentoratenſibus, Ulmenſibus, Auguſtanis &c. obtinebitur. Sin neque hoc Tibi conceſſerit res anguſta domi, Officinas Pharmaceuticas crebro viſita & Celebriorum Practicorum formulas ſedulo perlege, quæ, teſte *Zwelffero in Pharmacop. Aug. reſtit.* notæ ſunt characteriſticæ prudentum Medicorum, unde

de & eruditio eorum dijudicari & medendi methodus addiſci poteſt, ita ut plus adjumenti, quam ex omnibus Scriptorum Codicibus inde ſe hauſiſſe fateatur *Willius Tr. de Philiatr. Germanorum Itin. Diſp.3.p.234.* Hæc ſi obſervaveris, aut propriam, aut aliorum experientiam tuto jactare poteris.

PROPOSITIO XIX.

Ægro ſemper animum debemus addere: hoc enim non minia curationis pars eſt.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Eſt hoc (1.) dum pulſum exploramus & cum ægris loquimur, ne facie vel oculis indicia, male rem cum ægro ſe habere, præbeamus: non enim deſinunt Nos immotis oculis adſpicere. (2.) Quando ægros conſolamur. In quem finem dicta aliqua Biblica de Medicinæ præſtantia adducenda ſunt, v.g. ex Syracide: GOtt habe die Artzeney aus der Erden erſchaffen. It. Daſs GOtt in den Krancken mächtig ſeye. Si æger juvenis ſit, ex Davide: GOtt wolle ihm in der Helffte ſeiner Tage nicht wegnehmen.

ANIMADVERSIO.

Cur animum addere debeamus ægris, jam ſupra in ſcholiis ad *præceptum. V.* de lucranda ægrorum confidentia notavimus. Addo hac vice, quod ob indicibile animæ cum corpore commercium ſpiritus circulantes, quos Archæum vocant alii, ſic exciten-

tur indeque promanantes vires adeo confortentur, ut in illis æque ac corporis habitu, h. e. tono partium radicata Natura morbum eo facilius ſubjugare valeat. Ne ergo animum deſpondeat Æger, ea, quæ circa pulſus explorationem (quæ non ſubito & ſtatim ſub acceſſu, ſed aliquali mora interpoſita fieri debet) monet Autor, ut ſc. cordatum & imperterritum ſe præbeat Medicus) probe obſervari merentur. Caveat E. ſibi Medicus, ne debilitatem aliquam in pulſu ſentiens, aut ſuſpiria ducat, aut humeros contrahat, aut oculos verſus cœlum elevet, aliisque geſtibus periculum aliquod, ægro obſervante, ſubeſſe ſignificet, ne terrore percul ſus æger omnem tum Medico, tum medicamentis fidem deneget & de omnibus deſperando pereat. Quæ (2.) de conſolatione per dicta biblica, præter morem ſuum, adducit Autor, bene ſe habent omnia, modo ægros adoriamur à pietate & patientia non alienos. Quodſi enim filiis hujus ſeculi ſacram ejusmodi medicinam adhibere velis, idem experieris fatum, quod mihi olim contigit. Cum enim ſub primis Praxeos Medicæ auſpiciis, à Generoſiſſimo *Dn. de Junghenn*, Freinshemii in Palatinatu inferiore ad Signiferum quendam, hydrope deſperato laborantem, ablegarer & rebus fere deſperatis Ægro communi ſolamine, GOtt ſeye in den Schwachen mächtig, ſpem aliqualem reconvaleſcentiæ facerem, alius, qui adſtabat, Martis pullus, in cachinnum ſolutus, ad ægrum, præmiſſa frivola quadam execratione, dicebat: En! novus iterum conſolator adeſt, es iſt wieder ein Tröſter da. Quodſi tum per Diabolum & omnes Furias, cum Empiricis, jurando certam illi reconvaleſcentiam ſtipulatus eſſem, majorem forte fidem mihi adhibuiſſent homines ſolatio tali prorſus indigni.

****

PROPOSITIO XX.

In prognoſi cautus eſto.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

NIl certi pronuncies, quia præſagia fallacia ſunt. Uti poteris hac formula: Wir wollen das beſte hoffen: wie es anjetzo iſt, iſt kein Anzeigung ſonderlich da: Wann nur keine andere zufälle darzu kommen. Sic dum animadvertis periculum ſubeſſe, ad uſum S. Cœnæ adſtantes monebis, qui & non apparente periculo, propter ſubitaneas morborum mutationes, ſuadendus, dicendo non propterea id fieri ac ſi mors immineret, ſondern man thäte das ſeinige, wie es denn GOtt ſchike, ſo wäre man bereit.

ANIMADVERSIO.

Prognoſi admirationem & boni Medici exiſtimationem Practicum ſibi conciliare poſſe, *Hippocrat. Lib. I. Prognoſtic.* §. 1. & 3. tradit. Eventura enim prædicere, experientia cognita, gloriam adferre dicit *Idem lib. de decenti habitu* §. 31. Cum vero acutorum incertæ ſint prædictiones, hinc non ſine ratione cautelam quandam adhibere jubet Autor, ut ſc. ejusmodi utamur formulis loquendi, quæ ſemper formidinem oppoſiti conjunctam habent. Futura igitur, qualia ſunt morbi exacerbatio, vel remiſſio, ſymptomatum concurſus, morbi duratio & eventus, acuta diligentique mente cogitet: neque temere, ſed caute de iis pronunciet, ne aut turpis divinator, aut levis mendax deprehendatur. Multa enim præter ſpem & omnem expectationem æque ac experientiam circa ægros contingunt, quæ prænunciandi certitudinem multis modis eludunt, *conf. D. Sporiſchius in Idea Medici pag.* 41. Quoad alterum de cura animæ conſilium, aliquam rurſus pietatis ſpeciem præ ſe fert Autor, quæ utique laudanda. Neceſſaria enim ægrorum cum irato Numine reconciliatio, pœnitentia & SS. Cœnæ genuinus uſus non ad

ultimum vitæ halitum protrahenda, ſed in morbis acutis ſtatim in primo principio, nullo etiam periculo præſente, ægris commenda ſunt, non tantum ob caſus ſubitaneos variasque mutationes, ſed & ad curationem felicius inſtituendam. Quemadmodum enim in deſperabundis & ubi mens, ſive propter conſcientiæ ſtimulum, ſive propter affectus animi vehementiores, ægrotat, medicamenta, etiam nobiliſſima, parum aut nihil efficiunt; ita dici non poteſt quantum ad efficaciam illorum cnntribuat animus ad tranquillitatem compoſitus, qui ſacris illis remediis unice poterit obtineri. Optandum ergo eſſet, ut in omnibus morbis cura animæ præcederet corporis curationem, reliquave DEI T. O. M. benedictioni & paternæ voluntati unice crederentur, ſiquidem hac ratione per totum morbi decurſum tranquillius ſe gerent ægri, omnia patienter tolerabunt, nec cogitationibus deſperabundis remediorum vim obtundent.

PROPOSITIO XXI.

Frequenter viſites ægros, prout conſuetudo loci id fert.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Diſtinguenda ſolummodo tempora in hac parte. Dum ægri vomitorio utuntur, vel purgante & operatio adhuc durat, eos non accedas, ceſſante enim illa ſibi reſtituuntur. Nec accedendum eſt, dum in agone conſtituti ſunt, ob gemitus & lachrymas adſtantium: Si vero propter conſilium agonizantes adire neceſſum fuerit, conſtantem ſemper vultum præ Te feras, oportet, mutari

mutari enim hæc non poſſunt. Hoc in caſu iterum requiruntur dicta: Sie oder Er iſt wohl verſorgt, ruhen nun von ihrer Arbeit. Man hat ja nichts ermangeln laſſen und alles gebraucht, ſo muſs man zu frieden ſeyn und ſich in GOttes Willen geben.

ANIMADVERSIO.

Inter quamplura Medico ſuſtinenda faſtidia tædiaque haud infimum locum tenent tot ægrorum viſitationes, quarum intuitu Pharmacopœi ſervi, domi ſua tractantes, meliore præ Dominis ſorte gaudent hisque tanquam Proxenetis utuntur. Interim ſi Medicus junior emergere velit, ſuis hic pedibus non parcat, oportet, Es muſs mancher Pfütz die Augen austreten. Habenda autem eſt ratio morborum. Si morbus fuerit acutus, vocatus primo Medicus (ſiquidem ſponte ſua non facile ſe obtrudere debet) bis in die patientem accedat, imo pluries, ſi morbus fuerit acutiſſimus, ſic enim certiorem morbi cognitionem ſibi comparare ejusque tum incrementum, tum decrementum, curatius obſervare ſimulque ægrum magis confidentem reddere ſolet. Cumprimis autem in principio morbi nil unquam negligendum ſiquidem *Hipp.* teſte, nullibi pejor procraſtinatio, quam in foro Medico. Sin vero chronicus ac diuturnus curandus ſuſcipiatur, ſufficiet ſemel indies eundem viſitaſſe & elapſis 40. diebus, alternis diebus, aut bis in ſeptimana, niſi æger in dignitate quadam conſtitutus, aut prædives ſit indiesque viſitari cupiat, cum & ſanitatis tempore, valetudinis conſervandæ gratia, idem ſæpe exigant. Neque abs re erit & civilitatem ſapiet, ſi poſt convaleſcentiam honorarium ſolutum eſt & eo ipſo ſe bene valere innuit amicus, tamen adhuc una vel altera vice eundem inviſeris, non tamen ut Patientem, ſed ut amicum, ne putet ſe ad ulteriorem compenſationem teneri, conf. *Rod. à Caſtro in Med. Polit. p.* 165. Abhinc aliqua quoque Perſonarum ratio eſt habenda, an crebræ & frequentes illis viſitationes gratæ

& acceptæ ſint? Avari certe easdem adeo non deſiderant; ut illas potius deprecentur, der Herr D. dörffte ſich ſo offt nicht bemühen, man wolle es Ihn wiſſen laſſen, ſo etwas ſolte vorfallen, quæ civilitatis verba non tam ſympathia ipſis, ſed avaritia & tenacitas exprimere ſolet, cum vereantur viſitationum ſupputationem nimis largam fore: Sie müſten hernach gar zu viel Gänge bezahlen. Hoc ut evitent, Medicos non niſi obiter & per indirectum conſulere ſolent, ad Medicaſtros deflectunt &, quod alicubi mulieri prædiviti, ſed tenaciſſimæ familiare eſt, bubulcos ſæpe ad infantum ægritudines curandas adhibere non dubitant, tantis Archiatris digniſſimi.

PROPOSITIO XXII.

Si perſona aliqua ſit Illuſtris, ne in Te ſolum devolvatur culpa, adjunge alium, ſed vide, ut Tu aliis, non alii Tibi adjungantur, h. e. ultimo vocentur, alias muſtu den Bären anbinden.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Paragraphus hic docet, quomodo ſe gerere debeat Medicus in conſilium vocatus ab Illuſtribus. Cum his enim non ita in praxi progrediendum, quam cum minorum gentium perſonis. Ideo, ne in Te culpa erroris cujusdam commiſſi (qui facilime hic naſci poteſt) redundet, in eo eris, ut aliis adjungaris. Nam ægri tales ſe non facile regulis & conſiliis Medicorum ſubmittunt.

ANIMADVERSIO.

Funeſtiſſimus canonis hujus eſt abuſus, dum vi moniti poſterioris novitii quidam Practici vitio ſibi ducunt, in caſibus gravioribus alios conſulere, aut, ut ſimul ad curationem accerſantur, admittere. Hinc quo ſibi ſoli videantur Suffeni, nunquam conſultationem quandam Medicam inſtituunt, ſed non ſine inſigni conſcientiæ onere onus illud in ſuos tantum humeros ſuſcipiunt, ne minimum ſolliciti, an æger moriatur, nec ne? Videas integros à Sciolis ejusmodi & ſuperbis vicos deſolatos & ab incolis depauperatos, und das heiſſet alsdenn eine ſtarcke Praxin haben. Plus certe vident oculi, quàm oculus &

Quicquid Tu neſcis, fortaſſis novit Ofellus.

Hinc eleganter *Homerus* Diomedem cum Neſtore introducit ita loquentem:

-- Me, ô Neſtor, habebis,
Si modo des ſocium: fiducia quippe duobus
Major adeſt, dum ſe ſubigunt, quod non ſubit uni,
Alternant: Subit ambobus quod non ſubit uni.
Se ſociant: ita rem ſolidant conſultaque firmant
Ac ſi quæ mecum vel recta excogito ſolus,
Hic tamen usque mihi diffido atque irrita duco.

Unde neceſſitatem conſultationum Medicarum pluribus contra alios evincunt *Rolfincius in Method. medend. ſpeciali conſultatoria* & *Rodericus à Caſtro in Med. Pol. lib. 3. c. 20. p.* 181. Admittere enim Virum honeſtum & doctum (verba ſunt Illuſtris *Wedelii*) ad conſultandum non derogat famæ Medici, ſed potius prodeſt, cum vis unita fortior ſit, quam diſperſa. Cumprimis autem in Magnatum & Principum curatione iis uti debemus, ne, ſi res ex voto non ceciderit, culpa Tibi ſoli imputetur. Interim felix qui vocatur in declinatione. Reliquas in Magnatum curiis & aulis

Principum obſervandas regulas eleganter habet Dn. *Wedelius in Collegio Medico-Politico Mſc.* Præ aliis autem cavendum, ne remediis utamur incognitis, memores illius apud *Curtium lib. 3. C. 8.* Non facile remedium experiendum eſt, quod propter novitatem ſuſpectum eſſe poſſit, *Vid. Galen. lib. de prædict. ad poſthumum.* Hinc præſtat officinalibus, longinqua experientia probatis & *in Pharmacopœja Auguſtana* deſcriptis, mederi & ne aliquid in Perſonis Magnatum periclitari videamur, omnia intrepide & absque formidine agenda ſunt. Nihil tamen temere hic promittendum, ne Tibi eveniat, quod de Manete refert *Alexander Taſſo, in Cogitationibus diverſis*, lingua Toſcana conſcriptis, *lib. X. C. XII.* quod ſcilicet ſe Regis Perſiæ filiolum curaturum offerens, ſed remedio eundem ſubito occidente uſus, juſſu Parentis Regii cultro ex arundine facto excorticatus fuerit. Sane ſi omnes, qui ægros curationis loco ad plures ablegant & ad tumulum promovent, excorticari deberent, plures forte pelles Medicaſtrorum haberemus, quam aſinorum. Symbolum Auliatrorum eſto:

NIL TEMERE, NEC TIMIDE!

PROPOSITIO XXIII.

Ad ægrotantium ſalutem nos ingredi jubet *Hippocrates* & à medicamentis abſtinere, nonnunquam tamen aliquid dandum tempori & perſonæ.

ΕΚΘΕΣΙΣ,

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Agitata fuit Pariſiis Quæſtio inter Medicos juniores ac ſenes: An mulier ſine viro ex deſiderio erga Maritum concipere poſſit? Nobilis enim aliqua, primariæ illic familiæ, abſente viro conceperat. Senes Medici negabant: Juvenes affirmabant.

ANIMADVERSIO.

Quid his ſibi velit Autor, fateor me non capere. Neque enim credidero eundem in gratiam hujus vel illius perſonæ medicamenta deleteria quandoque concedere, cujus perfidiæ exemplum proſtat apud *Cornel. Nepotem in Dione Cap. X.* ubi Dionyſium ſopore ſuſtulerunt. Hoc enim è diametro contrarium eſt juramento, in promotionibus Doctoribus ſancte præſtando, quo in Academia Gieſſena, præter alia, venerationem Principis & incrementum Academiæ concernentia, Doctorandus promittere tenetur: Se artem Medicam ſine omni obſcœnitate & ſpurcitie,„ honeſte caſteque tractaturum, nemini morbum prorogaturum,„ *nec quoquo modo cuiquam in cujusquam gratiam nociturum,*„ gravidis circumſpecte & conſiderate medicaturum, nec alicui ex„ his medicamenta fœtum aut interficientia & excutientia, aut ſte-„ rilitatem in utroque ſexu inducentia exhibiturum, nec in medi-„ cando à canonibus & methodo uſitatæ doctrinæ diſceſſurum, nec„ ſi de morbo aut remedio dubitaverit, judicio privato, cum peri-„ culo ægrotorum, non conſultis vel adhibitis prius Doctoribus,„ aliquid experturum, nec lucrum ex pactione, intruſione, vel vi-„ ſitatione aliorum aucupaturum, ſed in honeſto liberoque hono-„ rario, pauperum ſemper rationem habendo, acquieturum: nec„ cum Pharmacopolis, eorum avaritiam alendo, colluſurum, ſed„ medicamenta ſelecta & recte præparata exhibiturum„ diſcendi„

„etiam curam & librorum inſpectionem non depoſiturum, nec „alibi repetita promotione eadem inſignia Doctoralia ſuſceptu„rum: Denique in facienda Medicina omnia ea, quæ Hippocra„tes in jurejurando & in libro de Medico requirit, præſtiturum. Similiter in Quæſtionibus Medico-Legalibus, de fœtu legitimo & ſimilibus, absque ulla proſopoleꝑſia renunciationes & reſponſa ſunt formanda, quod in exemplo ab A. addito obſervabant Seniores, conſcientiam ſuam inſuper habentibus Juvenibus. Sunt equidem è Canoniſtis, qui in his & ſimilibus Caſibus aut opus miſericordiæ fieri, aut aliquid in favorem matrimonii dici poſſe ſtatuunt, adeo quidem, ut Facultas Medica Ingolſtadienſis olim puerulum menſe duodecimo poſt abitum Mariti à Nobili fœmina (quæ ſub equi fræno ſe proripuiſſe ſicque fœtum retardaſſe prætexebat) in lucem editum pro legitimo habuerit, ut è *Novell.* noſtris *Medico-Legalibus cap.* 3. apparet; aſt vereor, ne in foro Poli favorabilia hæc judicia tandem irrita reddantur omnia, eorumque Autores villicationis ſuæ rationem reddere teneantur.

PROPOSITIO XXIV.

Circa Prognoſin Urinæ, (quam non nimium expetas, non tamen penitus ſpernas) fraudibus quibusdam utere.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

PEr famulum aut ancillam curioſam fac inquiratur, quis ſit æger? quid illi noceat? Hoc ubi reſciveris, ac ſi nihil quicquam ſcias prodi, ac ea refer; aut ſi neſcias, generalia ſaltem dicito, *quæ*

quæ morbis plerisque familiaria ſunt: Ich vveiſs nicht, die Leber möchte nicht allerdings richtig ſeyn. Si calorem animadvertes, dicas de eo aliisque illi conjunctis ſymptomatibus, ſiti, languore, dolore capitis, vigiliis &c. interim dum hæc narras, miſcent illi alia, quæ tanquam non attendens probè attende iterumque urinam inſpice & ſic pro tuis vendita.

ANIMADVERSIO.

SCapham hic ſcapham vocat Autor, dum Uromantiam fraudibus obſeptam eſſe ſincere fatetur, utut male iisdem uti ſuadeat. Optandum potius eſſet, ut maledicta, doloſa & nonniſi in dedecus & ignominiam Medicorum recepta Uromantia è foro Medico prorſus eliminaretur, quod adeo difficile non eſſet, ſi, ut *Rod. à Caſtro l.c. p.148.* conſulit, omnes conſentirent & ſinguli in ſua urbe imperitos rectius inſtituerent: ita plebeji melius informarentur ſuusque arti ſplendor & honos reſtituererur. Enimvero plures non tantum ab Autore hic propoſitæ, ſed & ab aliis deſcriptæ artes ſunt, quibus ſtatum ægrotorum expiſcari ſicque lotium adferentibus glaucoma ob oculos ponere ſolent ii, quibus lucri bonus odor eſt ex re qualibet; aſt an bona conſcientia ea, quæ ſive per alios, ſive ipſimet per varios diſcurſus & quæſtiones expreſſimus, ſimulando ex urina conſpici perhiberi poſſint, illud eſt, quod omnino negandum exiſtimo, quicquid etiam de mendacio officioſo, aut dolo non malo, ex adverſo regeratur. Verum vero conſonat omniaque tam verbis, quam factis, in veritate fieri debent. Quodſi tamen obtorto quaſi collo ad inſpiciendam urinam traharis, utique præſtat (exceptis ſanguinis & viarum urinariarum vitiis) inquirendo magis, quam abſolutè decernendo procedere, donec ea, quæ matulam adferentes prima fronte data opera celabant, ſub diſcurſu & quaſi aliud agendo in apricum veniant. Elegans & facetum hujus rei exemplum habet

bet ante laudatus *Rodericus à Caſtro l. c.* quod ita ſe habet: Ruſticus in Gallia, rigida hyeme, urinam ad Medicum deferebat, qui an uxoris ſit? quæſitus affirmat, jubendo ſimul, ut inſpiciat, nunquid & alia in urina appareant. Medico, cum urina optima eſſet, ſuſpicio de lateris dolore externo oriebatur talemque ſubeſſe pronunciabat. Papæ! clamat Ruſticus, rem acu tetigiſti: ſed unde dolor, quem in latere prorſus livido ſentit? Medicus de colore livido audiens facilè hariolari poterat, idem ex caſu aut percuſſione accidisſe. Rogabat E. an uxor ex alto cecidiſſet? Stupebat Ruſticus & ad Medicum ſe convertens, Magiſter, inquit, ſi mihi dicere poteris, undenam ceciderit, omnium facilè Princeps Medicorum habeberis. Medicus ſtupiditatem hominis animadvertens & ædium rationem habens, aut per trabes, aut ſcalas delapſam eſſe ait. Per DEUM & hominem fidem ita eſt, regerit Ruſticus, ſed per quot ſcalas? Heic vix à riſu ſibi temperans Uroſcopus, conſiderando ruſticorum caſulas non adeo altas eſſe, per duodecim inquit cecidit; cui Ruſticus, inſpice, inquit, urinam, num plures adſint? Medicus de lubricitate viæ præ nimio gelu cogitans, nunquid cecidiſti in itinere & urinæ aliquid effudiſti quærit? Cecidi, reſpondet Ruſticus & nonnihil ☉ effluxit. Non mirum igitur, magna cum autoritate reſpondet Medicus, quod omnes ſcalæ non appareant, ſicque cum applauſu & admiratione Ruſticum dimiſit: ita Mundus vult decipi.

PROPOSITIO XXV.

MOrbum nullum deſeras & ignotum pro noto habeas.

ἘΚΘΕΣΙΣ.

Alioquin ignorantiæ adſcribunt & male de Te ſentient, ſi Te non intelligere morbum dicas. In ignotis igitur univerſalibus, in deſperatis confortantibus & nervinis utere. Aſt ſi ad extremum fere deventum eſt & ad ſubitaneam res tendit mutationem, ſicque in agone conſtituti ſunt ægri, ſpecifica tua cave propines, quia illa proſtituis, tanquam cauſam, cui mors adſcribenda ſit. Adhibenda igitur, quæ frequenti rerum uſu ſunt probata. Nemo fere Lipſiæ moritur, qui liquorem perlarum aut coralliorum non acceperit. Tu ſi habes medicamentum aliquod ſingulare ex ☉. Gold-Pulver, vide ut illud per ignem in crucibulo probatum reddas, tum illud ægrotis cum ſucceſſu propina, ſi omnia ad extrema tendunt (ja der Herr D. hat ihm ſein Gold-Pulver eingegeben, und hat doch nicht helffen wollen. Pulverem autem hunc in pyxide deaurata ſerves, ac ſemper tecum porta.

ANIMADVERSIO.

Utrumque periculo plenum. *Galenus* certe 11. *Meth. c.* 10. in morbis exitialibus nihil omnino agendum, ſed ea tantum Artis parte, quæ prognoſtica dicitur, utendum eſſe cenſet, ne eventus errori Medici adſcribatur & penès vulgum infamentur remedia, quæ aliis ſaluti fuerunt. Neque enim Medicus ſuæ tantum exiſtimationis, ſed & remediorum opinionis rationem habere debet. Conſentit cum eo Cicero Medicorum *Celſus*, qui prudentis Medici eſſe dicit, eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, ne ſpeciem ſubeat ejus occiſi, quem ſors ipſius perimit & ne, qui morbi rigore periit, Medici aut ignorantia aut negligentia periiſſe videatur. Dum vero adhuc aliqua ſpes conſervandæ vitæ ſupereſt, juxta eundem *Celſum* præſtat anceps experiri remedium, quam omni-

no nullum, non tamen novum & incognitum, quod Autor bene monet, ſed experientia probatum. Sin vero neque hoc locum inveniat, confortantibus inſiſtendum, quæ & in morbis incurabilibus, maraſmo v. g. phthiſi confirmata, cancro deſperato & ſimilibus admittuntur; his enim ſi non juvatur æger, minus tamen læditur. Interim cave, ne nominibus aureis, aurum, quo cordialia ſæpe carent, aucuperis. ſiquidem non omne, quod micat, aurum eſt. Novi Medicum, qui auri fulminantis multas doſes ægro præſcribebat, à quibus cum abhorreret & Medico, ut pauperibus data occaſione propinaret, reddidiſſet, hic per reductionem ultra 20. flor. lucrabatur, das hieſſe Recht das Gold abgetrieben.

Auri ſacra fames, quid non mortalia cogit
Pectora?

Quod alterum præcepti hujus membrum attinet, ut ſc. ignotum morbum pro noto curemus, ne quid ignorare videamur, illud magna rurſus cum prudentia fieri debet, ne quid ſimulando vel diſſimulando conſcientiam vulneremus, aut Empiricorum inſtar quid periclitando ægrorum ſaluti noceamus. Tutiſſimum eſt alios hic conſulere Medicos, aut in conſultationem adſciſcere, à quibus hac via per indirectum multa addiſcere & quibus illi utantur remediis, obſervare poteris.

PROPOSITIO XXVI.

Antimonialia, Mercurialia & Opiata caute, non advertentibus aliis, adhibe.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

'ΕΚΘΕΣΙΣ.

Adjice illa præparatis in officinis, quæ exige, ut videas, an ſint bene præparata, ſicque, dum res ſiniſtre cedit, neſcitur à nonnullis, ſi præter inſtitutum medicamentum purgaverit, vel vomitum excitarit & ſi ægri hoc Tibi ſignificent, riſum ſimula, quaſi Te ſcienter hoc factum (ja der Herr Doctor hat es wohl gewuſt.) Sin autem res male ceſſerit, vide an in Pharmacopœum retorquere poſſis culpam vel errorem, ne audias, dieſer Doctor braucht ſehr ſtarcke Sachen. Vel & errorem aliquem externum accuſa, Er hat vielleicht die Füſſe erkältet. Denique adfuiſſe tantam materiam.

ANIMADVERSIO.

Neque hoc omni caret periculo. Quodſi enim ♁ata, ☿lia aut opiata clam aliis miſcueris & interea vel ſubito moriaris, aut extemplo peregre vocatus fueris, alii ſtratagematis tui neſcii non tam facile ſymptomatibus inde obvenientibus ſatisfacere, ſed ignẽ ſæpe igni (utut inſcii) poſſent addere. Tragicum hujus rei exemplum ante aliquot annos heic locorum accidit; ubi Chirurgus quidam Caſtrenſis, tantum non omnia per ſalivationem ☿rialem curare ſuſtinens, Virgini cuidam bellæ & honeſtiſſimæ ☿♎ti grana aliquot (utpote quem, ut ipſemet aliis confeſſus erat, ad facilitandam ſalivationem in familiari uſu habuit) propinarat, unde ardor gulæ, cardialgia & ſimilia, ☿♎intro ſumptum ſequentia, ſuboriebantur. Vocabatur Medicus, in Arte ſua alioquin verſatiſſimus: quod cum Chirurgus inaudiret, per omnes Diabolos eorumque abreptionem juravit ægræ moriendum eſſe, quod alium ſibi Medicum adſciverit. Nec fefellit nebulonis prognoſticon. Medicus enim veræ cauſæ ignarus, mox ſtomachica, mox bezo-

ardica, imperato etiam ſudore præſcribit, ſed omnia in caſſum, ſiquidem ardor gulæ & œſophagi indies augebantur, ita, ut ſi vel cordiale aliquod deglutiret hocque orificium ſtomachi ſiniſtrum, ſuperius vulgo dictum, attingeret, ob immanem dolorem horrendum in modum ejularet, tandemque ſub tormentis illis & cruciatibus diem ſuum obiret. Parens, utut JCtus & Advocatus alias verſatiſſimus, ſectionem & inſpectionem filiæ, ſed minus legalem, accerſito ſolo Medico, inſtituit ipſumque œſophagum & ventriculum, cumprimis circa dictum modo orificium, prorſus inflammatum invenit, expiſcabatur etiam, quod Chirurgus ☿♎ eo tempore in Pharmacopolio petierat aliaque plurima Empiricum inſigniter gravantia indicia collegerat, quæ tantum quoque effecere, ut Medicaſter in vincula conjiceretur. Erroris tamen in ſectione privata commiſſi admonitus Advocatus & aliorum interpellationibus precibusque adductus tandem ab ulteriori inquiſitione abſtinebat terraque errorem omnem tegebat. Interim hinc eluceſcit, quam periculoſum ſit clanculum miſcere medicamenta draſtica. Ut taceam minus Chriſtianum eſſe culpam, hic à ſe commiſſam, ſuaſu Autoris, in Pharmacopœum innocentem devolvere aliaque falſiloquia excogitare, quæ omnia in cordatum & conſcientiam illibatam ſervaturum Medicum non cadunt.

PROPOSITIO XXVII.

Quæ Praxis ubique ferat, attendendum.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Quibusdam in locis Venæſectio, alibi Clyſteres frequenti ſunt in uſu, ſine quibus injectis mori piaculum eſt; hinc licet mor-

morbus non exigat, nihilominus adminiſtrari & adhiberi debent: ſic enim fert conſuetudo, cui vulgus tenaciter adhæret. Ia die Ader iſt Ihm nicht gelaſſen, Ihm iſt auch kein Clyſtier appliciret worden. Interim præſcripta formula V. S. (etſi neceſſaria) non ſtatim approbetur, ut lucellum duplex habeas, ſi vel Venæſectioni interſis, aut ſi nolint, ſanguinem inſpicias. Hunc ſi videas nigrum dicas, ja es iſt böſs verbrannt Geblüt &c.

ANIMADVERSIO.

Ad hominem rurſus argumentando ad captum vulgi ſe demittit jam Autor variasque conſuetudines Medico-Practicas attendere jubet. Pluribus enim in locis, cumprimis in Bavaria, Auſtria & vicinis terminis non tantum ſingulis annis, tempore vernali, V. S. præſervationis ergo inſtituunt, quibus cum Medici, qui illis intereſſe coguntur, adeo ſunt occupati, ut vix prandio aut cœnæ capiendis pares ſint: ſed non minus in morborum curationibus ſive clyſteribus, ſive V. S. plurimum tribuunt, ut nolentes volentes Medici illis gratificari cogantur, ni variis incommodis & incuſationibus ſe obnoxios reddere velint. His tamen non obſtantibus in febribus cum excretione cutanea conjunctis, variolis & morbillis, inſtante eruptione, à clyſteribus omnino abſtinendum, qui motum Naturæ invertendo variolas aut petechias retrocedere faciunt, ſicque certam & præſentaneam necem inferre poſſunt. Idem de V. S. intempeſtive aut exceſſive, tum præſervationis, tum curationis ergo adhibita cenſendum, quæ utrobique ſanguinem balſamicum & volatilem exhauriendo, crudum vero & chyloſum ſuppeditando homines ad utriculum (pro adipe vulgo ſed male habitum) & cachexiam diſponit & tandem hydropicos reddit, ut aliquot exemplis in *Miſcell. Acad. Germ. Cur.* olim ob oculos poſui. Hinc cum *Helmontio* malo ægros meos ſanos, quam obeſos. Judicium autem de ſanguine vena ſecta omiſſo

Ooooo 3 æque

æque incertum, imo abſonum magis eſt, quam quod è lotio hauritur, quicquid etiam *Jeſſenius à Jeſſen, in Tr. hujus tituli Ao.* 1618, *Pragæ emiſſo* de illo ſtatuat, qui non tantum corporis conſtitutionem, ſed & mentis indolem inde manifeſtare ſategit. Nigrum enim, quod in fundo ſcutellæ apparet & tanquam μορμολυκειον ab Autore accuſatur, radiis Solaribus expoſitum æque floridum eſt, ac pars ſuperior, hinc pro corrupto aduſtoque ſanguine, citra falſiloquium haberi non poteſt. Aqua autem ſupernatans, quæ à Tonſoribus & Balneatoribus catarrhis & hydropi fomitem ſuppeditare putatur, nihil aliud eſt, quam ſerum nutritioni deſtinatum, ut levi enchireſi ob oculos poni poteſt.

PROPOSITIO XXVIII.

Recepta, quorum præſcriptio Praxis communis eſt, protrahas, ſic enim major fides illis tribuitur.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Ex præſcriptis Zwelferi *aliorumque nonniſi tria vel quatuor ſimplicia præſcribi debent ac miſceri. Jam ſi minori charta illa conſignata ſint, fidem illis vulgus non habet (ja was will das helffen, man ſiehets ja kaum auf dem Zettul.) Memini de cujusdam Medici receptis minori charta conſcriptis hoc fuiſſe dictum. Debent igitur eleganter extendi, ut in oculos incurrant, ne accidat Tibi, quod celebri cuidam Practico Lipſienſi evenit, qui minorem præſcripſerat formulam, quam æger videns dicebat: Ey ſein Herr Vatter ſchrieb die Recepten beſſer, er richtete ſie auf alle*

Glie-

Glieder. Regerebat Medicus: Wann der Herr das meynt, ich kan es auch, & *eadem ingredientia majoribus literis prolixius extendebat, quod cum æger videret, dicebat, ja ſo iſt es recht, Herr Doctor.*

ANIMADVERSIO.

Dum de novo formularum dilatationem, in Præcepto XVI. jamdum commendatam, laudat Autor, non abs re fuerit quæſtionem hic præliminarem primo tangere, an per ſimplicia magis, an vero per compoſita curationem morborum inſtiruere præſtet? Plures è Veteribus in prioris affirmativam inclinant, quos inter *Scribonius Largus*, Claudii tempore quondam celebris, *Octavianus Horatianus*, Valentiniani Imperatoris Archiater, *Plinius*, *Celſus*, *Dioſcorides* & ipſe *Galenus*. Quid quod *Hippocrates* utplurimum ſimplici medicandi genere unice contentus videri poſſet è variis ejus monumentis. Accedunt & Arabes, *Avenzoar*, *Serapio*, *Averroes*, *Raſis*, *Meſues*, *Haliabbas* &c. è modernis vero *Helmontius*, qui artis eſſe credit curare per ſimplicia, quum pauca Medicum nobilitent. In contrarium autem prolixe militat *Cardanus oper. ſuorum Tom. VII.* qui medicinalium II. eſt, *Tr. de ſimplicium medicamentorum nocumentis*, argumentis partim ab antipraxia viſcerum, partim à purgantium aliorumque draſticorum malignitate depromptis, quæ ita comparata ſunt, ut fere omnia quadam indigeant correctione. Cæterum utut hæc *Cardani* tela tanti valoris non ſint, ut alterius ſententiæ Patronos adeo graviter ferire poſſint, noſtris tamen temporibus mera in curando ſimplicia adhibere, nonniſi ſimplex vetularum praxis habet; quin compoſitionem quandam hodie maximopere neceſſariam eſſe, ſolidis, ut ſolet, argumentis evincit *Wedelius in Tr. & Tab. de Compoſ. medicament. extemporanea.* Ut enim à Plebejorum indole nunc maxima Medicorum pars dependere amat, ita duo cumpri-

mis ab illis deſiderantur vulgo, partim ut ex urina, tanquam è *Jovis* tripode quævis prædicere, partim ut formulas tricubitales, vel ſi mavis, Recepta ſeſquipedalia præſcribendo cœlum & terram quaſi miſcere valeant. Quodſi vero quis vereatur, ne tot additamentorum farrago efficaciam baſeos magis impediat, quam adjuvet, is utique conſilio Autoris noſtri uti & pauca, quæ ſufficere illi videbantur, laciniis chartæ majoribus lineisque diſtantioribus, eo modo, ut Actuarii Reſponſa JCtorum ad augendas ſportulas, exarare ſolent, inſcribere poterit, ſic enim morbo & morboſis, utut non æque Pharmacopolis, ſatisfieri poterit.

PROPOSITIO XXIX.

Concurrens cum Medico Sene, ne diſputes facile, eſt enim in autoritate conſtitutus.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Nihil ſane aut parum admodum proficies diſputatione tua, quia is in poſſeſſione conſtitutus eſt & experientiæ ſuæ vulgum aſſentientem habet, quam ſi rationibus tuis opponit, victum te eſſe putabit.

ANIMADVERSIO.

Mentem hic ſubit diſtichon *Kulpiſii*, quod Studioſo Medicinæ diſputationem quandam habituro gratulationis ergo accinebat:

In

In cathedra multos dicunt curarier ægros,
Ad lectum paucos convaluiſſe malo.

In cathedra ſc. de morbis pro & contra diſputatur, æger vero inde non juvatur. Sed an & ad lectum ægrotorum diſputandi locus eſt? Videas hic in Conſultationibus Medicorum partim in exceſſu, partim in defectu peccari. Sunt enim, qui mero contradicendi ſtudio Senioribus, antiquum adhuc obtinentibus, obloquuntur & nil niſi de Modernorum particulis & hypotheſibus in medium adferunt. Alii è contra Seniorum autoritati nimium tribuunt, ut, quod Galenus de diſcipulis Eraſiſtrati & Erophili refert, Magiſtrorum ſuorum & Seniorum dictis adeo ſuperſtitioſe inhæreant, ut quicquid illi ſtatuerint, è tripode quaſi dicta exiſtiment, ſicque illis vel minimum adverſari prohibent. Alii media via incedendo Medicis, etiam junioribus, in conſilium vocatis votum ſuum & ſententiam non denegant, ſed ita concedunt, ut tantum medice, modice & modeſte proferant, quantum in rei præſentis uſum neceſſarium videbitur, ſive aliorum ſententiæ ſint ſubſcripturi, ſive ſuam ipſi dicturi; non autem multa extra rei uſum longiſſimè atque ex ultimis Artis Medicæ terminis accerſant, ne quo nihil putidius, alios longè ſæpe eruditores docere magis, quam quod ipſi ſentiant proferre videantur. *vid. Rod. à caſtro M. P. c.* 20. *lib.* 3. *p.* 183. Hac ratione facile evitari poſſunt omnes colliſiones, æmulationes & contentiones, quæ conſultationes Medicorum olim ſuſpectas reddiderunt, adeo quidem ut Adrianus Imperator dixiſſe feratur: Multitudo Medicorum Regem perdidit; quod rectiùs de multitudine & nimia medicamentorum copia dicere poſſemus, quæ non tantum in curſu morborum, ſed & in ſtatu ſecundum nat. ſæpius ingurgitare coguntur, ut ſub ſpecioſo præſervationis titulo aliquid agere videantur ii, quorum intereſt. Quid enim aliud in ſubjectis ejusmodi tenerioribus efficitur, quam ut tot laxantibus, purgantibus aliisque conſimilibus tonum viſcerum flaccidiorem reddendo & [illegible]tus exhauriendo ſanitati vitæque Do-

minorum ſuorum majus incommodum, quam emolumentum adferant.

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore multa nocent.

PROPOSITIO XXX.

Accipe dum dolet. Neque tamen ſoſtra à Te peti debent, niſi forſan animadvertas ea non facile ſolvi.

ἜΚΘΕΣΙΣ.

Ad ſoſtri rationem quod ſpectat, illud ſit labori proportionatum, ne rigore nimio in ſuſpicionem avaritiæ incurras, nec abjecto nimis pretio ſuſpicio negligentiæ oriatur, quaſi non adhibuiſſes omnia, quæ è re ægri fuiſſent. Æquum ergo ſit ſoſtrum, quod tam pro viſitationibus, quam formularum præſcriptionibus exigis. De tempore autem hoc, velim, notes. Ubi homines bene ſolvunt, ibi per trimeſtre & ultra expectandum, denn alſo bleibeſt ſie in Kundſchafft. Sin vero animadvertas homines non facile ſolvere, memor eris aphorismi:

Dum dolet infirmus, Medicus ſit pignore firmus,
Expers languoris non eſt memor hujus amoris.

An liceat Medico ſchedulas ſoſtri indices (Auszüge) mittere, parum vel nihil ad nos.

ANIM-

ANIMADVERSIO.

Generoſe *Cous* ἀφιλαργυρίην & pecuniæ contemptum in Medico requirit, *lib. de decenti habitu* alibique, *in Præceptionibus*, egenos & peregrinos ſummopere commendat, ſi fors occaſio ferendæ illis opis ſe truſerit: quæ Ethnici pietas immiſericordes Medicos & Mercenatios in ruborem dare poſſet. Videas enim quosdam Harpyjas, qui ſpretis & inſuper habitis egenis, utut alto ſtemmate prognatis, nonniſi opibus diffluentes ægros quærunt, quibus ſtatim ſoſtra ab aliis Magnatibus obtenta enarrant, ex muſca ſæpius elephantum facientes, non alium in finem, quam ut æmulationem in animis Magnatum relinquendo parile vel majus honorarium reportent. Quidam in alios, tanquam in ingratos, invehunt, de illorum tenacitate conqueruntur ſicque ægros ſimiles querimonias timeſcentes ad majora redhoſtimenta cogunt. Ab hoc tacito & iniquo poſtulandi genere adeo abhorret *Rodericus à Caſtro*, ut ne hæc vel illa clinodia, libros, aut alia penes ægrotum laudare, neque, ſi Mercator fuerit, quicquam, niſi numerata pecunia, emere concedat, ne aliquam ægris ſuis cogitationem ingerat, velle ut ſibi offeratur id, quod laudat aut emturus ſit, ſicque artificio quodam extorqueat, quod ipſum oblaturum non confidit. Multo minus autem ſtatim poſt curationem apertis verbis ſoſtrum exigendum eſt, ne, ut bene monet Autor, in avaritiæ ſuſpicionem incurras. Quodſi vero ægri gratitudinis ergo, ſive durante, ſive finita cura, ſponte ſua donum aliquod offerant, illud neutiquam declinandum, non tamen nimia cupiditate ſed quaſi aliud agendo fronteque explicata capiendum eſt, cujus facilis alioquin eſt oblivio, juxta vulgare illud;

In morbis Medicis totus promittitur Orbis,
Mox à mente fugit Medicus morbo recedente.

Quodſi in ingratos incidas, à DEO remunerationem expecta, nec publico ſervire deſine, memor illius *Claudiani*:

- - Tu conſule cunctis,
Nec Tibi, nec tua Te moveant, ſed publica vota.

Sicut enim DEUS omnibus vitæ temporibus ſubſidia piis bonisque neceſſaria abunde largitur, dummodo vocationis ſuæ munere fideliter & diligenter fungantur: ita divitiarum honorumque augmenta, citra multum negotium, citraque animi curas, tempore opportuno adjicit iis, qui in ſtatione ſua perſeverant & neceſſaria quæque ab ipſo petere atque expectare præſentibus animis audent vid. *Sporiſchius l. c. p. 39.*

PROPOSITIO XXXI.

Ruſticis ac vulgo Martialia propinanda.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Ut Ruſticis imponas, exhibeas ea, quæ feces nigras dejicere faciunt, ut illis perſuadeas, tot, tanta & tam varia eaque periculoſa excrementa latuiſſe in corpore, quæ facilime morbum quendam lethalem cauſari potuiſſent.

ANIMADVERSIO.

Quod ♂alibus in Ruſticis, id ☉. fulminante in ditioribus & delicatulis intendunt, quotquot cum Machiavello noſtro faciunt.

faciunt. Utrobique enim atro carbone notantur fæces. Aſt ſi non alio, quam defraudandi fucumque faciendi animo hæc talia propinare velis, rectius ab illis abſtineres. Ruſticis & ſimplicioribus his & ſimilibus imponere nonarduum nec magnæ eſt artis, ſed Diabolus, non Medicus genuinus, ſit Impoſtor. Martialia equidem tutiſſima ſunt remedia, quicquid etiam *Harveus, in Arte curandi morbos per expectationem*, contra eadem opponat, dum *Cap.* 3. *c. l. pag.* 9. eadem cum ⊖⊕lico in unum coeundo in cæmentum abire putat, quod obſtructionibus majorem tribuens firmitatem frequenter vaſa totaliter conſtipet: ſiquidem Martialia cum acido præternaturali in primis viis congrediendo ⊖. ejusmodi ⊕licum conſtituunt, non vero cum eodem coeunt. Ut taceam ad cæmentum aliquod plura requiri, quam ſalina atque terrea. Sufficit experientiam, ſtultorum Magiſtram, atteſtari, Martialia certiſſimum morborum chronicorum antidotum eſſe. Quandoquidem vero Ruſtici morbis chronicis, à vita ſedentaria oriundis, raro ſunt obnoxii, cum ob continuos labores, ad quos fere nati ſunt, in perpetuo motu ſint conſtituti; hinc neque Martialia illis dicata ſunt remedia, quæ Virginibus chloroſi laborantibus, difficulter menſtruantibus, Eruditis & vitam ſedentariam agentibus è contra ſacra ſunt anchora. Quemadmodum igitur omnes actiones noſtræ in ſolius DEI gloriam Proximique ſalutem unice reſpicere & hæc pro fine ultimo habere debent: ita & Martialia & chalybeata non tam omnis fraudis & impoſturæ Autori, Satanam puto, hujusque mancipiis, quam Creatori cœli atque terræ, DEO T. O. M. ſacrata ſint, cui ſit LAUS, HONOS & GLORIA, IN SEMPITERNA SECULA

Amen!

COROLLARIA

ad PRUDENTIAM MEDICAM ſpectantia, *è COLLEGIO MEDICO-POLITICO* Dn. *Wedelii* potiſſimum excerpta.

In AULIS.

Singularitas opinionum (adde & medicamentorum) niſi optimè ſit fundata, facillimè contemptum, aut famæ decrementum parit.

Auliatro ſincera pietas, conciſa brevitas, providaque ſubmiſſio valde utilis & neceſſaria eſt.

Stare, nudare, expectare (affectiones aularum neceſſariæ) Medicis Aulicis quoque obſervanda ſunt.

Magnatibus, Regibus ſc. & Principibus, pulſum attingere (ob ſummam reverentiam & ſubmiſſionem) minus decet. Præſtat E. percontari, quomodo ſe pulſus habeat? ſic plerumque manum ipſi porrigunt.

In

In CURATIONE ERUDITORUM

Medicus nil contra ſanam rationem adferat, ſed cum Doctis doctè agat juxta illud Philoſophi: Tracta me ut Philoſophum, non ut Bubulcum & Subulcum.

E. nullibi major Prudentia Medica requiritur, quam in Prudentum morbis.

Dum Medicus Medicum (qui non ſemper curat ſeipſum) curandum ſuſcipit, omnes jactationes fugiantur, cum & alii haud ignorent, quid diſtent æra lupinis?

In GYNÆCEIS

Ut ameris amabilis & gratioſus eſto. Turpe autem eſt Medicum videri aut audire libidinoſum.

Mulier omnem morbum bis patitur, hinc & duplici, h. e. ſollicita magis cura, indigent, cumprimis graviditatis & puerperii tempore.

Emmenagoga Virginibus cautè, maritatis raro præſcribenda. Utrobique præſtant ♂alia & ⊖na.

In aſſerenda vel neganda graviditate cautiſſimus eſto, ne & Tuæ aliorumque famæ noceas.

INFANTES

Paucis & acceptis remediis ſunt curandi, emulſionibus v. g. ob colorem illis haud ingratis.

Pulſus in infantibus fallaciſſimus, nec ſemper explorandus eſt.

SENES

SENES

Bis pueri, confortantibus magis, quàm draſticis alterantibus & evacuantibus tractentur: *Ein altes Eßig-Faß läſt ſich nicht rütteln.*

In CASTRIS & CAMPIS

Polychreſta communia facileque parabilia ad manus, ſpreto receptiſmo.

Militibus gregariis diæta legitima non tantum imperanda, ſed & procuranda.

PAUPERES

Et egeni ſeminarium ſunt famæ & fortunæ Medicæ. Non Principibus tantum, ſed & his placuiſſe viris haud infima laus eſt.

Ut enim in bello, ita & Medicum per gradus emergere decet, hinc neque ruſtici ſunt negligendi: *Bauren ſind auch Leute.*

M. B. VALENTINI
DECLAMATIO PANEGYRICA I.
DE
MEDICO PHYSICO
Habita Giſſæ die 1. Jan. An. 1697.
cùm è manibus Medici Sceptra Acad. ſuſciperet.

PROCERES ACADEMIÆ
MAGNIFICI, SUMME REVERENDI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI: CIVESQUE ACADEMIÆ GENEROSI & PRÆNOBILES!

TRalatitium & vulgare eſt in Lyceis publicis dicterium: Ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus. Hodiernô verò die novô eoque vorſô prorſus ordine Phyſicus incipere jubetur, ubi Medicus deſierat; quô parum abeſt, quin ὕστερον πρότερον egiſſe videaris ANTECESSOR VENERANDE.

Aſt ſalva res eſt, nec ultra forum ſibi debitum extendenda parœmia, quod vel ingratiis meis hoc ipſo die confiteri cogor. Enimverò feliciſſimum me prædicarem, ſi proverbii hujus vi arduum, quod humeris meis, prorſus imparibus, imponitur Magiſtratus Academici munus declinare liceret? aſt quî per illud declinarem, cùm & in Praxi Medicâ fallat quam ſæpiſſimè diverbium, in quâ irritis Artificum, etiam Verſatiſſimorum, conaminibus, *Hippocrate* teſte, φύσιες νόσων ἰητροί. Adeoque paradoxus non fuero, ſi contra vulgarem ſuſtinuero, Phyſicum heîc incipere, ubi Medicus deſierat.

Ne verò gratis illud & precariò adſtruere videar, gratiâ paceque veſtrâ, AUDITORES, liceat hoc ipſum tribus, quod ajunt, verbis declarare; quò & Statutis Academicis & patientiæ veſtræ ſatisfiat, quibus ſi non rei verborumque gravitate, brevitate tamen utrobique complacere aveo.

Ut autem ab ovô (quod dicitur) rem exordiar, è priſtinâ Romanorum curiâ triplex Medicorum ſeries in ſcenam prodeat, quorum alii Archiatri, nonnulli Perideutæ, ſervi reliqui & Chirurgi dicebantur. Archiatri Principes erant Medicorum, quô titulô & Æſculapium inſignitum fuiſſe perhibent. Illorum autem duplex obſervabatur ordo, quorum prior Archiatros tenebat Sacri Palatii, qui in Aulâ Principis florentes intra palatium militare dicuntur, *L. un. cod. de Comitib. & Archiatr.* Hinc & Comitivæ honore donabantur, modò primi, modò ſecundi ordinis, imò Ducibus æquabantur, ut ex eadem lege obſervat *Thomas Bartholinus in Act. Haffnienſ. Vol. IV. obſerv. LXXXI. pag. m.* 190. Unde forté eſt, quòd Medici Anglorum Gallorumve Regii & noſtrô tempore Archiatrorum Comites dicantur. Reliqui Archiatri erant Populares, de quorum numerô, commodis & mercedibus *Valens & Valentinianus* Impp. Romæ jus dedêre, *L. 8. Cod. Theod. de Medicis & Profeſſoribus.* Cæterùm idem utriuſque claſſis & effectus & defectus eſt, ut quan-

quam

quam majore præ reliquis & honore & experientiâ videantur ſuperbire, tandem tamen & illud fateri cogantur:

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet Arte malum.

Hinc videas, quòd Naturæ Phyſicoque ſæpè tradant lampada, ſive jam acutis, ſive chronicis morbis debellandis fuerint adhibiti. In Acutis acutô, utut omninò licitô, utuntur ſtratagemate, ut, cùm in illis incertæ ſint prædictiones ancipiteſque eventus, in conſilium vocent alios, quò, ſi res malè ceſſerit, de culpâ, ſin proſperè, de gratiâ participent, datâque occaſione par pari referant:

Conſultant alios, ut ab hiſce vocentur & Ipſi.

Quodſi tandem omnia illorum conſilia ſint inania, vires accuſant omnino proſtratas, Naturamque nimis debilem, cui reliquum, quod eſt negotii, committere coguntur & ita Phyſicus incipit, ubi Medici deſierant. Sin è contra Chronicos, quos vocant, morbos curandos ſuſcipiant, novâ arte Ægros ad thermas, ad acidulas ablegare ſolent, quò in affectibus reverâ obſtinatis (qui eam ob cauſam ludibria Medicorum audiunt) ægrorum querimoniis tantisper liberentur & in tot ægrorum ditiſſimorum confluxu eò majorem burſam ſaginandi anſam nanciſcantur. Quodſi verò dicendum, quod res eſt, ſæpiſſimè non tam moleſta tot aquarum ingurgitatio juvat, quàm lauta laudabiliſque diæta, motus corporis animuſque à curis & moleſtiis liberrimus, quæ cum Naturæ potius, quàm Artis ſint remedia, hinc & illîc Phyſicus incipit, ubi Medici deſierant. Multò verò magis iſthoc locum habet in II Medicorum claſſe, quos Perideutas, ſeu Circulatores Roma nominabat, quòd per omnia civitatis compita circoſque, unius tamen urbis, medicinam faciebant. Circumforaneos autem hoſce longè tunc meliori locô, quàm noſtrô ſeculô habitos fuiſſe, docet *JCtus Modeſtinus leg. 6. § 1. ff. de excuſ. tutel.* Ceterùm ſi methodum in medendo illis uſitatam perpendamus,

in tantâ Artis imperfectione ſuique ſimulatione pluribus & illicitis ſæpè artibus, *à Machiavello Medico* hauſtis, inſonti plebeculæ fucum ferè faciunt, è quibus maledicta illa Medicoque Chriſtianô ferè indigna Uromantia omnium conſenſu palmam tenet, quâ dum infrunitis ſimulationibus & mendaciis famam ſibi aurumque comparare ſtudent, vitam proximi animamque propriam præcipitiis exponunt periculoſiſſimis. Talibus ſanè ſtrophis Natura non indiget, ſed *Hippocrate* teſte πάντα πᾶσι αὐτάρκει, in omnibus ſibi eſt ſufficiens fideliſque morborum medicatrix. Unde idem Senex tanta ſollicitudine monet eos, qui egregii quid præſtare volunt, ut Medici Phyſici evadant; horum enim (ut pro ratione addit) nullus temerè quid efficiet. Imò Gallus quidam, ſed *Anonymus, in Tr. le Medecin de ſoy mêſme par l'inſtinct*, argumentis non evanidis adſtruere non dubitat, unumquemvis ſibimet ex inſtinctu naturali mederi poſſe. Nec obſtat, Naturam à Medicis ope remediorum adjuvandam eſſe; cum Practicis candidioribus fatentibus pharmaca infinita nil aliud agant, quàm ut inducias morbo cum Naturâ paciſcantur, donec illa tandem morbos *per expectationem* perdomare valeat, *ut Harveus* Anglus haud ita pridem, in ſpeciali hujus Tituli ſcriptô, publicè aſſeruit: & ita reverà heîc pariter Phyſicus incipit, ubi Medicus deſierat. Et idem, nî fallor, judicium ferendum eſt de III. Medicorum Romanorum claſſe, in quâ Medici quoque audiebant illi, qui exſectis virilibus Eunuchos faciebant, Chirurgi ſc. Operatores,

- - - - Idiota, Sacerdos,
Judæus, Nequam, Hiſtrio, Tonſor, Anus.
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator.

Verbo: Servi, qui cum Obſtetricibus 60 ſolidis æſtimantur, *leg. 3. C. Tit. Commun. de legatis.* Unde ſine dubio contumelioſa illa, quæ in Artis noſtræ Cultores exploditur, calumnia exorta, quòd Medici apud Romanos Servi fuerint, de quô tot diſceptationes

tiones & litigia olim inter Celeberrimum *Böckelmannum* JCtum & Excellentiſſ. *Drelincurtium*, Archiatrum, utrumque Profeſſorem Lugdunenſem.

Aſt quò hæc? Veſtram nempe CIVES ACADEMICI (Vos enim nunc alloquor) veſtram, inquam, indolem intelligo, dum Naturam hactenus tantoperè dilaudavi. Novi enim Genium Veſtrum & Ingenium ad altiora natum: Novi Naturam ad æquitatem naturalem, virtutem bonoſque mores inclinantem, quæ non Medicâ amplius manu indiget, ſed Diæteticâ; Naturam hancce conſervante. Certa igitur me ſpes tenet, Vos omnes & ſingulos, durante hoc, quod ſuſcipio, munere Rectorali, Naturæ divinitus illuminatæ ductum ſecuturos & quas ipſa nobis dedit, Leges obſervaturos: Honeſtè victuros: Neminem læſuros, ſuumque cuilibet largituros fore. Nolite, ô MEI, locum dare ſcandalo illorum, qui vel eo tempore iiſque in locis, queîs tenore legum piâ placidaque admonitione VOBIS prælucere debebant, in Celebritate Virorum Illuſtrium turpia & Chriſtiano homine indigna convitia in Proximum diſplodunt, aliâs verò calumnias, â Mendaciſſimis & Inſulſis Sycophantis, vapulante licet & altum ejulante Priſciano in Viros Honeſtiſſimos conſcriptas, divulgant & circumferunt, non aliam ob cauſam, niſi quod nomini illorum, Exteris prorſus incognito, celebritatem quandam circumpoſuerint; quæ hominum ingratitudo, ut ingenuis quibuſve ſummoperè eſt exoſa, ita mirum non eſt, ſi fato quodam vindice in medio ſchedarum ſuarum curſu penitus confuſi & quaſi occœcati, ut mus in pice hæreant.

Vos autem non ita, CIVES Ingenui! Fugite hanc cavillandi pruriginem! Fugite jurgia, rixas, æmulationes, ac in bonâ charitate mutuo Vos amore proſequendo Vitam Academicam piè tranquilléque degite: Ita DEI Trinunius benedictionem, Magnarum Gratiam, Patronorum Benevolentiam, omniumque bonorum applauſum, ſalutem denique & temporalem & æternam certò Vobis promittere valebitis.

Tu verò ALMA TRIAS, Deus Pater, Fili & Spiritus Sancte! ſub umbrâ alarum Tuarum fovere perge Academiam Noſtram Ludovicianam. Serva Nutritium Noſtrum Clementiſſimum Domumque Principalem Haſſo-Darmſtatinam: Serva Docentes: Serva Diſcentes, ut mutuô ſe amore & honore proſequendo nil cogitent aut efficiant, niſi quod Sanctiſſimo Tuo nomini glorioſum, ſibi proximoque proficuum: Omnibus denique ſalutare ſit & fructuoſum. Tibi, ô Supreme Deus, ſit LAUS, HONOS & GLORIA, IN SEMPITERNA SECULA!

DIXI.

DECLAMATIO PANEGYRICA II.

DE

LEGIBUS ARTIS ET NATURÆ.

Habita Giſſæ die 1. *Julii An.* 1697.

In Prælectione Legum.

LEGUM, TAM DIVINARUM, QUAM HUMANARUM, SACERDOTES MAGNIFICE, MAXIME REVERENDI, CONSULTISSIMI, AMPLISSIMI CORPORIS ANIMIQUE MEDICI EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI:

Tuque

Nobiliſſimorum Dnn. Studioſorum Seges atque Concio Florentiſſima.

ORdinem quendam, ſerie indivulsâ cohærentem, rerum eſſe animam vinculumque plusquàm adamantinum, non felices

licet tantùm actionum humanarum eventus, ſed & alia, è cauſis merè naturalibus fluentia φαινόμενα ſatis luculenter adſtruunt. Illuſtre huius exemplum in illuſtri, quem cernimus, cœlorum motu ſiſtitur, qui rotatis vorticibus ſidera eleganti certoque producit ordine. Certô temporis ordine commiſſa terræ ſemina in fruges progerminant, certâque in ariſtis combinantur ſerie, quâ & arborum diſponuntur ramuſculi, ipſaque viventium membra debitô non locata locô ordinem Naturæ negant. Paucis: Ordinem clamant omnia, quæ genuinâ felicitate gaudent, nec unquam ſine ordine felicitas, aut ſine felicitatis famâ concinnus ordo. Quemadmodum ergò Summus ille rerum mundanarum Arbiter DEUS T.O.T.M. in primævâ Creatione cuncta numero, pondere & menſura dedit valdè bona, h. e. perfectiſſima, ita cœlum terramque librando, eorumque non minus ac reliquarum in hôc mundo adſpectabili occurrentium Creaturarum motum promovendo, certis Naturam Legibus inſtruxit, queîs ordinem exactiſſimum ſervando in exemplum cedant hominum inſtitutis, ſine Lege prorſus collabeſcentibus. Adeò nempe verum eſt, quod Romanæ Facundiæ nervus *lib.* 3. *de legibus* habet: Nihil ad conditionem Naturæ tam aptum eſſe, quàm Legem, ſine quâ nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum Natura omnis, nec ipſe Mundus poteſt. Equidem, quod corpus ſine anima, hoc Mundus ſine Lege, ſine ordine, nec aliam unquàm Formam Animamque in eô Saniores agnoverunt, quam admirandam illam cœli terræque combinationem, quicquid aut Platonici de Spiritu Animaque Mundi, aut ipſe Stagirita de Intelligentiis ſuis, intellectum captumque prorſus tranſcendentibus, obtruſerint. Nec obſtat æquabilis illa & plusquam Geometrica temporum proportio, quâ ſive ſidera juxta Communem, ſive terra juxta Copernicum, motus ſuos tam exactè repetunt, ut vix horologium, licet artificio ſubtiliſſimum, intervalla ſua certius emetiatur, quæ citra formæ, ut loquuntur, aſſiſtentis, aut, ſi mavis, animæ ſubſidium vix contingere poſſe videbantur:

tur: quùm motûs hæc æqualitas, citra omnes, quas fingunt, intelligentias, à mechanicis & in ipsâ rerum Mundanarum Naturâ radicatis principiis, ſeu, ut hodie loquuntur, MOTUS LEGIBUS dependeat.

Non ingratum fortè erit, AUDITORES, ſi hôc, quô Sereniſſimorum Academiæ Fundatorum, memoriæ Glorioſiſſimæ, inſtitutis Leges & Statuta repetenda ſunt, tempore, pauca DE LEGIBUS ARTIS & NATURÆ, Artis inquam Naturam imitantis, h.e. Medicinæ, Vobis obtruſero & φαινόμενα quædam è legibus his fluentia, in communi tamen vita non evanida, hîc publicè deduxero & ita quidem duxero, ut ſi non Artis Oratoriæ, Naturæ tamen (utpote quæ paucis eſt contenta) ductum ſecutus, bonitatem veſtram & in audiendo patientiam, quam ad ſemihorulæ ſpatium ſubmiſsè expeto, in pretio habiturus eâque prolixis & ſterilibus verborum crepundiis neutiquam abuſurus ſim.

Cæterum Artis & Naturæ Leges traditurus ordinem ſequor naturalem ipſiusque 1. NATURÆ LEGES non tam moraliter, per omnibus connata Naturæ jura explico, ſed tenore Statutorum, intra Profeſſionis meæ limites conſiſtendò, per easdem in ſenſu Phyſico nihil aliud, quàm decantatas hodie & in caſtris Modernorum tantoperè famoſas Motûs Leges intelligo, quibus innumeris Artis & Naturæ phænomenis extricandis feliciſſimè utuntur. Enim verò ſi non omnium, plerorumque tamen, in Naturâ contingentium cauſas in diverſitate motus radicari, *Thomas Hobbeſius* ſibi primus obſervaſſe videtur, dum in Vita propriâ, ligatis verbis à ſe ipſo deſcriptâ, ita ludit:

Hinc eſt, quod Phyſicam quisquis vult diſcere, Motus
Quid poſſit? debet perdidiciſſe prius.
Ergò Materiæ Motusque arcana recludo &c.

Aſt jure veretur inclytus *Morhofius*, ne vel Epicurus, vel ad minimum Carteſius dicam illi ſcribant, qui utrobique ſuis jamdum annis omnia per motum in materiâ explicarunt. Et quidem ipſum quod attinet *Carteſium*, certiſſimum eſt, eundem quemvis

vis in Naturâ motum à principio externo, & ſi ad primam ejus originem recurrendum ſit, ab ipſô DEO deduxiſſe, utpote qui in primævâ rerum creatione motum rebus verbo ſuo *fiat* indidit & pro liberrimâ ſuâ voluntate usque dum conſervat: Cùm verò Lex unaquævis nihil aliud ſit, quàm determinatio voluntatis, ſive Divinæ, ſive Humanæ, hinc eô quidem ſenſu ordinem hunc in corporum naturalium motu obſervandum per Leges motus haud abſurdè exprimit, quas hujus intuitu ſimul Naturæ leges appellare liceat, cùm hæc nihil aliud ſit, quàm principium motus, in corporum texturâ indeque reſultante ad motum aptitudine conſiſtens. Eamus in numerum illarum, quas ternario ferè complectitur *Renatus*, ita ut 1. „ aſſerat, DEUM in primævâ creatione rebus indidiſſe motum, hujusque eandem ſemper quantitatem eſſe in Naturâ, cùm quodlibet corpus ſemper in eodem (quantum in ſe eſt) ſtatu perſeveret, & ita quod ſemel movetur, ſemper moveri pergat. „ Tribus illa fulcris innititur, quorum primam de DEO, motus Autore, partem ambabus omnes, nî Athei fuerint, manibus concedunt. Secunda verò, de eadem ſemper motus quantitate, nulla usque ratione demonſtrari potuit, cùm quæ de DEI immutabilitate adferunt, nequicquam hîc evincant. Licet enim DEUS T. O. T. M. in ſe & ſuâ Naturâ omninò ſit immutabilis, apertè tamen falſum eſt eundem nullam Creaturis mutationem indulgere. Mutavit ſanè primævam & Patriarcharum diſpoſitionem, civile quoque Judæorum regimen, quæ ſine dubio præviderat. Nec tandem ultimum regulæ membrum extra dubium eſt locatum, cùm magna inter ſtatum rei naturalem & violentum ſit diſtinctio, in quo poſteriori rurſus claudicat hypotheſis. Secunda, quam Naturæ vulgò tribuunt, in motu lex eſt: Omnem motum naturaliſſimè eſſe rectum, cùm ea, quæ circulariter moventur, à centrô ſemper recedere conentur. Aſt quam lubrico illa fundamentô nitatur; vel ex ipſius *Carteſii* aſſertis patet, quùm elementis ſuis motum circularem tribuat, qui utique naturalis erit, non violentus. Nec

exemplum de lapide, fundâ rotato, quadrat, cùm hujus preſſio & receſſio non in ipſô lapide reſideat, ſed ab elatere aëris & ætheris dependeat. „Quando verò in 3. Naturæ lege corpus in „motu alteri occurrens, ſi minorem habeat ad pergendum, quam „aliud ad reſiſtendum, efficaciam, reflecti vel deflecti: Sin ve„rò majorem, alterum corpus ſecum movere, & quantum illi dat „de ſuô motu, tantundem perdere exiſtimant: Illud oppidò adverſatur experimentis, omni, quod dicitur, exceptione majoribus, ſiquidem prius duo pendula, ex lutô induratô, in Chronoſcopio Hugenii, ſibi occurrendo ſtatim quieſcentia: Poſterius autem flamma candelarum deſtruit, cùm ellychnium alteri ardenti admotum flammam concipiat citra hujus imminutionem. Certiſſimam verò & in regendis C. N. motibus validiſſimam Naturæ legem admiranda corporum in motu conſtitutorum circulatio conſtituit, quâ, dum plena ſunt omnia, nequicquam moveri poteſt, niſi cedentibus ſibi invicem plurimis aliis, donec mobile ad idem, quod reliquerat punctum rediens, circulum, ſi non Geometricum, analogicum tamen dicitur abſolvere. Admiranda prorſus & non ſine ſtupore obſervanda ſunt, quæ non tantum in Naturæ circulis, ſed & Artibus Hydraulico-Pneumaticis, Naturam verè imitantibus, hâc circulationis lege accidunt, quod in ſiphonibus & antliis in vulgus etiam notiſſimis, ὀφθαλμοφανερῶς à quolibet obſervari poteſt. Notum quippe eſt, retractô in iisdem embolo, aquam aliosque liquores, contra propriam ſibi gravitatem aſcendere, id quod aut inſtrumenti ſuctioni, aut ineptisſimæ illi Vacui fugæ tribuunt, qui verbis, rerum pondere deſtitutis, magè, quàm veris rerum cauſis delectantur. Longè verò aliam & otioſæ Scholarum turbæ minus cognitam heîc latere cauſam, aëris ſc. retrocedentis preſſionem, vel exinde videas, quòd aqua in ſiphonibus & antliis non ad quamvis altitudinem elevetur, ſed utprimùm tringinta duorum, plus minusve, pedum altitudinem attigerit, inſtar Marpeſiæ cautis immobilem perſiſtere, licet embolus ulterius & altius urgeatur, idemque, quem

tanto-

tantoperè abhorrent, vacui metus adeſſe videatur. Hâc enim in ſtatione aqua in ſiphonibus adſcendens & aer extus premens in æquilibriô detinentur, ad quod fluida, ut ex mechanicis conſtat, ſponte ſuâ ruunt. Maximo & indicibili ſuô damnô hoc integra ſæpè regna, principatus & imperia, aurifodinis illuſtria, deplorant; dum ob irruentes aquarum ſubterranearum fluctus, omni, quam ante conceperant & hauſerant, ſpe deſtituuntur, quùm è Fodinis XVII. vel XVIII cubitos altitudine ſuperantibus nullis ſiphonum; antliarum ſimpliciorum & ſimilium machinarum ſubſidiis aquarum moles exhauriri poſſit. Teſtantur hoc Metallifodinæ Sereniſſimorum Haſſiæ Principum, cumprimis autem Gladebacenſes, in viciniâ olim celebres, quæ cum metallis etiam nobilioribus, auro ſc. & argentô confertim fuerint imprægnatæ (prout nummi Antiquariorum curioſi, inde conflati, adſtruunt) ita propter irruentes aquarum undas noſtris nunc diebus prorſus deſolatæ jacent, damnô Patriæ irreparabili. Nec abſimile quid in Niedercleenſibus, haud procul à Butisbacô, Fodinis accidit, quæ cum ♀ ſeu Cuprô priſtinis temporibus fuerint ditiſſimæ, adeò quidem, ut locupletatis inde civibus ad quamplurima Egenorum beneficia fundandumque Noſocomium non contemnendum, anſam & materiam ſuppeditaverint, ita ſimilis aquarum violentia jam à plurimis annis omnem ad eaſdem aditum intercluſit, donec haud ita pridem novô molimine, factis in radice montis cuniculis, aquarum exitum pleno declivique gurgite erupturum Miniſtri quidam Principales attentârint, quô ſucceſſu, dies propediem & tempora docebunt. Taceo quamplura in Hercynia Sylva metalliſque celebri Saxoniâ eandem ob cauſam derelicta minerarum antra, quæ divitias in alvei ſui alvo abſcondunt inexhauſtas, quas nulla uſquedum arte ſuffocatis quaſi aquis merſiſque cuniculis eripere potuerunt. Meditabatur quidem & cum vitæ ſanitatiſque diſpendiô noctes dieſque ſcrutabatur Machinam quandam, ex promiſſô Electorali 10000 Imperiales inde lucraturus Dn. Spenerus, Mathematum & Phyſ. Prof. quondam Hal-

 lenſis,

lenſis, ſed morte beatiſſimâ præventus, tantæ ſive Artis, ſive Theſauri Saxoniam Orbemque participem reddere non potuit, relictis tantum operis nobiliſſimi lineamentis, quibus ſuo fortè tempore colores, & fors quoque colophonem addent Fratres haud minoris indolis & ſpei. O utinam heîc decantatiſſimus Scholarum vacui metus infauſtas has fodinarum undas evacuaret: Utinam à vacuô abhorreret Natura? Aſt vereor, ne pumici citius lachrymas extorqueant, quam otioſa illâ vacui fugâ ſiphonum antliarumve ope torrentes ſubterraneos è mineris altioribus exantlare valeant. Hoc enim non Naturæ modò, ſed & Arti prorſus impoſſibile eſſe, elegantiſſimô nuper experimentô docuit Inclytus *Boyleus*, dum erectô Londini Britannorum tubo, XXX pedibus altiori, Bertiano haud abſimili, ipſique in tectò, hunc in finem conductô, Antliam Pneumaticam applicuit, quàm crebrius fortiterque exerceri jubens, cum adſtantibus D.D. *Walliſio*, *Wreno* aliiſque obſervavit, aquam nullô prorſus modô vique nullâ ultra XXXII pedes elevari potuiſſe, cùm in hâc ſtatione cum aëre externô æquilibrium obſervans circulum in motu hujuſque leges expediverit & expleverit. Et inde quoquē eſt, quòd raròarbores craſſiores, XVII ulnarum ſive cubitorum altitudinem excedere videamus, cùm ſuccus nutritius ab incumbente aere in tubulis fibrarum, utut anguſtiſſimis, altius evehi non poſſit; hocque non minus in causâ eſt, quòd curioſiſſimô aliàs & ſubtiliſſimô *Senguerdii* Prof. Batavi experimento fidem uſque denegem, qui in noviſſimâ Phyſices experimentalis editione novam proponit machinam, quâ valvulas in plantis æquè ac venis animalium ſibi reperiſſe videtur; cùm experimentum illud expectationi noſtræ non reſpondeat, neque valvulis his indigeat Natura, quæ jugi & indefeſſâ aëris preſſione & elatere ſuccos arboribus, etiam altiſſimis, ſubminiſtrare & citra regurgitationis metum in ſublimi detinere valet. Parallelô verò priorique Boylei experimento ferè analogô totum hoc negotium haud ita pridem in baroſcopiô Torricellii curioſis quibuſdam Academiæ

Civibus

Civibus oſtendimus, in quod mediante tubô æneô inflexô antliæ pneumaticæ applicatum ☿ ſeu argentum vivum nullô conatu vel labore ultra conſuetam 27 digitorum altitudinem urgeri poterat, manifeſtiſſimô indiciô ☿ cum aëre externô in æquilibriô conſtitutum, ut aquam 32 pedes emenſam (cui ut 1. ad 14. proportione habitâ reſpondet) omnem in motu circulum abſolviſſe.

Leviori verò, ſed culinari ferè Muliercularum experientiâ ejusdem legis & utilitas & neceſſitas oſtenditur in folle artificiali, ad ignem inſufflandum idoneô, qui lateribus utrinque diductis aërem ſibi vicinum locô movet, qui lege circulationis orificio impingitur, ita tamen, ut compreſſis iterum lateribus expulſus, priſtino loco reſtituatur; quâ duplici aëris circulatione, obſtructô follis orificiô, impeditâ, difficilima laterum & extenſio & compreſſio obſervari ſolet. Et iisdem circulationis legibus arduum Reſpirationis humanæ negotium perficitur, quod priori follis exemplô quondam dilucidavit Inclytus *Mayovius* Anglus, & ex eô nuperrimè *Schambergius* Lipſienſis, in elegantiſſimâ de Reſpiratione Læsâ diſſertatione. Quod enim laterum diductio eſt in folle, hoc ſterni coſtarumque expanſio in thorace, quâ in motum agitur aër circumfluus, donec prius ori, mox faucibus & pulmonibus illatus, indeque à Thoracis pondere concidente rurſus expulſus motu quodam circulari eò refluat, unde prius expulſus erat. Et hinc eſt, quòd Animalia quævis recipienti incluſa à primâ aëris per Antliam Pneumaticam exhauſtione fatiſcant, animam ducant & ni admiſſô ſubitò aëre ex Orci faucibus eripiantur, penitus emoriantur. Infinitis hæc exemplis demonſtrari poſſent, imprimis autem manifeſtiſſimâ illâ aquarum in Macrocoſmô & ſanguinis circulô in Microcoſmô, ad fontium vitæque perennitatem oppidò neceſſariis. Aſt vereor, ne veſtrâ, AUDITORES, bonitate nugis hiſce dudum ſim abuſus. Hinc tempori locoque mage commodis alia reſervans tribus adhuc verbis Leges Artis, Naturam imitantis, h. e. Medicinæ, pace veſtra ſubnectam.

Paucis, ſed nervoſis, easdem verbis includit optimus Senex, *Cous* ſc. dum *lib. de lege* ſcribit: „ Qui Medicinæ ſcientiam ſibi „ verè & aptè comparare volet, is horum omnium compos eſſe „ debet, uti Naturam nactus ſit, doctrinam, locum ſtudiis „ aptum, inſtitutionem à puerô, induſtriam & tempus. „ Quibus ſi pietatem morumque elegantiam, tanquam palmaria ſtatuta, junxeris, & hujus & illius vitæ promiſſionem habebis. Elegantiſſimô & ab Agriculturâ ſumptô ſimili hæc illuſtrat *Hippocrates*, cui non ſtudium tantùm Medicum, ſed & omnis vita Academica haud abſurdè comparari poteſt. Naturam h. e. indolem & ingenium agrum eſſe dicit, qui per induſtriam diſcentium veluti gravidatus feliciter beneque creſcendo maturos ſuo tempore fructus edit. Salutaria Doctorum præcepta ſeminis inſtar ſe habent, quæ non inania, nec immatura ſint, ſed judiciô ſuffulta. Inſtitutio à puerô tempeſtivæ ſationi reſpondet. Locus verò Diſciplinæ accommodatus aëri ambienti; quibus omnibus ſi Benedictionis Divinæ imber & irriguæ pietatis lachrymæ acceſſerint, non poteſt non meſſis expectari lætiſſima, ſaluberrima, ampliſſima. O feliciſſima Vitæ Academicæ Georgica! ô beatam eorum ſortem, qui legibus his obtemperando in timore DEI ſudoreque faciei indefeſſô ſerunt ſtudio, quò fructus abhinc & ferant & capiant uberrimos. Omnibus hæc dicta ſunto, nec Ἰῶν ἰατρῶν παῖδες legibus hiſce unicè ſunt obſtricti; quin & reliquarum Facultatum Studioſi, qui DEO, Patriæ, Proximo tandem inſervire Reique publicæ incrementa adaugere voluerint, illis obligantur, id quod ex LEGIBUS & STATUTIS ACADEMICIS, quæ juſſu Sereniſſimorum Athenæi hujus Fundatorum hodiernis Julii Calendis prælegenda ſunt, uberius percipietis.

Age igitur, Notarie Academice Publice, age! voceque clara & diſtincta *Tit. LXXV.* è libro Statutorum prælege. Vos autem, CIVES ACADEMICI Lectiſſimi, arrigite aureſque vacivas commodate.

Hic interponebatur Prælectio legum.

EPI-

EPILOGUS

Poſt lectionem Statutorum.

PErcepiſtis nunc, CIVES ACADEMIÆ NOBILISSIMI, quàm gratioſâ, quàm Paternâ curâ & clementiâ Sereniſſimi Lycei noſtri Fundatores, glorioſiſſimæ recordationis, de ſalute veſtrâ ſoliciti fuerint: Quantâ pietate, emphaſi & prudentiâ ſint ſancitæ Leges, quàm admirando hæreant fluantque nexu. Fluunt autem omnes è communiſſimis illis, & quæ omnium reverà cordibus ſunt inſcriptæ, Naturæ legibus, ut ſcil. honeſtè vivatis, neminem lædatis, & ſuum cuique tribuatis.

Honeſtè autem vivitis, ſi pietate infucatâ DEO tribuetis, quæ DEI ſunt, Principi quæ Principis: Si, quod ab initio vitæ Academicæ ſtipulati eſtis, reverentiam exhibeatis debitam Anteceſſoribus & Profeſſoribus: Si omnibus honorem exhibeatis promeritum; ita neminem ſimul lædetis, nec leviſſimas vellicationes inſtar calumniæ interpretando ad rixas, digladiationes & brutalem illam, imò brutorum ſævitiam ſuperantem Duellantium furorem dilabimini; & ita porrò ſuum pariter cuilibet tribuetis. Vitam fortunamque ſcil. tribuetis Commilitonibus, ſi famam illorum vitâ cariorem ſuggillationibus, injuriis & ſubſannationibus minus laceraveritis: Si omiſſis comeſſationibus ſanitati illorum nullum incommodum intuleritis: Si vitam, quam Deus illis tribuit, duellis illis plus quàm Diabolicis non eripitis. Suum tribuetis Parentibus Veſtris, ſi multô ſudore & labore parta ſubſidia & impenſas benè collocaveritis. Vobis ipſis denique multum tribuetis, veſtræque ſalutis fortunæque Fabricatores eritis, ſi monito Hippocratis obtemperantes agrum vitæ Academicæ ſedulò laboreque indefeſſô excolatis, quò fructus poſthâc uberrimos feratis & referatis. Nolite, quod pigri Agricolæ faciunt, (verbis utor Magni Alexandri apud *Curtium*) nolite inquam matu-

maturos fructus per inertiam è manibus amittere, ne, quæ nunc Vobis truditur (imò prorſus obtruditur) occaſio tandem calvâ fronte evaneſcat.

Tu autem, SUMMA TRIAS, DEUS PATER, FILI & SPIRITUS SANCTE, qui ordinis Legumque Fons & Autor es, qui numerô, pondere & menſurâ cuncta ſerie ſtupenda diſpenſâſti, da quæſo, ut in Athenæo noſtrô ordine & decenter fiant omnia, h. e. legibus conformiter. Protege Summum Statutorum Vindicem, Principem noſtrum Sereniſſimum Dominumque Clementiſſimum: Protege Auguſtiſſimam Domum Haſſo-Darmſtatinam: Protege Ludovicianam! Erige quæſo conceptam nuper, aſt nunc prorſus ferè decollantem, Pacis ſpem, ut emarceſcente Marte Studia Muſæque floreant perpetuò! ita Sanctiſſimo Tuo Nomini precum hymnorumque thura litaturi ſumus. TIBI SIT LAUS, HONOS ET GLORIA IN SEMPITERNA SECULA! DIXI.

DECLAMATIO PANEGYRICA III.

DE

PERIODIS MORBORUM.

Habita Giſſæ die 6 Jan. An. 1698.

Sub Abdicatione Muneris Rectoralis.

OBtinet antiquum, PROCERES ACADEMIÆ *Magnifici, Summè Reverendi, Conſultiſſ. Experientiſſ. Excellentiſſ.* CIVESQUE NOBILISSIMI, antiquum, inquam, obtinet novus, quem

quem haud ita pridem feliciſſimè auſpicati ſumus, annus, & juxta eum inexhauſta ac, quâ nihil antiquius habendum, omni die nova DEI Bonitas. Quemadmodum enim antiquiſſimum quodve veriſſimum, ita neque novus, qui ſic vulgò dicitur, annus, ſed annoſa dierum periodô recurrens temporum repetitio & qui principiô, mediô & fine caret, horarum circulus eſt. Adeò nihil ſub ſole novum, nihil in Macrocoſmô, nihil in Microcoſmô; nihil in Republicâ Civili, nihil in Republicâ Literariâ. Gaudeant ergò ſoloque Novatorum nomine ſibi plaudant ii, qui novis cotidiè hypotheſibus excogitandis ſtudent, veriſſimum tamen eſt, omnem Mortalium eruditionem, è noviſſimis etiam conſtantem, nihil aliud eſſe, quàm perpetuam in antiquâ fluctuatione innovationem, illudque quod ſcimus, eſſe minimum eorum, quæ neſcimus; & ah! ô! utinam! nihil omninò Nos ſcire gloriemur, præter JEſum circumciſum, JEſum inquam Crucifixum! Inflet ſcientia mundana, mox tamen, ut bulla aëre inſufflata, tenues difflatur in auras creperoque hiatu annihilatur tota. Neutiquam ergò vana, nec inania ſunt, quæ famoſus alioquin *Agrippa de vanitate Scientiarum* diſſerit, quam & Sacra Nobis Scriptura & ipſa rerum Magiſtra, Experientia teſtatur abundè, cùm vel ſola, quæ in omnibus fere Diſciplinis obſervantur, ſententiarum divortia, nil niſi meram ſcientiarum humanarum vanitatem dicant & incertitudinem.

Luculentiſſimum hùjus rei exemplum præbent tot circa Periodos morborum hypotheſes, in quarum cauſis indagandis, licet à primô Artis Medicæ exortu deſudarint Medici, ſubactiſſimô quoque judiciô ſuffulti, adeò tamen nihil profecerunt, ut vix probabilibus conjecturis hâc in parte ludant, ſibique non minus, quam aliorum credulitati, turpiter illudant. Videas hinc Viros Celeberrimos noſtris adhuc diebus toties in ruborem dari & tantùm non in pudorem reſolvi, quoties vel ipſi de hâc Medicorum cruce quicquam meditantur, vel ſub Morborum, febrium cumprimis, curâ à Plebejis rogitantur & Examen quaſi

Rigoroſum ſuſtinere coguntur, quùm præter verba, quæ datâ operâ ſæpe dare ſtudent, nil ſolidi heîc, aut certi ſuppetat, quô ſive ſibimetipſis, ſive aliis ſatisfacere poſſint.

Operæ hinc pretium merebor, AUDITORES, ſi occaſione novæ, quam nuper admodum metiri cœpimus, annorum periodi, difficilimum hoc, abſtruſiſſimum, imò Oedipo & Oraculô non indignum *De Periodis Morborum* argumentum excuſſero, & dum ſub abdicatione Magiſtratus Academici quædam è Profeſſionis meæ foro depromenda ſunt, varias (ſi pace Veſtrâ licuerit) variorum ætiologias, unà cum epicriſi ſuccinctâ in medium attulero, idque non tam periodicè ſeu periphraſticè, h.e. per ambages & trivia eundo, ſed methodicè & quoad fieri poterit, breviſſimè.

Enimverò de periodis affectuum p. n. dicturô varia primùm de morborum temporibus, initiô ſc. augmento, ſtatu & declinatione, recidivis item & ſimilibus, expedienda forent, ſi rem eâ, quam exigebat, prolixitate pertractare liceret. Aſt cùm ad clepſydram mihi perorandum ſit, aliaque quæ me ſive ſecutura, ſive ſecundatura eſt, Suada id diſſuadeat, ſine ulteriori verborum cumulô ad ipſas ſtatim morborum periodos me conferam. Primùm autem certum & extra omnem dubitationis aleam locatum eſſe cenſeo, plures dari morbos, ſtatis horis, diebus, menſibus aut annis recurrentes, quos Periodicos vulgò dicunt. Ita Cephalalgiam periodicam hinc inde legas in Practicorum caſibus. Epilepſiam periodicè recurrere, vulgus non ignorat. Hæmorrhagiæ quoque narium periodicæ, vere cumprimis & autumnô recurrentis, exemplum novi domeſticum. De fluxu verò hæmorrhoidnm periodicô rem puto & notiſſimam & certiſſimam eſſe in quamplurimis. Quammaximè tamen id in Febribus, tam Continuis, quam Intermittentibus videre eſt, dum in illis poſt aliqualem remiſſionem certis horis febris ingraveſcere, in his verò à totali intermiſſione, ſive ſingulis, ſive alternis, ternis, quaterniſve diebus paroxyſmatim repullulare ſtataſque horarum periodos tam

exactè

exactè repetere ſolet, ut vix horologium, licet artificiô ſtupendum, curſus ſui intervalla certius emetiri valeat. Horum ſanè φαινομένων cauſas dare, eaſque veras & indubias, heîc opus, heîc labor eſt. Hîc enim Medentum attolluntur humeri, inarcuantur ſupercilia & vel meditabundi in cœlum elevantur, vel profundis cogitationibus in terram defiguntur lumina, donec pro varietate principiorum varias ſibi cauſas fingant & effingant. Enimverò Antiquorum de circuitibus febrilibus opinionem fusè perſtringit *Helmontius*, *Tr. de Febrib. cap.* 3. quum ſtatorum inquit, circuituum cauſas Scholæ ajunt, quòd tantundem pituitæ generetur indies, quantum bilis alterna die & quantum atræ triduô. Scil. ut omnem ferè Praxin, ita & arduam hanc de Periodis febrilibus doctrinam antiquatæ dudum Humoriſtarum hypotheſi ſuperinſtruunt, dum circuitus febris quotidianæ â pituitâ, tertianæ à bile, quartanæ à melancholiâ deducebant, & prout hic vel ille humor, ſive in mittente (ut loquuntur) ſive generante parte majori in copiâ colligatur citiuſque putreſcat, eatenus periodi plus minus accelerari putantur. Pituitæ igitur cùm ſit magna in corpore copia, eam citius coacervari & putreſcere, aut in parte aliquâ colligi, & inde ad alias partes, in quibus putreſcat, mitti, & ita ſingulis diebus exacerbationes inducere ajunt. Bilis autem, cùm non ſit tanta in corpore frequentia, neque tam citò ſive colligatur, ſive putreſcat, eam etiam tardius ad excretiones ſtimulare & non ſingulis, ſed alternis diebus paroxyſmum excitare exiſtimant. Qua ratione & melancholiam quartô quavis die moveri cenſent. Alii rem non tam à motu, quàm naturâ humorum, eorumque citiori vel tardiori deflagratione, deducunt, ſicut ſententiam illorum fusè recenſet & examinat *Sennertus lib. de febr.* Aſt quacunque ratione ſe explicent, non tamen immeritò indignatur *Helmontius*, quòd Scholæ quintum humorem pro quintanâ non finxerint, neque dimidiatum ſeſquialterum pro hepialâ & hemitritæis: Duplatam item bilem neglexiſſe pro tertianâ duplici, nec meminiſſe duplatæ atræ bilis pro

(C) 2 duplici

duplici quartanâ: Non inveniſſe humorem erraticum ac incertum, pro febre pigrorum lentâ. Sed ut de ſeriis ſeriò, citra jocum, citra ſarcaſmum, Helmontio familiarem, agamus, hypotheſis hæc non tantum arduum hoc Periodorum problema non explicat, ſed & plurimis, & quidem inextricabilibus difficultatibus ſcatet, cùm explicare non poſſit febrium duplicationem, triplicationem, immutationem, cum Tertiana ſæpè in Quartanam abeat; & cur illi, quibus præcordia pure & pituita ſunt referta, non tam quotidianâ tentantur, quàm hectica? Cur icterici non ſimul Febri Tertianâ, Maniaci Quartanâ laborant? ut taceam aliorum, ſuprà enumeratorum morborum, periodos, humoribus hiſce neutiquam expediri, ut mirer Celeberrimum N. N. Carteſianum aliàs acutiſſimum, huic Scholarum figmento quoque ſubſcripſiſſe. Miſsô ergò *Galeni* delirio, jam ad fumantes *Paracelſicorum* caminos reſpiciamus, & quid in furnis ſuis hâc de quæſtione legant, obſervemus. Aſt vereor, ne & heîc nebulam pro Junone, fumumque pro luce captemus. Prorſus enim ridicula eſt, quam *Scheunemannus* ad Paracelſi mentem effingit, opinio, dum Tartarum cum ſulphure excrementitiô, Mercuriô item & ſale in præcordiis coagmentari & in globum lapidi bezoardico ſimilimum abire cenſet, qui pro numerô & varietate tunicarum, ex quibus conſtat, paroxyſmos febriles dimetiatur. Quis enim unquam globum ejuſcemodi fictitium obſervavit? & quis inde veras periodorum cauſas deduxerit? Proinde alii, quibus non ſatisfaciebant Galeni & Paracelſi figmenta, Aſtrologiam vocârunt in ſuppetias, eò, quod febris ſtatis horis ſubinde recurrat. Sed & hi alliduntur ad anguſtias, cum omnibus horis incipiant febres, itemque horis aliquot retardent aut anticipent, imò per aliquot vices ſileant & obdormiant. Ut taceam alios in dubium vocare ſuperiorum ſiderum influxum, ut adeoque non valeat exemplum, quod litem lite reſolvit. Quæ tandem è *Cranii* ſcriptis de fomite febrili, inter valvulas vaſorum hærente, in medium adfert D. N. N. vix majori probabilitate gaudent; & licet febrium inter-

intermiſſionem quodammodò explicent, periodos earum tamen adeò non expediunt, ut potius eaſdem obſcuriores reddant. Paulò propius ad ſcopum accedunt illi, qui tum intermiſſionem, tum periodos febriles ab æquali materiæ febrilis ſive collectione, ſive putredine deducunt, ducti exemplô *Carteſii*, à fœnô madidô deſumtô. Quemadmodum enim fœni madidi portiones æquales, diverſis licet in locis, eodem ferè tempore incaleſcunt & tandem accenduntur, (id quod à materiæ ſubtilis incarceratione & ſubſequenti expanſione ſequaces Ejus deducunt) ita à nutrimentô depravatô indies relictæ cruditates iiſdem ſemper horis computreſcentes periodos febriles determinare ſtatiſque horis accendere fortè poterant; quæ opinio vel exinde haud exiguam ſibi probabilitatem promittere poſſet, quod tantùm non omnes febres ex Diætæ vitiis ſuboriantur, fameque ſæpè abigantur. Unde præter Carteſianos fere omnes *Williſius* pariter, *Sylvius*, *Ettmüllerus* & alii à ſententiâ hâc minus alieni ſunt. Aſt quàm plauſibilis etiam primâ videatur fronte, vix tamen omnem difficultatem videtur exhaurire, quum Paroxyſmi febriles plures & innumeras ſæpè periodos reciprocent, licet omnis omninò fomes & materia febrilis è corpore ſit eliminata. Cogitate purgantia, ſudorifera, alterantia, decocta longa & ſimilia, quibus Antiqui olim febricitantes non tam curabant, quàm vexabant. Perpendite Vomitoria, quæ Moderni ſpecificis præmittunt & vix credibile erit, aliquid adhuc de fomite in primis reſtare viis; nec appetitus plerunque proſtratus & exactiſſima, quæ præſcribitur, Diæta, novum illîc cumulum generari patietur. Nihilo tamen minus quamplurimis, ſi non menſibus & ſeptimanis, diebus certè febrium periodi recurrunt, certiſſimo indiciô eaſdem longè aliam, quam in humoribus & microcoſmi ſuccis hactenus quæſitam cauſam agnoſcere. Et quid de convulſionibus febribuſque periodicis, à meris animi affectibus, in corporibus cætera ſanis ſubitò obortis & periodicè ludentibus dicendum? in quibus nullum humorum p. n. apparatum concipere licet. Teſtantur enim

Caſuiſtæ & obſervationum Collectores ipſaque confirmat experientia, ſæpiſſimè à nauſeâ, terrore, irâ aliiſque affectibus vehementioribus morbos periodicos oriri. Epilepſiam ſanè à viſô ſpectrô per terrorem obortam *Wedelius* obſervat. Tertianam à terrore per tonitru ſubitaneum inductam, in Philiatrô quodam ipſimet mihi & obſervare & curare licuit. Quid quod & terrore ſæpiſſimè curentur funditusque eradicentur periodi febriles, quô materiales ejuſmodi & craſſiores humores neutiquam aut expelli, aut aliô quovis modô ſubigi poterunt. Et quis ſciverit, annon vomitoria immediatè (& quod nonnulli ſolent) ante paroxyſmum exhibita non terrendo magis, quàm evacuando febrim tollant, quatenus archæo, h. e. Spiritibus, impetum facientibus violentâ ſuâ vellicatione & ventriculi ſubverſione terrorem quaſi incutiunt & à ſolitis motibus in aliam, eamque regiam quaſi, viam præcipitant. Nec aliâ ratione tot amuleta & extus à vulgô appenſa periapta febres tollunt, niſi quod certâ, quâ ægri in eadem feruntur, confidentiâ archæum contra curſus periodicos quaſi muniant, h. e. inclinationem ad motum febrilem in ſpiritibus tollant, ne ſuetos hactenus motus p. n. ulterius repetant & reciprocent. Quid enim efficerent, aliud novem lignorum ſpecies, à Mulierculâ quadam hactenus appenſæ? Quid aliorum Thraſonum characteres atque ſchedulæ, cum turpiſſimis illuſionibus dicam an inſcriptionibus verborum: *Hilffts nichts, ſo ſchadts nichts.* Vel: *Fuchsbelz und Kohlenfeuer iſt gut vor das Frieſen:* Ita ſc. & in forô Medicô fides ſalvificat, ſiquidem fides eſt dicenda deteſtanda Vulgi ſuperſtitio. Nec alia ratione Medicaſtri & omni ſcientiâ deſtituti, ſolâ, quam in miſeris de ſe accendunt, opinione & fiduciâ curando ſunt felices, ut veriſſimum ſit vulgare illud: Is plurimos curat, cui plurimi fidunt. Sed ut in viam redeamus, ea Nobis Sententia hæret, quòd febrium aliorumque morborum periodi non tam in craſsâ quadam & palpabili materiâ radicentur, ſed à merô & automaticô ſpirituum & Archæi motu, vel ſi mâvis, propenſione ad motum, deducendæ

•endæ ſint, id quod cum *Helmontio*, *Marco Marci* & aliis per ideam ſpiritibus impreſſam vulgò exprimunt. Hanc enim non tam in fictitiâ quadam imaguncula, in iisdem depictâ, nec in motu eorum actuali, ut *Croonius* apud *Williſium* cenſet, ſed in motu quaſi potentiali, h. e. propenſione, & ut *des Cartes* ſæpè loquitur, inclinatione ad motum conſiſtere, probabile videtur. Equidem optandum eſſet, ut hæc omnia ſpecialius & apertius exprimere valeamus, in quibus acutiſſimis & Argo quoque oculatioribus uſquedum aqua prorſus hæſit, cùm ſpirituum animalium, ſenſus omninò fugientium, ſtatus uſquedum fere incognitus ſit, de quô ſpecioſô hujus tituli commentariolo nuper *Elias Camerarius* Profeſſ. Tubingenſis. Quia tamen à quamplurimis hactenus ſpirituum ſubſtantia aut flammulæ vitali, aut lumini comparata fuit: Ipſa autem flamma, altum petens, in gradus quosdam & plicas quaſi formata facilius movetur, & ſi craſſiori vel Minervâ vel exemplô declarare licet, charta ſemel complicata, in easdem plicas facilius relabitur, ut in laternis puerorum chartaceis videre licet; ita ſimilis fortè plica & undulatio qſi flammiformis, à fermentô febrili ſpiritibus quoque affricatur, quâ ad motum illum, quem in primô febrium inſultu obſervârunt, ſæpius reciprocandum inclinantur & quaſi neceſſitantur, idque in debiliori illorum conſtitutione quotidiè, in firmiori alternis diebus & ita porrò. Quamprimùm verò vel per univerſalia fortior ſpiritibus motus fuerit impreſſus, vel per ſpecifica conſuetus rurſus inducitur, febris ipſa ceſſare & curari videtur. Fuſius hæc & clarius fortè explicari poſſent, niſi filum heîc abrumpere jubeat alia & ab his diverſa periodus, *Periodus* ſc. *Academica*, quâ redeunte in circulum annô, juxta Academiæ hujus Leges & Statuta, ipſiſſimis Calendis Januarii, novum Academiæ Caput eligendum æquè ac conſtituendum erat. Scilicet non tam continuos, quàm intermittentes affectus imitatur officium Rectorale, quod ſi non animi quidam morbus, onus tamen eſſet inſupportabile, ſi non, exacta ejusdem periodô, novus reſpirandi lo-

cus

cus eſſet. Multa quidem, imò infinita ferè ſunt Divinæ Bonitatis argumenta, quæ durante Rectoratus mei curriculô LUDOVICIANÆ noſtræ contigêre, ſive jam Docentes, ſive Diſcentes conſideraveris. Illîc ſc. Doctoribus & Profeſſoribus omnis eruditionis genere Celeberrimis de novô aucta eſt; *Bötticheris*, *Rûdigeris*, *Arnoldis*, *Mollenbeciis*, *Langiis*, æternitati jamdum operantibus: Heîc vero tot Civium, ex parte quoque Illuſtrium, imò Illuſtriſſimorum acceſſiones ſenſit, ut numerus eorum centenarium etiam exſuperet, quem & feliciora magiſque pacata annorum curricula raró ante attigêrunt. Non dicam de Speciminibus, à primâ Academiæ hujus Reſtauratione nondum viſis aut auditis: Panegyricis ſc. tot Sereniſſimorum Principum, Comitum, Baronumque præſentiâ Illuſtribus: Diſceptationibus & Declamationibus Hebraicis, Arabicis & ſimilibus. Quæ omnia pace, qualicunque tandem, in Europâ reſtituta coronavit Princeps pacis, JESUS Mediator noſter, poſtquam illuſtre hoc Lyceum toto hocce bello decennali ab invaſionibus & injuriis Martialibus immune hactenus præſtiterat. Interim & adverſis quibusdam decantatam modò anni felicitatem diſtemperare voluit temporum hominumque invidia, quùm tot rabioſa & plus quàm ferina nonnullorum duella tandem in deplorandum & omninò tragicum homicidium deſiêrunt, quo Civis Academici, cæteroquin non adeò mali, cruore ad cœlum nunc clamante, deturpata fuit Academia, quem tamen non inultum ſinet Jehova, juſtitia noſtra. Taceo alia, vix coercendæ amplius, juventutis Academicæ carcinomata; quibus adeò, ſi non exagitatus, agitatus tamen fui, ut lætiſſimô nunc animô Academica, quæ hactenus mihi concredita fuêre, ſceptra deponam & reſignem. Depono autem eadem in humeros Viri Summè Reverendi, Ampliſſimi & Excellentiſſimi Dn. JOHANNIS CHRISTOPHORI BILEFELDII, Eccleſiarum, quæ Chriſto in Agrô Darmſtatino æquè ac Giſſeno colliguntur, Præſulis & Superintendentis venerandi, Concionatoris Aulici Supremi, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſo-

Aſſeſſoris & Profeſſoris Theologi Primarii :. Theologi Conſummatiſſimi ; qui , ut paucis abhinc horis , unanimibus Procerum Academicorum punctis & ſuffragiis, in Caput LUDOVICIANÆ noſtræ eſt electus , ita Eundem nunc RECTOREM ACADEMIÆ Magnificum renuncio, renunciatum proclamo & ab omnibus Athenæi Noſtri membris pro Capite ſuo & Magiſtratu legitimô haberi jubeo.

Tu vero ſalve , RECTOR ACADEMIÆ Magnifice, ſalve, & quæ Totius Senatus Academici nomine Tibi porrigo Infulas & *SCEPTRA* ſuſcipe. Sceptra Regalis dignitatis ſunt indicia , quâ non Sacratiſſimi modò Imperatores Academias inſignire , ſed & ipſe DEUS Scholas Publicas illuſtrare voluit , quùm inter ἄρχοντας recenſuerit Earum Anteceſſores ; quâ de cauſâ neque Principes Dignitatem Rectoralem declinare ſolent, ſed ſacratiſſimâ Perſonâ ſuâ illam ſæpiſſimè illuſtrarunt , id quod haud minimum argumentum eſt , quô præter *Cruſium* , *Middendorpium*, *Lanſium* & alios prærogativam ejus adſtruit *Conringius de Antiq. Academ.* Bina autem ſunt Sceptra illa, quò , ut duplici, amoris ſc. & doloris , virgâ ſe inſtruebat Zacharias Propheta, ita duplici , gratiæ ſc. & doloris ſceptro ſit inſtructus Rector Academiæ , ut inſontes & ingenuos unô protegere , alterô vero protervos & malevolos refrænare , ac ut Meſſias , impios virgâ ferreâ, contundere valeat. Ad utrumque normam & formam præſcribet *LIBER STATUTORUM* , qui Lesbia quaſi regula eſt , qua diſciplina Scholaſtica , (quæ animam quaſi Academiarum conſtituit) conſervari debet. Addo tertio *MATRICULAM* , ut Oves Tibi concreditas ſemper in numerato habeas, Easque Paſtoris inſtar Boni , propriô nomine compellare poſſis. Porrò *SIGILLA* offero , *MAJUS* & *MINUS* , quò priori Edicta publica , Programmata aliaque majoris momenti negotia promulgare : Poſteriori vero literas peregrè mittendas aliaque teſtimonia , nonniſi Dignis concedenda , roborare valeas. En & *CLAVES ad CONSISTORIUM*, quô ſi ad Senatus Academici

clavum ſit ſedendum, Proceres ad Synedrion convocare & de publicis, ſi opus ſit, negotiis conſultare valeas. Abhinc *ALIAS AD ÆRARIUM* (cui Summus ille Promus Condus benedicat) *PUBLICUM*, ut exinde, tanquam è cornu copiæ ſubſidia alendis Profeſſoribus ſufficientia haurire & Egenis ſimul ſuccurrere valeamus. Ultimò tandem *CLAVEM MALÆ MANSIONIS* quoque addo, quâ effrænem & indomabilem proh dolor! Studioſæ Juventutis pervicaciam inhibere, & ſicubi vocationis ſuæ carceres exceſſerint, carcere & cancellis Eos coercere valeas. DEUS verò, qui omnis boni ordinis fons & Autor eſt, *Novum* hunc *Academiæ Rectorem Magnificum*, tanquam Lycei noſtri Salomonem, Spiritu Sapientiæ & Fortitudinis inſtruat, ut omnia tum conſilia ejus, tum Inſtituta vergant in Divini ſui nominis devenerationem, Principis gloriam & Celebritatem Academiæ nunquam intermorituram! Tibi ô Ter Sancte DEUS! ſit LAUS, HONOS & GLORIA, IN SEMPITERNA SECULA!

DIXI.

DECLAMATIO PANEGYRICA IV.

DE

FASTIDIIS RECTORATUS ACADEMICI.

Habita Giſſæ die 1 Jan. An. 1700.

cùm ſecunda vice Faſces Academicas ſuſciperet.

ITa eſt, ANTECESSOR MAGNIFICE, ita, inquam, eſt, quòd ægrius longè acceptetur, quàm deponatur Munus Rectorale.

ctorale. Quò lætiore ergò mente fronteque magis explicata Faſces Rectorales abdicaſti, & quò triſtius futuris temporibus modò prognoſticon ſtatuiſti: Eò triſtiori & invitô magis animô easdem jam ſuſcipio. Novi enim & expertus novi, quantæ moleſtiæ, quanta incommoda illis ſint conjuncta, quibus nullus omninò, ſe ſubducere valet, quicunque munus iſthoc gerendo conſcientiæ non minus, quàm boni publici rationem habet; ut non mirum eſſet, ſi cui ordine votisque ita ferentibus, Sparta illa imminet, ſive cum Saule, ſiue cum Diogene retro dolium ſe abſconderet.

Quid enim SCEPTRA hæc & SIGILLA, niſi ſplendida miſeria? Quid niſi pilulæ inauratæ, quæ licet ſplendore ſuô primùm oculos effaſcinent & ſalivam quaſi moveant, mox tamen amaritiem, quam intus recondunt, non ſine labii tremore exſerunt ac palato affricant. Sceptra venerationem exigunt & obſervantiam, ſaltem eorum, qui Lyceis & Academiis illa conferunt, reſpectu. Aſt quàm exigua illorum veneratio obſervetur, reliqua, quæ Infulas haſce comitantur, monumenta arguunt: LEGUM ſc. & STATUTORUM LIBER, CLAVES AD CONSISTORIUM & ſimilia, quibus effrænis Eorum, qui neque Principum inſignia, neque Legum rigorem verentur, audacia & moroſitas coercenda eſt. Quam verò ſic gratiam penes Illos ineamus, ſcabioſa ſeculi protervia teſtatur, quæ non tam criminum, quàm Statutorum Rectorumque rigorem incuſat, neque de culpæ, ſed de pœnæ, quæ iure meritoque dictabatur, acerbitate conquerentes Prævaricatores querulis ſuis, imò & injurioſis verbis compita non minus, quàm Compotorum angulos replere ſolent; adeò verum eſt, quod Cicero alicubi conqueritur, dum *nimis multa*, inquit, *audire coguntur, neque aliter facere poſſunt, quibus tota commiſſa eſt Reſpublica*, adde *& Academia.*

Neque ſola hæc & unica Magiſtratus Academici calamitas eſt, ſed & altera nunc accedit, ſumma ſcilicet, temporum injuria caritas annonæ, & quæ rerum gerendarum nervus eſt, pecuniæ

defectus, quarum altera in cauſâ eſt, ut ſterilis & à Civibus deſolata ſit Academia: Altera verò reditus, unde victitant Docentes, incertos & tardiores efficit, ut neque MATRICULÆ, neque ÆRARIO PUBLICO, quæ utrobique ſimul heîcce demandata ſunt, pingues & opimæ hôc annô acceſſiones ſint futuræ.

Nec, quod propius me concernit, reticendum erat, quòd cum à prioribus, quos ante biennium hôc ipſo in locô abdicavi, laboribus Academicis vixdum hactenus reſpiraverim, verear omninò, ut humeri mei oneri huic ferendo pares ſint.

Aſt verum enim verò, ſicut illîc malorum proterviæ non facilè cedendum, ſed audacius contra eundum eſt; ita hîc Divinæ Providentiæ omnia committenda ſunt, quæ uti hactenus clementiſſimis benedictionis ſuæ radiis Academiæ Noſtræ largiter affulſit, ita porro etiam ſufficientia ſubſidia & adminicula ſuppeditabit, meæque imbecillitati paternè ſuccurrendo robur dabit laſſo, viresque non valenti.

Quapropter in Sacro-Sancto Ejus Nomine jam ſecundâ & fortè ultimâ vice in me ſuſcipio Faſces Academicas, modò gratias primùm egero Magnificentiæ Tuæ, VENERANDE DOMINE ANTECESSOR, quòd tantâ cum dexteritate tantaque prudentiâ hactenus Muneri Rectorali præeſſe, & per integrum anni, feliciſſimè nunc elapſi, curſum pro Academiæ hujus celebritate æquè ac incrementis quàm ſollicita eſſe voluerit; & quemadmodum M. T. de exantlatis tot moleſtiis jam totius Senatus Academici nomine publicè congratulor, ita ſimul Deum veneror T.O.M. ut votis hodiè Tibi nuncupatis clementiſſimè pondus ineſſe Tuamque Magnificentiam cum Splendidiſſimâ Familiâ in ſeram poſteritatem ſalvam & incolumem ſervare velit, quò pluries munere hocce publicô impoſterum defungi, & unà cum Academiâ inclutam Nominis ſui famam æternitati conſecrare valeat.

Non minores autem reliquis, quos circumcirca veneror, Proceribus Academicis, gratitudinis cumulos perſolvo, quòd ſub Electione Conſiſtoriali teſſeris ſuis atque calculis unanimibus ſuam

mihi

mihi benevolentiam de novô conteſtari non dubitaverint, eoque ipſô documentô quôdam publicô, non diſplicuiſſe ſibi meam, quam ante triennium in Res Academicas impendi, operam, ſimul aſſerere voluerint; quam ut Bono Publico nunquam non devovi perpetuam, ita mea inſimul officia omnibus & ſingulis ad nutum ſtabunt paratiſſima.

Tandem & VOS, CIVES Academiæ Lectiſſimi, ſine allocutione abhinc dimittere non licet; videor enim mihi nonnullos nimium, quô in priori Rectoratus mei anno uſus ſim, rigorem ob oculos Vobis ponere, & neſcio quem timorem incutere. Aſt cogitate, me eô quidem tempore, ceu Philoſophum ad Clavum Academiæ ſediſſe, Legesque Academicas in rigore Philoſophicô ſumſiſſe, & prout Sereniſſimi Nutritoris præſentia, conſcientia propria & tranquillitas publica exigebant, explicaſſe. Quodſi ergò quis dolorem inde ſenſerit, eundem non illi, qui ulcus tetigit, ſed materiæ peccanti intusque latitanti adſcribat, oportet. Neque enim bonos unquam & genuinos Cives Academicos de me conqueſtos eſſe memini, ſed homines quosvis perditiſſimos & nequiſſimos, ſi quidem homines vocandi ſunt Scholarum excrementa & ad furcam parata carcinomata. Vos, Cives Nobiliſſimi, aliud à me expectabitis, præcipuè eô, quô ut Medico Faſces Academicæ mihi offeruntur, anno, quove methodo in Forô Medicô conſvetâ fors uſurus ſum.

Duplici autem methodo agunt Medici, quarum alterâ ſanitatem præſentem conſervant: Alterâ labefactatam reſtituunt. Utraque obſervanda erit: Priori Generoſos, Probos & Solertes, h. e. Veros & Genuinos Cives Academicos curandos ſuſcipiam, quibus omni benignitatis, humanitatis & officiorum genere ita complacere ſtudebo, ut, ſi fieri poſſet, Eos vel manibus hiſce portaturus ſim.

Reliquos autem ab hiſce degenerantes, h. e. Moroſos, Impios & Flagitioſos alterâ, ſcil. Methodô Therapeuticâ in integrum reſtituam, in quâ à lenioribus ad fortiora & draſtica procedunt

 Medici,

Medici. Quemadmodum ergò iuxta monitum Hippocratis, hîc omninò obſervandum, ea, quæ medicamenta non ſanant, ferrum ſanat; quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat &c. ita Eosdem blandis primùm & leniſſimis admonitionibus in viam reducere ſtudebo, quibus irritis, ad ferrum, h. e. clathra & CARCEREM, cujus CLAVES hîc ſimul oblatos video, erit deſcendendum: Hisque non juvantibus, tandem igne & aqua refractariis interdicendum, h. e. Relegationibus, Excluſionibus & Proſcriptionibus iidem, tanquam emeticis quibuſdam aut cauteriis eliminandi erunt, ſiquidem ulcera fœtida ægrorumque intemperantia crudelem faciunt Medicum.

Vos autem, GENEROSA PECTORA, ita Vos geretis, ut extremis hiſce remediis non indigeam. Hoc enim me ſperare jubet Indoles Veſtra, ad omnia Virtutum genera verumque eruditionis decus jam anhelans & compoſita.

Faxit Summus ille Deus, ut quæ ſub medio ſeculi, mox effluxuri, feliciter cœperat ACADEMIA LUDOVICIANA, ſub ætate ejusdem ſeculi decrepitâ rejuveneſcat ut Aquila: Faxit, ut novô flore induatur & in continuâ celebritate, ſub Auguſtiſſimô regimine Nutritii Sereniſſimi floreat perpetuò! Floreat & æternùm floreat Illuſtriſſima Domus Haſſo-Darmſtatina! Floreat Univerſa Patria! Floreat Academia! Floreant Docentes! Floreant Diſcentes! ita fiat Deus Bone faxis, fiat!

DIXI.

DE-

DECLAMATIO PANEGYRICA V.

DE

MEDICINA ILLEGALI & SUPERSTITIOSA.

In Acad. Giſſ. Prælectioni Legum Solenni præmiſſa,

Die 1 Julii Anno 1700.

ILLUSTRISSIMI DOMINI COMITES, VIRI MAXIME-REVERENDI, CONSULTISSIMI &c. &c.

IN *verbis, herbis & lapidibus magnam latere vim*, ſpecioſô hujus tituli commentariô oſtendere ſategit *Joh. Baptiſta van Helmont*, magnus (ut audire geſtit) per ignem Philoſophus. Aſt

- - - - *medio tutiſſimus ibis,*
- - - - *medium tenuere beati!*

Medium autem herbæ occupant, amœniſſimo hoc æſtatis tempore in flores ſe induentes, in quibus utique non contemnendam ad edomandos affectus p. n. efficaciam latere, præter experientiam eleganter quondam *Itterus*, tum propriâ, tum filiorum eruditione Celebris, expreſſit, quùm Archiatro Haſſo-Darmſtatino, *D. Schrœdero*, *Pharmacopœiam Medico-Chymicam* ſcribenti, accineret:

Herbis, non verbis, Medicorum eſt pellere morbos,
Herbis, non verbis, fiunt medicamina vitæ,

Her-

Herbis, non verbis fiunt unguenta ſaluti,
Herbis, non verbis redeunt in corpora vires.

Nec aliud ſacra pagina intendere videtur, quando DEUM T. O. M. medicinam de terrâ creaſſe docet, quâ non tam mineralia, naturæ hominis non æquè proportionata, quàm potius herbas, frutices & arbores indigitari, vero quàm conſentaneum videtur. Dolendum autem eſt nobiliſſimum herbarum ſtudium ab Anteceſſoribus noſtris juſtò negligentius excultum fuiſſe, cùm à diebus *Dioſcoridis* (ut ante laudatus *Helmontius* conqueritur) adeò nil increverit ars herbaria, ut nonniſi herbarum iconibus, nominibus atque faciebus plantarum, ab ipsô traditis, utrinque duntaxat diſputari, nil verò proprietatum, virtutum ac uſuum priori inventioni adjectum eſſe obſervemus; quapropter non ſine causâ vileſcere illi cœperunt, non quidem herbæ (pentacula divini amoris) ſed Herbarii. Anſam huic negligentiæ fortè dederunt Seplaſiarii atque Ciniflones Chymici, qui, neſcio quô inſtinctu, ſapientiam pluſquam Divinam cum Protoplaſtô affectando, ſeparare non dubitabant, quæ admiranda venerandaque Dei omnipotentia conjunxerat. Hinc mox aquas inde deſtillabant, quæ nil niſi ſudor & udor ſunt herbarum, omni virtute craſique ſeminali deſtituta: Mox in extracta condenſabant, h. e. mellagines omni ſpiritu & volatilitate caſſas: Mox in ſalia cremabant, ſpecificâ, ut loquuntur, qualitate & virtute orbata: Mox in magmata & pultes aliaſque compoſitiones ſeſquipedales conquaſſabant, cœlumque terræ commiſcendo virtutes illarum non tam exaltabant, quàm obruebant; ut mirum non ſit, tot morbos incurabiles (à *Seidelio* ex profeſſô enumeratos) non ſine opprobriô & dedecore Artis, reperiri, quibus ſine dubiô ſua quoque in herbarum theſaurario antidota recondidit Sapientiſſimus omnium Creator. Scelus ſanè deteſtandum eſt (verba ſunt *Cratonis*, trium Impp. Archiatri) curare per compoſita, ubi ſimplicia ſuffecerint. Hæc autem plerunque ſufficere, imò longè plura magiſque glorioſa, quàm varia inde conſarcinata Compoſita

ſita præſtare, non ſine fœnore Medicorum ipſa teſtatur experientia. Solô certè Cortice Peruvianô tot librarum millia in Galliâ quondam lucrabatur *Talbotius* Anglus, quum ne teruncium quidem eſſentiis, ſalibus, mixturis atque bolis ſuis reportarent alii, purgando, ſalivando & clyſterium donando Celebres Medicaſtri. Solâ quoque linaria, herbula viliſſima & ab omnibus inſuper habita, taurum annuatim merebatur Archiater Haſſiacus *D. Wolffius*, quùm alii unguentis ſuis & linimentis, ex eadem linariâ paratis, ne hilum proficerent. Taceo ſingulares & ſpecificos effectus Cinnamomi in Ventriculi, cordis & uteri infirmatibus: Scrophulariæ in hæmorrhoidibus furentibus: Croci in morbis pectoris: Bellidis in inflammationibus internis: Hederæ terreſtris in ulceribus viſcerum: Cochleariæ in ſcorbuto &c. Hinc multa anus, ſimplicibus contenta, felicior ſæpe eſt omni Medentum catervâ, majoreſque propediem acceſſiones dubio procul ſentient Artis Medicæ pomœria, poſtquam noſtris diebus ſtudium herbarum felicius & majori cum fervore tractari cœpit, cùm nova, quæ nunc *à Moriſono, Rajo, Ammanno, Hermanno, Camerariô, Nebelio* & aliis calcatur methodus, non tantùm ad dignotionem & diſtinctionem herbarum magis apta nata ſit, ſed & ad vires illarum detegendas quamplurimum contribuat, ut in eleganti, *de convenientiâ plantarum in fructificatione & viribus*, diſſertatione haud ita pridem Dn. *Rudolphus Jacobus Camerarius*, Comes quondam Itineris mei dulciſſimus, oſtendit. Quod II. Lapides concernit, neque in illis magnam vim latere ivero inficias, cumprimis animalibus, lapide bezoartico utroque, lapide porcino, ægagropilis, oculis ♋ & ſimilibus; cùm quæ de Gemmis aliiſque mineralibus nonnullis lapidibus tradunt *Plinius* & alii, rationi & experientiæ adeò non reſpondeant, ut manifeſtam potius ſuperſtitionem ſplendidaque commenta ſapiant. Quis enim tam veſanæ mentis erit, ut adamantem conjugum amorem phyſicè conciliare: Smaragdùm ab actu adulterii: Turcoidem à caſu: Rubinum â triſtitiâ & peſte præſervare crederet?

niſi fortè characteres, ſculpturæ & figuræ Taliſmanicæ acceſſerint, quæ tamen Diaboli magis, quàm lapidum virtute agunt, &, *Bootio* teſte, primum ad Magiam gradum efficiunt. Quid verò III. de verbis? an & hiſce vim quandam Medicam, eamque naturaliter agentem, ineſſe dicendum? Equidem ita non tantùm inerudita plebecula, ſed & Medici quidam Antiquiſſimi, *Alexander Trallianus*, *Marcellus*, *Nonius*, *Dioſcorides*, *Serenus*, *Marſilius Ficinus*, aliique ſentire videntur, adeò quidem, ut *Plinius* admiranda in foro Medicô, tum carminum vi, tum verborum opere effecta eſſe palam atteſtetur. Neque ignotum eſt *Paracelſum*, *C. Agrippam*, *Arnoldum de Villa Novâ & Authorem Claviculæ Salomonis* verbis ejuſmodi & characteribus quamplurimùm tribuere. Aſt meritò utriſque jam ſupra laudati *Itteri* epicriſin opponeres, qui paulò poſt ita pergit:

Verbis, non herbis, ſtolidorum eſt credere corpus
Curandum: Ergò abeant procul atque faceſſant
Et vetulæ & Lamiæ & varium genus Impoſtorum,
Verbis, non herbis, qui curant corporis artus,
Verbis, non herbis, quærunt medicamina vitæ,
Verbis, non herbis, faciunt unguenta ſaluti,
Verbis, non herbis, reparant in priſtina vires.

Ne verò ſine ratione & non cognitâ prius cauſâ curas ejuſmodi verbales ſive damnare, ſive rejicere videar, non malè nec impertinenter me acturum confido, ſi hac, qua juxta normam Statutorum Academicorum, ſolenni Legum repetitioni verba quædam, è Profeſſionis & Facultatis meæ penu, præmittenda ſunt, horâ, Splendido huic Auditorio

MEDICINAM ILLEGALEM & SUPERSTITIOSAM

ob oculos poſuero, & *an quis ſalvâ illâ conſcientiâ poſſit uti?*

veſtra,

veſtra, Auditores omnium ordinum Honoratiſſimi, Benevolentia fretus, inſimul addidero.

Equidem, ſi quis zizanium illud, quod infenſiſſimus humani generis Adverſarius in ſacris ſparſiſſe legitur, varias ſuperſtitionum ſpecies eſſe dixerit, is meô quidem judiciô parum, aut omnino non à ſcopô aberrabit. Adeò enim per omnia naturæ regna ſe diffundit hocce lolium, ut nullibi non Satanica ſe exſerat Idololatria. Sic in Regnô Vegetabili nulla ferè plantula, nullum ſeminium ſine variis ſuperſtitionum ſcandalis ipſi terræ committi videas. In Regnô quoque Minerali abſcondita in terræ viſceribus metalla ſuperſtitioſâ virgulâ Mercuriali ſeu Divinatoriâ indagari res in vulgus quam notiſſima eſt. In Regno porrò Animali ſuperſtitionum plena ſunt omnia. Quid enim pecora & jumenta in ſtabulis alit? ſuperſtitio. Quid eadem in campum educit, indeque reducit? Superſtitio. Quid morbos & infortunia illorum abigit? Superſtitio. Quod verò prorſus deteſtandum, nec ipſe tandem homo, non fruſtrà anima rationali à ſummô rerum Conditore donatus, à bruto & abſurdiſſimô ſuperſtitionum barathro eſt immunis, adeò quidem, ut vix in lucem edatur, quàm ludicris vetularum ſuperſtitionibus contaminetur, alatur, educetur; quæ tam altas in mente illius radices agunt, ut neque in adulta maturaque magis ætate ab illis ſe facilè abripi patiatur, ut in ſtatu p. n. cumprimis obſervare licet. Quamprimum enim morbus fortè contumacior leviuſculis remediis obtemperare recuſet, ad ultimum deſperationis remedium deproperant canaliculi, dicendo

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.

Hinc illæ lachrymæ! hinc tot curæ magicæ, & ut palliari ſolent, ſympatheticæ! hinc characteres illi Diabolici, verborum murmura & ceremoniæ pluſquam mimoſæ, quibus cultum ſui occultare ſolet Princeps hujus ſeculi. Scilicet ut Thraſones Medicaſtri nil niſi arcana & ſecreta horribilia jactare ſolent, utut, ad

ipſam veritatis bilancem examinata, nil niſi vulgatiſſima ſint remedia, novô tantum nomine inſignita: Ita verbis illis ſuperſtitioſis, barbaris & incompoſitis ſecretorum ſuorum theſaurum abſcondit Medicaſter Infernalis; quibus eò majora periculorum præcipitia jungit, quòd ſanctiſſima S. S. Trinitatis nomina plerunque iis maritare ſoleat, ut ſub ſpecie pietatis & umbrâ eò majorem penes credulam nimis plebeculam applauſum mereatur. Nî grave fuerit, Auditores, per univerſum morborum Oceanum eamus, eâdemque, quâ in Praxi fieri ſolet, methodô, hanc MEDICINAM ILLEGALEM percurramus, ut juxta III. Corporis Humani regiones hoc Augiæ ſtabulum eò pronius & contemplari & repurgare valeamus.

Adeòque ut â Capite exordiar inter affectus ejus agmen ducit

EPILEPSIA,

morbus ſonticus, contra quem in Scholâ Satanæ Superſtitioſâ ſequentes rhythmi, tanquam ſacra anchora laudantur:

Caſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum,
Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum,
Solvitur à morbo Chriſti pietate caducô.

Remedium hoc in locis Romano-Catholicæ Religioni addictis adhucdum receptiſſimum eſſe, teſtantur ſchedulæ in introitu Eccleſiæ Cathedralis Colonienſis venales, hâc cum inſcriptione: „ Schedulæ hæ tetigerunt capita ſanctorum Regum, Coloniæ „ ſepultorum. Reſiſtunt igitur omni infortunio peregrinantium, „ dolori capitis, epilepſiæ, febribus, incantationibus &c. „ Alii arrepta ægroti manu, auribus ejus immurmurant: Adjuro Te per Solem & Lunam & hodiernum Evangelium, à DEO traditum D. Huberto, Ægidio, Cornelio & Johanni, ut ſurgas, nec in terram relabaris, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Alii cum *Mendoza* in aurem Epileptici devotè recitari jubent:

Purget

Purget & mundet & muniat nos titulus triumphalis: Jeſus Nazarenus, Rex Judæorum. Porrò in

CEPHALALGIA

Marcellus ſuadet: Quùm intrabis urbem quamlibet, ante portam, inquit, lapillos, qui in viâ jacebunt, quot volueris, collige, dicens tecum ipſe: Ad capitis dolorem te remedium tollere & ex iis unum capiti alligato, reliquos poſt tergum jacta, nec retrò reſpice.

SI QUID OCULIS ILLAPSUM, UT IN LIPPITUDINE

oculorum, idem mirificè & ſine dubitatione prodeſſe dicit, ſi in chartâ virgine ſcribatur & collo dolentis licio ſuſpendatur vox φάρφαραν, hocque præligamen quis purus & caſtus faciat, oportet. Adeò, ſcilicet! puritatem & caſtitatem amat Spiritus immundus & ſpurciſſimus. In

VARIS & HORDEOLIS

oculorum, annulos digitis eximi & ſiniſtræ manus digitis tribus oculum circumtenendo ter deſpuere, terque dicere jubent: Rica, rica, ſoro. Vel: Nec mula parit, nec lapis lanam fert, nec huic morbo caput creſcat, aut ſi creverit tabeſcat. Alii Græciſſantes accinunt: Κύρια, κύρια, κασσάρια σουρώφθι.

Sic in

HÆMORRHAGIA NARIUM

novies verba: σύκσοκαμ συκύμα muſſitant, aut præmiſſo S.S. Trinitatis nomine ſequentem exorciſmum adhibent: Sepa, Sepaga, Sepagoga, ſta ſanguis, conſummatum, in nomine Patris podendi, & Filii pandera, & Spiritus ſancti pandorica: Pax tecum, amen. Alii trinâ circuitione, ter dicunt: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Ad aliarum verò

(E) 3 par-

partium hæmorrhagias ſiſtendas utuntur vocibus: Soc non, ſoc non. It. charat cara ſarite, conſona ima holite.

Contra

STRUMAS & SCROPHULAS

commendant ſeqq. diminutiva: Albula glandula, nec doleas, nec noceas, nec paniculas facias, ſed liqueſcas, tanquam ⊖ in aquâ.

Vel: Novem
Octo
Septem
Sex
V } glandulæ ſorores.
IV
III
II

nulla fit glandula. En novam & ridiculam Satanæ Arithmeticam, è plurimorum numerorum additione in nullitatem merumque nihil deſinentem! Non minus abſonè in

UVULÆ LAXATIONE

æger manus ſupinas à gutture ad cerebrum ducendo dicere jubetur: Criſſi, craſi, cancraſi. Aut: Uva uvam emendat.

Ad

ODONTALGIAM

mirificum experimentum *Marcellus* eſſe dicit, ſi quis die Martis, luna decreſcente, ſepties dicat: Argidam, margidam, ſturgidam. (O ſtultitiam!) it. galbes, galbat, galdes, galdat. Strigiles falceſque dentatæ, dentium dolorem perſanate.

In

ANGINA

Jejunus jejuno præcantare jubetur: Exi hodie nata, ſi ante nata, ſi

tâ, ſi hodie creata, ſi ante creata, hanc peſtem, hanc peſtilentiam, hunc dolorem, hunc tumorem, hunc ruborem, has tolles, has tonſillas, hunc panum, has paniculas, hanc ſtrumam, hanc ſtrumellam, hanc relegionem evoco, educo, excanto, de iſtis membris medullas. Quodſi verò os vel ALIUD IN FAUCIBUS aut gulâ hæſerit, nihil præſtantius eſſe putant his carminibus:

> Μὴ μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
> Ἐξ ἄϊδος πέμψειν ἐπαινὴ Περσεφόνεια.

Alii apprehenſo ægri gutture dicunt: Blaſius Martyr & Servus Chriſti dicit: aut adſcende, aut deſcende. Plura ſîs, vid. apud *Marcellum.* Ridicula heîc hiſtoria incidit, de Paſtore quodam nugivendulo, qui ad pauperculam, oſtiatim ſtipem petentem, ſive jocô, ſive ſeriò dixiſſe fertur: En! artem te docebo, quâ honeſte victitare poteris; offerens illi ſchedulam, contra omnis generis morbos de collô ſuſpendendam, cui: *Hilffts nichts, ſo ſchadts nichts*, inſcripſerat. Muliercula remedio confidens Praxin Medicam exorditur, nec infeliciter. Quemadmodum enim mundus regitur opinionibus, ſuperſtitionibus autem alitur, ita brevî ſummam experientiæ famam ſibi conciliavit. Accidit autem, ut Eidem Paſtori, quô Magiſtrô uſa erat, homini fortè guloſò, os in gulâ, per transverſum illuc actum, hæſerit, quod à nullo hactenus Chirurgo prehendi aut educi potuerat. Advocatur ergò fœmina quædam, curis hactenus admirandis celebrata, quam cùm eandem Mendicam, cui ſchedulam illam tradiderat, agnoſceret, in tantum reſolutus eſt cachinnum, ut os in faucibus contentum ſubitò exploderetur, non ſine nova Medicaſtræ celebritate, utut eventus eodem jure huic adſcribendus fuerit ac Aſinæ Phthiſicum curanti, apud Dn. *Bernierium*, *aux eſſais de Medecine Part.* 2. *c.* 15. Refert enim Gallus hicce, quòd cùm aſina ad agonizantem, cui apoſtema internum ſuffocationem minabatur, ex improviſô delapſa fuiſſet, ſtrepitu & anhelatione ſua tantas anxietates concitaverit rictus beſtiæ declinandi

cona-

conatus, ut hinc naturæ motus adjutus ruperit abſceſſum, ſicque excretâ materiâ morbificâ moribundus revixerit. Sed hæc quaſi cum, &c. Pergendum nunc ad morbos II. Regionis, h. e. Thoracis, ubi

FEBRES

omnis generis ſe trudunt, è quibus Febrem QUOTIDIANAM ut curarent, pani miſſali inſcribere jubent: ô febrem omni laude colendam: In altero: ô languorem ſanitati & gaudiis adſcribendum. In tertio: Pax, max, fax. Ad TERTIANAM verò & HEMITRITÆUM ſuperſtitioſum, ſed decantatiſſimum illud Abracadabra, in coni figuram redactum, appendunt, de quo *Serenus* ita canit:

Inſcribis chartæ, quod dicitur Abracadabra
Sæpius & ſubter repetis; ſed detrahe ſummam,
Et magis atque magis deſint elementa figuris,
Singula quæ ſemper rapies & cætera figes,
Donec in anguſtum redigatur litera conum.

De Pſalmi XCI. contra PESTEM abuſu, res eſt quàm notiſſima.

Inter affectus III. Cavitatis ſeu Abdominis tædioſiſſimus omnium eſt

ICTERUS,

quem præter innumeras ferè curas Magico-Magneticas verbis quoque curare ſuſtinebat Paſtor quidam & Eccleſiæ Miniſter in viciniâ, phuy qualis! qui non ſine ſumma adſtantium indignatione & horripilatione ægrum in culinam deductum, tribus vicibus, in totidem foveolas, in cineribus digitis paratas, exſpuere jubebat dicendo: Galbule & Tabes, tu me enecare ſatagis, ego verò te enecabo, in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti: Eo quidem cum ſucceſſu, ut paulò poſt & icterus & æger, miſerrimè ſeductus, perierint ambo.

Sic &

HYDRO-

HYDROPEM,

ſeu Aquam intercutem Hadrianum Imperatorem verbis quibuſdā eduxiſſe, *Cælius Aurelianus* autor eſt; aſt credat Judæus Apella.

De

MALO ISCHIADICO

autem *Wierus* habet, quòd carmine à Theophraſto ſanetur verbis ſequentibus: Danata Daries, Dardaries, Aſtaries. Quemadmodum &

ARTHRITIDEM

arbuſcula quâdam, verbis geſtibuſque ridiculis terræ implantandâ, curari toto die, rem puto nemini non cognitam.

Facit huc Exorciſmus Papicolarum contra

PARTUM DIFFICILEM,

quem in itinere quondam, haud procul à Naneto, Lotharingiæ Municipiô, in Divi Jacobi fanô reperi: Anna peperit Mariam: Maria Salvatorem: Eliſabetha Joh. Baptiſtam: Maria Jacobi Jacobum de Galiciâ; ſic mulier iſta pariet illæſa: Puer, qui es in utero, ſive mas, ſive fœmina, veni forâs, Deus Te vocat!

Nec tandem in Morbis Externis & Chirurgicis ſe otioſos præbent Operatores Satanici, qui

PARONYCHIAM

verbis ſequentibus, tertiâ vice repetendis, parietem ſemper digito feriendo, curant, dicendo: Pu, Pu, Pu, nunquam ego Te videam per parietem repere.

In

MORSIBUS autem HOMINIS aut BRUTORUM

ter novies dicunt: Stolpus à cœlo cecidit, hunc morbum Paſto-

res invenerunt, ſine manibus collegerunt, ſine igne coxerunt, ſine dentibus comederunt.

In ſpecie verò contra

MORSUM VIPERÆ

laudant verba: Caro Caruze ſanum reduce, reputa ſanum, Emanuel Paracletus; quemadmodum contra

MORSUM CANIS RABIDI

præter alia commendant: Prax Caſpar, prax Melchior, Balthaſar prax, max, DEUS ymax. Sic infimæ ſortis nobilem cognovit *Wierus*, ſimili curatione celebrem, qui pomi (ægro propinandi) particulæ inſcribit: Hax, pax, max, Deus adimax. Apud *Schenckium* autem ex Neapolitano quodam *Jovianus Pontanus* carmen adfert, quô adverſus rabiem utuntur demorſi, ita ſe habens:

Alme Vithe Pelicane
Oram qui tenes Apulam
Lituſque Polignanicum
Qui morſus rabidos levas
Iraſque canum mitigas.
Tu ſancte rabiem aſperam,
Rictuſque canis luridos,
Tu ſævam prohibe luem.
I procul hinc rabies,
Procul hinc furor omnis abeſto!

Habetis, Auditores OO. HH. praxin vulgi ſuperſtitioſam, quâ non minimam in verbis èfficaciam latere ſuſtinent.

Aſt nunquid reſina non eſt in Galaad, & Medicus non eſt ibi? uſque quò claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: Sin autem Baal, ſequimini eum! quid enim luci cum tenebris commercii? aut Belial cum Chriſto?

Apage

Apage cruentum Moloch! apage fraudulentam Satanæ medelam, quâ dum corporis exuvias ſe conſervare ſimulat, animam venatur, imò lucratur Circulator aſtutiſſimus. Hunc enim ſive tacito & implicito, ſive manifeſto pacto authorem veneratur barbara & vel monſtroſis vocibus abſcondita, vel ſanctiſſimis DEI nominibus turpiter incruſtata Medicina, quam meritò illegalem, inutilem & homine prudente, nedum Chriſtianô, prorſus indignam eſſe dixeris; adeò quidem, ut dubius & anceps hæſiſſem, an turpiſſimas illas & ineptas voces in ſplendido tot Virorum Illuſtrium conſeſſu eloqui an ſilere debuiſſem? niſi recitaſſe illas, ſimul refutaſſe putaſſem.

Equidem I. illegalitatem ejus in utroque teſtamento docet Sacra Pagina, utpote quæ omnibus aut nomine DEI in vanum uſurpantibus, aut ad Magos & Ariolos, ut fornicarent cum iis, declinantibus æternum exitium portendit; quod Sauli Mulierem Pythonem habentem in Endor interroganti morte expiandum erat. Nec immeritò Imperatores nobiles & ignobiles ſub capitis damnatione puniri jubent in *Lege XII Tabb.* §. *qui fruges.* Divus *Auguſtinus* verò ab Eccleſiæ communione omnes excludit, qui in collectionibus herbarum carmina dicunt, characteres ægrotis ad ſanandum imponunt; prout in *Concilio Turonenſi* ſub Carolo Magno quoque ligaturæ falſæque inſcriptiones, quas imprudentes pro morborum curationibus juvare credunt, ne à quoquam fiant, inhibentur.

Sed videor mihi quoſdam oggannire: Nil ſæpiuſculè, quàm ſanctiſſima DEI nomina adhiberi, imò expreſsè in Scripturâ Sacrâ præcipi, ut omnia fiant in nomine Dn. noſtri JEſu Chriſti. Aſt liceat hîc *Lutheri* noſtri verbis reſpondere, qui è zelo & fervore Theologico: Hoc, inquit, Diabolus tibi in caput reſarciat. Neque enim hunc in finem verba illa data ſunt, ut illis ſuperſtitioſè abutaris, ſed ut fidem illis habeas & adhibeas ad doctrinam, ad redargutionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in juſti-

tiâ. Quò ſanctiora ergò ſunt, quibus abuteris nomina, eò majus & horribilius eſt, quod committis crimen.

Nec obſtat 2. hanc medendi conſuetudinem à Majoribus noſtris nunquam non impunè obſervatam fuiſſe, adeoque vel antiquitate ſolâ ſe tueri poſſe, cum antiquiſſimum quodve veriſſimum. Si enim hæc excuſatio valeret, nullum non peccatum eſſet licitum, cùm in Paradiſo ſtatim inceperit. Ebrietas jam Noæ temporibus ſe turpiter dando eſſet licita: Nec inceſtus, à Lotho commiſſus, improbandus & quæ non?

Neque 3. Experientia, quæ morbos, etiam pertinaciſſimos, ita ſanari teſtatur, quidpiam evincit, cum oracula olim vera dixerint, utut cane pejus & angue fugienda. Hæc enim Diaboli eſt aſtutia, ut corporis & fortunæ rationem habeat, quò animam, cui unicè inhiare ſolet, lucretur.

Quamvis II. certiſſimum ſit, omnem illam, quam Diabolus & mancipia ejus adferunt, medelam, ſimulatam, fictitiam, umbratilem, adeoque & inutilem obſervari. Vidi, inquit *Fernelius*, ſcriptâ chartulâ collo ſubnexâ, univerſi corporis icterum unicâ nocte detergeri: Vidi febres verbis & ceremoniis quadantenus profligari, ſed quæ mox deterius multo recurrerent. Nam licet poſſit Dæmon integrè perſanare, id tamen beneficii in hominem, quem perpetuâ inſequitur invidiâ, conferre nequaquam vult: Fictam ſolùm ſimulatamque exhibet ſanationem &c. Hinc & *Fallopius* alicubi curas illas recidivationis periculô pleniſſimas, adeoque captioſas, fallaces, nec certas, nec tutas, ſed noxâ plenas eſſe docet. Poſſem hîc notabilem Magnatis cujuſdam, paucis abhinc annis à ſuſpecto hujuſcemodi Medicaſtro quadantenus reſtituti, mox tamen recrudeſcente morbo miſerè demortui obſervationem recenſere, ſed exempla ſunt odioſa.

Quis ergò ſanæ mentis III. vitam ſuam vano & inani verborum murmuri, aut ridiculæ ceremoniarum geſticulationi committeret, quæ inter & ipſum morbum nulla eſt proportio? Nul-

lus

lus eſt, inquit *Thurrianus*, qui agros ſuos Villico, ruſticarum rerum inexperto: Nullus qui ædificationem alieniſſimo ab Architecturâ: Nullus qui pecuniæ curam & diſpenſationem hujus rei Imperito commendet; & videas homines, ſanitatem auro contra pretioſiorem; imò vitam ſortilegis & Doctoribus Sympatheticis committere, omni ſcientiâ caſſis. Salem ſane redolet reſponſio, quam Thraſoni cuidam dediſſe legitur Vir Eruditus atque Prudens, de quò magnum illud decus Lipſienſium *D. Bohnius in Diſp.* 1. *de Officiò Medici:* Memini, inquit, magnæ ſimplicitatis ac ruditatis Empiricum, cum aliquando penes Virum Eruditum & Prudentem Praxin ſuam deprædicaret, in ſpecie, quod demens aliquis medelæ ſuæ ſe ſubmiſerit, ab hoc reſponſum tuliſſe: Niſi ſtolidus eſſet, qui medelam a Te expectat, Medicum Te nunquam voluiſſet. Ita niſi ſtolidi eſſent, qui verbis & characteribus ſe curari patiuntur, nunquam ſe Medicis ejusmodi committerent. Adeoque eò minorem commiſerationem merentur, ſi tandem debitas ſtoliditatis ſuæ pœnas luant, & per quod peccant, per idem puniantur iidem; haud aliter ac Officialis ille Regius in Galliâ, qui Circulatoribus & Agyrtis nimium favendo, tandem ab huius farinæ ſocio interemtus dicitur, referente hoc amiciſſimo Collegâ noſtrô, *Carolo Patini*, qui *in Epiſt.* 149. ſequentia de eô habet: Il eſt mort de la main d' „ un Charletan, lui mêſme, dont la charge eſtoit de chaſſer cet- „ te ſorte des gens. „

Utinam ergò hujus periculô cauti diſcerent, qui ad Clavum Reipublicæ ſedent! utinam omnes illicitis ejusmodi & ſuperſtitioſis remediorum generibus utentibus aquâ & igne interdicerent! Utinam

Ne fingat ſe Medicum quivis Idiota, Sacerdos,
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Tonſor, Anus.
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator,
Lamia, Decoctor, Pharmacopola, Magus.

ſancitis jamdum Legibus inhærendo prohiberent! Magiſtratus enim in culpâ ſunt, qui vagam ac publico perniciosſam licentiam medicandi non coërcent & ἀπαιδεύτους veræque artis protinus ignaros Impoſtores è Republica non expellunt, ut Pientiſſimus JCtus, *Ahasverus Fritſchius, de Medic. Peccatis cap.* 1. ſeriò dolet. Non poſſum non publicè hîc dilaudare generoſum Illuſtris Senatus Francofurtenſis inſtitutum, quô famoſum illum Doctorem Sympatheticum, non ægrorum corpori, ſed illorum lotio medicinam faciendo celebrem, utut publicè in Doctorem alicubi promotum, urbe nuper ejecêrunt. Nec reticenda eſt Illuſtris Regiminis Principalis h. l. cura plus quàm paterna, qua ſub auſpiciis hujus anni, ſimili Empirico & Dentifrangibulo, cui jam alii Minorum Gentium Dii fores & os ſtentoreum publicè aperuerant, idem laudabili conatu obturârunt. Reliquos ergò ab his deviantes Judices cum *Marcello Palingenio* ita liceat jam alloqui:

O miſeræ leges, quæ talia crimina fertis!
O coeci Reges, qui rem non cernitis iſtam!
Vos, quibus imperium eſt, qui mundi fræna tenetis,
Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite peſtem!

In cœlum proh dolor! adhuc clamitat vox ſanguinis innocentis, à Sicariô Medicaſtro hoc in locô nuper effuſi, qui usque dum in viſcera miſerorum furere non deſinit; cui malo, ſi non tempeſtivè ab iis, quorum munus id eſt, obviam eatur, veneficium poſthâc non criminis, ſed artis erit, ſi modò ars nominanda turpiſſima hominum nequitia.

Aſt ne eadem, quam aliis jam exprobro, incuria, legum inquam & juſtitiæ negligentia, ſive toti Senatui Academico, ſive meæ tenuitati opponi poſſit, ad ea jam deſcendo, quorum cauſa ſplendida & illuſtris hæc Panegyris congregata eſt.

Scilicet, ut de normâ Studioſi ſingulis annis publicè admoneantur, cautum eſt à Sereniſſimo Legislatore, ut in Conſeſſu

Pro-

Profeſſorum Solenni Calendis Julii Statuta Academica, quatenus ordinem Studentium concernunt, per Notarium Academiæ publicè prælegantur, idque Rectori curandum relinquitur.

Quemadmodum igitur meâ ex parte legem hanc curæ mihi cordique eſſe juſſi, ita tuam jam perſolve fidem, Notarie Academice Publice,

FRIDERICE RIEDEL;

ſolve, inquam, fidem Tuam, & è librô ſtatutorum *Tit. LXXV. De Officio Studioſorum* voce elatâ non minus, quàm articulatâ prælege.

Heîc
interponitur Legum repetitio.

EPILOGUS.

HÆc ferè ſunt, CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI, quæ à Vobis exigunt Statuta Academica. Eadem nempe ſunt, quæ ſub primâ nominum veſtrorum immatriculatione ſtipulatâ manu promiſiſtis. Stipulati autem eſtis pietatem infucatam erga Deum: Devotiſſimam venerationem erga Principem Nutritium: Obſervantiam erga Docentes: Diligentiam in diſcendo: Pacem & amorem erga Commilitones. Quam egregiè verò legibus hiſce ſteterint tranquillitatis publicæ turbatores, triſtis aliquoties experientia docuit. Fuêrunt enim, qui petulcis frontibus concurrendo alapis ſe exceperunt, prenſiſque capillis humi proſtati canaliculorum inſtar in lutô ſe volutârunt. Fuerunt, qui à verbis ad verbera dilabentes ſcipionibus ſudibusque præuſtis ſe tractârunt. Fuerunt, qui ob leviſſimas injurias, quas neque per ſe, neque per alios ſe vindicaturos eſſe jurârunt, ſicariâ manu ſtrictoque enſe Commilitones ſuos vulnerârunt, indeque nonniſi ſanguine è venis ſaliente diſceſsêrunt. O tempora! O mores! O deteſtanda Vitæ Academicæ ulcera! Ul-

ccra

cera inquam, non herbis aut emplaſtris, ſed tuo, DOMINE! verbô tantùm ſanabilia. Hujus ergò vi & efficaciâ tandem reſipiſcite, CIVES IMMORIGERI! reſipiſcite quæſo & ad frugem Vos recipite. Hujus quoque vi & efficacia CIVES genuini, ob pietatem, ſolertiam & modeſtiam bonis omnibus Exoptatiſſimi urgeant porrò & continuent, quod in Dominô cœperunt, opus! ita largiſſimam DEI benedictionem, Magnatum patrocinium, Parentum gaudium, bonorum applauſum, verbo: Salutem & temporalem & æternam ſibi promittere, certoque expectare poterunt.

Tu verò, SUMME DEUS! qui das ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam his, qui pollent intelligentiâ, rege, doce & flecte animos diſcentium, ut cautè agant, juxta verbum tuum. JESU, fons omnis Sapientiæ, qui vix annos XII. natus Doctores in templô, ſcripta Prophetarum enarrantes, attentione decenti audiviſti & interrogaſti: Largire, quæſo, tuam omnibus gratiam, ut prompto docilique animô ſine amaritudine, inobedientiâ ac ſomnolentiâ mentis ſtudiis incumbant, Spiritusque Sanctiſſimi moribus & operationibus locum concedant. Incipe ô alma Trias, & benedicito Academiæ Noſtræ, ut ſemper Tibi grata & Eccleſiæ ſalutaris ſit, quia Tu Domine, locutus es hæc, & benedictione Tuâ benedicetur Alma Ludoviciana. Fiat! Fiat!

DIXI.

DE-

DECLAMATIO PANEGYRICA VI.

DE

ELIGENDO NOVO RECTORE.

Habita Giſſæ-Haſſorum, die V. Jan. Anno 1701.

P. P.

DE *Confucio*, Celebri Sinenſium Philoſopho refert Autor Scientiæ Sinicæ, quòd aliquando diſcipulum ſuum *yen yven* ſequentibus allocutus fuerit: „ Qui evocati adhibitique ad munia „ publica actutum & ſine tergiverſatione capeſſamus Rempubli- „ cam: Rurſus, qui amiſsâ dignitate illâ, illicò & ſine querimo- „ niâ moleſtiave animi privati latitemus domi noſtræ, ſoli (opinor) „ ego & tu ſumus ejuſmodi. Aſt fallit opinio mundum, fallit & *Confucium*. Non enim is ſolus aut diſcipulus ejus ejuſmodi ſunt, ſed de omnibus idem Rectoribus Academicis, ut opinor, eſt dicendum. Ad minimum idem de me liceat ſubſumere, qui horno tempore ab Ampliſſimo Senatu Academicô ad munia Rectoralia evocatus actutum pariter ac ſine tergiverſatione capeſſi Rempublicam literariam: Nunc verò abdicatâ dignitate illâ illicò & ſine querimoniâ privatus latitabo. Prius jubebant Statuta Academica, jubebant & veſtra, Patres Academiæ, ſuffragia unanimia, quibus obſtrepere piaculo mihi duxi. Poſterius ſuadet obſervantia in legibus radicata, quæ munus Rectorale non perpetuum, ſed ambulatorium eſſe volunt, ut alternâ requie ſe

 mutuò

mutuò ſublevarent Facultates Academicæ. Quapropter ſine ullâ querimoniâ, ſine ullâ animi moleſtiâ moleſtiſſimum Rectoratus Academici munus in eorum reſigno manus, è quibus idem ſuſceperam: de judiciô æquiorum rerum æſtimatorum prorſus ſecurus, cùm ſalute Academiæ nihil ſanctius, nihil antiquius mihi fuerit, utpote quàm Sereniſſimus Legislator pro ſumma lege eſſe jubet Rectori Academiæ; quapropter ſi iis, qui ſub quocunque juris prætextu reditus Academiæ ſuis facultatibus adjecerunt, ægre feciſſe, aut nullo habitô reſpectu cognationis & amicitiæ contra prudentiam, ut filii hujus ſeculi loquuntur, Academicam egiſſe videar, facilè me excuſabunt tot anathemata & execrationes Sereniſſimorum Fundatorum, quibus æterna non minus quàm temporalia ſupplicia minantur iis, qui bona Academiæ vel juſto negligentius vel malâ fide curaverint.

Vobis autem, Patres Academiæ Venerandi, gratias ago prolixiſſimas, quòd per totum officii hujus decurſum ope veſtra & conſiliis mihi ſuccurrere, & in rebus gravioribus adjutorium veſtrum commodare volueritis, quô ut obſtrictiſſimum me profiteor, ita ſedulam navabo operam, ut omnibus & ſingulis meis poſthâc officiolis rurſus inſervire valeam.

Reſtat igitur, Proceres Academiæ, ut alium Vobis conſtituatis, cui Sceptra Academica commendetis. Non deſunt Vobis Viri omni laude, omni dignitate, adeoque & hoc munere digniſſimi; hinc ne quis alius niſi talis eligatur, omnino proſpicite. Modum & limites nobis ponunt Statuta Ludovicianæ, quorum tenorem ut ſciamus, haud grave ſibi ducet Vir Conſultiſſimus, *Dn. D. Herthius*, Syndicus Academiæ Graviſſimus & *Tit. XIII. De Electione Rectoris* clarè & diſtinctè præleget. DEUS autem T. O. T. M. Supremus Orbis Rector actui huic Clementiſſimè benedicat!

POST

POST ELECTIONEM.

JActa eſt alea & quidem feliciſſime! communibus enim & unanimibus Patrum Conſcriptorum ſuffragiis in Rectorem Academiæ Magnificentiſſimum eſt electus Illuſtriſſimus Comes, DN. GEORGIUS FRIDERICUS, Burggravius de Kirchberg, Comes de Sayn & Wittgenſtain, Dominus in Farnroda &c. huicque tanquam Pro-Rector Magnificus adjungendus Vir Admodum Reverendus, Excellentiſſimus atque Acutiſſimus, DN. JOH. BARTHOLOMÆUS RüDIGER, Log. & Metaph. Prof. Ordinarius. Eſt ergò de quô gratuler Academiæ, quæ Tertium mox ex eâdem Familiâ Illuſtriſſimâ Caput Academiæ numerabit. Eſt de quo gratuler Magnifico Dn. Pro-Rectori, quod tam Splendidi Capitis Vicarius audiat. DEUS autem utrumque Spiritu Gratiæ & Sapientiæ inſtruat, ut ſub regimine illorum auſpicato Status Academiæ vigeat, floreat & uberrima indies incrementa capiat. Sit nomen ejus benedictum in ſeculorum ſecula!

AD ILLUSTRISS. DN. COMITEM, *primâ vice* CONSISTORIUM INGREDIENTEM.

Illuſtriſſime DN. Comes!

VIginti ſex, & quod excurrit, anni ſunt, cùm Illuſtriſſimus DN. Frater, Dominus LUDOVICUS CRATO, *Comes ac Burggravius in Kirchberg, &c.* Glorioſæ recordationis, tan-

quam Rector Academiæ Magnificentiſſimus ad Clavum Reipublicæ Literariæ ſederet, veſtigia Dn. Patrui Illuſtriſſimi, DN. WOLFFGANGI CRATONIS, *Comitis & Burggravii in Kirchberg &c. &c.* glorioſiſſimæ non minus memoriæ, premens, qui anno præcedentis ſeculi LII. eodem pariter munere gloriosè fungebatur.

Cùm verò omne trinum ſit perfectum, non potuerunt non ex eadem Familia Illuſtriſſimâ, TE, COMES Generoſiſſime, in Caput Academiæ Magnificentiſſimum ſibi legere Proceres Academiæ, pro Vicariô addentes Pro-Rectorem Magnificum Dn. Prof. Rüdigerum, Collegam noſtrum Honoratiſſimum.

Quemadmodum igitur munus hocce Splendidiſſimum Illuſtriſſimæ Tuæ Magnificentiæ, me jam interprete, offert Totus hic Senatus Academicus, nullusque dubitat, quin idem gratiosè ſuſceptura ſit: Ita ſuam inſimul Obſervantiam & quæcunque ab eô expectari poterunt, nunquam non ſpondet & ſtipulatur parariſſima; Et cum de ceterô temporis ratio non permittat, ut ſinguli è Senatu hocce Academico, ut quam maximè vellent, devotionem ſuam Illuſtriſſimæ Tuæ Magnificentiæ, votis coram nuncupatis, conteſtari poſſint; hinc Eidem conjunctis plauſibus mea voce ſimul omnes de Spartâ Ampliſſimâ gratulari voluerunt, DEUM T. O. M. piis deſideriis rogantes, velit Illuſtriſſ. Tuam Magnificentiam ſartam tectamque conſervare omnibuſque Perſonas Illuſtres decentibus felicitatum cumulis inſtruere, ut munere iſthoc Splendidiſſimo ita poſſit defungi, ut omnia vergant in Divini Numinis Gloriam, Familiæ Illuſtriſſimæ Splendorem & Illuſtriſſ. Tuæ Magnificentiæ Decus nunquam intermoriturum!

(o)

DE-

DECLAMATIO PANEGYRICA VII. DE HASSIÆ LITERATÆ FATIS,

anno 1701.

Die 5 Jan. Giſſæ habita.

DEciſa nunc lis eſt, ILLUSTRISSIMI DNN. COMITES, ILLUSTRIS & PERSTRENUE DN. GUBERNATOR, PROCERES ACADEMIÆ GRAVISSIMI, CIVES NOBILISSIMI, lis, inquam, inter Curioſos hactenus ventilata nunc deciſa eſt, quâ

an annus ſupra milleſimum ſeptingenteſimus ad ſeculum XVII an ad XVIII referendus ſit?

hactenus quæſitum & in utramque partem agitatum fuit.

Erant, qui poſterius ſuſtinebant, ducti, an ſeducti magis, jubileo in Eccleſiâ Romanâ tunc celebrato, quod cùm brevî ante vel intra feſtum nativitatis Chriſti ejuſdem anni finiatur, inferunt exinde natalitia prioris anni nonageſimi noni neceſſariò pro centeſimis habenda, & conſequenter natalitia anni ſequentis ſeptingenteſimi ad ſeculum XVIII referenda eſſe.

Alii hoc ipſo argumento contrariam ſententiam adſtruebant, annumque præcedentem ad ſeculum decimum ſeptimum potius quàm ad decimum octavum pertinere ſentiebant, quùm in Eccleſiâ Romano-Catholicâ Jubileum neutiquam in primô, ſed ul-

timô ſeculi annô celebretur. Cùm enim Pontifex Romanus *Bonifacius VIII* primâ vice annum jubileum imperaret, centeſimum, adeoque non primum, ſed ultimum ſeculi annum illi nuncupat, primumque jubileum anno Chriſti 1300. ſolenniter habitum fuit. Tempore verò ſubſequente *Clemens VI* itidem Pontifex Maximus anno Chriſti 1308. inſtituit, ut quinquageſimus cujuſvis ſeculi annus jubileus evaderet, adeòque annô inſequente 1350 ſecundum jubileum aperuit, additâ in bullâ ejus ratione quòd in V. T. annus ſemper quinquageſimus jubileo fuerit ſacratus; Verba ejus ita ſonant: Nos autem attendentes, quòd annus quinquageſimus in lege Moſaicâ jubileus remiſſionis & gaudii ſacerque dierum numerus, quô in lege fit remiſſio, cenſebatur &c.

Abhinc Pontifices nonnulli annum jubileum ad annum quemcunque trigeſimum tertium devolvere conati ſunt, eò, quòd Salvator mundi triginta tres annos in carne vixerit: Aſt nunquam conſuetudine id receptum fuit; donec tandem *Paulus II* & *Sixtus IV* annum quemvis vigeſimum quintum jubileum dixerint, cujus celebratio annô Chriſti milleſimô quadringenteſimô ſeptuageſimô quintô, ſub Papatu Sixti IV inchoata & continuâ ſerie ab

Alexandro Sexto		anno	1500
à Clemente VIII			1525
à Julio III			1550
à Gregorio XIII			1575
à Clemente VIII			1600
ab Urbano VIII			1625

& ita porrò obſervatum fuit, uſquedum annô nunc feliciſſimè elapsô milleſimô ſeptingenteſimô Jubileum decimum ſextum ordinarium in Eccleſiâ Romanâ celebratum fuerit, quô ſeculum quoque XVII poſt Chriſtum natum haud infeliciter concluditur.

Nec obſtat Jubileum hocce non tam anno 1700 quàm anno

1699 primum apertum fuiſſe, adeoque eundem annum, 1700 nativitatis feſtum dediſſe: quô poſitô neceſſariô annum 1700 feſtum natalitiorum 1701 & conſequenter primum ſeculi XVIII annum involvere.

Lubentiſſimè enim fatemur, annum 1699. 1700 nativitatis feſtum præbuiſſe, annumque 1700 conſequenter 1701 nativitatis feſtum trudere: Interim hinc inferri nequit, annum 1701 primum ſeculi decimi octavi annum conſtituere, ſed quod ſeculum hoc cum 1701 nativitatis feſtô inchoetur.

Hoc ut appareat, notandum, quòd ſi annos atque ſecula à natô Salvatore numeremus, computus hic non tam à feſtô circumciſionis, ſed à feſtô nativitatis Chriſti notoriè ducatur; hinc Chriſtianorum computus non à Calendis Januarii, tanquam feſtô circumciſionis, ſed octiduo præcedente, feriâ ſcilicet nativitatis Chriſti inchoatur. Ut adeoque cum 1701 nativitatis Chriſti feſto quoque primum Seculi XVIII annum inceperimus.

Nunc ergò Jani Bifrontis inſtar in biviô conſtituti alterâ facie ſeculi diffluxi felicitatem reſpicere, alterâ futuri præcipitia & miſerias triſti quaſi vultu prævidere licet, quas horno tempore, ſub Rectoratus Academici abdicatione ominari non dubitabat Anteceſſor Venerandus.

Equidem non exiguô me terrore quatiebat omen infauſtiſſimum, eóque majori quod recenti adhuc memoriæ inhærerent indicibiles, quæ muneri tunc in me devoluto conjunctæ ſunt, moleſtiæ; ſed vel exinde licuit perſpicere, quàm mirabiles & inexhauſti ſint divinæ providentiæ theſauri, dum, quæ Dei eſt clementia, pacatiſſimum è contra annum Rectoratus ſum expertus, ut dubitare liceat, an unquam tranquillior Academiæ noſtræ ſtatus fuerit? Ceſſarunt enim rixæ & contentiones Civium Academicorum. Ceſſarunt dimicationes & duella, in principiô ſtatim, tanquam in herbâ, ſuffocata: Ceſſarunt cædes & homicidia: Verbo dicam: Pacifica fuerunt omnia; ut vel exinde, ſiquidem ex eventu omineque ſupradicto res dijudicanda foret,

ret, conſtare poſſit, annum hunc non tam ad infelicia futuri, quàm fauſtiſſima prioris ſeculi complementa referendum eſſe, quæ â primâ Academiæ Reſtauratione experti ſumus inviolata & conſtantia.

Ingratus eſſem, AUDITORES, ſi tot & tanta in almam Ludovicianam æquè ac tenuitatem meam hactenus derivata beneficia & divinæ bonitatis argumenta ſub fine ſeculi reticerem; quin celebranda ſunt Dei magnalia eorumque memoria deprædicanda eſt in ſeculorum ſecula.

Quapropter dum infulas modò Rectorales abdicaturo in Illuſtri ſplendidaque hac Panegyri verba quædam facienda ſunt, non jucundius aut acceptius argumentum fors occurret, quàm ſi feliciſſimum *Haſſiæ Literatæ*, adeoque & *Academiæ hujus ſtatum*, quô à primis reſtaurationis annis, in hunc uſque diem, in ſeculô præcedente eſt gaviſa, ex annalibus Majorum & propriâ obſervatione breviter ob oculos poſuero, ſicque Auditorum animos ad glorificandam divinæ bonitatis abyſſum excitavero, quos eò faciliores mihi ſpondeo, quò jucundior eſt laborum retroactorum memoria.

Ceterum ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, haud extra oleas me vagaturum judico, ſi infelicia, quæ Matrem Ludovicianæ noſtræ, *Academiam* puto *Marburgenſem*, quondam, ſi non opprimebant, premebant tamen, fata heîc præmiſero.

Gloriari illa, imò gratulari ſibi poterat de auſpiciis feliciſſimis, ſub Principe Pientiſſimô & reverà Magnanimô, PHILIPPO Haſſiæ Landgravio &c. &c. anno milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo ſeptimo, curante primùm & Magiſtratum Scholaſticum, mox & Cancellariatum gerente *Johanne Ferrario Montano*, Viro ſapientia, virtute & eruditione celeberrimo. Gratulari ſibi poterat de privilegiis ampliſſimis, â Cæſare Romanorum CAROLO V. anno 1541 obtentis. Gratulari ſibi poterat de fœcundiſſimô Civium Academicorum numerô, quorum unô ſeculô ultra quindecim millia numerabat: Doctorali ſplendore &

Magi-

Magiſtrali Dignitate exornatis mille quingentis & quadraginta novem. Aſt quantis inſimul infortuniis & calamitatibus obnoxia fuerit Academia, quantis illa fluctibus agitata, non ſine triſti memoriæ horripilatione legitur.

Etenim jam Morbonæ crudelitate loco pellitur, & tum Docentium, tum diſcentium numerus diſſipatur: Jam Martis, infenſiſſimi Muſarum hoſtis, ſævitiâ & ferociâ vexatur: Jam annonæ caritas ditiones ejus attenuat: Jam aliis anguſtiis conflictatur. Vix enim fibras & radices egerat Lyceum, & ecce tertio fundationis & ætatis ſuæ annô morbus pernicioſiſſimus, febris ſc. peſtilens ſæviſſima, quam ſudorem Anglicum vocant & ex amne Phlegetonte primùm emiſſam putant, tantô furore de provinciâ in provinciam, de regnô in regnum translata eſt, ut acri mox incurſu hoſtiliter quoque Marburgum invaſerit, ſuiſque peſtiferis & venenoſis telis mirâ velocitate nullo diſcrimine cives ita infecerit, ut mox Studioſorum numerum immane quantum attenuaverit; quod malum Peſtis graviſſima tantâ contagione ſequebatur, ut Schola Francobergam migrare & tutam ibi ſedem cogeretur quærere. Similiter anno 1547. ingens peſtis, quæ pene totam Germaniam depopulabatur, Studioſis ad Academiam illam aditum præcluſit, quam ſimile contagium anno 1541. Grunbergam fugavit. Quales tempeſtates idem Athenæum ſæpiſſimè ſuſtinuit. Sic annis ejuſdem ſeculi 64 68. 75. 85. Academia Francobergam, Pædagogium Wetteras, propter luem ſæviſſimam, abiit. Anno 1595 ſub Rectoratu Venerandi *D. Winckelmanni*, Theologi Cordatiſſimi & alterius quaſi Lutheri, pernicioſiſſima dyſenteria epidemica Marburgum devaſtavit. Anno 1597 adeò peſtis omnem plagam Germaniæ inficiebat, ut quo ſuæ quis ſaluti conſuleret, tutum non inveniret locum. JCti Kirchainum migrant: Theologorum, Medicorum & Philoſophorum potiſſima pars Marburgi perſiſtebant. Quidam Hombergam, alii Gemundam abire, & vitam à contagiô furibundô liberare contendunt. Anno 1599 iterum dyſenteria: Anno vero

1607 peſtis homines illîc è medio magnâ cum vehementiâ, ſuſtulit. Anno 1609 dyſenteria inter Studioſos tantô furore ſæviit, ut à tempore fundationis ſimilis pernicies, quæ tot adoleſcentes jugulaverit, nunquàm obſervata fuerit. Anno 1611 ultra 1200 ibidem peſte ſuccubuerunt, Francoberga verò Academiam hoſpitiô ſuſcepit. Tandem anno 1622 febris Ungarica & dyſenteria non ſine maximâ Academiæ jactura chorum diſcentium profligavit, ut per integrum ferè ſeculum nil niſi morbus fuerit Academia.

Quemadmodum verò nulla calamitas ſola, ita non ſolum dira morborum ſpicula Academiam infelicem ſauciarunt, ſed & annonæ caritas ſæpius Academiæ huic exitium portendit, cumprimis autem anno 1575. ubi tanta fuit omnium rerum penuria, ut, niſi Celſiſſimi Principes & Nutritii Profeſſoribus liberaliſſimè ſuccurriſſent, facilimè egeſtate ſuccubuiſſent fameque prorſus enecati periiſſent.

Infenſiſſimus tamen omnium illi Martis furor exſtitit, utpote qui ſæpiſſimè non levem illi terrorem excuſſit. Anno ſcilicet ætatis & florentis Academiæ decimô nonô, qui 1546 erat, undique metu & ſqualore bellico perfundebatur, adeò quidem, ut Cives ad unum omnes, propter hoſtis præſentiam, quem in proximis ſylvis (utut falsô rumore) civitati inſidias ſtruere putabant, indutis armis noctem inſomnem agerent, qui terror verè Panicus menſe Septembri in tantum augebatur, ut & Profeſſores & Studioſi & Cives agmine factô avolarent, res pretioſas ad loca tutiora transferrent, ſicque à raptorum & iniquâ militum catervâ integras conſervarent. Haud abſimilis iſque infauſtus ſatis annus fuit 1547. quô ex omni plagâ hoſtium turma, ceu imber, decuſſatim ingruere viſa eſt; unde ob Studioſos diſperſos Academia & formâ & famâ exuta Gymnaſii imaginem induit; donec pace per Invictiſſimum Imperatorem, Carolum V. reſtituta, DEO ſuffragante, priſtinum ſplendorem & numeroſam Stndioſorum frequentiam recuperaverit. Videbatur jam inducias concedere

cedere Bellona, ſiquidem ad annum 1620 halcyonia quaſi ſenſit Academia, quæ tamen annô ſubſequente 21. majoribus ferè turbis arietata fuit, ſiquidem milites, qui urbem ipſam tueri debebant, non ſolùm in Civium, ſed & Profeſſorum fortunas impetuosè graſſari non dubitabant. Anno verò 1622. in tantum belli motus & morborum ſemina ſpargebantur, ut vix locus inveniri potuerit tutelæ aptus. Quibus infortuniis aliud graviſſimum cumulabatur malum, quòd monetæ corruptio valoriſque amplificatio, quâ Imperialis 20. florenis (furtô ſane aſtuto & palliato) æſtimabatur, non ſolùm commercia & ad vitam ſuſtentandam utiles permutationes turbaret, ſed & ciſtas & arcas auro argentove emungeret ac ſpoliaret. Anno 1623 novum & ex Italis, Gallis, Wallonibus, Polonis, Bohemis, Ungaris, Croatis, Turcis Tartariſque mixtum hominum genus Urbem & Academiam funditus perdidiſſent, niſi Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis aſſiduâ curâ & labore indefeſsô, annuente Generoſiſſimo Comite Tilleno, Heroë tunc bellicoſiſſimô atque Literatis Gratioſiſſimo, remedium paratum fuiſſet, ac tributum illud, quô ultra ſeſquicentum imperiales ſingulis ſeptimanis Profeſſores exigere conſtituerant, ejus Excellentia remiſiſſet, tandemque civitatem afflictiſſimam ab immani illâ turbâ liberaſſet. Interim vix decennium reſpiraverat Academia, & novum turbarum paroxyſmum experiri cogebatur. Cùm enim Miles Cæſareus anno 1636 urbem Hanoviam, Duce Lambojo, diuturnâ obſidione cingeret & ad deditionem penè coëgiſſet, initio menſis Junii hujus anni Wilhelmus, Haſſiæ Landgravius & Leslæus, Suecici in Weſtphaliâ exercitus Generalis, conjunctis viribus eandem à diuturna illâ obſidione liberare conſtituerunt, idque ſucceſſu feliciſſimô. Tranſeuntes itaque Haſſiam inferiorem ipſumque Marburgum, omnia, quæ attigerunt loca, Gregarii barbarâ quadam crudelitate tractabant, & prætereà ipſe Leslæus Scotus impoſſibilia Academiæ imperans, per minas & exactiones militares ducenta florenorum millia, totidem libras panis, quinqua-

ginta cereviſiæ & decem vini culeos, extorquere nitebatur: quibus minis & periculis aliqui Profeſſorum permoti relictô Marburgô Giſſam noſtram (quam tamen & hi facile ſe expugnaturos ſomniabant & minabantur) tanquam ad aſylum commigrabant; cui haud abſimile periculum urbi incumbebat, cùm Bannerius, reliqui Suecici exercitus Campi-Mareſcallus illi imminere videretur, qui haud multo poſt pugnam ad Witſtochium die 4. Octobris ejuſdem anni commiſſam, Miſniâ ſubactâ, per Thuringiam cum exercitu in Haſſiam Inferiorem Caſſellas uſque penetravit; quod tamen, Divina Providentia illum ad expugnationem Torgæ, Lipſiæque ferventiſſimam licet, irritam tamen, oppugnationem retrahente, evanuit. Auxit tumultus hos miles præſidiarius, quem Illuſtriſſimus Nutritius pro majori ſecuritate & tutela urbis, Marburgo immiſerat eique tanquam Supremum Locumtenentem Nobilem Rudolphum de Binau præfecerat, qui cum contra Clementiſſimam Illuſtriſſimi voluntatem præſidiariorum nequitiæ ſi non faveret, conniveret tamen aut forte literatis (ut plerumque Heroes illi ſolent) infenſior eſſet, ſæpius Studioſos inter & milites rixæ & digladiationes obortæ fuerunt, ut modò his, modò illis vulnera inflicta fuerint.

Reſtabat jam ultimus & Academiæ huic, proh dolor!! fatalis impetus, quem anno 1646 ſuſtinere cogebatur, poſtquam Caſſellani manu armata, ope tormentorum bellicorum majorum, urbem die 24 Octobr. 1645 occuparant, arcem autem obſidione diuturnâ cinxerant, donec die 16 Jan. anni 1646 à Gubernatore Willichio, lachrymis magis & ejulatibus fœmellarum, quàm annonæ aut munitionis defectu, emollito, appropinquantibus jam Suppetiis, turpi deditione prodita fuit, quam morte capitiſque detruncatione heîc in forô Giſſeno luere cogebatur. Quid Docentes æquè ac Diſcentes tunc perpeſſi fuerint, dicere non audeo, ne ulcus cicatrice dudum obductum refricare videar. Hoc ſaltem reticere nequeo, Profeſſores & à Commiſſariis Haſſiacis & à milite Cæſareanô urbem paulô poſt reoccupante duriſſimè

riſſimè habitos, Cives disjectos & Academiam prorſus deſolatam fuiſſe.

Hic tragicus fuit exitus Academiæ Famigeratiſſimæ, quæ à primis incunabulis ad ultimum (ut ita loquar) halitum nil niſi Bellonæ & Morbonæ ſcena fuit. O infeliciſſima Parnaſſi Haſſiaci fata! O deplorandam Muſarum ſortem!

Quemadmodum verò unius corruptio plerunque generatio eſt alterius, ita non potuit non contingere, ut è ruderibus infelicis Academiæ

- - - - - *veterique migrante Colonô*

nova, eaque fauſtior, ejus facies efformaretur, *Reſtaurata* ſcilicet *Academia Giſſena*.

Poſtquam enim inter Principes Haſſiacos, Darmſtatinum ſc. & Caſſellanum, jam conventum eſſet, ut armis depoſitis paceque de novô ſtabilitâ, Hic priuilegia Marburgenſis Athenæi ſibi reſervaret: Ille verò ſuis privilegiis à RUDOLPHO II Imperatore quondam Laudatiſſimo Muſisque Gratioſiſſimo, ad Academiam peculiarem erigendam conceſſis uteretur, cura plusquam Paternâ Sereniſſimi Principis & Domini, Domini GEORGII, Hasſiæ Landgravii &c. Muſæ hactenus Marburgi celebres Giſſam transplantatæ non potuerunt non lætius multo ſuccreſcere & feliciora Celebritatis ſuæ incrementa capere.

Scilicet ut plantæ quædam multo lætius vegetari ſolent, ſi è primævô Seminariô in aliud ſibi proportionatum ſolum transplantentur; ita Muſæ è culminibus Parnaſſi Marburgenſis in agrum Giſſenum translocatæ vegetiori multo flore ſunt indutæ & poſt tot infortuniorum nubila Phœbo gratiori illuſtrata atque fota ſuccreverunt eundo.

Præſagâ illud mente penſitabant urbes Hasſiæ Superioris, Darmſtadium, Giſſa, Grunberga, Alsfeldia, quæ de nova Academiæ ſede tunc inter ſe certarunt, qualibet Muſis noviter redeuntibus hoſpitium promittente & præbere contendente; vincente tandem Giſsâ noſtrâ, in quam à primô Reſtaurationis momento,

(H) 3

mento, in hunc usque diem omnia felicitatis & celebritatis flumina quaſi imbre quodam depluebant. Teſtatur illud primus & Solennisſimus reſtaurationis actus, juſſu Sereniſſimi, à *B. Tackio* publicè deſcriptus, quem Serenisſimi Principes Juventutis, DN. LUDOVICUS & DN. GEORGIUS, Landgravii Haſſiæ &c. Fratres Germani & Celſisſimi Principis Reſtauratoris, Domini Georgi Senioris Filii, tot Comitibus & Nobilibus ſtipati, præſentia Principali illuſtrarunt, Sceptra Faſcesque Academicas, Sigilla, Matriculam & Statuta iis præferente Nobilitate Haſſiaca: Celebratis ſimul omnium Facultatum Promotionibus Doctoralibus ſplendidisſimis. Teſtantur idem tot undique terrarum adventantes Cives Academiæ, non Germani tantùm, ſed & Galli, Itali, Dani, Sueci, Hungari aliique peregrè advolantes, quos magnô numerô hactenus excepit, ita ut per ſemiſeculum ultra 5400 numerentur in Matricula: E quibus octingenti ſeptem Gradibus Academicis decorati ſunt, ita quidem, ut

in *Facultate Theologica*	85	Lic.
in *Facultate Juridicâ*	331	&
in *Facultate Medicâ*	136	Doct.
in *Facultate* verò *Philoſophica*	257	Magiſtri

publicè creati fuerint. Jam quivis ſupputare poterit, quantæ opes & quam inſignes reditus in urbem hanc & rempublicam civilem redundaverint.

Quodſi autem reliqua, quæ per tot annorum decurſus experta fuit Academia, fata penſitemus, ſanè Marburgenſium intuitu nunquam non fauſta, felicia & fortunata exſtiterunt. Procul enim hinc omnis contagio: Procul omnis lues epidemica & Morbonæ rabies! cùm in viciniâ licet aliquoties graſſante Peſtilentiâ urbs & Academia noſtra per DEI gratiam & clementiam nunquam non inviolatæ & incolumes remanſerint. Neque eſt, ut de annonæ caritate conqueramur, cùm quæ ſub fine ſeculi præterlapſi incrementum videbatur ſumere, opimâ & ditiſſima ubivis meſſe & vindemiâ (Deo ſint gratiæ!) fugata ſit. Et quam pro-

propinquus etiam aliquoties exſtiterit Martis furor, tantum tamen abeſt eundem Muſis noſtris incommodare potuiſſe, ut potius graſſantibus circumcirca bellorum voraginibus & procellis, ſub alis Divinæ protectionis tutisſimis ſemper & intemeratis iisdem vacare licuerit.

Taceo jam alias Academiæ noſtræ prærogativas, à tempore reſtaurationis illi à Sereniſſimis Nutritiis clementisſimè indultas, loca ſcilicet & ædificia publica Lectionibus & Demonſtrationibus ſolennibus dicata, reditus & ſalaria Docentium & ſimilia, quibus præ aliis Athenæis tantum eminet.

Quantum inter lenta ſolent viburna cupreſſi.

Illîc ſanè Collegio ſuperbit Auguſtisſimo, Horto Medico, Laboratoriô Chymicô & propediem Amphitheatro ſectionibus Anatomicis deſtinato, quæ alibi aut prorſus deſiderantur, aut ad tantum nitorem & ſplendorem vix aſſurgunt. Hîc vero poſt ſolutionem Legati Debitique Leiningenſis ii, qui Docentium munere funguntur, ſalariis aluntur ampliſſimis, è propriis Academiæ reditibus, absque ulla hactenus morâ obtinendis; unde fieri non potuit, quin nunquam non Viris in omni Facultate Celeberrimis inſtructa fuerit Academia, ad cujus clavum hactenus ſedere non dubitarunt Principes, Comites, Barones, Sereniſſimi, Illuſtrisſimi, Generoſisſimi, non ſine novâ Academiæ felicitate & ſplendore. Cumprimis autem præter Serenisſimam & Celſisſimam Domum Principalem Haſſo-Darmſtatinam Gratioſisſimos hâc in parte ſe Academiæ noſtræ exhibuerunt Illuſtrisſimi *Comites & Burggravii à Kirchberg, Domini in Farnrodâ &c.* qui jam aliquoties eâ, quâ decet obſervantiâ, oblatum à Senatu Academicô munus Rectorale Generoſô facilique animô ſuſceperunt & authoritate illuſtrisſima celebritatem Academiæ promovere ſuſtinuerunt.

Sic ſtatim ſub auſpiciis Academiæ Gieſſenæ Reſtauratæ in Rectorem Magnificentiſſimum creabatur Illuſtriſſimus DN. WOLFGANGUS CRATO, *Burggravius à Kirchberg, Dominus in Farnrodâ*, Comes ac Dominus non tantùm de Academicâ, ſed

&

& univerſâ Haſſiâ bene meritiſſimus. Abhinc circa medium ſemiſeculi, anno ſc. 1674 Illuſtrisſimi DN. Patrui, glorioſiſſimæ memoriæ, veſtigiis inhærebat Generoſiſſimus Dominus LUDOVICUS CRATO, *Burggravius à Kirchberg, Dominus in Farnrodâ &c.* cui ſimiliter Sceptra Academica ſolennisſime & oblata & concredita fuerunt. Ne verò quicquam ſive ſplendoris ſive proſperitatis Academiæ deeſſet, reſtabat, ut ex eadem Familiâ Illuſtrisſimâ ſub fine ſeculi præterlapſi novique, quod (utinam bonis avibus!) nuper auſpicati ſumus, auſpiciis in apice Parnasſi Haſſo-Giſſeni fulgeret novus, quem coram venerari licet, RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS!

Poſtquam enim pro tenore ſtatutorum moreque hactenus receptô, paucis abhinc horis faſces Rectorales hornò mihi ſolenniter demandatas abdicavi, unanimi Procerum Academicorum arbitrio & conſenſu in Caput Academiæ electus eſt Illuſtrisſimus atque Generoſisſimus Comes, Dominus GEORGIUS FRIDERICUS, *Burggravius de Kirchberg, Comes de Sayn & Wittgenſtein, Dominus in Farnrodâ*, Comes ac Dominus longè gratioſisſimus, cui, poſtulantibus ita Statutis, de conſenſu Senatus Academici meâ quidem voce & præconiô publicè & ſolenniter faſces & infulæ Rectorales offerendæ erant.

Quòd ergò felix fauſtumque eſſe jubeat DEUS T. O. T. M. Te, Comes Illuſtrisſime, ex Decreto Conſiſtoriali Rectorem Magnificentisſimum ſalutamus: Tibi faſces offerunt Proceres & quæcunque jura illis adnexa, Tuæque Illuſtrisſimæ Magnificentiæ totam commendant Academiam regundam: quod omine ſanè felicisſimô, providente ita ſummô Numine contigiſſe, vel exinde colligo, quòd, cùm Magnificentisſimi noſtri Patruus Illuſtrisſimus, glorioſæ recordationis, ſceptra Academica olim ſuſtinens, Pro-Rectorem habuerit Celeberrimum *Ebelium*, Logices & Metaphyſices Profeſſorem: Illuſtrisſimo verò Fratri, ad clavum Academiæ pariter ſedenti tanquam Vicarius ſubſtitutus fuerit Profeſſor Theologus *B. D. Miſlerus*: Hâc vice ſimul in Pro-

Recto-

Rectorem Magnificum electus fuerit, qui & beati Ebelii familiæ proxima affinitate junctus ejuſque Profeſſioni dudum admotus erat: Celeberrimæ autem Misleriana familiæ (quæ magnum quondam *Clodium* fovebat) non minimam eruditionis ſuæ partem in acceptis ferebat; quò, ut in Magnificentiſſimo Noſtro binorum Anteceſſorum Illuſtriſſimorum, ita in Vicario ejus binorum Pro-Rectorum memoria ſimul & συλλήβδην recolatur. Sic utrobique unus inſtar omnium: Sic nunc in uno concentrati reviviſcunt utrinque: Patruus & Frater Illuſtrisſimi in Rectore Magnificentisſimo: Cognatus & Patronus in Pro-Rectore Magnifico, Viro Admodum Reverendo & Amplisſimo DN. M. JOH. BARTHOLOMÆO RUDIGER, *Log. & Metaph. Prof. Publ. Ord.* quem ut Vicarium ſuum gratioſisſimè admittet RECTOR Academiæ Magnificentisſimus, ita Eundem, ceu Pro-Rectorem Magnif. omnibus ſimul Civibus Academicis etiam atque etiam commendo & eâ, quâ decet, obſervantiâ mactandum jubeo.

Quod verò reliquum erat, acquieſce RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIME, acquieſce inquam & quas nomine Totius Senatus Academici modò offero infulas per Vicarium Tuum & Pro-Rectorem Magnificum jam ſuſcipe.

En *SCEPTRA ACADEMICA*, quæ ut Regiminis Literarii decora ſunt & inſignia fugentiſſima, ita certi qſ. Prodromi erunt futuri Regiminis territorialis, quo Illuſtriſſima tua Magnificentia propediem inveſtienda erit. Subditorum autem typum gerent Cives Academici, huic, quam ſubjungo, *MATRICULÆ*, tanquam cataſtro privilegiato inſerendi, qui eò majori curâ & ſollicitudine regendi & tractandi erunt, quo facilius in licentioſam peccandi libidinem degenerare ſolet libertas Academica. Huic autem ut remedium paretur, addo *LIBRUM STATUTORUM*, quô tanquam fræno quodam coercentur luxuriantes animi, eâque de causâ anima diſciplinæ Scholaſticæ dicuntur Sereniſſimo Legislatori; & cùm ſæpisſimè

Programmata & Edicta Publica valvis templi Illuſtrisſimæ Magnificentiæ Tuæ nomine affigenda & inſignibus Academiæ hujus obſignanda ſint, hinc *SIGILLUM MAJUS* illis dicatum jam adjicio, addito *MINORI* literis peregrè mittendis, teſtimoniis & ſimilibus imprimendo. Tandem *CLAVIBUS ACADEMIÆ* inveſtituram hancce claudo, quæ cùm plus oneris & moleſtiæ, quàm reliqua involvant, Magnifico DN. Pro-Rectori potisſimum curandas offero. Agmen autem ducunt *Claves Conſiſtorii*, quia penes Vos erit, publicas, quoties neceſſitas efflagitaverit, congregationes inſtituere, convocando Conſiliarios Veſtros, Decanos & Profeſſores ſingulos. Sint conventus veſtri ſacri, ſalutares pacifici! Addo *clavem*, qua includenda æque ac recludenda ſunt ea, quæ *Fiſcus* colligit. Impleat arculas ejus bonis omnibus, qui theſaurorum reconditor cœlum & terram implet! Tandem *malæ & infelicis manſionis clavis* agmen traditorum claudat, quò illi claudantur, qui intra recti regulas contineri nequeunt, ne

Morbida facta pecus totum corrumpat ovile.

Vos autem, RECTOR Academiæ Magnificentiſſime Pro-Rectorque Magnifice, vivatis in hac Dignitate feliciſſimè, inſtructi omnibus ad regiminis beatitudinem requiſitis animi corporiſque viribus, ut omnibus piorum votis exoptata felicitate muneris graviſſimi terminum, aſt ſæpius recurrentem, aſſequamini.

Jam nihil reſtaret aliud, quàm ut Vobis, CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI operosâ ſerie utrumque Caput Academicum omni veneratione & obſequio mactandum commendarem, idque, ſi aliquid operis in adnitente eſſet, efficere conarer, niſi Magnificentiſſimi Noſtri prævaleret autoritas, in cujus vultu omnes revera gratiæ concentratæ ſunt. Hujus clementiâ ſi flecti non poteritis, haud ægrè feretis ſi gratioſiſſimam Rectoris Magnificentiſſimi benignitatem Domini Pro-Rectoris rigor temperaverit.

Faxit

Faxit Alma Trias, ut, quemadmodum in elapſo ſeculô largiſſima benedictionis ſuæ flumina irrigârunt Academiam primaque novi ſeculi auſpicia Eidem feliciſſima eſſe juſſit, ſic futuris quoque annis ſemper floreat, vireat, ſuccreſcat! ita cantabimus nomen ejus in ſeculorum ſecula!

DIXI.

DECLAMATIO PANEGYRICA VIII.

DE

ORIGINE ET PROGRESSU PHYSICES EXPERIMENTALIS.

Habita Giſſæ A. 1687. *d.* 30. *Maji.*

HOc ego dum jam primâ vice occupo ſuggeſtum, haud fortè diſparem cum iis ſubeo cataſtrophen, qui ex abſconditis vinculorum tenebris expliciti, ad priſtinæ lucis conſpectum ferè excœcari ſolent. Quùm enim multam vitæ meæ partem in obſcurô degerim, nunc verò juſſu Principali in apricum veniendum ſit, tantô undique ſplendore circumfundor, ut illuc animum facilius, quàm oculos attollam. Ab unâ quippe parte fulgentiſſimum Solis Haſſiaci veneror exortum: Ab alterâ tot Academiæ noſtræ lumina radios ſuos catervatim in me concentrantia. Aquilinam hîc oculorum aciem exoptârim, ut obverſô generosè vultu illis obviam ire & coruſcum utrobique jubar cominus experiri liceat! illic Gratioſiſſimos, quos ex Aulâ Principali Darmſtatinâ, tanquam verò ſolis Haſſiaci vortice, perſentiſco

 radios,

radios, quêis Sereniſſima noſtra Princeps ac Domina, DN. ELISABETHA DOROTHEA, *Haſſiæ Landgravia, Princeps Hersfeldiæ, Nata Duciſſa Saxoniæ &c. &c. &c.* Sceptra Principalia tutoriô vibrans nomine, Domina noſtra clementiſſima, Principali ad cathedram vocatione me ferire dicam an fovere acquievit. Hîc verò tot Globi Academici ſidera, quæ vel olim hæc ſubſellia exornârunt, vel uſquedum illuſtrant ita, ut parum abſit, quin ad conſpectum illorum lumine voceque captus prorſus obmuteſcam. At verum enim verò, pro certô jam umbraculô eſt veſtra, PATRES ACADEMIÆ præſentia admodum honorifica, quæ hallucinanti mihi & in Oratorum roſtris hactenus nuſpiam exercitato animum modò addit, ut, quam juſſu veſtrô & arbitriô cœpi telam, pertexere ſuſtineam.

Quandoquidem enim & legibus cautum & more receptum ſit, ut pro feliciori Muneris Academici auſpiciô ex hôc ipſô locô verba prius facienda ſint; æquum omninò erat huic Superiorum ordini decenter morem gerere, utut vix aptum ſuppetat argumentum, quô ad dignitatem Auditorii exſurgat oratio. Intereà ne Areopagitarum inſtar ἄνευ προοιμίε ſpartam meam occupaſſe aut temerè ad eandem (quod jura vetant) & repentè proſiliiſſe videar, ea modò ſeligam, quæ à munere mihi demandatô haud multum aliena ſunt & ad *Phyſices*, ut vocant, *Experimentalis* illuſtrationem vergunt. Abſit autem, ut ſtentores hîc & Agyrtas ſecuturus ſim, qui publicis in forô nugis verba dare & vel nomine jam ſuſpecta unguenta perfrictâ fronte dilaudando ſimplicioribus palpum obtrudere intus & in ſinu gaudent. Quin de ſcientiâ nobiliſſimâ jam acturus aperto planoque dicendi genere tantum *ortum* ejus & *progreſſum* Hiſtoricâ fide referam, verba rebus ita commiſſurus, ut quacunque duxerint, hâc inelaborata ſequatur oratio. Fiet enim ita, ut citra omne, quod fors expectari poterat, encomium, oppidò appareat & antiquiſſimum eſſe Phyſicæ Mechanicæ ſtudium & ita comparatum, ut factâ cum

vul-

vulgari Scholaſticorum methodô ſupputatione tantum illa prominèat:

Quantum inter lenta ſolent viburna cupreſſi.

Cumque deſuper non tam ex vanæ gloriæ aucupio aut animô ad oſtentationem factô huc acceſſerim, quàm ex legali cauſa Eorumque juſſu, quorum nictus pro imperiô, velle pro lege eſt; hinc veſtram, Viri OO. honoratiſſimi in audiendo patientiam, judicando æquitatem, aſſentiendo denique facilitatem eò pronius mihi compromitto, quô factâ Vobis inclinatione ardentius id ſollicito.

Dum verò jam pro æſtumatiſſimæ Experimentalis Philoſophiæ gloria milito, claſſicum ex adverſô canere & agmine jam factô mihi jugulum petere videntur univerſæ Scholaſticorum copiæ, quæ Tartaris hodiè terribiles Moſcorum legiones ferè numerô ſuperare poſſent. Sicut enim ars non habet oſorem niſi ignorantem, ita plures illîc ſunt, qui aut ſublimitate rei aut laboribus deterriti ex ſupinô livore & invidiâ eandem aliis pariter ſuſpectam reddere &, ſi non prorſus impiam vel irreligioſam, novitate tamen plenam execrari ſolent: Utrumque citra omne meritum. Nec enim heri vel nudius demum tertius invaluit hæc Philoſophandi ratio, ſed ultra remotiſſimam hominum memoriam à longis retroſeculis eandem floruiſſe extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum. Quod ut appareat, non adducam heîc antiquiſſimos *ſecretorum, arcanorum & Naturæ mirandorum* Scriptores palam ſæpe fabuloſos: Mizaldum, Albertum Magnum, Joh. Baptiſtam Portam, Kirannidem & alios, cùm neque fide nec annorum ſerie hîc Suffeni ſint, qui nos ad primam ſcientiæ hujus ſcaturiginem deducere poſſint. Altius omnino repetendi ſunt ejuſdem natales, quorum haud obſcura in ſacris veſtigia occurrent iis, qui, ut Chriſtianos decet, ſanctiſſimum DEI verbum noctes atque dies cum Divo Citharœdo habent in deliciis. Hoc enim ſi vel à limine ſalutaveris apparebit ὀφθαλμοφανερῶς Scientiam hanc infelici hominum Protoplaſto A-

damo concreatam in ipſô Paradisô ſua cepiſſe primordia. Certè vel ſola nominum impoſitio id evincere videtur, quam ab Adamo ante factam; quàm animalium aliorumque corporum indolem experimentis primò factis obſervârit, adeo non eſt probabile, ut contrarium potius inde ſuſtinere audeam, quòd, ut vulgò dicitur:

Conveniant rebus nomina ſæpe ſuis.

Enim verò cùm Evam ex coſtâ ſuâ divinitus efformatam cerneret, eandem Viraginem appellavit, hâc, ut textus habet, de causâ, quòd à Virô ſit decerpta: Unde nullus dubito, quin & in cæteris rerum appellationibus idem ab Adamo obſervatum ſit, utut hanc de ὀνοματοθεσία controverſiam, ut altioris indaginis opus, Reverendis Dnn. Theologis jure meritòve relinquam. Sufficiat ſaltem eviciſſe Adamum in Paradisô conſtitutum in Phyſicis haud fuiſſe rudem. Quid quòd in tantum inhiarit experimentis, ut ex nimiâ demum curioſitate negata concupiverit & ex pomi vetiti deguſtatione per mortes hominum experimentum egerit, quod ipſum tamen hîc in inſontiſſimæ ſcientiæ præjudicium non adduxero. Ut verò & cæteros Phyſicos Experimentales Biblicos abſolvam, Moſes jam in ſcenam prodeat, quem diſciplinæ hujus adeò quidem gnarum fuiſſe credunt, ut Robertus de Fluctibus, Richardus Bunworth, Danæus, Valleſius, Pererius, Comenius, Hornius, Joh. de May & alii *Phyſicæ Moſaicæ* ſcriptores primum creationis librum pro unicâ Phyſices normâ habeant atque regula, quam exceſſivam tamen illorum ſanctitatem vel eô adverſatur Inclytus Morhofius, quod ſacra profanis immiſcendo ſæpe triſti ſe enthuſiaſmo implicent, ut ſuperiori ſeculo Fratres roſeæ crucis, nunc verò Ægidius Gutman, Behmius, Culmannus & alii. Quicquid ſit, Moſen tamen rebus hiſce deditum fuiſſe credere me jubet experimentum ejus centum boum mactatione dignum, quô aureum Apoſtatarum vitulum in cineres redigere & in pulverem mari innatantem im-

mutare

mutare novit, quæ certè haud parvi momenti res eſt, cùm unanimi Chymicorum conſenſu proclivius ſit efficere, quàm deſtruere aurum. Unde factum, ut non ipſe modò Phyſicis, ſed & Chymicis altioribus, quos Adeptos vocant, annumeratus fuerit, eòque magis, quòd liber exſtet Chymicus, quem Soror ejus Miriam conſcripſiſſe dicitur ab iis, qui in conficiendo aurô lapideque Philoſophicô facultates ſæpe atque ſtudia dilapidant. Aliâ verò arte ſibi aurum cumulabat Jacob, tertius in ordine Phyſicus, dum aſtu à Socerô repetenda erat merces detenta laborum. Bina nempè vice illi fucum fecerat fraudulentus Laban, dum pro deſponſatâ carè Rahele lippientem Leam ipſi clanculum obtruſerat & avarâ ſæpè manu promerita laborum præmia perſolverat. Quid verò Jacob? Pol! quàm egregiô tunc inventô inexcuſabilem Soceri perfidiam in proprium ipſi caput refundebat! noverat enim Patriarcha, quid diſtent æra lupinis & quantum in pecorum conceptione phantaſia valeat: Quare poſitis ad aquaria virgulis ex atro-albicantibus, cum ſummô Soceri ſtupore, id tandem effecit, ut major ovium portio (variegata ſc.) ex pactô ipſi cederet, quod ut immenſum familiæ pondus addidit, ita ſumma Phyſices Experimentalis utilitas inde ſpontè eluceſcit. Quid tandem de Salomone dicam, Phyſicorum Principe? fallor an inexhauſtos, quos indies obtinebat, auri argentive acervos ſummæ, quâ claruit, Phyſicæ cognitioni tulerit acceptos, cùm ſpiritus in ſcriptura atteſtetur, quòd elocutus ſit de plantis à cedro, quæ eſt in Libanô uſque ad hyſſopum, quæ prodit à pariete, de jumentis, reptilibus & piſcibus: Cauſam addit Joſephus: Nullius enim horum indolem ignoravit. Unde ſunt, qui accuratiſſimam ab Eô rerum naturalium Hiſtoriam literis mandatam eſſe credunt, cujus magnô quondam deſideriô tenebatur παῤῥησίᾳ Theologiâ non minus, quàm leporibus in ſermone celeberrimus D. Schuppius, qui vernacula hunc in textum ita commentatur: *Ich möchte gern Salomonis Phyſic ſehen und leſen; mich dünckt die Phyſic ſey von unſern Philo-*

ſophis

ſophis noch nicht recht excoliret. Was iſt, daſs man auf Univerſitæten diſputiret, de numerô clementorum, de motu, de materia prima? Dolendum autem eſt, quod aurea hæc Salomonis ſcripta ita interciderint, ut vix tribus in S. Codice verbis eorum mentio fiat. Ridicula dicam an iniqua planè cauſa eſt, quam ex Hebræorum mente refert Camerarius, quod mandatô Regis Ezechiæ ideò cremata ſint, ne ad idololatriam ratione iſthâc homines adducerentur. Cujus farinæ quoque eſt carioſum Alexandri III. Decretum, quòd ſeculi XII anno 63 tum Româ exul Turonibus in Galliâ pro concilio XVII Cardinalibus, centum verò & viginti Epiſcopis frequentatô ſanciit, quod, ut Graviſſimus Autor Aventinus habet, ita ſonat: „ Sacris initiatus „ rebus profanis abſtineto leges atque Phyſica non audito; „ ad quod condendum quid congregatos Patres impulerit dum cogito, dubius profectò & anceps valdè hæſito? Quid enim? an dicam credidiſſe illos naturalium rerum indagationem (nam de Legum cognitione non agit oratio) Theologum neutiquam decere? an affirmem illos, qui rebus ſacris eâ tempeſtate præfecti fuêrunt, omnem Phyſicis, adeoque alienis ſtudiis operam navaſſe, ut Philoſophantium animos in Naturæ campum effuſos frenô aliquô cohibendos atque intra Scripturæ terminos revocandos eſſe judicarint? anne conjiciam Patres hoſce Turonenſes triſti demum experientiâ didiciſſe naturales diſciplinas (ut tunc erat rerum humanarum ſtatus) verbalibus unicè contentionibus & inanibus diſputationum tricis irretitas Eccleſiæ Chriſti incommodare admodum, quod ab Experimentali tamen Scientiâ quàm maximè alienum eſſe conſtat. Verum illuc jam redeo, unde paululum digreſſus ſum; & quamvis certum eſſe conſtet noſtris modò temporibus de Divinâ Salomonis Phyſicâ nequicquam amplius in ſcriptis ſupereſſe, nil tamen impedit, quo minus quis aſſereret, haud pauca ejus rudera ad Poſteros per ſecretiorem Cabalam abiiſſe, ac vivâ ſaltem voce propagata eſſe. Si enim ulla hominum gens eſt, quæ Scientias ſuas atque artes in ſecretis habet,

habet, ea ſane (ſi Chinenſes fors excipias) Hebræorum natio eſt, quæ noſtris hominibus familiare ſcripturiendi cocoethes, ſi quid aliud, adverſatur admodum; ſicut igitur hodiernis, qui Politicorum ſuaſionibus inter Chriſtianos tolerantur uſque, Judæis, iis cumprimis, qui illotis ſæpè manibus in ſacra Artis Medicæ delubra irruunt, nil æquè familiare eſt, quàm ut experimenta à Parentibus ſibi hæreditariò relicta jactitent, ita credibile ferè eſt quædam Veterum Phyſicorum fragmenta in per antiquis Hebræorum Scholis oretenus illis credita fuiſſe. Nam & illos Scholis olim Publicis, quas Academias vocant, gaviſos eſſe, ex hôc ipſô locô Panegyricè quondam, docuiſſe novi πολυμαθέστατον noſtrum Clodium, quem è cathedrâ modò venerari licet.

Erat hæc prima Phyſices Experimentalis infantia, quæ ob teneros ætatis annos ſcripturæ neſcia adeò ſilentii peplo omnia involvit, ut ne rudera quidem amplius ſuperſint. Poſtquam verò ſub captivitatis Babylonicæ miſeriâ à Judæis ad Perſas devolutum eſt Phyſicæ Palladium indeque Græcis paulò poſt innotuit, ſcriptioni demum manum admovêre, prout relicta utrobique monumenta atteſtantur: Illîc innotuêrunt hactenus aliquot fragmenta, quæ Hermeti Triſmegiſto vulgò tribuuntur, utut à Conringiô olim dubitatum ſit, an in rerum naturâ Hermes hic exſtiterit? Cui tamen dudum ſatisfecit Inclytus Borrichius, qui magnæ famæ Antiquario oſtendit, quam altè ſæpè bonus dormitet Homerus. Quodſi ita ſit, extra omne dubium eſt eundem Naturali Philoſophiâ claruiſſe admodum, adeò quidem, ut Tertulliano non ſine cauſa Phyſicorum audiat Magiſter; pleraque ſanè, quæ Philoſophi Noſtrates de neceſſitate, elatere & effectu aëris experimentis ſuis oſtendêrunt, haud obſcurè in *ſmaragdinâ* ejus *tabula* leguntur, quam è fonte Latino nuperrimè reſtituit Dominus Kriegsmannus, in Chymicis quondam verſatiſſimus; hoc enim ſcriptum illud eſt, quod pro aurea ſua bulla habet Adeptorum Monarchia, ſed Oedipus ſit, qui hoc ænigma ſolverit! quare relictâ tantiſper Perſiâ ad ſalutandum

Ariſtotelem in Græciam divertamus, quem in experimentis quondam fuiſſe totum, hiſtoria ejus animalium abundè atteſtatur. Poſtquam enim Magnus Orientis Domitor Alexander animalium indoles dignoſcendi deſideriô flagrabat, Ariſtoteli hanc ſpartam delegabat, „ cui Plinio teſte aliquot millia hominum in to- „ tius Aſiæ Græciæque tractu, quos venatus, aucupia piſcatuſ- „ que alere noverat, quibuſque vivaria, armenta, alvearia, pi- „ ſcinæ, aviaria in curâ erant, parere juſſit, ne ſcil. quid uſ- „ quam gentium ignoraretur ab illo. „ Quid quod ipſi Ariſtoteli pro labore illîc præſtitô octingenta ſolverit talenta, quæ computatione factâ coronatorum aureorum quadringenta & octoginta millia faciunt: Unde libros hoſce opus multorum talentorum olim dictos eſſe Antiquorum monumenta ferunt. De cæterô dolendum eſt tanti ingenii Virum paulo generalibus animi conceptibus plus juſtô indulſiſſe, nec cœptam in natura telam pertexiſſe. Nullus enim dubito, quin plura ei in Phyſicis experimenta innotuerint, quæ aut inſuper habuit, aut ex invidiâ aliis pandere recuſavit. Mirabimini fortè, Auditores, quòd Ariſtotelem arcana Philoſophiæ aliis pandere noluiſſe dicam, cùm neminem è contra lateat illum tot tantiſque voluminibus ſua aliorumque Sapientum placita poſteris tradidiſſe. At verò, quæ jam protuli, non ego modò finxi aut alius paulò ante me, ſed qui hominis candor eſt, ipſe profitetur Ariſtoteles. Quum enim atteſtante Plutarcho, Auloque Gellio Alexander Magnus ſcriptis ad Præceptorem literis conqueſtus eſſet, quòd editis ab eô *Acroamaticis libris* divulgarentur ſapientiæ ſecreta, quô fieret, ut nulla amplius re ipſe aliis præſtaret, reſpondit Regi Stagirites, nequaquam id metuendum, hoſce enim libros editos eſſe & non editos. Quibus ſine dubiô verbis ſignificare voluit, ita ſe, quæ publicè divulgârit, vocum dictionumque involucris abdidiſſe, ut verum ubique eruere ſenſum ne diligentiſſimus poſſit. Atque hinc factum, ut ſi non omnis, ſaltem plurima Peripateticorum opera ſcribendis librorum tam obſcurorum expoſitionibus impende-

penderetur, quâ tamen ratione Autorem iſtum, qui intelligi noluit, haud dum ſatis illuſtratum fuiſſe inde colligas, quòd ſeculô XV Hermolaus Barbarus, modò vera ſint, quæ de illô fabulantur, malum Dæmonem in illô explicandô conſulere voluerit. Adeo verùm eſt, quod Themiſtium Ariſtotelis Interpretem quodam in locô dixiſſe monet Ludovicus Vives, furori ſimile eſſe, ſi quis ſperet ſe ex Ariſtotelis ſcriptis ſententiam ejus penitus aſſecuturum. Permittite Auditores, ut verbo tangam quæſitæ hujus obſcuritatis cauſam, quò appareat nihil planè à me dici, quod ad tanti viri, de poſteritate certè non malè meriti, contumeliam vergat aut contemtum. Neque enim ſolus hic fuit Philoſophus, qui ſtudiô quæſivit obſcuritatem, ſed Veteres ad unum omnes (cum Ludovicô Vive loquor) invi- „ derunt nobis beneficium ſuæ inſtitutionis, dum ea, quæ in- „ veniſſent, non apertè ac ſimpliciter nobis communicârunt, „ ſed tot involucris contecta, ut facilius eſſet illa ex ipsâ rerum „ Naturâ eruere, quam ex eorum libris. „ Nempe arcere voluerunt profanum vulgus à cognitione rerum, quas traderent, contaminaturum, non intellecturum; aut ſi intelligeret, non ſatis ſive Philoſophiam ſive Philoſophiæ Antiſtites æſtimaturum. Non dicam, quod tamen idem Vives affirmat, fuiſſe præterea cauſam peculiarem, cur Ariſtoteles obſcurô uteretur ſcribendi genere. Cum enim primum Scriptores omnes, qui ante ipſum fuiſſent, carpſerit, callidô & vafrô virum ingeniô talionem veritum ſententiis eſſe uſum ambiguis & utrumque in latus flexibilibus; ne quis etiam exiſteret, qui dicta ejus laceraret, ita caviſſe ſibi ſemper viâ, quâ elabi deprehenſus poſſet, ne teneretur, ut quicquid dixiſſe videretur, integrum eſſet ei, qui illum tenendum ſuſcepiſſet, negare eam fuiſſe illius mentem. Hæc eſt, Auditores Viri aliâs Sapientiſſimi æquè ac æquiſſimi de Ariſtotele ſuſpicio, quam ipſam tamen hîc pro infallibili neutiquam obtrudo. Sufficiat ſaltem indigitaſſe plura Ariſtotelis experimenta aut obſcuritate eſſe implicata aut ſilentio penitus oppreſſa. Nec tot

ejus Interpretes ſive Arabes, ut Averroës & Avicenna, ſive Scholaſtici, Thomiſtæ, Scotiſtæ, Nominales, Reales, Occamiſtæ, Albertiſtæ & ſimilis farinæ Socii hîc ullas nobis ſuppetitias tulêre, quorum Phyſica, Verulamii judicio, nihil aliud, quàm inanes Dialecticæ voces ſonat, adeò quidem, ut Conterraneus ejus Willis ſui quaſi tædio correptus non poſſit non ſummum, quem inde ſenſit, pudorem profiteri publicè, dum: „ Puduit, „ inquit, me hactenus precariò fuiſſe Philoſophum & Poëticam „ quandam Phyſicen me meoſque Auditores deliniviſſe & utriſ„ que tanquam incantamentô quodam feciſſe fucum. „

In paucis ergò Stagiritæ ſcriptis paulatim adolevit ipſa Phyſica, vultu triſtique ſeverô, donec ſeculo XV. uti aliarum artium, ſic & Philoſophiæ Naturalis Studium cœpit eſſe paulò felicius, quam erat ſeculis proximè antecedentibus. Quum enim Græcum Imperium à Turcis miſerè vaſtaretur, Veteres migrando Coloni in Occidentem delapſi primum in Italiâ, mox & in Germaniâ aliiſque Europæ Regionibus Græci ſermonis ſtudium excitarunt ita, ut præclari Philoſophiæ Scriptores Plato, Ariſtoteles, Themiſtius Theophraſtus interjectis paucis annorum revolutionibus in Latinam transferrentur & ab utroque Plinio, Scaligero, Cardano atque aliis magis magiſque excolerentur. Magnam hîc penes Eruditos gratiam iniit Theodorus Gaza, qui Naturalis Scientiæ argumenta quærens *Hiſtoriam Plantarum* à Theophraſto, *Animalium* verò ab Ariſtotele conſcriptam hujuſque *libros de partibus atque generatione animalium* Latinè reddidit.

Interim ſterilis adhuc & in primis juventutis annis experientiæ haud magnæ erat naturalis diſciplina, donec ineunte hoc, quod jam ad finem properat, ſeculo XVII. in apertum ſe florem induerit, dum Magnus quondam Angliæ Cancellarius Franciſcus Baco de Verulamiô veternum aliis excuſſit, & quâ erat Sapientia atque eruditione, in emendanda augendaque Phyſicâ Experimentali omnem movit lapidem. „ Improbavit is ingenia vel „ in admirationem antiquitatis, vel in amorem & amplexum

novi-

novitatis effuſa: Laudavit, quæ ejus ſunt temperamenti, ut „ modum tenere poſſint, ne aut quæ rectè poſita ſunt ab Anti- „ quis convellant, aut ea contemnant, quæ rectè afferuntur à Novis. „ Arbitramur rectiſſimè hoc magno Scientiarum & Philoſophiæ detrimento fieri, quum ſtudia potius ſunt antiquitatis & novitatis, quam judicia. Veritatem autem non à felicitate temporis alicujus, quæ res varia eſt, ſed à lumine Naturæ & experientiæ, quod æternum eſt, petendam. „ Et quia credidit Arabes & „ Scholaſticos (ipſius modò verba referam) ſcientias potius con- „ triviſſe numeroſis tractatibus, quàm pondus earum auxiſſe, „ oſtenſis prius erroribus & Scholarum ulceribus manum hiſce Medicam admovit atque aliam emergendi viam oſtendit, quâ per continuam effectuum naturalium obſervationem & tentanda indies experimenta rerum cauſæ ita demonſtrari poſſint, ut nolentes etiam volentes ad aſſenſum trahere valeant. Haud multò poſt ſtrenuas ipſi in expurgando hôc Augiæ ſtabulo ſuppetias tulit Renatus des Cartes, nóbili in Galliis ſtemmate prognatus, ut ex ſplendidiſſimô ejus, quod in ſacrario quodam Pariſienſi nuper videre licuit, Epitaphio conſtat. Hic ſi quis alius antiquam Philoſophiæ faciem prorſus immutarit. An autem in melius mutâvit, an in pejus, de eô & multæ & vehementes & diuturnæ paſſim intercedunt lites, neſcio quando finiendæ? Laudatur ab his, culpatur ab illis. Hic virum ad aſtra tollere, ſequi, probare ferè ſemper: Is contra reprehendere, accuſare, damnare, ut majori quis diſcrimine inter utroſque ſtatuatur arbiter, quam Paris inter litigantes de formæ præſtantiâ Deas, tam eſt ſuæ quiſque addictus ſententiæ. Liberè tamen, Auditores, dicam, quod heîc quidem ſentio: Singulari prorſus & inſigni DEI beneficiô didiciſſe tandem homines ratione ita uti, ut non amplius ſint, ſicut equus & bos, quibus non ineſt intellectus, ſed ab inſolenti Veterum Authoritate emancipati in quovis doctrinæ genere in ipſam veritatis lucem intueri poſſint, nec umbram pro corpôre vel pro Junone nubem amplectantur, h.e. inanes pro rebus ſonos & ſine

pondere voces. Quod autem tantum in univerſi hujus naturâ indagandâ profecerint, neſcio, annon bonâ ex parte acceptum ſit Carteſio ferendum, qui novâ planè methodo eam tandem & iniit & aliis oſtendit viam, quâ & Creatoris exiſtentiam & ſingulas φαινομένων naturalium cauſas, more planè Geometricô ita clarè & diſtinctè explicari poſſint, ut vix amplius de iis dubitari poſſit. Nemo tamen mihi perſvadebit, eum à rectô veritatis tramite nunquam aberraſſe, quin compertum habeo, ut plurimarum rerum naturalium cauſas optimè detexterit, ita humani ſæpe quid eſſe paſſum, à nullô mortalium alienum. Quod autem & Atheorum numero à nonnullis ſit aſcriptus, illud & durum nimis eſt & à ſtreuô ejus Vindice Tobiâ Andreæ maſculè refutatum. Quid quod ipſe Philoſophus tum in tomis dudum publicatis, tum in Regiis Chriſtianæ Svecicæ ſcriniis adhuc dum deliteſcentibus manuſcriptis innocentiam ſuam ſatis explicârit, nec juratos ſibi adverſarios unquam dimiſerit inultos, quorum agmen ferè duxit Petrus Gaſſendus, quem, inſtar omnium hîc nominaſſe ſufficiat. Dum enim in Belgiô Philoſophatus eſt Carteſius, Gallia hunc Gaſſendum alebat, Virum in veterum monumentis verſatisſimum, qui Epicuri potiſſimum & Democriti doctrinam ex Orcô revocavit atque propriô, quô mirè excelluit, ingeniô ad exornandum corpuſcularis Philoſophiæ ſtudium multum contulit eaque propter magnam penes Noſtrates gratiam iniiſſet, niſi coætaneum ſibi Carteſium tot calumniis irritaſſet, quòd peſſimè habet ejus Sectatores, Dn. Le Grand, Tattinghofium, Lipsdorpium, Conſentinum, Regium, Rohault, Claubergium, Svicerum & quem annô nuper decrepitô Pariſiis in Collegio Pleſſæo è Cathedra profitentem, coram admiratus ſum, Dn. Du Hamel, Philoſophum noſtri ſeculi famigeratiſſimum. Cæterum cùm multa Carteſii dogmata hypotheſibus innitantur vix ſemper probabilibus, Natura autem, ut cordatè judicat Helmontius, non amet hypotheſes, ſed nuda ſpectari deſideret, hinc à Modernis ad experimenta rurſus itum, quæ tantô hodie fervore in omnibus Europæ

ropæ locis peraguntur, ut in ſummô jam plenòque ætatis vigore conſtituta videatur ipſa Phyſica. Quanta bone DEUS! quanta non præſtitit Illuſtriſſimus in Angliâ Boyleus, cujus aureos diſcurſus & conſpectum venerabilem cum Interprete Abercombio pro æſtimatiſſimo, quem ex Anglico nuper itinere reportavi, theſauro reputo. Quanta conterranei Digbæus, Hoockius, Williſius, Walliſius, Grevv, Needham, Lovverus, Pappin, binique *Rei Botanicæ Reſtauratores* Moriſon atque Rajus! quanta non Hubinus, eminentiſſimus in Gallia Mechanicus, Vernejus du Blegny, Lemmery, Mery, Malebranche & alii! quanta non Lynceus in Italia Malpighius! quanta in Belgio Drelincurtius, Hermanni, Volderus, Senguerdius, Nuckius, Levvenhœck, Ruiſchius, Bidlovius, Sylveſter & alia dulciſſima mihi nomina! quanta Bartholini, Paulli, Borrichii, quibus Dania ſuperbit! Nec ultimos & ab omni humanitate remotiſſimos Indos atque Garamantas ab hâc Scientiâ multum alienos eſſe credere me jubet *Plinius* illorum *Sinicus* vel ſolis characteribus admirandus & in ſelectiſſimâ Per-Illuſtris Dn. Ludolfi bibliotheca conſpiciendus; ad quem utinam *invento* ſuo *Brandenburgico*, ſeu quam meditatur, *Clave Sinica* acceſſum pararet Vir in hiſce Verſatiſsimus Dn. Andreas Müller, Præpoſitus quondam Berolinenſis, quò tandem obviam ire liceat tot ſubleſtis hactenus contradictionibus, quas Benza, Bonzius, Acoſta, Cleyerus, Kircherus, Laet, Linſchortus, Marggravius, Martini, Nihoſius, Piſo, Recchi, Franciſci aliique *Rerum Indicarum Scriptores* nobis reliquere. Quid verò multa de Extraneis, cum nec Germania noſtra adeo ſterilis ſit, quin Viros alat ſcientiæ huic addictiſſimos, Volckameros puta, Majores, Morhofios, Guericke, Menzelios, Pechlinos, Langelottos, Ammannos, Bohnios, Wedelios, Waldſchmidios, Dolæos, Reiſelios, Sturmios, Eckartos, Poſneros & quos non? dies me deficeret, ſi pretioſisſima ſingulorum inventa heîc oſtentare vellem; quibus acceptâ demum annorum maturitate vix intra privatos amplius parietes latuiſſe contenta Phyſica Experimentalis

talis

talis in integras tandem *Academias* ſuccrevit, ſeu, ut vulgò audiunt, *Collegia Curioſa*, quæ inter agmen ferè ducit Regia Anglorum Societas, cujus ortum & progreſſum patriô ſibi idiomate conſcripſit Thomas Sprat & ex eô ſummatim Tranſactiones Anglicæ: Collegarum verò numerum obſervationibus ſuis Chymicis olim addidit Kunckelius, ſicut & diſpenſatorium Londinenſe illis pariter illuſtratur. Poſtquam ſcil. turbulentis Cromwellii temporibus Eruditorum quidam Tyrannici Regni tædia tentaminibus Philoſophicis delinire ſtudebant, eaque propter certis diebus in privatis Per-Illuſtris & Londini Celeberrimi Chymiſtæ Boylei ædibus conveniebant, reſtituto verò poſt Carolo II. Rege legitimo cœptum illud altius urgebant, Rex rei magnitudine permotus tandem curam ejus geſſit, atque Regiam hanc Societatem anno 1660 inſtituens tantis illam privilegiis decoravit, ut præter Ducem Eboracenſem, Regis fratrem alioſque regni Proceres & ipſi Regium donare nomen haud recuſarit, factaque Exterorum acceſſione Collegarum numerus parvô temporis intervallo ultra centenarium excreverit. Nî grave fuerit, Aud. tribus adhuc verbis hodiernum Societatis hujus ſtatum Vobis referam, quæ hebdomadis ſingulis, die Mercurii in dicatô ſibi Collegiô Greshamenſi, haud longe à ſplendidiſſimo, quod Orbis habet, manodochio, Anglis *the nievv bedlam*, diſſito, convenire ſolet, ad cujus introitum tabula eſt ſuſpenſa, quæ annuum Collegarum numerum oſtendit. Tota nimirum Societas conſtat ex Collegio Generali & XI ſub-Collegiis, quæ utrobique ſuis gaudent Theſaurariis & Secretariis, quibus ſtipendia dicata ſunt ampliſſima. Scopus ejus eò collimat, ut rerum naturalium indoles ex intimo Naturæ receſſu eruat, erutas certis experimentis ſtabiliat, ſtabilitas denique in Actis ſuis Philoſophicis Publico communicet. Nec alios ſibi fines in Gallia poſuit Regia Parienſium Societas, quæ in Regis Chriſtianiſſimi bibliothecâ ſingulis hebdomadis convenire ſolet. De laudabili verò Eruditorum conventu, qui in Celeb. Dn. Roquii ædibus omni Jovis die colligitur,

tur, nemini non conſtabit, cui ob inſignem, quo Exteros honorat, amorem & acceſſum heîc publicas ago grates; Eruditio autem ejus ex egregiô diariô *Journal des ſçavans* jam abunde cognita, quod Latinitate donatum D. Nitſchio in acceptis ferunt Eruditi. Quin ex eodem conventu præterlapſô nuper annô prodiit haud abſimile *Journal de Medecine*, quod Bayle Roterodamus in *Novellis Reipublicæ Literariæ* haud ita pridem in compendiô recenſuit. Taceo ea, quæ in horti Regii introitu, partim à ſucceſſore Dn. Charras, partim ab Illuſtri Vernejo Pariſiis indies inſtituuntur exercitia. Nec de Collegiô Roſianô multum gloriari licet, cum aurei, quos pollicebatur, montes nondum ſint conſpecti. Quare alpes jam tranſcendimus, ut Italiam admiremur Academiis ejuſmodi & Collegiis præ aliis ſuperbientem, quæ longâ ſerie numerantur à B. Dn. Sachſio in *Gammarologiâ*. Tria tamen ſunt, quæ præ aliis uſque eminent: Collegium ſc. Experimentale Florentinum, Academia del Cimento dictum: Academia Lyncea, quæ Romæ eſt: Et nuper Patavii cœptum Collegium Recuperatorum, quod haud paucos è Germanis noſtris indies adſciſcit. Dum verò jam veſtrum mihi nomen excidit, Germani venerabiles, parum abeſt, quin cernuô ad terram rubore perfundar, quòd, quam primò nominaſſe fas erat, S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum penitus obliviſcar! ſed dabitis aliquid communi, quæ Vobiſcum mihi intereſt, neceſſitudini, partim & ſolitæ civilitati, quâ Exteris tempeſtivè cedendo aliarum gentium inſolentiam modeſtiâ perdomare noſcitis. Sicut autem ortum hujus & progreſſum jam ante ſeptennium ex hôc ipsô locô ventilavi publicè, ita noſtris hodie temporibus ad ſummum ſplendoris apicem adſcendit, dum Invictiſſimus Orientis Triumphator LEOPOLDUS I. Romanorum Imperator ſemper Auguſtus raptu planè Divinô tantà eandem gratiâ proſequitur, ut non ſolum donis verè Cæſareis Collegarum aliquos clementiſſimè affecerit, ſed ſub mediô licet Martis incendiô datis de novô privilegiis Societatis hujus curam gerere ac-

quieverit, quæ ſerie nunquam interruptâ ad poſteros propaganda Imperiali propediem Bullâ ratificaturus erit Gratioſiſſimus Academiæ Protector, Eminentiſſimus atque Reverendiſſimus Elector & Archi-Epiſcopus Moguntinus, DN. FRANCISCUS ANSHELMUS, quem humi proſtratâ reverentiâ modò publicè ſuſpicio. Ut verò jam cætera expediam, Societatis hujus ſcopus & intentio laudatiſſima ex annuis partim *Miſcellaneis*, partim & curioſis Sociorum opuſculis ſatis conſtat, quibus omnes in triplici Naturæ regnô difficultates experimentis indies factis expedire laborant. Sic primus Academiæ Præſes D. Bauſchius præter alia jam perfectiſſimè *unicornu foſſile* abſolvit, Fehrius *abſinthium*, Mollenbrock *cochleariam*, Sachſius *vitem* atque *gammaros*, Grabe *cervum*, Hertodius *crocum*, Wedelius *opium*, Tillingius *lilium*, Hagendornius *cynosbatum*; Clauderus *cinnabarim*, Scharffius *juniperum*, Schroeckius *moſchum*, alii alia. Quodſi cœptus hic Philoſophandi impetus usque perduraverit, Jovem lapidem jurare auſim, brevî temporis intervallô certum, quod hactenus in poſtulatis eſt, ſtudii Phyſici complementum expectandum eſſe: Duraturum autem credere me jubet ſumma, quæ ſtudio huic adjuncta eſt, amœnitas.

Sicut enim omne tulit punctum, qui utile dulci miſcet, ita Scientia Naturalis utrobique habet, quo ſedulis amatoribus ex aſſe ſatisfiat. Quid enim eſt, quod & oculos hominum & animos majori cum delectatione paſcit, quàm tot rerum viciſſitudines, cauſas & fiendi modos indagaſſe? quid admirabilius tot minerarum fruſtis ab Agricola, Kirchero, Erckero, Jonſtono, Becchero erutis? quid tot herbarum ſpeciebus à Dioſcoride, Matthiolo, Trago, Lobelio, Lonicero, Paulli, Moriſono, Rajo, Hermanno, Ammanno aliisque depictis & in *hortis* Europæ *Academicis* undique conſpiciendis: Patavino, puta, Pariſienſi, Oxonienſi, Londinenſi, Leydenſi, Amſtelodamenſi, Argentoratenſi, Altorffino, Norimbergenſi, Eichſtettenſi, Giſſenſi &c. Quid Speciofius tot animalium inſectorumque myriadibus ab Ariſtotele,

Geſnero,

Geſnero, Aldrovando, Franzio deſcriptis: Ecquid jucundius inæſtimabilibus concharum aliarumque rerum naturalium theſauris, quos Illuſtriſſima Magnatum *Gazophylacia* indies oſtentant, Cæſareum puta Viennenſe, Regium Haffnienſe, Electorale Monacenſe, Ducale Gottorpienſe aliaque Germaniæ *Muſæa*, Hamburgenſe, Dresdenſe, Hanovienſe, Ulmenſe, Francofurtenſia ad Mœnum, in ædibus Schefferi, Waldſchmidii, Banzæ: Marburgenſe Domini Peikenkamp; & quæ apud Exteros ſpectantur in ambulacro horti Lugdunenſis ſcrinioque Drelincurtii: Amſtelodami, in Theatro Chirurgorum Anatomico atque ædibus Dn. Ruiſchii, Bidlovii, Magazinis Indicis: Hagæ pænes Nuckium: Delphis apud Levvenhœck &c. Neſcio tamen an oculis ullibi meis tanta uſurparim, quanta Londini Britannorum in Muſæo Greshamenſi, quæ ex catalogô illîc edito Curioſis in compendiô exhibent *Acta Lipſienſium*; Oxonii item in ſuperiori Amphitheatri contignatione hortoque Academico ter mille herbarum ſpeciebus inclyto. Nec minori cum admiratione ſpectares ea, quæ Regius Galliæ Anatomicus Du Verney undique collegit & in repoſitoriis, Theatro Pariſienſium Anatomico contiguis aſſervare ſolet. De ſtupendis verò Italiæ deliciis ne verbum amplius addidero, niſi quòd ſumma me commiſeratione teneat deplorandum Malpighii fatum, qui ex nuperrimô, quô correptus eſt incendio univerſi & librorum & rerum naturalium ſuppellectilis jacturam tulit, proh qualem!

Ut verò dolorem ex optimi Viri infortuniô conceptum aliquantulum demulceam, tribus adhuc verbis admiranda Recentiorum experimenta deguſtare liceat. Utut enim & antiqui Magiæ Naturalis Amatores ea ſæpè præſtiterint, quæ rerum harum imperitis cacomagiæ ſuſpicionem impreſsêre, qualia ſunt Memnonis iſta ſtatua auroram ſalutans: Architæ columba lignea per aerem volitans: Dædali Venus lignea viventis inſtar obambulans: Alberti Magni caput æneum articulatè reſpondens: Drebbelii machina æſtum maris oſtendens: Kircheri aliorumque opera ſtupenda:

penda: Omnia tamen hæc levia ſunt, ſi admirandas Torricellii, Clerckii, Ottonis à Guericke, Schotti, Boylei, Hugenii, Papini, Volderi, Senguerdii, Sturmii, Stairii aliorumque machinas obſerves, quêis inviſibilem omnino aërem exantlando ſonoris ſonitum, gradientibus motum, viventibus vitam & adimere & pro lubitu quovis tempore reſtituere valent. Dicant ſe vitæ atque mortis Imperatores ipſi Medici, majori tamen jure iſthæc Phyſicis relinquenda judico. Phyſici enim ſunt, qui non morti modò, ſed & vitæ imperant, cum Medici ſæpè per ægrotorum mortem experimenta faciendo hôc honore excidant. Phyſici ſunt, qui tumulatas in cineribus ideas à morte reſuſcitant, quod ex hoc ipſo loco deſideratiſſimum Haſſiæ lumen Johannes Tackius olim ſæpius oſtendit. Phyſici ſunt, qui ſympathia prorſus admirabili diſtantiſſimos mundi circulos attingere, animos hominum incantamentô quaſi flectere variaſque corporum alterationes procreare norunt, quod ut uberrimam Theatro Sympathetico materiam, ita curioſo literarum commercio, Digbæum inter & beatiſſimum noſtrum Strauſſium olim habito, anſam dedit. Multa hîc de ſtupendis Cameræ obſcuræ effectibus, laternis magicis, ciſtis catoptricis, microſcopiis, priſmatibus, thermometris, barometris & aliis explicanda forent, nî tempus ſilentium imperet & admiranda Naturæ jucunditas jam ſuâ luce radiet.

Sed ecce! dum jam vela contraho, quoſdam audire videor, qui tacitè mihi ſuccenſere amant, quòd jucundam quidem experimentorum ſuavitatem omni ſtudiô adſtruere nitar, conjunctam verò difficultatem ſubdolè reticeam. At ſalva res eſt: Non enim diffiteor, quòd abdita Naturæ clauſtra cuivis ſine labore haud ſint patula, hinc enim abdita audiunt, hinc abſtruſa, hinc recondita. Interim haud invia eſt ad virtutem via & emergens inde commodum omnia largô fœnore compenſat. Sit ſalebroſa experimentandi via, ſit pretioſa, ſit laborioſa, omnes tamen hæ difficultates curioſum Naturæ Scrutatorem neutiquam abſterrere poterunt, cùm certus ſit, ſe tramite hôc facilius ad Naturæ theſauros

ſauros

ſauros penetrare & quas alii ſtruunt inſidias eò promptius ſuperare poſſe. Sicut enim illìc in addiſcendis Phyſicæ præceptis

Segnius (ut Horatius habet) *irritant animos demiſſa per aurem*
Quam quæ oculis ſubjecta fidelibus & quæ
Ipſe ſibi tradit Spectator,

ſic in convincendis adverſantium ſtrophis unicô ſæpè experimento plus efficimus, quàm mille Scholarum argumentis in Barbara & Celarent. Suo hoc exemplô confirmat Joh. Valentinus Willius *de itineribus Philiatrorum Germanorum*, dum ſæpè obmutui, inquit, ad rationes Chymicas, Anatomicas, Mecha- „ nicas, Mathematicas, ipſe traditionibus ad verba Magiſtrorum „ aſuetus. Hinc animi fervidiſſimâ æmulatione eoſdem conſu- „ lui, qui alios docuêre Magiſtros: Cultrum, rhizotomum, i- „ gnem, aquam, machinas. „ Parallela eſt hiſtoria quæ in Regiomontana Boruſſiæ Academiâ olim accidiſſe dicitur. Diſputabatur illìc de poſſibilitate tranſmutationis, quam theſium Præſes ita ibat inficias, ut omnes illam adſtruentes rationes acceptare recuſaret. Intererat autem duello Chymicus quidam rerum harum expertiſſimus, qui id ægrè ferens Helmontii argumentum eligit, qui in ſimili diſcrimine ſententiam ſuam adſtructurus, in furnis, inquit, noſtris ita legimus. Arreptô igitur furnulô portatili carbones inflat & in ipſô auditoriô magnô eum adſtantium applauſu projectionem publicè inſtituens: Hunc ad Præſidem inquit, hunc mihi ſolve ſyllogiſmum. Pari Herclè ratione comparatum eſt cum Phyſicis Recentiorum experimentis, ad quorum intuitum jam omnes Scholaſticorum exercitus receptui canunt & in fugam dati per auritorum pontem ad qualitates occultas, tanquam ad ſacram anchoram, quâ data porta, ruunt.

Verum ignoſcite, Patres Academiæ Conſcripti, ignoſcite quæſo, quòd liberius juſtô agens autoritate veſtra jam abuti atque jocos modò ſeriis immiſcere audeam. Nec ênim animus mihi eſt recepta Veterum principia tanquam ſexagenarium unô

impetu de ponte dejiciendi, cùm & iis olim per tempus benè multum oleum impenderim & oleam; quin amicabili connubiô antiqua ſemper novis maritando atque veritati ubique primas deferendo Veterum inventa, modô Anteceſſoribus meis haud inſolitô, recentiſſimis Modernorum experimentis ultrò corroboraturus ſum, cùm Statutis illud Academicis adeò non contrarietur, ut expreſſis potius verbis illic cautum ſit. Sicut enim hæc Philoſophandi methodus jam in pleriſque Germaniæ Lyceis magni penditur, ita ejus Academiam noſtram prorſus ſterilem eſſe, ab omni æquitate alienum eſſe judico. Quin potius ea, quæ hâc in parte à tenuitate meâ proficiſci poterunt, in ulteriores ejuſdem acceſſiones datâ operâ collocaturus ſum; quod ut ſummis hactenus in votis habui, ita occaſionem hanc à Clementiſſima noſtra Principe ſubminiſtratam & commodam ſatis & gratiſſima animi devotione dignam agnoſco. Quod ut expediam,

Tibi ô Trinune DEUS

Rex Regum & Domine Dominantium Tibi ex intimô cordis receſſu grates perſolvo devotiſſimas, quod ab ineunte juventute ſtudiis meis clementiſſimè benedicere & quem

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum

mirabiliter hactenus duxiſti, Patriæ reſtituere, in adverſitatibus quibuſvis ac infortuniis conſolari tandemque vitam meam atque ſtudia Divinâ hac & paternâ vocatione Tibi curæ eſſe volueris. Da benigne DEUS, ut ſpartam hanc cœlitus oblatam ita ſemper adminiſtrem, quò cœpta mea & conamina in Divini Tui Nominis honorem, Patriæ celebritatem Proximique commodum unicè vergant. Eſto mihi in petram fortem & in domum munitam! ſis mihi omnis Polus, qui cum Filio Salvatore Spirituque Tuo ſine fine regnas, Tibi ſit honos & decus & gloria in æternum!

Poſt Deum immortalem ad Auguſtum Serenitatis Tuæ Thro-

num

num cernuus devolvor, ILLUSTRISSIMA PRINCEPS, quæ ut Patriam hactenus noſtram Tutela Principali ſalvam conſervaſti atque tectam, ita ſtudia mea ab interitu vindicare & dum jam aliis ad ultimas deſperationis incitas redactus videri poteram, è pulvere clementiſſimè erigere acquieviſti! Quid verò Tibi rependam, Princeps Sereniſſima, quæ dona feram atque munera pro tanta, quam in me exeruiſti gratia? certè cùm præter vota in viribus noſtris nil ſit reconditum, iſthæc Tibi offero, ſed ingenua, ſed ſincera, non improba, non inania, vel ad ſpeciem efficta. Deus Te ſervet Princeps Clementiſſima, cum Illuſtriſſimo HÆREDITATIS PRINCIPE & Univerſa Domô Principali! Deus Te ſervet & ſub feliciſſimô regimine nullis unquam temporum injuriis arietandâ valetudine ac proſperitate Principali cœlitus inundet! hæc calidis â Deo ſuſpiriis ex animô voveo ſubjectiſſimo!

Abhinc & veſtra venerabilis mihi recordatio eſt, Eminentiſſimi Conſiliarii Principales: Tua Per Illuſtris Dn. de Gemmingen, Haſſiæ noſtræ Salomon, quem ut vultu referas atque actionibus coràm admiratus ſum: Tua Inclute Malcomeſi, in quo per orbem volitans Taboris genius ita revixit, ut vel ipſa Themis in ſelectu hæſitet: Tua Generoſiſſime Dn. de Geiſmar, qui ſubinde noſtras aliquid putare nugas & gratioſo non minus quam rationali judicio ſcripta mea atque ſtudia ſæpè ſublevaſti: Veſtra inquam venerabilis mihi recordatio eſt. Per Vos enim hanc cathedram conſcendi: Per Vos jam publicè pro concione dico: Per Vos & Patrio mihi Heliconi litaturus ero. Hinc gratias ſuſcipite prolixas, non quas ferre debeo, ſed quaſcunque valeo.

Nec veſtram, Patres Academiæ, ſinceritatem heîc minoris æſtimo, quòd & deſtinatum in Collegiô veſtrô locum amicè indulgere & honorificâ modò præſentia me reapſe ſuſtinere complacuerit. Sicut autem hæc infucatô animi reſpectu lubentiſſimus amplector, ita ſeriô jam adſtipulor, me omnes eò nervos inten-

intenſurum, uti Collegam habeatis amicum, tolerabilem & honoris veſtri cupidiſſimum.

Tandem & veſtra, Cives Academici, Civilitas hîc neutiquam reticenda erat, quòd agmine huc factô convolare, vacivas ad tempus aures commodare ac applauſu denique veſtrô me dignari volueritis. Ferte domum grates ac parilem à me affectum expectantes certò credite, quod nemini unquam ſtudia mea ſim denegaturus, ſed pro virili gratificaturus. En dextra fideſque!

DIXI.

DECLAMATIO PANEGYRICA IX.

In Obitum

B. DN. SEBASTIANI SCHEFFERI, *Medici Francofurtenſis.*

P. P.

ADeò NUNQUAM OTIOSUS eſt juratus mortalium adverſarius, ut & iis, qui de hominum genere optimè mereri ſtudent, omni momento ruinam intentet & exitium. Momentum equidem eſt, quod vivimus: Momento temporis maximarum in Mundo rerum monumenta vertuntur: Momento temporis admiranda illa Microcoſmi compages diſſolvitur. Quod vivimus, momentum, ſive à pueritiâ ad extremam ſenectutis metam eatur, ſive primam ætatem adoleſcentiæ confinium confecerit, ſive prima ingreſſûs hora fatalis fuerit; nec adeò quæcunque in longiori vitâ vel adſpectu afficiunt, vel uſu blandiuntur;

tur, ſtabilitatis ullum firmamentum præſtant, ut rapidiſſimo potius curſu à ſui Gultoribus auferantur, non ſecus ac Urbes & terræ ex oculis evaneſcunt, è portu ſolventium. Momentum erat, quod numeroſus Xerxis Exercitus vivebat, atque illud brevitatis momentum lachrymas Imperatori expreſſit, ſive in illâ propriam miſeriam animô obiret, ſive ſimul ſuorum fugacitatem contemplaretur. Non opus eſt cum Plinio longinqua peregrinatione in Pontum divertere, atque in illâ animalia inveſtigare, adeò anguſtis vitæ terminis incluſa, ut diei unius ſummô mane nata, vigeant meridiè, veſperi verò conſeneſcant vivendique finem faciant; noſtra hæc hominum communis ſors atque conditio eſt, hic

Quem dies præſens videt eſſe natum
Hunc dies vidit veniens ſolutum.

Deſideras vitæ hujus caducæ vera emblemata? iſta dabo: Umbra, Bulla, Somnium, Fœnum, Fumus & qui alii vanitatis & inconſtantiæ tituli vitæ humanæ tum in ſacris, tum in profanis literis longô catalogô impoſiti deprehenduntur. Ludus ſanè vita noſtra eſt, ut cum non ſumus, naſcamur & cùm fuerimus nati, diſſolvamur rurſus. Somnium ſumus, non conſiſtens, prætervolans avis, navis in mari veſtigium non faciens, pulvis, vapor, flos ſuo tempore naſcens & marceſcens ſuo tempore. At verò Pſalten Divinum audiamus ita in rem concionantem: Homo ſicut fœnum; dies ejus tanquam flos agri effloreſcunt, quoniam ſpiritus pertranſibit in illô & non ſubſiſtet & non cognoſcet amplius locum ſuum. Hæc profana ſacraque pagina docet. Hæc experientia loquitur & iterato *Academiæ Curioſæ* fata, heu! quam triſtia! Vix enim ſe ventis commiſerant Argonauticæ Claſſis Heroës & ex triſti eorum, qui ad expeditionis hujus clavum ſedebant, jacturâ, vela jam plenô ventô turgida contrahere jubebantur. Occumbebat *Bauſchius*, primum eruditæ conſpirationis caput, dum in urgendis ejus progreſſibus omnem move-

bat lapidem. Et utut ex promerita poſtmodum Per-Illuſtris *Fehrii* ſucceſſione priſtinæ omnia tranquillitati viderentur reſtituta, mox tamen iterata ex triſtiſſimô Sachſiorum Welſchiorumque obitu tempeſtas imminebat, quorum virtus & ſedulitas quondam Academiæ Noſtræ ſplendorem fœnerabant haud obſcurum. Ita duplici demum fato ſatiata Nemeſis inducias hactenus indulgere viſa eſt. At verò ut Athletarum habitus, cum ad ſummum pervenit, periculoſiſſimus audit Hippocrati, ita quùm in excelſo celebritatis faſtigio ſuperbit maximè S. R. I. Naturæ Curioſorum Academia, verendum omnino eſt, ne præcipiti lapſu ruinam expectet multo acerbiorem. Mali equidem, quin peſſimi ominis res eſt, quod de novô illi, qui in promovendâ Societate tam laudabili erant toti, præmaturô mortalitatis ſuæ terminô rurſus infeſtentur, quos inter haud minimus quondam erat Excellentiſſimus Vir

Dn. Sebaſtianus Schefferus,

Med. D. Diverſorum Imperii Statuum Archiater, Illuſtris Reipublicæ Francofurtenſis Medic. Sque R. I. Acad. Nat. Cur. Adjunctus quondam Meritiſſimus, hornô tempore non ſine multo Eruditiſſimorum quorumvis conſternatione vitâ defunctus. Vix Suffenus mihi ero, ut jacturam à toto Reipublicæ literariæ conſortio exinde conceptam verbis exprimam. Tanto enim, dum in vivis erat, amicitiæ fœdere mihi jungebatur, ut ad deſideratiſſimam Nominis Ejus memoriam tantùm non penitus obmuteſcam. Quapropter nemo mihi vitiô vertet, ſi jam aliunde potius mutuatis, quàm domi natis & ob excruciatum dolore animum ceſpitante calamo deſcribendis modò verbis utar: Sunt verò Venerabilis Noſtri Præſidis, D. D. Fehrii, qui literis decrepitô nunc anno ad me datis ita querebatur: Quantum naufragium fecerit Argo noſtra ex obitu Excellentiſſimi Noſtri Perſei II vix ſatis deplorare poterit omnis noſtra Academia, Peritiſſimô hôc Palinurô (proh dolor!) jam deſtituta penitus. Vereor

reor Ego plures ejuſmodi procellas ac tempeſtates expeditioni noſtræ plurimum infeſtas ejuſque interitum interminantes, quas tamen Deus T. O. M. Summus noſter Gubernator clementiſſimè avertere velit! Interim

Durandum & Noſmet rebus ſervare ſecundioribus!

Non minorem inde luctum ſentiebant alii ex Universâ Europâ Celebratiſſimi Medici, qui vel adhucdum ad Beatiſſimi Viri memoriam largas ſolvuntur in lachrymas. Sit unus inſtar omnium, Magnificus *Dn. Georgius Francus*, vel ſolô nomine, tanquam propriâ luce, radians, qui, dum in agone jam æger anhelaret & à febri, quam vocant, malignâ jam ferè conſumtus eſſet, hac mihi ratione reſpondebat: ,, Inter mille turbas officii & con- ,,
ſultationes cum D. D. Widtio & D. D. Brunnerô (uterque ,,
autem Tibi plurimam ſalutem!) ſuper graviſſimo affectu Se- ,,
reniſſimæ Electricis Viduæ, triſtiſſimum Tuum accipio nun- ,,
cium, quod myriadas lachrymarum ſtatim mihi expreſſit. Vah ,,
malum ſummæ malignitatis! O candidiſſimum meum pectus! ,,
Ab omni purgante, clyſtere & quicquid à peripheriâ ad cen- ,,
trum malum retrahere poteſt, abſtinendum, imò ſatius fuiſſet ,,
etiam abſque V. S. Fugienda ſalia acria, calida, valdè ſpiri- ,,
tuoſa. Quæ mea mens ſit, vide ex literis ad ipſum oculiſſi- ,,
mum meum: ἄδηλος διαπνοὴ promovenda, ſine tamen ſudori- ,,
feris, ne abjectæ vires penitus conflagrent. Deus Optimus ,,
Maximus exaudiat ſuſpiria mea, quæ pro intimo & Principe ,,
Amico fundo. ,, Vale! Prorſus verò lamentabilis & verè querula eſt Amici haud infimæ ſortis conteſtatio, quam ſequentibus ad me verbis expreſſit: Ah grave vulnus, quod accepimus! itane tam citò *Schefferum* (ô dulce nomen) Noſtrum oportuit hinc tranſire illuc, ubi vita eſt quam nulla contaminet ægritudo! ô acerbum, quod ſui reliquit deſiderium! Amiſi ſingularis indulgentiæ Patronum, candoris nivei Amicum, grande mearum fortunarum ſolatium. Quibus ex cauſis neceſſe eſt, tan-

quam immaturam mortem Ejus in Amici ſinu affatim ceu quadam dolendi voluptate defleam: Si tamen fas eſt aut flere aut omninò mortem vocare, quâ tanti Viri mortalitas laborioſa finita magis, quàm vita eſt. Vivit enim, vivetque in æternum atque etiam ſecurus extra teli jactum conſiſtit, poſtquam è ſeditioſis ſeculi noſtri tumultibus in tempore receſſit educente Deo. Schefferus jam tenet, quod Nos perſequimur: Fruitur bonis, queîs Nos caremus: Coram intuetur, quæ variis imaginibus quandoque lucis glorioſæ auguſtiam in pias mentes evibrant. Aditus mortis ipſi fuit brevior, ſed hic ipſe ſuffragiô felicitatis ornandus, quod longiora tormenta intercepit. Et ille quidem plenus meritis abiit, charus Deo exceſſit, in altâ Patriæ tranquillitate abiit: Nobis tamen quærendus ac deſiderandus eſt: Mihi verò præcipuè quod me non vulgariter dilexerit! Sit memoria Schefferi in pace! Hactenus Amicus.

Quod verò mearum erat partium, jam ex indurato hactenus dolore nonnihil reſpirans per ſpeciale Totius Academiæ arbitrium Legibus Noſtris ſatisfaciendum adeoque juſta perſolvenda ſunt Beatiſſimis Deſideratiſſimi Collegæ Manibus, qui quicquid temporis caduci fuit, id omne in Creatoris Sui, Dei T. O. M. gloriam Proximique commodum elocavit: & utut maturè nimis vivere deſierit, reliquit tamen, quæ vixiſſe Eum ſeris temporibus teſtantur. Vitalem ille auram primam in Imperiali Francofurtenſium Civitate hauſit, anno currentis modò ſeculi XXXI die poſt Calendas Januarii primo, ex honeſtiſſimo Viro, *Dn. Wilhelmo Erneſto Scheffero*, Med. D. atque Practicô hujus loci Celebratiſſimo, νῦν ἐν ἁγίοις: Matre verò Urſula, Familiæ Egerianæ ſatis Celebris, omnigenarum virtutum congerie ornatiſſimâ Matrona. Prima ſollicitorum Parentum cura erat teneram filii ſui ætatem ita formare, ut in primis flexilitatis annis virtutis imbiberet ideam, cujus odorem per omnem vitam ſervaret: Ergò à primis pueritiæ annis & domeſticæ & publicæ in Patriâ Scholæ commiſſus tanta ſuæ indolis dedit experimenta,

ut

ut facile & Docentium amorem ſibi compararet, & ſuos ad æmulationem provocaret condiſcipulos. Atque ita pulchrè per complures annos ex Parentum & Præceptorum votô ſuccedente inſtitutione ad altiora demum animum applicans, anno MDCXLVIII. Argentinam abiit, inibique per integrum ſeſquiennium Humanioribus Curſuique Philoſophico ſedulam navavit operam. Abhinc ſingulari & à Majoribus hæreditariô quaſi hauſta propenſione Studio Medico addictus, anno ſubſequente MDCL ad Lipſienſe Illuſtre primum, poſt & Helmſtadienſe Lyceum ſe contulit, ut Celebratiſſimi tum temporis D. D. Tappii informatione frueretur, cujus ſub Præſidio paulò poſt publicam *de Melancholicâ Deſipientiâ* diſputationem exercitii gratiâ inſtituit & luculentiſſima ingenii ſui documenta dedit. Quin & in Botanicis, Chymicis, inprimis verò Anatomicis excolendis ſtudiis erat totus & ſuperſtiti, quod Theatrum Anatomicum adhucdum illuſtrat, ſceleto, interveniente Amicorum quorundam adminiculô, æternam ſui reliquit memoriam. Quantos verò in Studio ſuo Medicô hîc progreſſus fecerit, vel una, eaque ſincero & unanimi Eruditorum conſenſu elaboratiſſima *Introductio in Artem Medicam* multum hactenus expetita, edocere poterit, quam ſub Illuſtris *Conringii* præſidio à capite ad calcem publicis diſputationibus maſculè defendit & (quod paulò ante obitum ex ipſiſſimi Conringii atteſtatione ſanctè adſtruxit) propriô Marte abſolvit: Quâ ipsâ non minus, quam *Directorii Moroniani* amplificatione ſummam ſibi Nominis Celebritatem acquiſivit. Tot jam in Academico pulvere exantlatis moleſtiis Chymici tunc admodum famoſi, *Chriſtophori Farneri* gloriâ allectus, ſuam huic per integrum anni decurſum manum commodavit & operam, nec pœnitendos inde fructus conſecutus eſt, quin indefeſsô labore abſconditos ſecretioris Chymiæ receſſus inquirendo, tantam in rebus his ſcientiam eſt indeptus, ut non ænigmaticas Adeptorum Strophas facilè odorari, ſed aliis Illuſtris quoque Stemmatis viris & Artis hujus Amatoribus aliquoties

illîc à conſiliis fuerit. Abſolviſſe jam videbatur Studiorum ſuorum & eruditionis ſtadium, quod annis bene multis hactenus indefeſsô decurrerat, ita quidem, ut, ſive doctrinam ſpectes, ſive morum vitæque elegentiam, ſufficienti utrobique ſatisfactione Patriæ potuiſſet inſervire: At ſublimioris longè indolis erat *Schefferi* noſtri animus, quàm ut ſolis Germaniæ circulis, tanquam ergaſtulo ſe includi paſſus ſit. Quin Exterorum artes & ſcientias curiosè ambiens, inter haud contemnendum per utrumque Belgium univerſamque Galliam iniens atque Celeberrimorum quorumvis Medicorum familiaritate uſus, non rerum tantùm Medicarum, ſed (queîs abundè gaudebat) Naturalium pariter tantam Sibi copiam acquiſivit, ut in integrum ſucceſſivè Muſæum Curioſum, triplici Naturæ regno ditiſſimum, excreverint, adhucdum conſpicuum. Peracto ſic itinere nihil amplius ſupereſſe videbatur, quam ut Honores Doctorales pro publico dudumque promerito laborum ſuorum Studiorumque redhoſtimento reportaret, quos anno 1659. in reditu ſuo Heidelbergæ ab Antiquiſſima Academiâ Palatina, habita prius eleganti *de Pædarthrocace ex variolis* Diſputatione Inaugurali Lectioneque curſoriâ, communi Patrum Conſcriptorum applauſu eſt indeptus, Pileum & Infulas offerente Celeberrimo quondam Johanne Caſparo Fauſio Med. D. & Profeſſ. Primario. Domum verò rediens in eô erat totus, ut Artis & Scientiæ feudum in honorem Dei T. O. M. & ægrorum ſublevamen elocaret, futuræque Praxeos fundamenta jaceret, uberrimam hîc occaſionem adoriens ex diffuſiſſimâ, quâ tum occupabatur, DN. Parentis Praxi, cui ſenio jam confecto per integrum quinquennium ad ægri lectum crebrisque ad Vicinos excurſionibus fidas ſemper atque filiales ſuppetias ferebat. Tandem verò ex ineffabili Dei Omnipotentis Providentiâ Parentumque Conſiliô feliciſſimâ matrimonii copulâ ſibi junxit Lectisſimam tunc & omni virtutum genere Decoratisſimam Virginem, Viduam modò & Matronam Nobiliſſimam *Magdalenam Eliſabetham*, ex egregiâ *Braungar-*

tiana

tianâ Familiâ oriundam, quâ cum in XXIII. & quod excurrit, annum pacificô omninò & laudabili vivens conjugio, V. Liberorum Parens, unicæ ſc. filiæ, quatuorque filiorum particeps factus, quos inter nonniſi duo uſquedum in vivis ad avitam Parentum ſuorum & Anteceſſorum gloriam ſenſim adoleſcunt, & Schefferiani Nominis Celebritatem, ſub immortabilibus B. DN. Parentis cineribus tantiſper gliſcentem, luculentiori poſthâc flammâ alituri ſunt. Interim vivit poſt funera virtus, nec unquam animô cadent candidiſſima Schefferi præcordia iis, qui Ejus aut felicisſimam in medicando manum, aut infucatæ ſinceritatis amicitiam ſunt experti, cujus utrobique manifeſtisſima reſtant argumenta: Illîc quidem tot Principum Perſonarumque Illuſtrium deſideria, qui oblatis iteratò ſtipendiis ſat opimis Honoribuſque ſublimibus vitas ſuorum atque Aulas illi, tanquam Archiatro concredere non dubitârunt: Hic vero diffuſiſſimum, quo non in universâ modò Europâ, ſed extremâ quoque Indiâ inclaruit, literarum commercium, quod in ſummis habebat deliciis. Spiſſo indies agmine (oculatus teſtor) advolabant literæ Virorum valiqualium! Dies me deſereret, ſi ſpecialem eorum mentionem facere ſuſtinerem, quis enim omnium recordabitur? Juvat tamen paucorum meminiſſe: Habebat in Germania ſibi devinctiſſimos *Febrios*, *Volckameros*, *Mauritios*, *Menzelios*, *Majores*, *Francos*, *Schræckios*, *Dolæos*, *Reiſelios*, *Fürſtios*, *Pechlinos* &c. In Livoniâ *Wittios*: In Angliâ *Kohlhanſios*: In Italiâ *Patinos*: In Indiâ *Cleyeros*, & quos non?

Tantis placuiſſe Viris non infima laus eſt.

Unde factum, ut non iteratis modò vicibus in Auguſtæ *S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum Adjunctum* ſollicitatus, ſed & Celebratiſſimæ *Recuperatorum Societatis Patavinæ membrum* conſtitutus fuerit, quam utramque ſpartam, ſi quis alius, exornavit optimè.

Et hæc quidem Virtutis & Celebritatis Beatiſſimi Schefferi perio-

periodus eſt. Pietatis verò & Chriſtianæ Conſtantiæ clariſſima teſtimonia è beatô Ejus obitu & εὐθανασίᾳ non una exſurgunt. Conflictabatur Collegarum Optimus cum Febri Petechiali Malignâ, per contagium hauſtâ, quæ quidem ab initiô occultè ſerpebat & vix quàm rudera cujuſdam laſſitudinis (ut ita loquar) naturalis, è continuâ Praxeos defatigatione obortæ ſimulantia ſentiebat, adeò quidem, ut à primô Morbonæ inſultu per integrum adhuc octiduum ægros ſibi concreditos ſedulâ-indies viſitatione fideliſſimoque conſilio nullibi deſeruerit, cum maximô licet vitæ ſalutiſque temporalis diſpendio. Latebat enim anguis in herbâ & per cuniculos agens ægritudo ſenſim creſcebat eundo, donec ipſiſſimô (quod notatu fortè dignum) natali die, qui ſecundus erat Januarii, aperto Marte inſultaret Eundemque paulò poſt lecto prorſus affigeret. Horribilia ſtatim ſe prodebant ſymptomata, quæ vel ipſi ægro, tragœdiæ hujus non ignaro, ſpem maximè dubiam faciebant, utut hæc Domeſticis ferè diſſimularet, ne terrorem illis incuteret atque ſatis jam afflictis afflictionem augeret. Adſtanti verò Medico tacitè in aurem inſuſurraſſe novi verba: *ah! malignitas adeſt*, heu-quam maligna! vomitus ſc. continui, vigiliæ, anxietates nocturnæ, virium ſumma proſtratio, appetitus dejectio totalis, deliria, æſtus interni aliaque ſe confertim ſequebantur mala, omne remediorum genus prorſus reſpuentia, utut tam propriâ, quàm aliorum experientiâ illis maſculè obviaverit. Tanto enim furore æſtuabat illa febris, ut & Medicum, quem è viciniâ Sibi acciverat, haud multo poſt parili fatô enecârit. Cùm itaque heîc Medicantium artem vix valere æger conſpexiſſet, ſeque ad vitæ hujus caducæ exitum vocari ſignis haud dubiis conjeciſſet, animæ imprimis curam habendam eſſe ſaluberrimô inſtitutô decrevit, accerſitoque ad ſe Sacrorum Antiſtite, *Dn. D. Spenero*, Theologo Devotiſſimô, poſtquam peccatorum ſuorum & rogaſſet & impetraſſet veniam, DEO ſuo, in cujus manu & vitam & mortem repoſitam ſciebat, ſe totum commiſit, confiſus quicquid de ſe Divina

tandem

tandem decreviſſet Bonitas, in exoptatum Sibi finem ceſſurum. Quâ ſpe ad Chriſtum Soſpitatorem ſuum directâ conſtantiſſimè permanſit, donec X Jan. die, Anni MDCLXXXVI circa ſecundam matutinam animam DEO redderet & inter ardentiſſimas preces creberrimaque Adſtantium ſuſpiria piè atque placidè à terrenâ ad cœleſtem vitam emigraret, poſtquam annum in hac mortalitate LV compleviſſet. Sic *INSERVIENDO ALIIS CONSUMIMUR!* quæ ultima verba ſunt, queîs inter Cherubinos Angelorum Cœtus jam triumphans Amicus mihi valedixit, ah præmaturè nimis valedixit! Interim prorogavit magis dies ſuos, dum quicquid temporis caduci fuit, virtute ſupplevit, cœleſti nunc gaudio perfuſus.

Vobis autem, *Per-Illuſtres S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum Proceres & Collegæ Honorandi*, Vobis, inquam, Beatiſſimi Schefferi Manes hac vice ultimum dicere vale ſuique memoriam inſimul honorificam relinquere videntur, cujus ſummam, quâ Totius Societatis incrementa venabatur, induſtriam, candorem & ſinceritatem illi norunt, qui intus illum & in cute unquam agnoverunt.

DEUS verò TRINUNUS, qui ab æternô fuit, eſt & erit in omnia ſeculorum complementa, deplorandum, quod ex maturato Beatiſſimi Collegæ diſceſſu, ſenſimus diſpendium, inexhauſtâ Bonitatis ſuæ Gratiâ reſarciat & Societatem Laudatiſſimam, non vanæ fortè gloriæ vel turpis lucelli gratiâ, ſed mero Divinitatis honore Proximique commodo ſuffultam curæ ſibi cordique eſſe ſinat, Eoſque omnes & ſingulos, qui in hodiernum uſque diem pro ulterioribus ejus acceſſionibus indefeſsô militant, in ſeram uſque poſteritatem clementiſſimè conſervet! FIAT! DEUS BONE! FAXIS! FIAT!

Francofurti ad Mœnum, Calendis Februarii A. 1687.

DECLAMATIO PANEGYRICA X.

In Obitum

B. D. JOH. FRIDERICI ALLMACHERI, *Medici Francofurtenſis.*

P. P.

DE *Valerio Poblicola* referunt Hiſtorici, quod ſingulari in defunctos pietate ductus, Bruti, Collegæ ſui corpus non ſolùm ſplendidè ornatum Populo in concionem vocato propoſuerit, ſed conſcenſô inſimul ſuggeſtu in ejuſdem laudes epicedia cecinerit, ut *Dionyſius Halicarn. Plutarchus* & alii teſtantur. Utinam & ego ſim Valerius, VIRI PER-ILLUSTRES, utinam, inquam, Valerius ſim! qui non Brutum quendam, ſed Trigam Amicorum conjunctiſſimorum infelici triennii curſu proh dolorem! perdidi. Recenti enim vulnere uſque luget Academia *Schefferum*: Luget *Allmacherum*: Luget Haſſia mea *Strauſſium*, Anteceſſorem meum Deſideratiſſimum; quô triplici ſanè infortuniô ita ſauciatus ſum, ut parum abſit, quin Beatorum Manibus heîc lugubria dicturus prorſus obmuteſcam. Sed obdurandus eſt animus ad infortunia, nec ingratô ſilentiô memoria illorum recondenda eſt. Adeò enim virorum de Publicô benè meritorum fama tacenda non eſt, ut in cineribus excitandi ſint laudum igniculi, quò latius ſpargantur diſſeminenturque Virtutum radii. Vivat poſt funera virtus, quò mortuorum ſervetur vita, hæcque viventibus in exemplum concedat. Jubet id anti-

antiqua XII Tabularum lex, dum: *Honoratorum*, inquit, *virorum laudes in concione memorantur, eaſque cantus ad tibicinem proſequuntur.* Jubet id Natura omnibus inſita eique ſororians conſuetudo, quæ & in mediâ Barbariâ viventibus ad Amicorum exitum triſtem exprimit ululatum. Quicquid enim apud Nos demortuis honoris ac elogii parentationibus, campanis, cantibus perſolvitur, id omne Gentiles olim ritibus de roſtrô dicendô ac præficarum fletibus urnas implendo peragebant. Adeò nempè grata fuit ab omni ævô demortuorum recordatio, cumprimis, qui uſpiam in celebritate vixêre, ut non ad vitam & mores tantùm, ſed & naturam ipſam jus hoc accommodatum deprædicent. Unde non Chriſtianis uſitatum iſtum recordationis morem tantummodò præſcripſit Religionis Chriſtianæ amor, pietas in defunctos atque charitas, ſed à longis retro ſeculis id omninò obſervatum eſſe Antiquorum monumenta habent. Judæis ſanè haud inſolens olim erat laudes ac præconia dicere Viris arte Marteque claris. Sic Abnero, Duce inter exercitus militares Saulis præ ſtrenuo, manu ſicariâ ac funeſtâ Joabi interemto, quid Davidis luctus vehemens expreſſit? quàm laudes ſupremas egregio Duci ſuperaddidit, dum dixit: Nequaquam ut mori ſolent ignavi mortuus eſt Abner: Manus tuæ ligatæ non ſunt & pedes tui compedibus non aggravati &c. Num ignoratis, quòd hodie Princeps & maximus ceciderit in Iſrael. Sic Jonathanem de turbâ Maccabæorum egregiè meritum non ſolùm univerſus planxit populus, laudes & facinora ejus decantando, ſed & frater Simon in cedrum immortalis laudis & perennantis gloriæ Mauſolæum ſplendidum erexerat poſitis columnis magnis, armis ad illas in memoriam æviternam ſuſpenſis. Penes Romanos non minus inoleverat conſuetudo funeralibus hujuſmodi honorare Defunctos, quod tamen manibus tantùm honoratioribus primûm competebat, utut paulò poſt ad fœminas ſimiliter cultiores honos ille devolutus ſit. Poſteaquam enim à Gallis Romani in anguſtias redacti, neſciebant pecuniæ ſubſidia colligere

ad amovendas hoſtium fatigationes, Romanæ Matronæ monilibus, clinodiis & quicquid ornamenti erat pretioſi, ſpontè in curiâ collectis juvabant Rempublicam preſſam; hinc & obtinuerunt, ut poſt fata Matronis Nobilioribus honos iſte conferretur. Sic Quintus Filius pietate erga Matrem Pompiliam ductus, hunc laudandi morem obſervavit. Memorabile quoque eſt exemplum, quô ipſum etiam Octavium Auguſtum duodecim annorum puerum in laudandâ Julia, Avia ſuâ, ſecutum, Suetonius Autor eſt. Competebat autem ſupremum hoc officium iis, qui mortuum ſanguine proximè attingebant, teſte Polybio, unde non tantùm à filiis Defuncti factitatum fuit, ſed & ab ipſis Parentibus, docente exemplô Fabii Maximi, qui ob amiſſum filium dolorem moderatiſſimè ferens Orationem funebrem ſtando recitavit in forô, quod eſt apud Plutarchum in Fabiô. Poſtmodum tamen & aliis extra conſanguinitatis vincula conſtitutis id conceſſum eſt, ſicut in pleriſque Europæ Academiis id omninò moris eſt, ut in Collegarum Defunctorum laudem & memoriam publicè cuidam verba facienda ſint, reliquis ſimul lugubri veſtitu comparentibus, ut in Noſtrâ Ludovicianâ hoc vertente annô, caventibus ita Statutis, obſervari ſolet. Quod pietatis genus, ut omninò Chriſtianum eſt, ita Legibus æquè ac receptâ uſque obſervantiâ debebatur iis, qui de S. R. I. *Academiâ Naturæ Curioſorum* unquam bene meruerunt: Quos inter, cùm haud infimi quondam ordinis eſſet Collega Beatiſſimus

Dn. JOHAN. FRIDERICUS ALLMACHER, *Med. D. Diverſorum Imp. Statuum Archiater, atque S. R. I. Acad. Nat. Cur. Adjunctus meritiſſimus*; hinc & Ejus modò Manibus à tenuitate meâ juſta perſolvenda ſunt, eoque magis, quòd & Venerabilis Dn. Præſidis autoritas illud urgeat & devinctiſſima, quæ cum amiciſſimô quondam Collegâ mihi interceſſit neceſſitudo, ſpontè quaſi exigat; id quod in cauſa eſt, ut quæ de Vita ejus atque Indole relaturus ſum, eâ, quâ in medium adferuntur, facilitate atque fide acceptanda eſſe confidam.

Dum

Dum verò ab ovo, quod dicitur, rem exordior, glorioſius eſſe duco, ſi Allmacherum noſtrum ſuis potius, quàm ex familiæ generiſque picturis & inſignibus mutuatis coloribus depingam;

Nam genus & Proavos & quæ non fecimus Ipſi
Vix ea noſtra puto,

parumque in eô quidem ſitum dixero, quô quis ſanguine deſcenderit, cùm omnes (quæ ſumma eſt mortalium conditio) DEI quoddam genus ſimus, ut ex Arato Paulus habet, de quô ipſi gratulemur, cùm ex honeſtiſſimâ familiâ ſuos natales duxerit. Patre enim uſus eſt Præclaro & in arte ſua verſatiſſimo, *Dn. Johann. Friderico Allmacher* Chirurgo quondam Dexterrimô: Matre verò *Eliſabetha Catharina*, ex honeſtæ *Schauliorum* genere prognata. Quibus utrobique Parentibus Meiſenhemii (quod Palatinatus Inferioris oppidum eſt) ex legitimô thorô in lucem edebatur, anno 1648 die 5 Decembris, ubi paulò poſt ſacro baptiſmatis fonte ablutus, eodem, quo Pater gaudebat, nomine, vitæ libro eſt inſcriptus. Verùm uti vegetabilium ſemina, niſi fertili terræ mandata, facilè à priſtinâ ſuâ naturâ degenerant, ita in naturâ ferè accidere ſolet humanâ, ut vel optimis quibuſve geniti, niſi maturè excolantur, à priſtinâ ſuâ origine deflectant. Quapropter Sapientiſſimus parens iis eundem doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, in ſcholâ triviali quæ S. Goarii eſt, erudiri curavit. Erat autem in puerô præter docilitatem ingenii ſumma ſuavitas oris ac vocis, ut non ſolùm celeriter arriperet, quæ tradebantur, ſed etiam excellenter pronunciaret. Quâ ex re in pueritiâ nobilis inter æquales ferebatur clariuſque exſplendeſcebat, quàm generoſi condiſcipuli animô æquô ferre poſſent. Paulò poſt, cum Parentes relicto primô domiciliô Darmſtadium concederent, Gymnaſio illius loci Principali eſt commiſſus, ubi prima in Humanioribus, ut vocant, literis fundamenta jecit haud pœnitenda. Interim ſublimius erat juvenis ingenium, quàm ut ſolis Scholarum ergaſtulis inhæreret. Quare ad altiora jam con-

tendens innatâ quadam animi propenſione Arti Medicæ ſe devovit, ad quam ſtimulum illi adjeciſſe poterat egregia, quâ Pater inclareſcebat, dexteritas & in curandô felicitas, quam vix ex ephebis excedens laudabili quodam fervore æmulabatur. Commodiſſimam hîc occaſionem ſuggerebat manuductio B. DN. D. Tackii, Archiatri Haſſo-Darmſtatini & Profeſſ. Giſſeni Primarii, qui tunc in Aulâ Principali verſabatur ipſique ad ſubmiſſam Parentum exorationem per integrum anni curſum ſelectiora Phyſices & Artis Chymicæ principia inſtillavit haut vulgaria, quibus & in Theoriâ & in Praxi Medicâ ſemper utebatur feliciſſimè. Jactis ita ſolidè fundamentis ad Academias properabat, ut cœpta jam ſtudia urgeret & ad maturitatem altius eveheret. Primò quidem nomen dedit Inclytæ Giſſenæ, quam eam præ aliis ob cauſam eligebat, quòd in veſtibulo Artis Medicæ locatus faciliorem heîc ad interiora aditum obſervârit, cùm in Anatomicis, Botanicis & Inſtitutionibus addiſcendis largam hîc occaſionem nactus eſſet. Eodem enim tempore Lipſia nobis concedebat Michaelem Heilandum, Anatomicum Exercitatiſſimum, Ulma verò B. Laurentium Strauſſium, qui cum Rôtelio pariter Doctiſſimo prima eruditionis ſuæ ſpecimina in Allmacherô noſtrô comprobarunt. Sub oculis adhuc verſari mihi videris, Pectus quondam Dilectiſſimum! quum ne dies quidem abierit, quin Hortum Academiæ ſolertia tua fatigaverit! Tuo adhuc ſudore manant tot plantarum myriades, in quibus conquirendis olim eras totus. Tuo & ſudore madent erudita Doctorum ſubſellia, quos in publicas & privatas horas comitabâris indefeſsè. Cæterùm neque ſic anguſtum erat auguſtum Allmacheri noſtri ingenium, ut ſoli Patriæ ſolo adhæreſceret; quin exacto ſeſquienniô in Illuſtri Ludoviciana Celebres Saxoniæ Academias viſitabat, quas inter Jenam pro ulteriori ſtudiorum Marte ſeligebat. Ad Praxin enim addiſcendam animus proclivis erat, cujus methodum haurire poterat à Feliciſſimô quondam, & in Academiis non minus, quàm Magnatum aulis Celeberrimô Guernerô Rolfincio, quô Ductore

Genera-

Generaliora Praxeos Futuræ Monita adeò ſibi reddidit percognita, ut ad τὸ τεχνωθῆναι deventurus talem ſe gerere potuiſſet, qualem decet Medicum religione plenum. Aſt ne hoc quidem ſine præviâ manuductione tutò & impunè attentari poſſe ſibi perſuadebat, tùm occaſio præceps ſit & experientia fallax. Adeò quidem, ut

In Cathedra multos dicant curarier ægros,
Ad lectum paucos convaluiſſe malo.

Ut ergò hac quoque in parte ſibi conſuleret, allectus famâ & virtute Inclyti Medici, Dn. Franciſci de le Böe Sylvii, Lugdunum in Bataviam contendit, quem cum ſpiſsâ Commilitonum catervâ ad populiſſimum, quod iſtic locorum eſt, noſocomium indies comitatus Praxin Clinicam ad ægri lectum obſervare, genuinas morborum cauſas indagare methodoque haud vulgari ſelectiſſima quævis pharmacorum genera adhibere non tam vidit, quàm perdidicit. Quæ quidem ſolertia ita feliciter illi ceſſit, ut habita die 21 Junii anno 1672 publicè Diſputatione Inaugurali, de Morbis Caſtrenſibus, omnium & Procerum & Civium Academicorum applauſu ſummis in Arte Medicâ honoribus & privilegiis donatus & in Doctorem Medicinæ more Majorum proclamatus, vitæ ſuæ Academicæ ultimum colophonem impoſuerit. Jam benevolo cujuſvis judicio relinquo, utrum concinniori unquam methodo arduum Artis Noſtræ ſtadium pertranſiri poſſit, cujus admirandum in Allmachero noſtrô videas compendium. Sicut enim ars longa, vita brevis, ita ſola methodus utrobique certum eſt remedium. Sola, inquam, methodus eſt, quâ per compendium ire & intricata Artis præcepta ſolidè diſcernere licet. Methodus eſt, quæ ſaluberrimum pharmacorum ſelectum inſtituere: Methodus eſt, quæ morbos incurabilibus adſcriptos citò, tutò & jucundè ſublevare docet. Huic ergò toto Studiorum curſu ſalutariter inhærens Allmacherus noſter, non potuit non Praxin ſibi feliciſſimam inde promiſiſſe, quam bonis quoque avibus in Imperiali Francofurtô primum auſpicatus eſt,

quò

quò Parentes Ejus dilectiſſimi paulò antè abierant. Ita enim in primô ſtatim Praxeos exortu ſeſe geſſit. ut ob ejus in gerendis rebus agilitatem & medendo felicitatem officium Medici Ordinarii, ſeu, ut loquuntur, Phyſicatus Aſchaffenburgicus illi ſpontè ſit delatus, quô integrô biennii tractu laudabiliter eſt defunctus. Cæterùm hoc adhuc in illô deſiderari videbatur, quòd conjugalis unionis vinculô ſolutus dulci vitæ Medicæ adjutorio deſtitutus eſſet. Ut enim fert hominum verecundia, ſequior ferè ſexus (qui Medicorum meſſis eſt) Practicis Junioribus, in cœlibatu viventibus ægrè ſæpè ſe concredere ſolet. Aſt huic pariter incommodo facilè obviam ibatur, dum in Patriam reverſus anno 1675 die 29 Septembr. Nobiliſſimam & omni Virtutum genere decoratiſſimam Virginem Annam Eliſabetham, ex honeſta Pettmanniorum familiâ oriundam, legitimô ſibi matrimoniô junxit, quâ cum XI. annorum ſpacio honorificè & ut Maritum Chriſtianum decet, pacificè agens, VI. Liberorum Pater eſt redditus, trium Filiorum ſcil. totidemque Filiarum, è quibus unicus usque Filiolus, binæque puellæ adhuc in vivis ſunt, reliquis DEO in primis ætatis incunabulis ſtatim redditus. Vix cœptô hôc conjugiô altera illi vocatio obtingebat, quâ in Archiatrum Illuſtriſſimorum Comitum in Wertheim hujusque Civitatis Phyſicum Ordinarium adſciſcebatur. Quô quidem officiô per integrum decennium ita laudabiliter eſt defunctus, ut Magnatum Gratiam, Civium admirationem, omnium denique applauſum brevi ſit lucratus, quem fuſis etiam lachrymis ſatis comprobârunt, cùm trienniô jam elapſô Franconiâ excederet, & aliorum deſideriis Francofurtum revocatus Wertheimenſibus ſuis valediceret. Quùm enim navali hinc itinere abiturus Mœnum conſcenderet, agmine factô Cives concurrebant, gemitibus aërem, lachrymis navigia, votis verò inclytam Medici familiam adeò replebant, ut reciprocis utrobique ſuſpiriis ſummum exinde dolorem conteſtati ſint. Quamprimùm verò ad Francofurtenſes ſuos rediit, Praxi ſtatim diffuſiſſimâ & inſolitâ tantum non obrutus, tantâ illîc dexteritate uſus

eſt,

eſt, ut non Civium modò, ſed & diverſorum S.R.I. Principum aliorumque Magnatum animos caperet, quorum lateribus indies affixus hæſit. Erat enim in illô pietas ſincera, candor infucatus, humanitas & comitas inconſueta, qua non parium modò amicitiam, ſed & Magnatum gratiam facilè merebatur. Recuperaverat ſic in Allmacherô Illuſtre Francofurtum, quod in Divini jam Schefferi obitu perdiderat, cujus veſtigiis in Praxi æquè ac communi vitâ inſiſtebat, ita, ut dubitaveris, uter alterutrum pietate & candore ſuperârit. Recuperaverat in eo S. R. I. Academia Naturæ Curioſorum (in cujus conſortium jam Anno 1679 receptus erat) quem in B. Schefferi locum pro Adjuncto renunciaret: quo quidem officiô adeò nihil prius habuit, ut omnem ad ejusdem incrementa lapidem moveret. Deus immortalis! quàm cordatus erat & quàm expeditus, cum paulò ante obitum, Totius Academiæ Curioſæ nomine coram Eminentiſſimo atque Reverendiſſimo Principe Electore, DN. FRANCISCO ANSELMO Archi-Epiſcopo Electore Moguntino &c. compareret, & ſubjectiſſimâ devotione Gratiam Ejus & Clementiam in Totius Collegii partes exoraret. Quod adeò feliciter illi ceſſit, ut non univerſa modo Academia, ſed & aliquot in ſpecie membra Eminentiſſimi Protectoris noſtri Gratiam reapſe ſint experta, quam ſubjectiſſimâ modò gratitudine deveneror. Non dicam de aliis à Beatiſſimo Collegâ præſtitis officiis. Loquantur hic obſervationes ejus in Miſcellaneis Germanorum conſpicuæ! Loquantur commercia literaria cum bene multis Academiæ membris inſtituta, è quibus filiali prorſus amore deperibat Præſidem Noſtrum, Per-illuſtrem Dn. Volckamerum, cujus tanto flagrabat deſideriô, ut ejus videndi gratia peculiare iter Norimbergam verſus meditatus fuerit, cùm votis ſecundis triſtem ſimul viduitatis ſolitudinem illîc permutandi animus hæreret. Aſt ò ſpes hominum fragiles! O fallacia conſilia! Hæc enim tunc maximè cogitantem morbus gravis & malignus occupavit, & quidem eò ipſô, quô conjugem ſuam, ex ſimili affectu ſurreptam deplorabat, annô. Quô autem ille animô morbum ſævientem, quô mor-

tem certam jam & imminentem tulit! quot quantasque moribundus animi verè Chriſtiani ſignificationes dedit! Quâ ſubmiſſione animi peccata ſua confeſſus eorum ſibi veniam à DEO dari petiit! Qua veneratione ſacroſanctam Euchariſtiam excepit! Quibus omnibus jam armatus & munitus, cùm totô morbi tempore mentis ſuæ compos fuerit, nihilque aliud, quàm Chriſtum, Chriſtum, Deum ſuum in ore perpetuò habuerit, ad eum, quem ſperabat unum, cui fidebat uni, ut quidem ſperamus & cupimus in mediô ætatis vigore, anno ſc. XXXVIII evolavit. Sed quid Academia Noſtra, cui Te, tanquam Maritus uxori, deſponderas, Anima Beatiſſima? Quid pupilli Parentibus orbati? Quid tot ægrorum myriades, qui Te, tanquam Phœbum tutelarem venerabantur? Quid Amici, quos mœſtos reliquiſti atque triſtabundos? O deſideratiſſimum omnium bonorum pectus! ad Nos redi, ſi fieri poteſt, redi!

Aſt quid ego votis plusquam puerilibus opto,
Quæ nullus nobis fertque feretque dies?

Scilicet illuc abiit, unde negant redire quenquam. Ferenda igitur ſunt animô pacatô, quæ mutari nequeunt. Hoc unum adhuc ſupereſt, ut Te, Virorum decus, lugeamus non quòd male Tibi evenerit, cùm abiiſti: Beati enim, qui in Domino moriuntur, requieſcunt namque à laboribus ſuis, & opera eorum inſequuntur eos; ſed quod Nos tam anxiè excruciat, & quidem meritò, quòd Tua in morte tantum amicitiæ naufragium patiamur, quam gratâ tamen memoriâ recolemus,

- - - - *dum ſpiritus hos reget artus!*

Vale, Collega Conjunctiſſime, Medicorum Coriphæe! Vale Decus Academiæ! Civium Deſiderium, Collegarum Delicium, Ægrorum ſolamen, humanitatis exemplum!

Vos autem, PROCERES ACADEMIÆ, in medium conſulite, quò tanti Viri jactura tempeſtivè reſarciri, ſartaque conſervari poſſit Societas Deo Proximoque Sacra, cui proſperos rerum ſucceſſus, incrementum atque perennitatem voveo ſempiternam!

Giſſæ-Haſſorum Calend. Septembr. Anno 1688.

DECLA-

DECLAMATIO PANEGYRICA XI.

DE

MEDICAMENTO OPTIMO.

Habita Giſſæ A. 1708. *d.* 30. *Januarii.*

P. P.

Octavus jam annus agitur, ex quô Faſces Rectorales ſecunda vice reſignando omni ſimul ſpei easdem repetendi renunciarem. Præſaga enim mente atrociſſimæ, quibus jamdum fractæ corpuſculi vires, imminentibus aliquot annis climactericis, arietari poterant Morbonæ injuriæ præ oculis verſabantur. Parum etiam abfuit, quin fata prognoſticon implerint, quùm febris, qua anno ſtatim inſequenti conflictabar, maligna ita mihi jugulum petierit, ut omnes, quotquot è Corpore Academicô me gratioſè viſitabant, de vita prorſus actum eſſe judicarint. Accedebat hominum malevolorum, etiam eorum, qui ſuam mihi ſortem in acceptis ferunt, ingratiſſima perſecutio, quæ vix reſpirantem è morbo animum penitus evertere, & tantum non peſſundare potuiſſet. Aſt DEI eſt clementia, quod in hunc usque diem ſalvus & incolumis remanſerim. Fortitudo ejus eſt, quæ turbam invidorum maſculè retudit, & horrendis in perfidos exemplis fatisque juſtitiam ſuorum ab interitu vindicavit, vindicat & vindicatura erit. Hujus ego providentiæ, directioni & voluntati tribuo, quod hæc ipſa, quæ ante ſexennium in manus Comitis Illuſtriſſimi, DN. GEORGII FRIDERICI,

Burggravii de Kirchberg , Comitis de Sayn & Wittgenſtain, Domini in Farnroda & ſ. p. reſignabam ſceptra, hodiè è manibus Magni Principis, Sereniſſimi ſc. Haſſiæ Langraviatûs Hæredis, DN. LUDOVICI, Principis Hersfeldiæ, Comitis in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga, cæt. cæt. Domini noſtri Clementiſſimi recuperarim. Quemadmodum ergò Sereniſſimæ Suæ Celſitudini totius Senatûs Academici nomine jam gratias exſolvo devotiſſimas, quod autoritate & fulgore Principali hactenus Muſas Ludovicianæ illuſtrare, ac per Vicarium ſuum & Pro-Rectorem Magnificum, Anteceſſorem meum longè honoratiſſimum, prudentiſſimè & dexterrimè gubernare acquieverit: Sic eò confidentiori animo in me ſuſcipio arduum alioquin & moleſtiſſimum Rectoratus Academici munus, quò pacatius illud & ornatius oblatum fuit.

Unum ſaltem eſt, quod & animum meum & Civium Academicorum Nobiliſſimorum ſpem de me conceptam perturbare poſſet, quod nimirum priores Rectoratuum meorum annos Triplici Medicinæ, Fonti inquam Diætetico, Pharmaceutico & Chirurgico applicarim, & exhauſtis prioribus jam ad tertium eumque rigidiſſimum, Chirurgicum puta, fuerit deventum. Minus enim fauſto, ſed ſiniſtro prorſus omine quis vereri poſſet, ne tales anno nunc currente caſus ſe truſuri ſint, ubi locum habeat ultimus Hippocratis aphoriſmus: Ubi medicamenta, h. e. verba & blandimenta non juvant, ferrum, i. e. clathra & cancelli juvant: ubi ferrum, non juvat, ignis juvat, ſicque igne & aqua quamplurimis interdicendum foret. Aſt metum hunc ex animis veſtris, CIVES OPTIMI, excutere poterit ætas jam provectior; quam ad operationes Chirurgicas non ſufficere decantatum Italorum proverbium docet, quô il Medico vegghio è Chirurgo giovine, h. e. Medicus annoſus & Chirurgus juvenis extollitur. Quum enim inſigniores Chirurgorum Operationes, fracturarum v. g. & luxationum curationes nunquam non extenſio validiſſima, ut Coi noſtri verba ſonant, requiratur; hinc & vires lumbique non elumbes, ſed robuſtæ & valentes adſint oportet, quæ in eâ,

ad

ad quam per Dei gratiam evectus ſum, ætate penitus fatiſcunt. Accedit eam eſſe Geniorum veſtrorum Generoſitatem, ut, quod de copiis Alexandri Magni referunt Hiſtorici, absque ullis monitis & exercitiis aciem & vitam Academicam inſtruere valeatis. Caremus enim, quæ Dei eſt clementia & Athenæi Giſſeni proſperitas, caremus ulceribus ſcholarum illisque carcinomatibus, quæ Medicorum operam eludunt & Chirurgum implacabilem ac immiſericordem exigunt. Caremus ſphacelatis ſideratiſque, h. e. putridis illis membris, quæ manu & enchireſi Chirurgica reſcindenda,

\- - - *ne pars ſincera trahatur.*

ſicque nonniſi pacatum, tranquillum & ab omni tumultu, contentione & cruore alienum primum, in ſecundo (ah! ô! utinam ſecundo!) Academiæ ſeculo, annum mihi ſpondeo.

Quodſi verò ſint, qui animum adhuc iratum, inquietum & ad jurgia paratum adferunt, illos munere quodam ſive ſtrena hac vice demulcere ſtudebo, quæ, ſi fides eſt diverbio:

\- - - - *hamineſque Deoſque*

placare valent. Optimum ſc. medicamentum & panaceam incomparabilem penitusque infallibilem Vobis offeram. Optimum verò in Sanis medicamentum & præſervativum eſt, nulla medicina uti. Neque tamen nihil, ſed quam plurimum me Vobis jam offerre facilimè judicare poſſetis, ſi quid illud in receſſu habeat, jam fuſius explanare liceret. Verum enim verò, cùm non tam ad clepſammium, qua horæ momentum jam dicendum ſit, in aliam id occaſionem, ubi leges & ſtatuta (tunc ſimul prælegenda) uberiorem dicendi copiam indulgent, differendum duco. Interim ut tribus, quod ajunt, verbis, & quaſi per tranſennam illud oſtendam, certum & ab omnibus ſanioris & ſanctioris Philoſophiæ Cultoribus hodie conceſſum pono, machinam corporis humani hydraulico-pnevmaticam (quoad actiones oeconomicas & materiales) inſtar horologii & automatis ſe habere. Jam omnibus αὐτομάτων gnaris ignotum eſſe nequit, horologia quævis

portatilia eo perfectiora & meliora eſſe, quò rarius manum Artificis experiuntur. Quò frequentius autem limam automatariorum ſentiunt, eò magis claudicant & ſive elatere reſoluto, ſive rotulis exorbitantibus, ſive inquie quieſcente hærenteque indies pejora redduntur tandem:que prorſus corrumpuntur. Sapienti ſatis!

Quod reliquum eſt, tertiâ jam vice graviſſimum, pluribuſque faſtidiis quam faſtigiis obnoxium, Rectorale Munus jam ſuſcipiens ad TE ſupplex devolvor, ô TRINUNE DEUS, Pater, Fili & Spiritus Sancte, ad TE jam clamo & ſuſpiro, velis gratiam illam & clementiam, qua per ſemi-ſeculum me indignum protexiſti, præſenti; quod utinam bonis avibus! jam cœpimus, anni ſtadio quoque commodare. Sine Tuo enim Numine, nihil eſt in homine. Serva & conſerva Auguſtiſſimam Domum Principalem! Serva & conſerva Celſiſſimum Academiæ Nutritorem! Serva & conſerva Sereniſſimum Principem Hæreditarium, cum Sereniſſimo DN. Fratre & Sororibus Principalibus. Serva & conſerva Inclutam Ludovicianam! Serva Docentes, ſerva Diſcentes, omneſque Sanctiſſimi Tui Nominis Servos ingenuos, infucatos & fideles! Tibi ſit Laus, Honos & Gloria in ſempiterna Secula!

Ad

SENATUM ACADEMICUM

poſt electionem in Conſiſtorio.

P. P.

SUſcipio quod offertis munus, idque tertiùm jam ſuſcipio. Quô animo? an tremulo, an præſenti? hac vice dicere non attinet.

net. DEUS idem novit, qui omnia novit. Unum hoc palàm aſſero ſtipulorque, Me, ſicut hactenus per quatuor, & quod excurrit, luſtra pro incrementis Academiæ ſtudio (præfiſcini loquor) indefeſſo fideque incorrupta militavi, ita poſthac omnes eò nervos intenſurum eſſe, quò antiqua Lycei noſtri gloria perduret, reditus ejus inviolati conſerventur, & quæcunque huc ſuum ἐπιβάλλον μέρος contribuere poſſunt, legitimè curentur & adminiſtrentur.

Quoniam verò quævis ex his ita comparata ſunt, ut in unius ætatem aut facultatem non cadant, ſed mutuam & ſubſidiariam requirant operam; hinc Veſtrum, PROCERES Honoratiſſimi, concurſum & aſſiſtentiam ſimul expeto, quo junctis animis & laboribus vis unita fortior evadat.

Hac ego ſpe ſuffultus tertia jam vice mihi probatum affectum & benevolentiam veſtram animo gratiſſimo exoſculor, DEUMque veneror, ut integrum Corpus Academicum in ſeram poſteritatem immune conſervare, omni felicitatis cumulô beare, mihique ſimul occaſionem ſubminiſtrare velit, quo animum honoris & amoris Veſtri cupidiſſimum ipſo opere declarare valeam.

Valete!

DE-

DECLAMATIO PANEGYRICA XII.

DE MEDICAMENTORUM NOXA ET OFFICIOSO MEDICORUM HOMICIDIO.

Anno 1708. *Calendis Julii Giſſæ*

Solenni Prælectioni Legum præmiſſa.

P. P.

QUod differtur, non aufertur. Bis dat, qui citò dat, nil dat, qui munera tardat: Tarditatem tamen muneris præſtantia gravitasque compenſare valet. Præſtantiſſimum autem eſſe munus, quod Lectiſſimis & Dilectiſſimis Academiæ Civibus ſub auſpiciis hujus anni pro ſtrenâ offerebam, vel exinde conjicias, quod idem omnibus & acceptum & utile & neceſſarium ſit. Panacea enim erat, hoc eſt, medicamentum univerſale, optimum & infallibile, quod nec quantitate nec qualitate grave, nec ſapore vel odore adverſum, ſicque tum palato tum ſtomacho gratiſſimum eoque gratius, quod gratis, ſine prece vel pretio, tam ab egenis, quàm à divitibus nunquam non obtineri queat. Si enim quicquam eſt, quod Medicis è Praxi victitantibus negotium faceſſit, illud ſanè eſt, quod ditiores, delicatuli & emun-

& emunctioris naris homines à pharmacis adhorreant, eademque nauſeando vix labiis admota rejiciant: egeni autem & omnes, quibus res anguſta domi, non habeant unde ſolvant; quod utrumque tam Medicos, quam Pharmacopœos in anguſtas redigit, quibus in ſymbolo eſt: ACCIPE, DUM DOLET. Ne ergò oleum utrobique & operam perdant, nunquam non de Panaceis cogitatum fuit, queîs univerſa morborum phalanx absque nauſeâ ægrorum & moleſtiâ Medicorum prorſus abigi poſſit. Videas hinc Chymicos Secretiores, quos Adeptos ineptè vocant, nil niſi Phalajas, Azoth, Aurum potabile, Lapidemque Philoſophorum anhelare, in quô præparando, dum omnes ſæpe facultates miſerè dilapidant, in alterum, extremum incidunt, ſibique officium damnoſum, ægris autem adeò nullum ſubſidium adferunt, ut ſpes utrobique potius

- - - - *Corvos deludat hiantes.*

De aliô ergò ſive medio ſive remedio cogitandum, quo non tantùm ægrorum, ſed & Medicorum facultates, tùm corpus, tùm fortunam attinentes, conſerventur, ſed & caveatur, ne aut vita ægrorum, aut fama Medicorum juguletur.

Non dubito Vos, AUDITORES Omnium Ordinum Honoratiſſimi, tale quid pro optimo & auro contra pretioſiori medicamento habituros eſſe, modò quis illud ob oculos poneret. Optimum autem, ut optimè fatentur Medici, ſæpiſſimè medicamentum eſt nullô prorſus uti. Hoc cum pro ſtrenâ quondam dederim, nunc paulo fuſius explanaturus,

DE MEDICAMENTORUM NOXA ET OFFICIOSO MEDICORUM HOMICIDIO

dicturus & abhinc aliam, qua vitæ & ſaluti veſtræ conſulere poteritis, viam oſtenſurus ſum. Veſtra res agitur, AUDITORES, de coriô veſtrô luditur, dum (*) pars de morbo, pars de morte

(*) *alluditur ad dicterium:*
De morbô Medicus gaudet, de morte Sacerdos.

veſtrâ gaudent; hinc dum pro vita & ſalute veſtrâ verba non daturus, ſed facturus ſum, benevolè attendite, & non tantùm auribus, ſed & animis vacivis ſollicitè propendite

- - - - *quid diſtent æra lupinis?*

VADE ET OCCIDE CAIN! verba ſunt, quæ Monſpelienſes Doctoribus ſuis recenter coctis acclamare dicuntur. Quid iis ſibi velint, obſcurum prorſus & usquedum incertum eſt. Crudè & ut jacent verba intelligenda non eſſe, ſed myſterium aliquod latere, ipſa dictat ratio. Quodnam verò ſit? & quî commode explicari debeant, difficulter expeditur. Maxima pars Autorum myſterium in voce CAIN quærendum eſſe judicat, quam juxta numerum litterarum explicandam eſſe cenſent, utut in diverſas rurſus ſententias abeant. *Ronzæus Gallus* (a) rem ita explicat. Vade & occide Carmelitas, Auguſtinenſes, Jacobinos vel Jeſuitas, Minores, Aſt cùm ex Hugonottarum, quos vocant, numero ſit, ex intempeſtivô religionis zelo hæc profecta ſunt. Nec plauſibilior eſt explicatio, quam Autor *antidoti melancholiæ* habet, qui Caupones, Arabes, Judæos & Mahumetanos occidendos eſſe putat: cum infideles & hæretici non tam ferrô, quàm verbo curandi & emendandi ſint. Alii ipſos morbos, Chronicos ſcilicet, Acutos, Ignotos, Notosque ſubintelligunt, qui data operâ ſupplantandi & ad Caucaſum relegandi ſunt. Alii de renunciatione hâc aut dubitant, aut explicationem ab ipſis Monſpelienſibus expectant, exemplô *Pauli Ammanni*, Medici quondam Lipſienſis in ſpeciali hujus tituli diatribe, *Parœneſi ad Diſcentes* addita. Interim ſi Hiſtoricos & illorum, qui iter in Gallias ſuſcepêrunt, itineraria evolvamus, haud adeò difficile erit in veram huius rei cauſam penetrare. Quando enim *Jodocus Sincerus* in *Itinerario* ſuo *Gallicô* (b) Celeberrimam Academiam Monſpelienſem deſcribit, inſimul addit undiquaque ex totâ Galliâ & externis quoque locis eò confluere, qui Medicinæ nomina dederunt, indeque titulis inſignitos & tiarâ ornatos abire, poſtquam (ut ex aliis notat) tunica *Rabelæſii*

(a) *Problemat. III. p. m. 9.*
(b) *pag. 119.*

Rabelæſii indutis acclamatum fuerit: VADE ET OCCIDE CAIN. Quodſi jam antecedentia conſequentibus annectamus, ex hiſtoriis pateſcet, *Rabelæſii* tunicâ eâ de cauſa Medicinæ Candidatos inveſtiri, quod privilegia à malevolis Academiæ Monſpelienſi ſurrepta reſtituerit. Tempore ſc. Franciſci I. Cancellarius du Prat, Urbi Montispeſſulanæ infenſiſſimus, abolitionem privilegiorum Facultatis Medicæ per edictum Regium procuraverat. Cùm autem noſcerent *Rabelæſium*, è Monacho Franciſcano factum Medicum facetisſimum, Cardinali de Bellay, Pariſiis tunc vivendi, in pretiô eſſe, ad Aulam Regiam tanquam Deputatus miſſus fuit, ut intercedente Cardinale privilegia illis erepta recuperaret. Cùm autem *Rabelæſio* Lutetiam delato acceſſus ad Cancellarium denegaretur, præ foribus ædium obambulans ſe ſtolidum & veſanum ſimulavit, ſtolâ viridi indutus & prolixâ barbâ inſtructus. Domeſticis Cancellarii cum plebis multitudine affluentibus & quis eſſet interrogantibus, reſpondit: Se eſſe Carnificem & ab eô, qui primum à ſe excoriari vellet, plagas & verbera præſtolari. Cancellarius hæc inaudiens portentum hominis ad ſe venire jubet, qui obtentâ dicendi facultate tam diſertâ lepidaque oratione commiſſa ſibi negotia propoſuit, ut non tantùm menſæ tabulæque Cancellarii admotus, ſed & omnium petitorum compos factus fuerit; hinc in memoriam recuperatorum à *Rabelæſiô* privilegiorum ſancitum, ut omnes Neo-Doctores ejus tunicâ ſuperbirent. Quodſi porrò indolem ejus & ſcripta ponderaverimus, illa ob facetias & argutias ferè inimitabilis, hæc autem prorſus ironica, Satyrica & per antonomaſiam intelligenda ſunt. *Luciani* enim æmulus *Democriti* inſtar omnia ridebat, & jocandi libertatem ingenioſè excuſabat, quod, cùm ſanitati conſervandæ nihil magis officiat, quàm mœror, prudentis Medici partes ſint, non minus in mentibus exhilarandis, quàm in corporibus curandis laborare, ut *Freherus* (c) in vita eius refert. Quemadmodum igitur Autor *Grobiani* in formandis Studioſorum moribus & Depoſitores in Academiis nil niſi

(c) *in Theatrô Virorum Illuſtr. p.* 1241

vitia morumque pravitatem laudant, ut indecorum illorum ob oculos riſuique exponendo bonorum elegantiam eò promptius animis illorum inſtillent: Sic *Rabelæſius* ineptorum vitia & Medicaſtrorum deliria laudando & ironicè deprædicando contrarium intendit, hôcque ſenſu tunicæ ejus involutum VADE ET OCCIDE CAIN quoque ſumendum eſſe judico. Noverat enim Rabelæſius nihil facilius evenire poſſe, quàm ut Medicaſtri Doctoresque aſparagorum more cocti, inſcii etiam & nolentes, homines, cumprimis fratres & conſanguineos (in quibus praxin ordiuntur) inſtar Caini officioſiſſimè occidant; hinc eosdem non ſine monito & cautelâ demiſſuros obteſtatur exclamando: VADE ET OCCIDE CAIN, h. e. Cave, ne Caini inſtar proximum fratremque tuum occidas.

Nec obſtat *leg.* 7. *de Officio Præſid. Tit.* 18. expreſsè dici: „ Eventum mortalitatis Medico imputandum non eſſe. Statim „ enim pro ℞. additur: Si verò quid per imperitiam commiſit, „ imputari ei debet. Prætextu enim humanæ fragilitatis deli„ ctum decipientis in periculo hominis innoxium eſſe non debet. „ Unde quoque eſt, quod exercitium Artis Medicæ de jure Canonico irregularitatem inferat, ſicque Presbyteris, Canonicis & Monachis Praxin Medicam exercere non liceat.

Cæterum ut appareat medicinâ ſive præter neceſſitatem, ſive præter rationem adhibitâ quàm facilimè vitæ mortalium incommodari, tria hâc vice conſideranda erunt, Subjectum ſc. Objectum Artis & Medendi Methodus, quibus expeditis ſimul eluceſcet, optimum medicamentum eſſe, nullâ medicinâ uti. Quod ſubjectum attinet, Medicum non tam circa corium, lignum aut lapides, ſed corpus humanum vivens occupatum eſſe, vel Tyrones & τῶν ἰητρῶν παῖδες non ignorant ipſeque *Galenus* (d) alicubi egregiè oſtendit. Corpus humanum vivens autem à DEO T. O. M. numerô, pondere & menſurâ mirabiliter contextum quoad apparatum membrorum organicum, imò & principium vitale movens,

(d) *Comment. in aph. Hipp. l.*

vens, inſtar automatis ſe habet, è tubulis, ſtaminibus & fibris, partim & humoribus circulantibus conflatum. In prioribus legitima tenſio, quàm tonum vocant; in poſterioribus autem certa conſiſtentia requiritur, quò à prioribus loco moti per omnes corporis humani partes ire redireque, verbo, circulari poſſint. Quodſi jam medicamentis aut præter neceſſitatem, præſervandi ergo, aut intempeſtivè adhibitis, vel minima fibrillis læſio inferatur, vel humores nimis ſpiſſi, aut juſto fluidiores reddantur, idem continget corpori humano, ac horologiis portatilibus, quæ toties læduntur, quoties à Mechanicis & Automatariis reparantur & tanguntur. Quemadmodum èccontra, ſi horologia probè obſervantur legitimèq; tractantur, ne aut elaterem nimis tendendo, aut rotulas per lapſum aut contuſionem violando noxam ſentiant, durabilia ſunt & perpetua: Ita corporis humani ſanitas laudabili diætâ conſervata durabilior & perfectior eſt, quàm ſi pharmacorum illiſionibus temeretur. Optimum ergò medicamentum eſt nullâ, eô in ſtatu, medicinâ uti. Cumprimis autem id in ſubjectis delicatis & tenerioris texturæ hominibus, Regum ſc. Principum & Magnatum Filiis obſervandum, quæ non ſecus ac horologia portatilia violentiis his mage ſunt obnoxia. Dolendum ſanè eſt, teneriora horum corpuſcula à teneris ſtatim annis medicamentis, absque ullâ ſæpe neceſſitate, adſuefieri, quibus tonus partium, jamdum ſubtilium & tenerrimarum, ita proſternitur & labefactatur, ut per totum vitæ curſum valetudinarii obſerventur, ſicque fatis acceleratis officioſiſſimè ſæpe enecentur. Cùm enim illis, qui curas Aulicorum agunt, raro alios, ob metum contagii, viſitare liceat, hinc plures, ne prorſus otioſi nihil videantur agere, ſub ſpecioſô præſervationis titulo pharmacis ſæpe litandum eſſe ſuadent, ſicque valetudini Magnatum plus nocent, quàm proficiunt. Quapropter rectiſſimè Pauſanias Archiatro ſuo, an quid mali ſentiat? quærenti reſpondit: Nihil, quia Te Medico non utor. Alius autem, cum Medicus illi dixiſſet: Senex factus es, reſpondit: bene quidem & ſatis feliciter, Medico enim non uſus

ſum. Ne verò quis exiſtimet in ſtatu ſaltem ſanitatis hoc procedere, ad ipſius Hippocratis autoritatem provocare licet, qui ſincerè & apertè profitetur, τὰς φύσιες τῶν νούσων ἰητρὸς: Naturas morborum Medicatrices eſſe. Natura autem non medicamentis, tanquam contrariis, juvatur, ſed alimentis, h. e. ſimilibus. Similia enim ſimilibus conſervanda, ut contraria contrariis ſunt curanda. Hinc & illi, qui medicamentum univerſale ſive jactitant, ſive defendunt, id non aliter ac ſpiritus tonumque partium, h. e. Naturam confortando juvare ſtatuunt.

Quod enim reliqua medicamenta particularia, objectum Medicinæ pro ratâ conſtituentia, concernit, illa, ſi præter urgentem neceſſitatem propinentur, tantùm non omnia ita comparata ſunt, ut machinam corporis hydraulico-pnevmaticam ſi non prorſus deſtruant, attamen ſummoperè debilitent. Sunt autem vel evacuantia, vel alterantia. Priora vellicando, rodendo, ſtimulando, fundendo ſimilibusque violentiis agunt, qualia ſunt purgantia, clyſmata, ſuppoſitoria & ſimilia, quæ à *Gehenna* eam ob cauſam Sicariorum adminicula, ſeu, ut libri titulus habet: *Grauſame Mediciniſche Mord-Mittel* appellantur. Alterantia à Methodicis aut ſtricta laxando, aut laxa ſtringendo agere dicuntur: Illis autem tonus fibrillarum, his humorum conſiſtentia deperditur, quod utrobique per nimium potûs Thee, aut Martialium uſum ob oculos ponit *Harveus* (f) Anglus. Sicq; rurſus optimum medicamentum eſt, nullâ medicinâ uti.

Cui bono igitur tot Curæ Præſervatoriæ per V. S. acidularum, thermarum, vinorum laxativorum uſum, tempore ſive vernali, ſive autumnali, citra ullam ſæpe indicationem, in corporibus ſaniſſimis, aut animi, moris aut amoris, vel converſationis ergò (vulgò par compagnie) quotannis inſtitutæ? Nonne talibus quoque tenerrima fibrarum ſtamina flacceſcunt, vires labaſcunt, ſicque lentô & inſenſibili ferè modô fata accelerando homines officioſiſſimè enecantur? Ipſi judicate, AUDITORES, annon

(f) *Tr. de Error. Med.*

annon contra omnem rationem agant illi, qui præſervationis causâ ſanguinem laudabilem, balſamicum & per tot circulationes volatiliſatum, h. e. exactiſſimè elaboratum, per V. S. ſatis largas extrahunt, moxque jacturam ejus lautâ pinguique diætâ, crudiorem tamen chylum ſubminiſtrante, reſarcire ſatagunt, obſervando communem brutalitatis regulam:

Den erſten Tag mäſig,
Den andern gefräſig,
Den dritten voll und toll.

Cogitate quæſo, quot ex acidulis elumbes, phthiſici, hæmoptoici, cachectici & hydropici redeant vitæque filum curâ ſibi intempeſtivâ præſcindant? Cogitate Paralyticos è thermis omninò Contractos revertentes! Utinam tandem reſipiſcerent Hydropotæ! Utinam ſtrophas Aquariorum inde victitantium addiſcerent, qui aut tædio morborum chronicorum ſaturati, aut ſoſtri ſpe lactati maximos, medioxumos, minimos -- -- Tros Rutiluſvè fuat, ad Thermas & Acidulas remittunt. Prius apertè & abſque fidiculis fideliter confitetur *Langius* (g) Medicus quondam Lipſienſis Celeberrimus, dum in ſpeciali *de Thermis Carolinis Tr.* ita canit:

Wann wir der Krancken haben ſatt,
So ſchickt man ſie ins warme Badt,
Draus bringen ſie ein ſolche Frucht,
Zu Teutſch genandt die Waſſerſucht:

Utut effectus hic non tam ipſis aquis, quàm ægrorum temeritati, Medicorum nonnullorum inſcitiæ, aut uſui intempeſtivo tribuendus ſit, juxta verſus Germanicos, à Sereniſſ. Landgravio Haſſiæ Mauritio, ad menſuram Latinorum generis hexametri, conſcriptos, allegante *Dn. Webero,* Profeſſ. Hiſtor. Giſſenſi (*)

In

(g) *Tr. de Therm. Carol. Cap. V.* § 23.
(*) *Diſp. de Eruditis Haſſiæ Principibus, pag.* 22.

In der Stadt Wisbaden ſind ſehr luſtige Bæder,
Darfſt ſie nicht wärmen, ſie han natürliche Wärme,
Zu heilen Krancken, die Quell-verborgene Kräfften
Thut mit ſich führen: dadurch viel ſchwére Gebrechen
Nach GOttes Willen zu rechter Stunde geheilet
Werden. Bisweilen die Wärme dem Bade nicht helffet,
Wann Todes-Nöthen, Zeit, Ziel und Stunde vorhanden:
Doch han die Bäder kein Schuld, der Göttliche Wille
Thut alles würcken durch ſein allmächtige Stærcke!
Mein Luſt Zum Höchſten,
Moriz, Landgraf zu Heſſen.

Poſterius verò candidè quoque detegit *Thiermayerus* (h) Bavariæ Machaon quondam Feliciſſimus, dum in *Conſilio* quodam ſequens Thermiſtarum ſtratagema tangit: „ Pro concluſione „ (dicit) unum hoc notare liceat, cur ex Medicis, quotquot ab „ Illuſtri Matronâ in conſilium vocati fuerunt, quilibet Thermas ſibi tantùm viciniores omnibus reliquis prætulerit & ſuaſerit? Prout Bavari thermas ſibi patrias Hailbrunnenſes: Mœglinus Schaffhuſianas: Helvetus Badenſes: Holzemius denique „ Medicus Colonienſis Embſenſes laudarunt. An forſan, quia „ thermæ viciniores cuilibet ex iſtis magis erant notæ & experientiâ probatæ? vel an, ut equidem credo, quilibet horum „ Medicorum, dum Illuſtriſſimæ Matronæ conſuluit, ſibi quoque conſultum & prodeſſe voluit? Non improbabiliter:
Alterius nam res altera poſcit opem.

Hactenus *Thiermeyerus.* En hoc eſt artificium illorum, qui cum *Foreſto* ſubtiliter curare, quam ſubtiliter diſcere malunt. Neſcio verò annon ex eodem fonte illi, qui noſtris diebus acidulis cohabitant, thermas cane pejus & angue fugiendas clament: Thermiſtæ ècontra & Balneatores acidulas diſſuadeant, novo eoque certiſſimo indiciô longè aliud, quam fortè ſimulatur,

(h) *in Conſil. Lib. I. C. XIV. p. 180.*

tur, myſterium latere. Sapienti ſatis! Nos & hic repetimus ſtrenam noſtram: Optimum medicamentum eſt nullâ medicinâ uti. Teſtantur hoc ipſi Medici, acidulas aliàs & thermas ſuadentes, qui dum alios Tantali inſtar ad aquas condemnant, dulcibus vitis lachrymis ſe inungunt, quod facetus quidam acidularum hoſpes Svalbaci obſervando ſequens dicaſterio ſecretiori inſcribebat:

Herr Doctor(N. N. *rath du's*)
Legt andern Waſſer auf zur Buſs,
Und trinckt ſelbſt guten Wein,
Solt das nicht ein untreur D. ſeyn?

Majori forte fide & ſinceritate nuper Opponens Reſpondenti conſulebat, canendo:

Vina Opponentes rebibant, animalia fontes,
Abſit ab humano pectore potus aquæ.

Videtis, Auditores O. O. H. non ludendum, aut animi fortè gratiâ utendum eſſe medicamentis, ſed & hîc notiſſimum obtinere rhythmum, de ſacra animæ medicinâ decantari ſolitum:

Iſt dir vvohl, ſo bleib darvon,
Daſs du nicht kriegeſt böſen Lohn.

Quemadmodum enim medicamenta tempeſtivè & in caſu neceſſitatis adhibita, nil niſi manus DEI ſunt: Ita citra manifeſtam neceſſitatem, intempeſtivè & impertinenter applicata culter ſunt in manu furioſi.

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore multa nocent.

Ecquid verò iis ſubſtituendum? & quî Morbonæ injuriis reſiſtendum? Dicam quærenti:

Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.

Non admittitur autem, omnisque illi aditus præcluditur Abſtinentia, Sobrietate laudabilique Diætâ, non medicamentis, non fer-

rô, vel igne. Rectiſſimè *Celſus*: " Multi magni morbi (inquit) „curantur abſtinentia & quiete. „ Verbo:

Suſtine & Abſtine
Das iſt die beſte Panacee.

Servanda eſt Natura, non debilitanda. Quemadmodum enim in Republicâ perfectiſſimâ, ubi vitia prorſus exulant, viventi non opus eſt legibus: ſic errores in Diætâ vitanti non opus Medicinâ. Quodſi verò crapulæ, intemperantiæ, libidini & affectibus in ſtaſtu ſanitatis, vitiis autem in Republicâ fores pateant; non mirum eſt illîc medicamenta, hîc autem leges opponendas eſſe. Hinc optimè *Arceſilaus* apud *Laertium* (i): Quemadmodum ubi multæ leges, ibi plurimum vitiorum: ita quoque, ubi multi ſunt Medici, ibi etiam multi morbi.

LEGES certè inſignem cum Medicinâ affinitatem habere non tantùm illi, qui *Medicinam mentis* conſcripſêre, ſed & qui Doctrinam Moralium juxta methodi medendi ſeriem proponunt, jamdum oſtenderunt.

Cùm verò talibus SERENISSIMI ACADEMIÆ FUNDATORES ET CONSERVATORES etiam Morbis Scholarum ſaluberrimè proſpexerint, ſimulque gratioſiſſimè ordinaverint, ut ſingulis Calendis Julii omnibus illæ prælegerentur; hinc absque fuſiori præloquio jam ad iſthoc negotium nos accingimus. Age igitur DN. FRIDERICE RIEDEL, Notarie Academiæ Publice, age & *Tit. LXXV. De Officio Studioſorum* clarè & diſtinctè prælege!

(LEGIBUS FINITIS)

Audiviſtis, CIVES GENEROSI ET LECTISSIMI, quænam morborum Academicorum ſit medicina? quæ panacéa? Talis nempe, qua vita ſalusque veſtra non tam officiosè deperditur, quàm conſervatur. Quodſi verò ſint, qui gravem illam, duram & horrore plenam eſſe judicant, illis jam ante laudatum præſervativum univer-

(i) *Lib. 4. C. 6.*

univerſale: SUSTINE ET ABSTINE commendare liceat, quô omnem medicandi neceſſitatem ſubterfugere poteritis. Suſtinete igitur labores, cùm otia dent vitia, memores communiſſimæ paræneſeos:

Perfer & obdura, dolor hic Tibi proderit olim!

Abſtinete à criminibus & exorbitantiis quibuscunque, à vitiis & conviciis! Abſtinete à Comeſſationibus, Compotationibus, Excandeſcentiis & Libidine, cùm

Balnea, Vina, Venus, corrumpant corpora noſtra,
Corrumpant animam, Balnea, Vina, Venus.

Hoc ſi feceritis, nec herbis, nec verbis, nec rigorosâ Legum Panaceâ indigebitis, eôque intuitu ut optima medicina eſt nullo medicamento uti, ſic Optima Vobis Lex erit, nulla Lege indigere.

Quandoquidem verò ea ſit mentis noſtræ imbecillitas, ut nunquam non in vetitum nitamur, hinc unum pro coronide adhuc ſuadeo, ut devoto pectore indies à Supremo Legislatore & Archiatro T. O. M. ſuppetias viresque expetatis, ſiquidem

Ni DEUS adfuerit viresque infuderit herbis,
Nil fere Dictamnus, nil Panacea juvat!

DIXI.

DECLAMATIO PANEGYRICA XIII.

DE

INCREMENTIS ACADEMIÆ GISSENÆ PER CIVES HASSIÆ INDIGENAS.

habita A. 1709. in abdicatione Muneris Rectoralis.

P. P.

DEcimus jam annus agitur, cùm in fine Seculi XVII. tuneque ab univerſo Orbe Chriſtiano celebrati Jubilæi, ſub faſcium Academicarum reſignatione, pro coronide HASSIÆ LITERATÆ fata ſermone panegyrico in apricô ſiſterem, fata, inquam ſive ob Bellonæ furorem, ſive ob Morbonæ crudelitatem Muſis earumque Filiis utplurimùm funeſta & omninò fatalia. Utrobique enim

- - - - Veteres migrare Coloni

non jubebantur, ſed cogebantur. Utrobique deſolata Academia ſolatio indigebat, & quæ vix aliquot ante annos inſtar lilii violæque erectæ floruerat, mox

- - - - vultu triſtique ſevero

faciem deſubito mutarat. Nunc verò, dum ipſo Hilarii die nova Academiæ hilaria celebrando mihi verba facienda ſunt, de alio eoque gratiori, priori tamen quodammodò connexo, themate cogitandum, quot tot hactenus pro INCREMENTIS ACADEMIÆ nuncupata vota ſuggeſſerunt.

Enim-

Enimvero, ſi tot Actus Academicos, ſive publicos, ſive privatos, quibus à viginti, & quod excurrit, annis intereſſe licuit, in mentem mihi revoco, nullus absque voto hoc celebratus aut finitus fuit. Quapropter nec ab inſtituto, nec ordine meô alienum eſſe duxi, ſi muneri Rectorali jam tertiùm valedicens pauca DE INCREMENTIS ACADEMIÆ LUDOVICIANÆ, per ſedulas Indigenarum curas & lùcubrationes ipſi natis, diſſeruero, eâ tamen obteſtatione, ne Exterorum laudibus & meritis, alibi fors eadem ratione decantandis, eô ipſô quid detrahere videar, contra quam iniquam explicationem ſolenniſſimè proteſtor.

Neque enim temerè aut frivolè, ſed jure quodam acquiſito argumentum iſtud mihi ſumo, quùm unicus & ſolus ferè ſim, qui in Academiâ hâcce natus, per integrum ſemi-ſeculum enutritus, & per DEI gratiam Sereniſſimique Nutritoris Clementiam in hunc uſque diem ſalvus & ſuperſtes vivam.

Quodſi verò ſint, qui nimio hæc in Patriam amori tribuunt, illis judicium *Valerii Maximi*, Autoris graviſſimi, oppono, qui *Lib. V. Cap. VI. p.* 445. Pietati erga Patriam tantum indulget, ut eius majeſtati etiam illa, quæ Deorum Numinibus æquantur, autoritatem ſcilicet Parentum, fraternam charitatem & ſimilia cedere exiſtimet, idque ſummâ ratione, quùm everſa domo Reipublicæ ſtatus ſalvus maneat, urbis autem ruina Penates omnes ſecum trahat, oporteat.

Dum ergò poculis alii, alii autem populis armisque pro ſalute Patriæ certare amant, liceat mihi vota pro eâdem fundere, quibus ut Sereniſſimos, Illuſtriſſimos, Generoſiſſimos & Omnium Ordinum Honoratiſſimos Auditores ſua haud difficulter juncturos ſpero, ita de prolixiori gratiæ, favoris & benevolentiæ aucupio jam ſecurus vivo.

DE INCREMENTIS autem ACADEMIÆ PER CIVES HASSIÆ INDIGENAS

jam breviſſimis acturus multa primùm de origine ejus & radice

heîc in medium adferenda eſſent, niſi priſtinis eandem temporibus ex hoc ipſo loco præmiſiſſem. Sufficiat hic tribus innuiſſe verbis, è tenuiſſimis primùm fibris Lyceum noſtrum pullulaſſe, aſt copioſô Sereniſſimorum Fundatorum imbre gratioſiſſimè irrigatum & indefeſſo Docentium ſudore cultum mox incrementa ſumſiſſe mirabilia. Non dicam jam de Academia Matre, Marpurgenſi ſc. quæ in tantâ Eruditorum annona primordia ſua cepit, ut quoties in Facultate Theologicâ Doctoralis quidam Actus celebrandus erat, ob defectum Profeſſoris Theologi, Superintendens Alsfeldenſis, D. Tilemannus Schnabelius Marpurgum evocandus & Promotor conſtituendus fuerit. Unde Bachmannus, Poëta Haſſiacus:

Ut primum Doctoris honos hac Martis in urbe,
Theiologi voluit condecorare caput,
Huc Promotorem generoſa Alsfeldia miſit,
Qui capiti inferret dulce decoris opus.

Fuit autem laudatus modò Schnabelius (ut in tranſitu id ſimul recenſeam) Monachus & Provincialis Conventuum Ordinis Auguſtini, qui agnitis Pontificiæ religionis erroribus Alsfeldiæ conciones evangelicas primus habuit, non ſine maximô civium applauſu. Quod cum Sereniſſimus Haſſorum Princeps Romradii (ubi tunc venatui intererat) reſciſceret, ſuggeſto publicô ejiciebatur. Relicto ergò cœnobiô abjectoque prope Noſodochium Ingelbacenſe cucullo Wittenbergam abiit & ad pedes Gamalielis ſui, D. Lutheri, conſedit, donec ejus conſilio Leiſnickiorum Parochiæ præficeretur. Quùm verò oborto Ruſticorum tumultu, plurimis Germaniæ civitatibus, cumprimis autem Alsfeldiæ fatali, hæc maſculè ſe geſſiſſet, & Sereniſſimus Haſſiæ Landgravius omnem, quam à ſuâ Celſitudine peteret, gratiam illi clementiſſimè offerret, nihil aliud deſiderabat, quàm ut Parochum, quô ante gaviſi erant, D. Schnabelium in integrum reſtitueret. Annuit Princeps: revocatur Antiſtes, qui, ut vocationi

tioni divinæ obtemperaret, à Luthero his monebatur verbis: vocaris in Haſſiam, ſequere. Alsfeldiam ergò repetens, per XXXV annos Superintendentis munere ibi laudabiliter defunctus eſt, adeò, ut huic, tanquam fideli Lutheri Diſcipulo, ſequens Epitaphium, in Eccleſia Cathedrali Alsfeldenſi conſpicuum, erexerit M. Juſtus Victor, Succeſſor in officio:

Tilmannus Schnabel virtute divite culta
Florens ac Vindex in Pietate gravis.
Cui ſimilem nullum conſpexit Patria noſtra,
Patria ſub ſceptris, Magne Philippe, Tuis.

Sed ut in viam redeamus, non majori ſplendore Muſæ Giſſenæ prima viderunt incunabula, quùm anno 1605. Gymnaſii tantùm faciem præ ſe ferrent. Quamprimùm verò Sereniſſimus Haſſiæ Landgravius, DN. LUDOVICUS II. glorioſiſſimæ recordationis, anno 1607. inſtituto hunc in finem peculiari verſus Bohemiam itinere, ab Invictiſſimo Imperatore RUDOLPHO II. Privilegia Academica (quorum ſola redemtio 1030. florenis aureis conſtiterat) illi comparârat, dici non poteſt, quanta brevi incrementa ſumſerit, adeò quidem, ut paulò poſt Inclutus Taubmannus, Poeta ob facetias & elegantias celeberrimus, in literis ad Conradum Bachmannum datis, in hæc verba eruperit: „ Deum immortalem, ut ſtudia literarum apud vos calent! „

Omnia ſc. in celebritatem ejus & culturam conſpirabant. Vix enim obtento juſſu Principali Cives Giſſeni ſtatim de ampliandis reparandiſque vetuſtis exſtruendiſque novis ædificiis ſolliciti, commoda docentibus æquè ac diſcentibus habitacula parabant, ſervitia miniſtrabant, & non ſine fœnore propriô quæcunque ad communem vitam requiruntur, promptè ſeduloque procurabant. Nec minus facilem & amicum ſe gerebat Ordo Senatorius, qui de conſenſu atque cenſu tribuum ad annuum etiam pro Docentium ſalario ſubſidium ſe obſtringebat, ſuum & reliquis conferentibus ſubditis Principalibus, tam Nobilibus, quàm igno-

ignobilibus. Accedebat ſplendidiſſima Collegii Giſſeni ſubſtructio, longitudine 140. latitudine autem 34. pedes emetiens, cujus prima die 15. Auguſti fundamenta ſunt locata, prout ex Inſcriptione literis aureis depicta & in propylæo ejus obſervanda (ſequentibus verbis) legitur:

IN
DEI IMMORTALIS HONOREM
PATRIÆ & ECCLESIÆ
ET TOTIUS ORBIS CHRISTIANI
UTILITATEM PERPETUAM
ACADEMIAM GISSENAM
ANNO CHRISTI MDCV.
IMMENSIS IMPENSIS
FUNDAVIT, EREXIT, DOTAVIT
OPTIMUS PRINCEPS
LUDOVICUS
HASSIÆ LANDGRAVIUS &c.
PATRIÆ PATER BENIGNISSIMUS
ET PROPTEREA
OMNIS PIETATIS ET HONESTATIS
AMPHITHEATRUM
ANNO MDCVII. MENSE AUGUSTO
STATIM POST IMPETRATA
PRIVILEGIA CÆSAREA
EX IMO FUNDO EXCITAVIT
CUJUS MAGNITUDO DELINEARI
ET PRIMA FUNDAMENTA
EFFODI COEPERUNT DIE XV.
LIGNEÆ CRATES IMPONI XX.
PRIMUS LAPIS SUPERSTRUI XXV.
UT IBI PERPETUO
BONIS MENTIBUS

VERA

VERA PIETAS, JURISPRUDENTIÆ
MEDICINÆ STUDIUM ET SANA
PHILOSOPHIA INSTILLETUR.
QUICUNQUE ERGO HIS BONIS
NULLO PRETIO ÆSTIMANDIS
UTERIS, FRUERIS,
IN DEUM, CÆSAREM; PRINCIPEM
ESTO GRATISSIMUS
ET HANC DOMUM
NULLA EX PARTE LÆDITO!

Quandô autem cum fervore totum opus & inchoatum & perfectum fuerit; vel exinde conjicias, quòd intra unius anni ſpatium colophonem illi impoſuerint, nequicquam aut ſoliditati aut pulchritudini ejus decedente, quâ faciem externam ſi ſpectes Arcem Butisbacenſem, Sereniſſimæ Viduæ Principalis ſedem, ſplendore ſuo refert, cùm & ab uno eodemque fabrorum murariorum Directore, Meganicô quondam Verſatiſſimo, Johanne Saulo fuerit exſtructum, ut ex Epitaphio ejus, in Cœmeterio Butisbacenſi adhucdum conſpicuo, nuper obſervavi, quod in vernacula ita ſe habet:

Hans Saul von Eyſenach aus der Stadt, A. 1594.
Sein Ruhſtatt hie erlanget hat,
Steinhauen ſein Handvverck vvar,
Das treib er fleiſſig an viel Iahr,
Zu Gieſſen da thæt er ſich nieder. A. 1591.
VVurdt ehlich und verhielt ſich bider,
Als mans Collegium da baut, A. 1607.
Zur Hoher Schul vvie man jezt ſchaut,
Maurmeiſter Er darüber vvardt,
Kein Müh und Fleiſs daran nit ſpart,
Das macht daſs Er hernacher bald,
Zum Baumeiſter hie vvard beſtaldt, A. 1610.

Beym Fürſtl. Heſſiſchen Haus,
Doch halff Ers nicht gar bauen aus,
Hilt ſich ſo bey ſeinm Fürſten und Herrn,
Daſs der Ihn nicht verlohren gern,
VVart ſeines Dings und förchtet GOtt,
Der hat ihn endlich durch den Todt,
Zu ſich genommen aus aller Noth. A. 1618.

Ne verò quicquam uſibus Athenæi proficuum deſideraretur, non tantùm Specula Aſtronomica ædificio ſplendidisſimo annexa, ſed & Anno 1509. menſe Februario, Medicorum Hortus, Collegio noſtro contiguus & vicinus, ex Gratiâ Principali adjectus & inſtructus fuit. In prioris uſum pretioſisſima illa inſtrumenta, quæ Sereniſsimus Princeps ac Dominus, DN. PHILIPPUS, glorioſisſimæ memoriæ A. 1645. Academiæ Marpurgenſi clementisſimè donarat, ſub reſtauratione Academiæ Giſſenæ huc translata hodienum cedunt, inter quæ præter Octantes, Sextantes. Quadrantem azimutalem incomparabilem, Globus cœleſtis admirandæ magnitudinis & elegantiæ obſervatur, cui non abſimilis Sphæra armillaris, cum binis aliis Globis minoribus, ſed curioſisſimis, in ſupra laudata Butisbacenſi aula aſſervatur. In Globo Giſſeno circa principium Zodiaci ſequens annexa eſt Inſcriptio:

Quod F. & F.

„ SÆviente Bellona in univerſô Romano Imperio & turbato re-
„ rum ſtatu miſerrimè Illuſtriſſimus Celſiſſimus Princeps ac Do-
„ minus, DN. PHILIPPUS, Landgravius Haſſiæ, Comes Catti-
„ meliboci, Deciæ, Zigenhainæ & Niddæ, hunc cœleſti machi-
„ næ conformem globum, in quô affixa octavæ ſphæræ ſidera ma-
„ jori ex parte propriâ induſtriâ organisque commodis cælitus de-
„ prehenſa & anno MDCXL accommodata, ſuis quæque in lo-
„ cis ad amuſſim repræſentantur, modô mechanicô conſtruere
„ curavit, errantiumque ſtellarum novarum cœli φαινομένων per
„ hæc apparentias D. V. per veſtigare decrevit. Totum opus cœ-

lo

lo terrigens, poſteris, qui rationem eam capient, perfectum & abſolutum relinquens, Menſe Majo Anno incarnationis 1632.

Cæterum paratis ſic omnibus ad Academiam plantandam neceſſariis ſubditis conſtitutisque ampliſſimis (quibus Fundator Benigniſſimus non tantùm reditus Anthonitarum aliorumque Cœnobiorum è Præfecturâ Giſſenſi, Grunbergenſi & Alsfeldenſi, ſed & magnam bonorum Cameralium portionem asſignârat) Profeſſorum Salariis, adeò ſtatim inclareſcere cœpit nova Haſſorum Academia, ut ex omnibus Orbis tractibus & regionibus advolârint Cives florentisſimi, utut (quod notatu hic dignisſimum exiſtimo) ſub Inauguratione ejus ſoli ferè Hasſiæ filii Patriam Academiam exornârint & Docentium ſubſellia occupârint, certisſimo indicio, Sereniſſimorum Hasſiæ Principum curam non poſtremam fuiſſe, ut Subditorum liberi Civesque Indigenæ non tantùm vario ſcientiarum genere inſtructi, ſed & pro cujusve meritis publicis in Patriâ muneribus & officiis præ Exteris admoti fuerint.

In FACULTATE ſanè THEOLOGICA ne unicus quidem eô tempore docebat, qui ſuos extra Hasſiam natales agnoviſſet, Omnes Hasſi erant: Viri cordati, παῤῥησία indicibili, eruditione ſolidisſimâ & pietate infucatâ præditi. Agmen inter illos ducebat *D. Johannes Winckelmannus*, Hombergâ Cattus, alter Lutherus, quem os humerosque, imò & ſpiritu referebat. Hic quot verba tot fulmina loquebatur, ut ſcripta ejus tam homiletica, quàm polemica, à Frehero fuſe enarrata, teſtantur. His & Jovis iram non tam placare quàm refrænare potis erat, prout hiſtoria de cratere aureo, quô à Serenisſimo (quem irritârat) Hasſiæ Landgravio ob conſtantiam donatus eſt, ob oculos ponit. Hunc ſequebatur *Balthaſar Menzerus*, Allendorphianus ad Salinas, ſcriptis polemicis quamplurimis inſignis, cujus famâ poſt funera quoque fruebantur Filius & Nepos ejuſdem nominis, alter Theologiæ, alter Matheſeos Profeſſor publicus. Tertium locum occupat *D. Henricus Eckardi*, Wetteranus, qui præter faſciculum controverſiarum Theologiam Patrum in compendio dedit, quæ

& noſtris temporibus multis eſt in pretio. Quot & quanta vero, ſcripta bini & immediato ordine ſequentes Theologi, *D. Chriſtophorus Helvicus*, Sprendlingenſis, & *D. Caſparus Finckius*, Giſſenſis reliquerint, illi quoque nôrunt, qui nondum ære lavantur; ſiquidem prior Grammaticâ Giſſenâ, majori & minori, poſterior verò Colloquiis familiaribus tyronibus noſtris, ad ſolidiorem humanitatem aſpirantibus, Hodegorum loco ſerviunt. His ordine quodammodò interrupto *D. Johannem Steuberum*, *Schvveickershuſâ Haſſum*, in Nepotibus Marburgenſibus adhuc ſuperſtitem, ſubnectere liceat, de quo ſequens elogium habet πολυμαθέστατος Schurzfleiſchius, in Collegio Literatorum Mſc. Steuberus, inquit, primum Marburgi, deinde Giſſæ fuit, omni-„ um Theologorum ingenioſiſſimus, ſicut Feurbornius laborioſiſ-„ ſimus, Menzerus religioſiſſimus; & quamvis ſubſequentibus temporibus nonnulli in confiniis Haſſiæ nati, Weſtphali ſc. ſucceſſerint, nimirum *D. Johannes Gieſenius* & *D. Juſtus Feurbornius*, nihilominus ſub primâ Academiæ Giſſenæ Reſtauratione rurſus meri Haſſorum filii Cathedram Theologicam exornârunt, ſe *D. Petrus Haberkornius* Butisbacenſis, *D. Balthaſar Menzerus* junior, Giſſenſis, & *D. Johann Nicolaus Mislerus* Münzenbergenſis, è quibus primum verè malleum hæreticorum dixero, quem Suffenum judicarunt, ut in Colloquio Rheinfelſano, cum Happelio, in Nepotibus & Agnatis Ofleidenſibus adhuc vivente, Capucino loquaciſſimo Valeriano Magno oppoſitus fuerit.

In FACULTATE JURIDICA Exterorum numerus Indigenarum paucitatem ſuperare videtur. Aſt ſi merita in Rempublicam Literariam & Academiam ponderemus, dubito, an Haſſis noſtris palma deneganda ſit. Ad minimum fundamenta jecêre Themidis & glaciem fregêre, non tantùm in hac Academia Giſſenâ, ſed & Matre Marburgenſi. Teſtatur illud * Biga Cancellariorum Celeberrimorum, ſc. *D. Johannes Ferrarius*, Amelburgô Catus, & *D. Juſtus Sinolt*, cognomine *Schüz*, Butisbacenſis,

* *addito* Hertio, *nuper admodum denatô*, *in Trigam abiens.*

cenſis, quorum ſuada & prudentiâ ad aperiendum utriuſque Haſſiæ Parnaſſum uti voluerunt Muſæ. Prioris certè, Ferrarii puta, tot merita numerant, ut in Panegyri ſeculari Anno 1627. à B. D. Jacobo Müllero, t. t. Rectore Magnific. Marburgi habitâ, Vir omnium qui ſunt, fuerunt, erunt, virtute, ſapientia & eruditione profundior audierit. Etenim hic primus eſt, qui anno à partu Virginis milleſimo quingenteſimo viceſimo ſeptimô, tertias calendas Junii, Magiſtratum primum ſcholaſticum adminiſtrandum ſuſcepit & octies poſtmodum autoritate & gravitate ſummâ ſuſtinuit & ornavit. Hic primus eſt, cujus ſuaſu anno 1529. à Sereniſſimo Fundatore Schola Marpurgenſis immunitatibus fuit munita, quique anno 1531. Academiæ Sigillum exarari curavit. Hic idem eſt, qui anno 1532. ſecundùm Rector, Academiam propriis bonis dotatam excepit. Hic primus eſt, qui anno 1533. inſignia Doctoralia in utroque jure per Johannem Rudelium, Procerum omnium applauſu, adeptus eſt: poſtmodùm vero graviſſimô officio Cancellariatûs defungens tenuioras reditus circumſpectâ moderatione & adminiſtratione ampliavit: promovendi tandem & inaugurandi per ſingulas Facultates rationem oſtendit. Hic ipſe eſt, qui eodem anno 1533. Sceptra Academia pecuniâ ærarii redemit, quorum alterutrum in theſaurariô Acad. noſtræ usquedum adhuc aſſervatur, hâc cum inſcriptione:

CAROLE V. vale, Tu ſceptra Scholamque dediſti.

De Poſterioris, Illuſtris ſc. Schüzii, meritis, in Academiæ Reſtauratione cumprimis aliisque Legationibus ad aulam Cæſaream Principalibus Haſſiæ noſtræ præſtitis, loquatur Academia Giſſena Reſtaurata typis publicè excuſa. Hic enim eſt, qui primus Academiæ reſtaurationem elegantiſſimô programmate intimabat. Hic eſt, qui Sereniſſimum Patriæ Patrem, Muſas noſtras gratioſiſſimè ſalutantem, mellifluo Suadæ ſuæ ore ſubmiſſiſſimè excipiebat. Hic eſt, qui primam in Facultate Juridicâ Promotionem Doctoralem dirigebat. Taceo alia Ejuſdem in egenos collata beneficia, quibus annuatim adhuc fruuntur laceri Haſſorum Lazari.

Quodſi jam ad FACULTATEM MEDICAM eamus, quo ſe trudunt Haſſiæ noſtræ lumina, *D. Johann Daniel Horſtius* Giſſenſis & *D. Johannes Tackius*, Wezflarienſis. uterque πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Horſtii ſane merita, tum Aulæ, tum Academiæ, imo tota Reſpublica Literaria loquuntur. Proſtant Obſervationes & Epiſtolæ hinc inde in publicis Eruditorum Diariis. Nec minora, ſi non majora, ſunt Tackii elogia, cujus Suada incomparabilis è tot programmatibus, orationibus, Mauſolæis Principum, Acad. Giſſena reſtaurata (cujus genuinus Autor eſt (aliisque monumentis elucet.

In FACULTATE tandem PHILOSOPHICA magnus quidem & prolixus Profeſſorum extra Haſſiam natorum catalogus ſe trudebat, ſed, quod citra ignominiam illorum dixero, vix unus aut alter in Scriptis hactenus inclaruit. Soli Haſſorum filii Patriam ſuam ſcriptis publicis æternitati conſecrare fategerunt, quæ ad unum omnia claſſicis & receptiſſimis ferè libris adnumerari ſolent.

In priori enim ſemi-ſeculo celebris hîc erat *Conradus Dieterichius*, Gemunda Haſſus, qui Philoſophiam primò Moralem, mox Dialecticam, Rhetoricam & Oratoriam, quæque omnibus inſervit, Grammaticam inculcabat, hodienum in Scholis adhuc filium qſ. Ariadnæum ſuppeditantia. Taceo ſcripta ejus Theologica, Homiletica æque ac Catechetica, fere aurea. In poſteriori ſemi-ſeculo præter Incl. *D. Schuppium* Giſſenum, Oratorem facetiſſimum, triga Virorum Celeberrimorum publicè emicuit, *Caſpar ſc. Ebelius*, Giſſenſis, *Johannes Conradus Dieterichius*, Butisbacenſis, & *Kilianus Rudrauff*, Schotta-Haſſus, ultimis ætatis ſuæ annis ad Prof. Theologicam evectus. Primus, Ebelius ſc. Logicam & Metaphyſicam non in Haſſiam tantùm, ſed & univerſam Europam introduxit & ſcriptis ſuis exaſciatiſſimis (quorum pars manuſcripta adhuc in manibus noſtris latet) Inſtitutionibus ſc. Logicis, Aphoriſmis Metaphyſicis, Collegio Publico &c. Succeſſo-

ceſſori & genuino ſuo diſcipulo Rudrauffio calamum fere duxit ad ſimilia quam plurima edenda. Aurea verò ſunt, quæ Celeberrimus & Exteris notiſſimus Haſſiæ Hiſtoricus, Dietericus puta, in Breviario Hiſtorico, Brev. Pontificum, Jatreo-Hippocratico, Antiquitatibus Biblicis, Enarrationibus in V. Teſtamentum aliisque in ſalivam publicam emiſit, quibus utinam Enarrationes in N. Teſtamentum, Commentarius in Galenum aliaque in Privigni manibus verſantia propediem accederent!

Latiſſimus jam diſſerendi campus ſe aperiret, ſi illorum merita, qui ſive ex Indigenarum, ſive Extraneorum numero noſtris adhuc diebus pro incrementis Ludovicianæ militant extollere vellem. Aſt cum ad clepſammium dicendum Generoſorumque animorum verecundiæ parcendum ſit, in aliam id occaſionem rejicio. Unicum hoc reticere nequeo, quod haud minimum, ſi non maximum, ad incrementa Academiæ noſtræ momentum attuliſſe videatur, quod tot hactenus PRINCIPES Indigenæ ad clavum ejus ſedere non dubitaverint. Magnæ ante novennium gloriæ Nobis duximus tres ex Illuſtriſſima Domo Iſenburgo-Kirchbergenſi Comites Rectorum Magnificentiſſimorum munera in hâc noſtra Ludovicianâ defunctos eſſe: jam verò triplo majorem numerum è Celſiſſimâ Domo Principali Haſſo-Darmſtatinâ, non ſine ſplendidiſſimâ Lycei noſtri prærogativâ, venerari liceat, quô tot Rectoribus Magnificentiſſimis, quot Muſis olim Parnaſſus, ſuperbire valemus. Enimverò anno ſupra milleſimum ſexcenteſimô vigeſimô quintô Rectoris Magnificentiſſimi munere fungebatur Illuſtriſſ. Princeps ac Dominus, DN. *Henricus*, Philippi Fidelis, glorioſiſſimæ memoriæ, Filius, Anno 1642. in vicinâ Acad. Marpurgenſi, eidem officio præficiebatur Sereniſſimus Princeps ac DN. Dominus *Ludovicus VI.* glorioſo recordationis, qui tenerrimis ætatis annis Cives Academicos comptiſſimâ oratione & Gratiæ ſuæ certiores & officii mage memores reddebat. An. ſubſequente 1644.

eâdem

eâdem ſpartâ fungebatur Sereniſſimus Princeps ac Dominus, DN. *Georgius III.* pientiſſimæ memoriæ, cujus veſtigiis, intervallo licet haud exiguô, inſiſtebat Sereniſſimus Princeps ac Dominus DN. *Ludovicus VII.* deſideratiſſimæ pariter ac beatiſſimæ recordationis. Tertio abhinc anno Sceptra Academica vibrabat Sereniſſimus Princeps ac Dominus, *DN. Fridericus*, in cœlô paulò poſt triumphans, cui Anno 1685. Sereniſſimus Princeps ac Dominus, *DN. Philippus* & Anno 1689. Princeps Sereniſſimus, *DN. Henricus*, Heroes noſtri ſeculi Inviſtiſſimi & de univerſâ Europâ Meritiſſimi ſuccedebant. Recentiſſimâ tandem memoriæ refrictione prônô ac ad terram demiſſo vultu veneramur ultimum Academiæ noſtræ Rectorem Magnificentiſſimum, Sereniſſimum Principem ac Dominum, DN. LUDOVICUM VIII Haſſiaci Landgraviatus Hæredem, qui Feſtum Academiæ Seculare anno Superiori 1707. tum Præſentiâ, tum Gratiâ ſuâ Principali illuſtrare acquievit.

Jam verò novum Academiæ noſtræ Sidus orietur, poſtquam ad numerum Muſarum novenarium complendum Sereniſſimus Princeps ac Dominus, DN. FRANCISCUS ERNESTUS H. L. Princeps Hersfeldiæ, Comes in Cattimeliboco, Dena, Zigenhainâ, Niddâ, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga &c. pro eâ, quâ in Muſarum Filios inclinat Clementiâ, oblatam ab univerſo Senatu Academicô Rectoris Magnificentiſſimi Spartam in ſe ſuſcipere non gravatus eſt. Hoc ſc. adhuc ſupereſſe videbatur, ut Serenisſimi Nutritii Hæres Secundus, Secundi Seculi Academici annô ſecundo, ad clavum Reipublicæ Literariæ ſederet & Parnasſi culmen exornaret.

Quod ergò felix & ſecundum eſſe velit DEUS T. O. T. M. Rex Regum & Dominus Dominantium, ad Tuam jam Celſitudinem pronô vultu me converto, SERENISSIME PRINCEPS JUVENTUTIS, Hasſiæ Patriæque Spes Fulgentisſima, TEque ex Decretô Conſiſtoriali Rectorem Magnificentisſimum primus ſaluto, Serenisſimæ ſimul Celſitudini Tuæ, Procerum Academi-

corum

corum nomine & Sceptra & Academiam regundam offero; Sceptra, inquam, futuri Regiminis, in toga ſagoque feliciſſimi, prænuntia, per Vicarium Domin. Pro-Rectorem Magnificum aſſervanda. Addo *Matriculam* Imperii, non q. Romano-Germanici, ſed Academici, cui Cives Academiæ, in typum futurorum Subditorum, inſcribendi ſunt. Quandoquidem verò libertas Academica quàm facilè in licentiam degenerat, adeoque regulis quibuſdam & legibus intra cancellos ſuos coercenda eſt, hinc omittendus pariter non erat *Liber Statutorum*, cum *Privilegiis* Cæſareo-*Principalibus*, juxta cujus tenorem omnes tam Docentium, quàm Diſcentium actiones inſtituendæ, corrigendæ & dijudicandæ erunt. Quod reliquas Magiſtratûs Academici infulas, *Sigillum* ſc. *Majus* & *Minus*, *Claves ad Conſiſtorium*, *Ærarium* & *Carcerem* concernit, eas pace Sereniſſimæ V. Celſitudinis Magnifico DN. Pro-Rectori curandas trado, cùm nil niſi curas & labores involvant, pluribuſque faſtidiis quàm faſtigiis obnoxia ſint; & hæc ferè cauſa eſt, cur more hactenus receptô Sereniſſimæ Veſtræ Celſitudini & Magnificentiæ à Senatu Academicô pro Vicario ſubordinatus ſit Vir Nobilisſimus, Conſultiſſimus atque Excellentisſimus, DN. IMMANUEL WEBERUS, Phil. & J. U. D. hujus Prof. Extraord. Hiſtoriarum & Moralium autem Ordinarius longe Celeberrimus, quem ceu PRO-RECTOREM MAGNIFICUM ſimul publicè & ſolenniter proclamo eoque titulo Omnibus Civibus Academicis, eâ quâ decet obſervantiâ colendum offero. Equidem ſi temporum vetuſtisſimorum longeque retroactorum memoriam recolamus, non forte fortuitò, ſed fatali quadam diſpoſitione hoc contingere, vel ex eô quis conjicere poſſet, quod ante hoc & centum annos, annô ſc. 1609. Rectoris Magnificentisſimi in Lyceô Haſſo-Giſſeno Dignitate fungebatur Magnus quidam Holſatiæ Dux, JOH. GEORGIUS D. G. Hæres Norvv. &c. Serenisſimæ Domui Principali Proximâ Cognatione junctus, & à *Joſepho Lautenbachio*, Doct. Med. renunciatus: Cujus vices tunc gerebat Pro-Rector

(S) Magni-

Magnificus D. Conradus Dieterichius, Prof. Moralium Ord. Frater Germanus Hiſtorici quondam Noſtri Famigeratisſimi JOH. CUNRADI DIETERICI, (vid. *Regimen Academicum* JOH. GEORGII, Hæred. Norvv. &c. *Impr. Giſſæ* 1609.) cujus utriusque munere non ſine maximô Eruditorum applauſu hodie laudabiliter defungitur præſens noſter PRO-RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICUS.

Quemadmodum ergò nullus dubito, Vos, CIVES GENEROSI & LECTISSIMI, Sereniſſimum noſtrum Principem & Rectorem Magnificentisſimum devotisſimâ, & quæ Clientes decet, humilima Veneratione nobiſcum proſecuturos eſſe: ita ductu juſſuque Statutorum ſeriò Vos admoneo, ut & Magnifico DN. PRO-RECTORI ſimul in omnibus debitam obedientiam præſtetis, ſaluberrimis ejus monitis & conſiliis locum concedatis, & ubivis, ut honeſtos Cives decet, vitam veſtram & ſtudia inſtituatis. Sic Rectoris noſtri Magnificentiſſimi Gratiam Principalem, Pro-Rectoris favorem, & quod caput rei erat, DEI T. O. M. benedictionem Vobis comparabitis! Huic ſit laus, honos & gloria, in ſeculorum ſecula!

PLAUDITE!

ABDICATIO RECTORATUS,

præmiſſa Electioni Pro-Rectoris, in Conſiſtorio.

P. P.

TErtiâ jam vice quàm arduum munus Rectorale in veſtras, PATRES CONSCRIPTI, manus, unde mihi contigit, reſigno, faſces & inſignia mox publicè depoſiturus. Quô animô reſtituam, hac vice non addo, quùm nec quo animo ſuſceperim, ante annum aperuerim. Utrobique pro me loquatur gra-

graviſſima Platonis ſententia, ab Eraſmo Roterodamo, in pientiſſimo Militis Chriſtiani Enchiridio, mirè dilaudata: „ Nemiminem ſc. eſſe Magiſtratu dignum, qui libenter gerit Magiſtratum; “ An verò eô, quem Status & Celebritas Academiæ requirebat, modô illô ſim defunctus, non meum, ſed Veſtrum eſt decernere. Ad minimum in conſcientia ſum ſecurus, me nequicquam eorum, quæ ad Academiæ noſtræ famam ejuſque reditus ſive conſervandos, ſive augendos facere poterant, meâ quidem culpa ſive neglexiſſe, ſive omiſiſſe, veſtro tamen nixus adjutoriô: pro quô ut gratias ago profuſiſſimas, ita non tantum ad conſimilia, ſed & alia Vobis me obligo officia.

Reſtat jam, ut more hactenus receptô novum Academiæ Caput eligatur & Rectori Magnificentiſſimo, jamdum Deſignato, Pro-Rector Acad. Magnificus ſubordinetur. Normam & Formam præſcribunt LEGES Academiæ, quæ cum Syndicum Ord. *TIT. XIII. de Elect. Rect.* in Conſiſt. Publ. prælegere jubeant, hinc Vir Conſultiſſ. atque Excellent. Dn. D. Mollenbecius Sen. haud gravatim legi huic ſatisfaciet, quò & reliquis illic contentis ſatisfieri poſſit.

POST ELECTIONEM.

RES ex votô cecidit, poſtquam votis unanimibus ſuffragia Pro-Rectorem Magnif. declarant Virum Conſult. Ampl. & Excellentiſſ. *Dn. Imman. Weberum*, Phil. & J. U. D. utriuſque Prof. Comit. Palat. Cæſ. Collegam noſtrum Honoratiſſimum. Quemadmodum ergò nullus dubito TE, Virum Magnificum, munus, quod offero, gratiosè ſuſcepturum eſſe, ita Totus Sen. Acad. me Interprete de eô gratulatur admodum &c. &c.

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM JUVENTUTIS.

Durchlauchtigſter Printz, Gnädigſter Fürſt und Herr!

Nachdem von der Zeit an, als Euer Hochfl. Durchl. hieſiger Stadt Dero Hohe Præſenz gegönnet, man eine merckliche Flor und Aufnahm bey hieſiger Academie geſpühret hat: doch aber ſich noch einen viel gröſſeren Splendeur verſprechen thut, vvann Euer Hochfl. Durchl. geruheten Sich zu deren Haupt zu ſtellen; als hat man bey jetziger neuen Rector-Wahl Euer Hochfl. Durchl. zum Rectore Magnificentiſſimo erkohren; und damit Dieſelbe von allen concurrirenden Fatiquen verſchonet blieben, gegenvvärtigen Herrn D. Webern, als Pro-Rectorem Magnificum beyfügen vvollen.

Gleichvvie Wir nun der unterthänigſten Zuverſicht leben, es vverden Euer Hochfl. Durchl. geruhen dieſes hohe Munus Acad. gnädigſt zu acceptiren: alſo verſprechen Wir ſambt und ſonders, an unſerm tieff-niedrigen Ort, allen unterthänigſten Gehorſam und Devotion!

DE-

DECLAMATIO PANEGYRICA XIV.

DE

CURA PALLIATIVA.

Habita Giſſæ 1720. die 1 Jan.

Sub aditione Magiſtratus Academici.

VIRI

Proſapiæ Nobilitate, Nominis Celebritate Munerumque Dignitate Per-Illuſtres,

MAGNIFICI, SUMME REVERENDI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI &c. CLARISSIMI,

Tuque

GENEROSA CIVIUM ACADEMICORUM CONCIO.

AD quod ligatis antea verbis me obſtrinxi & obligavi munus, ab eô ſoluto nunc ſermonis genere me abſolvere vel liberare non valeo. Cùm enim pacta contractibus dent legem, hinc factum jam infectum fieri non poteſt.

Jacta eſt alea! & utinam ſic jacta eſſet, ut in alium me vegetiorem cecidiſſet, & ſive fata ſive vota dexteriorem ad arduum RECTORATUS ACADEMICI munus devoviſſent!

Vereor enim, ne anni, quem haud ita pridem ingreſſus

 ſum,

ſum, Climaterici magni pericula tot officii hujus viciſſitudinibus, tot animi motibus, tot laboribus & moleſtiis augeantur fatíque jamdum imminentis terminus acceleretur.

Vereor, ne tribus MEDICINÆ Fontibus, in prioribus Rectoratuum à me geſtorum annis exhauſtis, in quarto & ultimo aqua prorſus hæreat!

Enimverò quùm anno ſuperioris ſeculi nonageſimo ſeptimo faſces Rectorales primâ vice gererem, in moderandâ diſciplinâ Academicâ FONTE uſus ſum DIÆTETICO, ipſis Calendis Januarii brevi oratiuncula ob oculos quaſi poſitò.

Anno hujus ſeculi primô remediis è FONTE PHARMACEUTICO petitis morbis Academicis ſuccurrere ſuſtinui: & tandem

Anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimo octavo de remediis Chirurgicis hic dextrè adhibendis cogitabam, memor Aphoriſmi Hippocratis ultimi: „Quæcunque medicamentis non curantur, ferrum curat: quæ ferrô non curantur, ignis curat: „quæ igne non curantur, ea exiſtimare oportet immedicabilia.

Quùm ergo certa veráque Experientia me docuerit omnia illa ad tollendos Academiarum morbos minus ſufficientia eſſe; hinc neuquicquam reſtat, quàm CURA PALLIATIVA ad quam, tanquam ad Sacram anchoram, confugiendum eſſe reor.

Multa heîc, AUDITORES, O. O. HONORATISSIMI! de Pallio Epiſcopali, de jure pallii, de palliolo Sapientum ſordido aut pallio Philoſophico, & tandem de ipsâ CURA PALLIATIVA in medium adferri poſſent: Aſt cùm ad clepſammium dicendum ſit, in commodius illa tempus rejicienda ſunt.

Sufficiat tribus annotaſſe verbis CURAM PALLIATIVAM illis deberi morbis, qui aut viribus humanis curari nequeunt, aut medicamentis irritati in pejus ruunt.

Prior occurrit in MUTILATIS, qui oculis, naribus, auribus, lingua, dentibus aut artubus artificialibus in integrum reſtituendi ſunt. Quum enim Chirurgia Curtorum *Taphiacotii* adeo rara

rara aut ardua ſit, ut à pluribus in dubium vocetur; hinc Cura palliativa ſenſoriaque artificialia illi vulgò ſubſtituuntur, quæ olim à *Paræo*, noviſſime verò ab *Heiſtero* Altorphino eleganter ſunt depicta. In poſteriori

Exemplo nobis ſit Cancer occultus, quem laudatus antea Hippocrates minus attingendum eſſe ſuadet, dum Aphoriſmo XXXVIII. Sectionis VI. inquit: " Quibus occulti Cancri fiunt, " non curare melius: Curati enim citius intereunt, non curati " longius vitam trahunt. „

Cùm igitur plerique Academiarum morbi Cancri occulti inſtar ſerpant & quò duriùs habentur, eò magis exacerbentur; hinc eâdem quoque ratione tractandi, & PRUDENTIA ACADEMICA temperandi ſunt.

Tractatur autem Cancer occultus pharmacis blandiſſimis, balſamicis, lenientibus, demulcentibus, ne corroſivis & acriuſculis irritatus in cancrum manifeſtum abeat, partesque vicinas depaſcendo ipſi vitæ inſidias ſtruat.

Dum ergò ſimilem nunc methodum, tanquam Viam Regiam, in regenda diſciplina Academicâ mihi ſeligo, firmiterque propono, non eſt, CIVES ADADEMIÆ GENEROSI ET LECTISSIMI,

(Ad vos enim mea jam ſe convertit oratio,)

Non eſt, inquam, ut de rigore inſtantis Rectoralis muneris vel per ſomnium cogitetis.

Rectorem hactenus Magnificum habuiſtis optimum, qui juſtitiam Legúmque rigorem lenitate & hûmanitate indicibili eò magis & temperare valuit, quod veſtra civilitate, obſequio, morumque honeſtate munus Ejus arduum ſublevaſtis.

Dum igitur Hujus Anteceſſoris Venerandi veſtigia poſthâc ſum preſſurus, ſimile quoque ſtudium & adjutorium à Vobis, CIVES EXOPTATISSIMI! mihi expeto & expecto. Veſtra enim Modeſtia eſt, quæ moderari valet HÆC Sceptra Academica.

Mode-

Modeſtia Veſtra eſt, quæ modum ponit Legum & Statutorum *præſentium* rigori.

Modeſtia clavam *claveſque* extorquere poteritis illis, qui ad clavum Reipublicæ literariæ ſedent.

Modeſtia tandem Veſtra pacatum & tranquillum reddet totius Academiæ Statum. Certabimus igitur Modeſtiâ, lenitate, civilitate! Certabimus Animi corporiſque temperantia, nec locum concedemus Sycophantiis Famæque & Vitæ noſtræ inſidias nequiſſime ſtruentibus. Certabimus invicem pietate, ſtudiis & induſtriâ, quò tandem in extremâ mortis horâ dicere poſſimus: Optimum certavi certamen, & poſthæc parata mihi erit Corona juſtitiæ; quam DOMINUS mihique Vobisque, imò omnibus tribuat, qui adventum Ejus præſtolantur.

Hæc erit ſumma RECTORATUS MEI ULTIMI, quâ ſimul fidem Academiæ in tuendis ejus juribus & exequendis legibus ſanctiſſimè promitto.

Tu verò, SUMME DEUS, REX REGUM ET DOMINE DOMINANTIUM, largire Nobis Clypeum Sapientiæ, ne incerti prorſus & Andabatarum more certemus!

Protege Sereniſſimum LUDOVICIANÆ hujus Nutritorem, Dominum noſtrum Clementiſſimum.

Protege Celſiſſimum Principem Hæreditarium cum Illuſtriſſimâ Conjuge Soboléque Principali, ut & Universâ Domo Haſſiacâ.

Protege Academiam! Protege Docentes! Protege Diſcentes!

Tibi ſit Laus, Honos & Gloria in ſeculorum ſecula!

POST

POST ELECTIONEM IN CONSISTORIO.

Màgnificè, *Illuſtris*, *Venerandi*, vosque *Colendi*
Patres, Haſſiaci Gloria magna Poli.
Dum mihi nunc quartùm RECTORIS munia fertis,
Eloquar an ſileam? neſcio quid faciam?
Acceptem? trepido, quia me veſtigia terrent
Priſtina, declinem? votaque lexque vetant.
Hæreo ſic anceps, nec quò me vertere poſſim,
Suppetit: Immergor fluctibus ambiguis.
Veſtrum igitur PROCERES, veſtrum heîc exoro levamen,
Veſtris ſubſidiis pandere vela licet.
His Ego ſubnixus minitantia temno pericla,
Et ſic ſubmitto languida membra jugo.
Sic non cedo malis, ſed contra audentior ibo,
Ibo, quo potero laſſus, at inde ſtabo.
Det Deus invalido vires! det viribus auſus
Felices! procul hinc exulet omne malum.
Quod ſupereſt, cunctis operamque fidemque promitto
Sanctam: Sic Almus me juvet ipſe DEUS!
Me juvet ipſe DEUS! dum triſtia ſceptra capeſſo,
Dum gero, dum regero, me juvet ipſe DEUS!

DECLAMATIO PANEGYRICA XV.

DE

USU ET ABUSU PRIVILEGIORUM ACADEMICORUM.

PROCERES ACADEMIÆ

MAGNIFICI, SVMME REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI,

Vosque

CIVES ACAD. GENEROSI ET LECTISSIMI!

LEgibus cum Privilegiis inſigne commercium intercedere, & ambo ſe mutuo quaſi æquilibrio ſuſtinere vel exinde conſtat, quod privilegia, juxta receptam JCtorum ſententiam, in alterius præjudicium dari non poſſint. Tantum enim abeſt; privilegia à privatione legum ita dici, ut potius infirmiſſimum hic à notatione argumentum deſumatur, cum privilegia rectius ſic audiant, quod privatis aut privativis aut privatos mentientibus dari & conferri ſoleant.

Abſurdum igitur non eſt, leges & privilegia unò eodemque actu vel tempore ferri, promulgari, legi & relegi poſſe. Inſigne huius rei exemplum legimus in annalibus Academiæ Marpurgenſis, in perpetuam rei memoriam pergameno inſcriptis. Cum enim anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo vigeſimo nono, die 29. Februarii,

bruarii, in Senatu Academico decerneretur, Rector à Cancellario, Dn. *Antonio Wolfio à Dodenvvard*, beatæ recordationis, peteret, ut curare dignetur, quò à Cæſarea Majeſtate Academia mater adipiſceretur Comitivam & jus creandi Notarios, idque effectui datum fuerit, hæc ipſa Comitiva, * cum Privilegio Cæſareo de non appellando, Sereniſſimis Haſſiæ Landgraviis conceſſo, anno ſubſequente trigeſimo ejusdem ſeculi ſecundo, cum ipſis legibus publicè prælecta fuit. Juvabit fortè ipſa verba allegaſſe, quæ ita ſe habent: Æque auguſtum eſt Comitivæ Cæſareæ, à laudato Romanorum Imperatore, FERDINANDO II. ampliſſimi inclytæ hujus Academiæ Facultatis Juridicæ Ordinis Decano clementisſſimè conceſſum privilegium *: quod ipſum ne ſit in obſcuro deceatque auguſta Imperatorum beneficia haud clam eſſe, in ipſo publicationis legum Academicarum actu anniverſario dictæ Imperialis Comitivæ autographum, juſſu Principali, in majori ad Lanum Collegio, è cathedra Civibus & in univerſum omnibus Auditoribus in conſpectum produximus, Sigillum Cæſareum majus, quod vulgò Bullam Imperialem vocant, aperuimus & inſinuavimus: inde gratias precesve pro incolumitate Cæſaris & Principis per Ejuſdem Facultatis Decanum, Virum ampliſſimum, DN. *D. Antonium Neſenium*, Academiæ Pro-Cancellarium, primum in Facultate Juridica Comitem Palatinum, audivimus devotiſſimas: hactenus annales. An cum altera Comitivâ, quæ anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo quinquageſimo Ampliſſimæ Facultati Juridicæ Giſſenæ à Sacratiſſimo Imperatore gratioſisſimè conceſſa fuit, ſimile quid contigerit, in annalibus non legitur. Dolendum autem eſt Privilegium hoc nobilisſimum ab avara manu, neſcio quo pignoris titulo, aut retentionis jure ſurreptum eſſe: cujus repetitionem, aut ſi mavis, renovationem duodecim abhinc annis poſt feſtum ſeculare Academicum à ſacra Cæſareâ Majeſtate quidem humilimè petiimus, ſed nondum obtinuimus.

Non minus certum eſt anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo

(T) 2 vigeſi-

* *Vid. Adjunctum ſub Lit. A.*

vigeſimo ſeptimo ſub oratione panegyrica, in feſto ſeculari Academiæ Marburgenſis primo, à *D. Jacobo Müllero*, Pro-Socero meo, νῦν ἐν ἁγίοις, habitâ, Privilegia cum univerſo Senatui Academico, tum Civibus ejus impertita, à *Melchiore Sigfrido*, Notario & Procuratore Dicaſterii Marburgenſis publicè prælecta fuiſſe.

Neutiquam igitur improbandum eſt poſtulatum Dnn. Civium Academicorum Giſſenſium, qui inter alia pia (ſi Diis placet) deſideria anno nuper decrepito à Per-Illuſtribus & Generoſiſſimis Viſitatoribus Academiæ Privilegiorum à S. C. M. æquè ac Sereniſſimis Academiæ Ludovicianæ Fundatoribus Studioſis clementiſſimè conceſſorum prælectionem humilimè petierunt. Cum autem Sereniſſimus Lycei Nutricius honeſtiſſimo huic illorum deſiderio gratioſiſſimè gratificari acquieverit, hinc jam verbis ante laudati *Mülleri* Vos alloquor, Cives Polititiſſimi: Conſpicite in hoc corium, in quo Optimi Maximi Fundatoris Gratia, Principali Ipſius manu ſubſignata, ac majori auguſtiſſimoque ſigillo, rubræ ceræ impreſſo, confirmata latet. Ut denique & auribus veſtris percipiatis, quantus hic theſaurus contineatur, TU, Vir Juvenis ornatiſſime,

DN. HARDMANN AMANDE RHÜDEL,
Secretarie & Notarie Academiæ Digniſſime,

Privilegia ** hæc clara & articulata voce prælege, quo Uſum & Abuſum illorum abhinc pace & indultu ſplendidi hujus Auditorii paulo latius ob oculos ponere valeam.

Poſt Privilegiorum Lectionem.

Percepiſtis, CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI, quot & quanta ſint Privilegia â Sereniſſimo Lycei hujus Fundatore, glorioſiſſimæ memoriæ, vobis nobiſque clementiſſimè conceſſa: è quibus tria fere ſunt, de quibus læti gaudere vobiſque impensè gratulari poteritis; ſc.

I. Forum

** *Conſ. Adj. ſub Lit. B.*

I. Forum Privilegiatum.
II. Immunitas à vectigali & oneribus civilibus.
III. Jus venationis.

Privilegia certè ſumma & ſolis Nobilibus competentia.

Agmen inter illa ducit FORUM PRIVILEGIATUM, quo nonniſi Rectori aut Senatui Academico ſubjecti ſunt Studioſi, quod pro haud minimo beneficio habendum eſt. Notus enim Vobis, CIVES optimi, moroſus & acerbus vulgi genius, qui vel minimam ob cauſam irritatus Vos ad quemvis Judicem, etiam pedaneum, obtorto quaſi collo raperet, niſi foro iſthoc privilegiato gauderetis. Quid fieri putabitis, ſi quis ab alio invaſus, & moderamine inculpatæ tutelæ licet uſus alteri vulnus periculoſum aut lethale infligeret? Nonne tot militibus aut civibus armatis primum quæreretur, foribus effractis è Muſeo ejiceretur, mox haſtis, bipennibus ſudibuſque præuſtis undique cinctus tanquam infamis ad Prætorem & abhinc ad alium judicem criminalem duceretur? annon injectis à lictore vinculis, catenis & compedibus ferreis conſtrictus in carcerem ſqualidisſimum dejiceretur, indeque ad judicium criminale publicum reduceretur? ab omnibus his liberat Vos forum privilegiatum.

Nec obſtat illud in criminalibus ceſſare! cum Statuta Academica & Reſcripta Principalia Vobis aliud tunc judicium, honoratum ſc. offerant & indulgeant, modo quis ſumtus & expenſas, haud ita pridem typis expreſſas, non abhorreat. In cauſis autem civilibus Civis Academicus foro ſuo privilegiato adeo eſt adſtrictus, ut ſicut Vaſallus aut Clericus non poteſt conſentire in juriſdictionem alterius, ita nec Studioſus in juriſdictionem ſenatus aut magiſtratûs oppidani, niſi is, cui per talem prorogationem præjudicatur, conſentiat. Quid quod Civis Academicus civem minus privilegiatum apud Judicem oppidanum conveniens ab hoc illic reconveniri non poſſit, licet Studioſi cives oppida-

 nos

nos apud Rectorem reconvenire valeant; quod ex jure communi æquè ac ſtatutario, ad mandatum Sereniſſimi, anno ſuperiori à Senatu Academico fuſius deductum fuit: *** quibus addi merentur ea, quæ ex jure provinciali Alemannico habet *Schilterus* in Diſſ. *de jure reconveniendi Perſonam Illuſtrem pag.* 281. *Praxeos Juris Romani in Foro Germanico.*

Non obſtat etiam reconventionem privilegium perſonæ tollere: manet enim privilegium cauſæ, Eccleſiaſticæ ſc. ſeu Academicæ, coram Judice competente decidendæ.

Ex ampliatione hujus jurisdictionis Academicæ privilegiatæ Studioſi non minus, quam Profeſſores, non ſalutato aut requiſito prius Rectore, permittere non tenentur, ut, ſi fugitivus aut delinquens inquiratur, & magiſtratus oppidanus illorum Muſea perſcrutari velit, cives aut milites armatos intromittant. Notabile hujus rei præjudicium habetur in annalibus Academiæ Marpurgenſ. ſupra laudatis, in quibus A. 1634. ſeq: leguntur: Huc alia difficultas die 25. Aug. ſucceſſit. Cum enim *Magnus Olaus Aſtrophorus*, Suecus, *Georgium Sonnenſchein* gladio punctim ita aggreſſus fuerat, ut intra paucas horas animam exhalaret, occiſor verò aufugerat, Domini Conſiliarii ab initio Rectoris arbitrio reliquerunt, num velit nomine Academiæ miniſtris ſuis ad inquirendum in ædibus Academicorum deputatis aliquem adjungere: cui Rector annuens Miniſtrum publicum miſit. Sed DNN. Conſiliarii ſententiâ mutatâ admittere noluerunt, & à Rectore per Secretarium *Malcomeſium* poſtularunt, ut Rector omnibus Civibus mandaret, ne miniſtris ſcrutantibus ædes & muſea impedimento, ſed adjumento eſſent. Rector hoc facere recuſavit, eſſe enim 1. contra privilegia, 2. contra notiſſimam obſervantiam, 3. contra æquitatem, quæ non patitur, ut Academia propter factum alterius libertate ſua privetur. Obtulit ſe autem ad adjungendum aliquem, quem ſi non admitterent, ſe vereri, ut Studioſi admittant ceteros; Illuſtriſſimi eſſe Academiam, ejuſque jurisdictio-

*** *Vid. Adj. ſub Lit. C.*

dictionem æquè ac urbicam, & ſic Celſitudini Ejus nihil decedere: Nos æquè Miniſtros ipſius eſſe, & hoc tantum ad tumultum præcavendum facere; & cum inſtanter precaretur, ne hoc in præjudicium Academiæ fieret, Secretarius autem pro certo affirmaret eſſe concluſum, quod remoto adjuncto perſcrutatio fieri deberet: Rector rem indignè ferens ait, ſe tumultum timere, & & ſi Dnn. Conſiliarii in hac ſententiâ perſiſtere velint, tunc magno numero opus eſſe. Poſt toti Conſiſtorio & Senatui hoc retulit, qui omnia probarunt, & in dicaſterium Dn. *D. Kornmannum* & Dn. *D Cauſenium* ad jura & obſervantiam in hoc caſu remonſtrandum, & ne quid contra fieret, petendum ablegarunt. Interim omnes & ſinguli Profeſſores ut ædes clauſas tenerent, nec quenquam, qui perſcrutari velit, intromitterent, familiis ſuis præceperunt. Rumore de ædibus contra voluntatem Profeſſorum introeundis per urbem ſparſo, Studioſi plurimi ad ædes defendendas ſe præpararunt, ita ut facile tumultus exoriri potuiſſet, niſi DEUS avertiſſet. Hactenus annales.

Sed videor mihi quoſdam inaudiere, qui multa quidem hactenus de foro Studioſorum privilegiato dicta, parum tamen ſolatii aut libertatis illis relictum eſſe clamitant, cùm & carceris peculiaris illîc mentio ſit facta. Aſt bona verba quæſo! Si intra carceres ſ. cancellos privilegiorum ſtudiorumque permanſeritis, non eſt, ut pertimeſcatis carcerem.

Quid quod & hic pro inſigni beneficio & privilegio ſit habendus, cum Carcer Academicus Muſeo magis, quam carceri ſit ſimilis. Non enim Solis aut Lunæ radiis heîc influxus eſt præcluſus: Non muribus, bufonibns, pediculis & pulicibus horridus, nec ſqualore ſanitati vitæque eſt infenſus, nec tandem ab aliorum conſortio remotus, ſed amicorum acceſſui & cohabitationi patens & apertus, ita ut non deſint, qui honori ſibi ducant carcerem Academicum viſitaſſe, illique nomen ſuum inſcripſiſſe, cum tot ferè nomina in carcere parieti inſculpta legantur, quam annuatim in matricula.

Secun-

Secundum, idque non minus fœcundum Studioſorum privilegium eſt IMMUNITAS à VECTIGALIBUS & ONERIBUS CIVILIBUS, quo & emigrationis detractioniſque onus referunt alii. Privilegium enim hoc non tantum ſupellectilem librariam, vulgò *Studenten-Guth*, ut ciſtis inſcribitur, ſed victum quoque & amictum concernit, ita, ut in territorio Principis Sereniſſimi nec vinum eximatur. Hoc ſane privilegio ſi tempeſtivè uterentur, nec tacitè quaſi illi renunciarent Dnn. Studioſi, haud difficulter elidere valerent Cauponum & Pincernarum ſive φιλαργυρίαν ſive avaritiam, quâ vino, tolerabili ſatis pretio coemto, non ſolùm alterum tantum, vulgò cento pro cento, ſed duplum, imò ſæpe decuplum lucrari ſolent. Hinc Anteceſſores noſtri priſtinis temporibus pro jure hoc, tanquam pro aris & focis, dimicarunt, ut ex ſæpius laudatis annalibus conſtat, qui loco paulo ante citato ſequentia de eo habent: Cives quidam oenopolium, huiusque monopolium, & ſuper hoc privilegium ab Illuſtriſſimo impetrarant, in quo Profeſſoribus ſingulis ſex amphoræ vini (*ſechs Ohm oder ein Fuder*) ad proprium uſum emere permittebatur. Cum autem hoc, ut & alia circa hanc rem occurrentia, contra libertatem & privilegia Academica fierent, & reipublicæ noſtræ maximum damnum eſſent allatura, Senatus Academicus maximè neceſſarium putavit, Illuſtriſſimum noſtrum ea de re per Legatos accedere, & humiliter pro conſervandis privilegiis implorare. In hunc finem ablegati ſunt Rector ac Procancellarius, & quidem cum certo & limitato mandato, ab omnibus Profeſſoribus ſubſcripto. Darmſtadium proficiſcentes ab Illuſtriſſimo audientiam petierunt, & à Celſitudine Ejus ad Conſiliarios Intimos remiſſi ſunt, coram quibus commiſſionem ſuam propoſuerunt: ſed collatione hinc inde facta obtulerunt Profeſſoribus ſingulis annis XXXVI. fudras *oder Fuder frey einzulegen*, & cùm Deputati de hoc ſe non inſtructos eſſe dicerent, ſed ut privilegia ſarta tecta maneant, peterent, eaque (1) è jure communi Cæſareo, (2.) præcipuè fundatione Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Herois ac Domini PHILIPPI, Haſſiæ Landgravii, de An. 1529, hujus-

hujusque Filii WILHELMI de An. 1560. (3) & Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis GEORGII, jamdum viventis, expreſſa confirmatione, (4.) immemoriali hujus obſervantia. (5.) ut & aliarum Germaniæ Academiarum exemplo, hanc immunitatem & libertatem deducerent & probarent, Dn. Conſiliarii omnia Illuſtrisſimo fideliter ſe narraturos pollicentes eos dimiſerunt; exinde Dn. Pro-Cancellario *D. Neſenio* domum abeunte Rector in negotiis Celſitudinis propriis manere juſſus eſt. Poſt aliquot dies Celſitudo ipſius abituro clementisſimè mandat, ut Profeſſoribus omnibus ac ſingulis gratiam & ſalutem annunciet, & quod Ipſi nunquam in mentem venerit quicquam vel facere, vel permittere, quod vel honori Profeſſorum, vel Privilegiis Academiæ detraheret, & ut in cauſa præſenti Profeſſores eſſent quieti; nam Celſitudinem Ipſius, Marburgum venturam, talem finem ipſi impoſituram eſſe, ut Profeſſores non haberent, de quo conquerantur. Sed cum Illuſtrisſimus aliis gravioribus negotiis publicis impediretur, hactenus Profeſſores jure ſuo & immunitate & hujus quaſi poſſesſione uſi ſunt. Hactenus rurſus annales.

Tertium & ultimum Studioſorum Privilegium erat JUS VENANDI, quod ſummum Principalis Gratiæ argumentum eſt. Quamvis enim jus venandi propriè ad Regalia non pertineat, ut Illuſtris quondam Dn. *ab Eyben* in peculiari de eô diſputatione, (quæ in fine ſcriptorum ejus reperitur) contra alios maſculè ſuſtinuit: certum tamen eſt illud ſolis Magnatibus competere, & de jure civili privatis ademtum eſſe, adeò, ut ne quidem Nobilibus aut Landſasſiis, in propriis licet ſylvis, venari apros, cervos ſimileſque feras majores, *hohes Wild*, capere liceat, niſi expreſsè in literis inveſtituræ venationes conceſſæ ſint, *daſs ihnen die hohe Jagten ausdrücklich verliehen.* Vobis autem, CIVES NOBILISSIMI, ita conceduntur, ut non tantum capere, aut bombardis ferire, ſed & (quod expreſſè additur) eaſdem retinere liceat. Interim

Sit modus in rebus, ſint certi denique fines.

(U) Finis

Finis autem in privilegio dicitur & ſtatuitur recreatio, neutiquam ſtudiorum & fortunæ temporalis (utinam non æternæ inſimul) neglectio & perditio. Si enim Magnates in jure venandi præcavere tenentur, ne eô in perniciem ſubditorum abutantur, multo minus privilegio hoc aut aliis, aut Vobis ipſis nocere debetis &c. Videas enim, qui turpiſſimo ejus abuſu noctesque dieſque venando conſumunt, ſepes ſæpe ſæpius & frumenta aliorum conculcant, & tandem ipſi ferinam naturam induunt, juxta illud *Pauli Meliſſii:*

Qui nimis indulgent crebris venatibus, illos
Cernimus in brutas degenerare feras.

Hinc venator talis abuſivus apud *Spangenbergium im Jagt-Teufel* definitur: quod ſit beſtia, ſedens ſuper beſtiam & inſequens beſtiam; & dum homuncio talis in diem vivit

barba creſcit
tunica vileſcit
Hans nihil diſcit, niſi mera imperſonalia { pœnitet, pudet, tædet, piget, miſeret.

Adeo verum eſt Antiquorum proverbium:

Per piſces & aves (adde & venationes) *multi periêre Scholares.*
Durch Jagen, Fiſch-und Vogel-fangen,
Iſt mancher Tropff zu Grund gegangen.

Huic abuſui ut obviam eatur, Sereniſſimus Academiæ Nutricius neceſſarium æque ac ipſis Studioſis proficuum eſſe duxit, ut Edicto Generali, incrementum Academiæ concernente typiſque impreſſo, iſthoc venandi privilegium ad certos dies eaque anni tempora reſtringeret, quibus ſine damno, ferarum interitu, ſtudiorumque neglectu venationi indulgere vacareque liceret.

Reliquis autem Civium Academicorum privilegiis eorumque

uſui

uſui modum ponunt LEGES & STATUTA, quorum tenorem ut ſciatis, age de novo, Præclare Dn. *Rhüdel*, ac clara diſtinctaque voce prælege *Tit. LXXV. de Officio Studioſorum*, una cum *Edicto* Principali *contra Duella* haud ita pridem typis expreſſo, & ad valvas templi publici affixo. VOS autem, CIVES Academiæ lectiſſimi, aures arrigite, & cum turpe ſit civi ignorare leges, tenorem illarum probè capite & percipite.

Poſt Legum relectionem.

Hæ ſunt Leges Civibus Academiæ hujus Ludovicianæ præſcriptæ. Leges autem vigilantibus ſunt ſcriptæ. Vigilate igitur & cavete, CIVES Academiæ Nobiliſſimi, ne eaſdem tranſgrediendo aut inſuper habendo turpiter Vos detis, ſicque in pœnas tranſgreſſoribus dictatas incurratis. Parcite ergò vobis! Parcite Academiæ! Parcite Rectori, cui legum executio demandata eſt. Hoc ſi feceritis de Legibus his verè dici poterit:

Lex repetita placet, decies repetita placebit.

PLACEAT!

DECLAMATIO PANEGYRICA XVI.

DE FATO PROPRIO Cum VALE ACADEMICO.

Sub Abdicatione muneris Rectoralis

An. 1721. *d.* 1. *Jan. hab.*

* * *

COnvertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi quia eripuit animam meam de morte, oculos à lachrymis, pedes à lapſu. Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum in ſeculorum ſecula.

Juſtum hoc, bonum & æquum eſſe, facile mihi dabitis,

PATRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI CIVESque NOBILISSIMI,

ſi quô animo ſub auſpiciis anni feliciter elapſi hanc Cathedram conſcenderim, in animum Vobis revocaveritis. Quas enim tremulo tum ore dextraque vacillante ſuſcipiebam faſces, has læta nunc & explicata fronte quartùm depono.

Fefellit ſiquidem, quod ex combinatione & concurſu oneris Rectoralis cum anno climacterico magno conceperam, augurium,

um, cum, quæ DEI eſt clementia, in climate licet inclementiori, prorſus evanuerint annis climactericus, ſuperatiſque jam periculis nova nobis halcyonia affulgeant. Interim neque ſic tuta ubique fides eſt, cum aurem mihi vellicet reſponſum Imperatoris Maximiliani Secundi, quod de annis climactericis olim dediſſe fertur. Cum enim ſupremus aulæ Magiſter elapsô annô ætatis ſexageſimô tertiô Cæſari de ſuperato anno climactericô magno gratularetur, conſtanti & plus quam Heroico vultu reponebat: Mei conſervationem acceptam fero unicè Divinæ providentiæ: Dominus providebit! Omnes mihi anni ſunt climacterici; quod idem de Wilhelmo Quarto Saxoniæ Duce Rolfineius habet in Ordine & methodo Medicinæ Specialis p. 278. Sicque omnes Climactericum hunc magnum inſequentes anni nullam præ eô prærogativam aut ſecuritatem conjunctam habent. Quivis ex illis gradus eſt ad ultimum & fatalem, nec ullum in iis momentum prætermitti debet, quo non de beato ex hac miſeriarum valle exitu ſoliciti cogitemus.

Dum ergò his, quos per Dei gratiam attingere licuit, annis inevitabilis lethi terminus ſemper ob oculos verſatur, haud ægrè feretis, AUDITORES O. O. Honoratiſſimi, ſi hac ipſa, quâ ultimo Rectoratûs officio valedico, horulâ, Vobis inſimul publicè valedicam, modò ultimi mnemoſyni loco, de proprio, quod à primis juventutis annis

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,

expertus ſum, fatô pauca nunc effatus fuero; non alium in finem, quàm ut benigniſſimam Dei providentiam, Principum gratiam & Patronorum benevolentiam hîc publicè exoſculer: quibus & veſtrum AUDITORES, favorem adſcripturus ſum, ſi vacivas ad ſemihorulam Aures mihi præbere haud diſplicuerit.

Quamvis autem dudum præteritorum ſive laborum ſive diſcriminum jucunda ſit memoria, non tamen prolixus ero circa ea, quæ ſub primis infantiæ annis perpeſſus ſum infortunia, quæ

acerba ſatis & triſtia fuêre. Nec multum de ſubſequentibus juventutis temporibus gloriari licet, dum & hîc

Multa tulit fecitque puer, ſudavit & alſit.

Hæc enim eſt methodus & ordo, quô juxta Heſiodum Ethnicorum more loquentem Dii bona ſua Mortalibus laboribus vendidêrunt: ſicque

Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.

Eorum ſaltem meminiſſe liceat, quæ in exteris mihi contigêrunt & ceu prodromi fortunæ lætioris majorem ſemper felicitatem præſagire viſa ſunt.

Cùm enim anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo octuageſimo ſexto, ante VII & quod excurrit luſtra, è Belgiô in Angliam transfretabar, vix in Emporio ejus Londinenſi pedem fixi, & ecce in Conventiculo Mercatorum Cambiis dicato, quod Belgæ & Hamburgenſes te Beurse, Angli the Exchange appellant, ſtatim comperi Sereniſſimum Principem Hæreditarium Haſſo-Darmſtatinum, nunc Patriæ, Patrem & Nutricium Academiæ hujus clementiſſimum, DN. ERNESTUM LUDOVICUM, Haſſiæ Landgravium, Principem Hersfeldiæ, Comitem in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budingâ, rel. paucos ante dies illìc appuliſſe, & haud procul à Regiâ ſede Withal in platea the pell mell dicta divertiſſe. Conductâ ergo cymba (qua ob nimium diverſoriorum ædiumque diſtantiam heîc uti tenentur) in Tameſi, adverſo utut flumine, eò vectus vix primô ſalutato limine quendam è famulitio Principali mihi fortè obviam factum alloquens ſciſcitor: annon Princeps Haſſo-Darmſtatinus illîc commoretur? qui pro reſponſo verba Gallica: ie n' entend rien, mihi reponebat. Repeto quæſtionem eodem idiomate, quo intellecto non tam Principem Darmſtadinum, quàm Baronem de Franckenſtein (quo nomine incognitò, quod dicunt, peregrinando utebatur Princeps Sereniſſimus) illîc habitare perhibe-

hibebat. Mox alius Germanus è Comitatu Principali ſuperveniens ſubridendo affirmabat Sereniſſimum hæreditatis Principem eò divertiſſe, ſed ob adverſam valetudinem ad Serenitatem Ejus nemini jam aditum patere. Paucos ſc. ante dies è portu Galliæ Caletô per fretum illîc occurrens Dubrim alium Angliæ portum è regione ſitum trajiciens, Princeps ob reciprocos & ſubſultorios navis levioris & ordinariæ (vulgò the paquebote dictæ) motus nautilia corripiebatur vehementiſſimâ (quam non tam ab aquâ marinâ ejusve vaporibus (ut vulgò creditur) quàm motibus illis jactatoriis oriri alibi abunde probavi) Hanc ſequebatur febris acuta periculoſiſſima, quæ Gubernatorem ſive Ephorum Principalem, Illuſtrem & Generoſiſſimum Dominum de Voſs, in ſummum Animi mœrorem conjiciebat. Aſſiſtebat huic Dn. Mylius ſenior, cujus informatione hactenus uſus erat Princeps hæreditarius, qui ad primum mei aſpectum ſubridens, quonam vento eò delatus fuerim, jocabundus quærebat; cùm eodem anno me Svalbaci viderit? Ego:

Quo nos fata trahunt, retrahuntque, ſequamur,

reponebam; & cum de urgendo ac in Galliam continuando itinere ſermonem injicerem, commendatitias humilimas ad Sereniſſimum Principem GEORGIUM, Lutetiæ Pariſiorum adhuc degentem offerebat, cujus Gratia Principali nihil gratius in exteris mihi contigiſſe poterat. Lutetias per Picardiam delatus humi demiſſa veneratione admirabar dictum Principem & Heroem GEORGIUM, glorioſiſſimæ memoriæ, Terrorem Hiſpaniæ, qui Barcellonam primus, ſed præcipitato nimis fervore Heroico, conſcendendo morte ſuâ expugnavit, & ſi diutius inter vivos perſtitiſſet, totum Hiſpaniæ Regnum Imperatori ſuo, tanquam legitimo Regni Hæredi, indicaſſet. Erat tunc in Comitatu Principali quidam Soldanus, Philoſophiæ Magiſter, qui diætam mihi præſcripturus ſummoperè cavebat, ne vinum Francicum absque aquæ mixtione haurirem, dum neſcio quem calorem præternaturalem inde pertimeſcebat. Aſt cùm obſervaſſem bajulos aquam hinc

inde

inde Venalem apportantes è Sequanâ, & quidem eô in loco, ubi mulierculæ linteamina infantilia lavare & purgamenta Civitatis elutriare ſolent, haurire eandem penitus abhorrens Vinum meracum eligebam, nec ullum inde damnum ſentiebam, cùm econtra laudatus antea Conſiliarius Diætæ, aquam licet vino miſcens, vitam ibidem cum morte permutârit: ſicque non malum tantùm, ſed & bonum Conſilium Conſultori peſſimum evadebat.

Viſis Lutetiæ Pariſiorum Notabilioribus, Res cumprimis Medicas, Anatomicas & Botanicas concernentibus Verſaleſium abeundo eminus ſtatim tecta palatii aureo ſplendore oculos faſcinabant. Rex è Sacellô magnâ Magnatum & Satellitum catervâ circundatus in Conclave è regione ſitum ſecedens curam, quam vocant, Regiam tactu more ſolito exercebat, quâ ſtirpem ſuam & ſanguinem Regium anno præcedente Romæ probare, ſeque ad Angliæ Regnum q. legitimare ſuſtinuit hoc ipſo prætendens Eques S. Georgii. De Animalibus Exoticis in Vivario & theriotrophiis Regiis (vulgò au Trianon) occurrentibus alibi dictum fuit. Salutatis ergò Eruditis & celebribus in Arte Viris, Abbate Roquio, Vernejo, Hamelio, Turnefortio &c. per Campaniam, Lotharingiam & Alſatiam in Patriam tendens, Argentinæ novum q. ſidus exoriens de futuro fortunæ incremento me optimè ſperare jubebat. Literis enim Amicorum certior reddebar, in Academiâ Giſſenâ Actum Doctoralem in IV. Facultatibus celebrandum inſtare, ad quem ſimul invitabar. Promotio erat ſolenniſſima, qua in Facultate Theologica B. Dn. Arcularius, antea Profeſſor Logices & Metaphyſices, tunc autem poſt Senior Miniſterii Sacri Mœno-Francofurtenſis cum Dn. D. Schwarzio. In Facultate Juridica, bini Profeſſores Juris & abhinc Cancellarii Acad. Magnific. Hertius & Mollenbecius (νῦν ἐν ἁγίοις) Doctores creabantur. In Facultate Medica inter VIII. Candidatos agmen ducebam, ſed abſens Novo ſic charactere inſignitus Argentorato Francofurtum concedo, ubi circa idem tempus Anteceſſor meus deſideratiſſimus B. Dn. Laurentius Strauſſius, febri maligna correptus vitam cum morte permutabat. Duplici is

Profeſ-

Profeſſione functus erat, Medica ſcil. & Phyſica. Prior à Sereniſſima Principe, Dn. Eliſabetha Dortheâ, Haſſiæ Landgravia, Glorioſiſſimæ memoriæ tutorio nomine tunc regente, beato D. Dillenio: Altera mihi gratioſiſſimè deferebatur. Peſſime hoc habebat Competitores, qui tantum non Acheronta movendo fictis criminibus & calumniis inſontem proſcindebant. Anſam illis ſubminiſtrabat inconſultus, ſi non ſtultus Amici, non tantùm in Belgio, ſed & in Galliâ mihi obviam facti, jocus, quo datis ad garrulas ſorores literis me Lutetiæ Pariſiorum Religionem Evangelicam cum Pontificia permutaſſe, ſicque fidem abjuraſſe ſcripſerat. Rumor inde per civitatem ſparſus eò faciliorem locum penes credulos invenerat, quod paulo ante Medicus ex hoc ipſo loco oriundus Papicolarum vexillo fidem dederat, in agone tamen Butisbaci in gremium Eccleſiæ Evangelicæ denuò reductus. Quid fieret? Convocato hunc in finem Conventu deſignato jam Profeſſori Phyſico quæſtio ſtatus formabatur, & nî ſincerus & cordatus Clodius, (cujus memoria ſit in benedictione!) machinationes Adverſariorum interrupſiſſet, datis ad Sereniſſimum literis, Hæreticum & Apoſtatam imaginarium accuſaſſent publicè. Adeò verum eſt, quod vulgò dicitur:

Non patitur jocum, fama, fides, oculus.

Interim omnium, quæ in præjudicium & periculum meum agebantur, per amicum certior redditus citato curſu huc contendo, & Oratione inaugurali de origine & progreſſu Phyſices Experimentalis habita paulò poſt in Lectionibus publicis arripio thema à beatiſſimô Anteceſſore Dn. D. Strauſſio in Catalogo lectionum ſemeſtrali commendatum, explicans ea quæ ab antiquis pro veris, à modernis verò pro fabuloſis habentur.

Naſcebatur inde *Phyſica Scholarum fabuloſa*, quam cùm typis exſcribere vellem, de novo claſſica canebantur in pulpitis & roſtris, cum iniquum videretur receptis hactenus principiis quicquam obmoliri, aliisque Profeſſoribus contradicere; Unde votis

 Philo-

Philoſophorum unanimibus, utut mirabilibus ſcriptum novaturiens inter libros prohibitos habebatur, & tantum non Fiſco addicebatur. Erant, qui negotium hoc ad Sereniſſimum devolverant, de quo certior redditus citatis equis Darmſtadium contendo, librumque pro hæretico & heterodoxo habitum Supremo Concionatori Aulico B. Dn. D. Hinckelmanno exhibeo, qui vix prima inſpecta pagella injuriam mihi fieri obſervans,

Tu ne cede malis (inquit) *ſed contra audentior ito*;

Ibo (reponebam) quò potero, quò non potero, ibi ſtabo.

Domum ergò rediens, non verbis, ſed machinis machinationes hoſtium ſubverſurus ſumtibus propriis inſtrumenta ad Philoſophiam Experimentalem (nunquam antea hîc viſam) requiſita undique accerſo: Collegium Curioſum ad imitationem Sturmii inſtituo, quod cùm bini; Comites Illuſtriſſimi, Barones aliquot cum Profeſſore quodam publico & ordinario inviſere non dedignarentur, Studium hoc & inſtitutum Auditores indies magis excitabant. Decennio ſic conſumto tandem juſſu Principis & Nutritii Sereniſſimi ad Facultatem Medicam admotus eò majori cum gaudio concreditis mihi Philiatris hactenus prævivi, quod tantùm non omnes è Scholis meis prodeuntes ad ſplendida (quod præfiſcini dixerim) ſummaque officia muniaque publica evectos & promotos viderim. Loquantur hîc pro me Viri Celeberrimi & Experientiſſimi, *Praunii*, *Wolfarti*, *Fürſtii*, *Fabritii*, *Speneri*, *Vertichii*, *Ruppii*, *Seippii*, *Schachtii*, *Tackii* &c. partim Archiatrorum & Conſiliariorum, partim Profeſſorum Ordini adſcripti: de quorum Praxi meritisque publicis haud minimum me participare reputo, cum, juxta Scholarum principium, quod quis per alium facit, id ipſe feciſſe putetur.

Quid in Rebus Oeconomicis Academiæ ſive Reformandis ſive conſervandis hactenus præſtiterim, poſt obitum, ut ſpero, grata adhuc ſentiet Poſteritas.

Sic

Sic inſerviendo aliis conſumto Rhytmus Antiquorum aurem mihi vellicat:

Suprema cogita, mens ſit in æthere,
Felix, qui potuit mundum contemnere:

Inſtat enim illa dies, quam nullus mortalium effugiet unquam. Inſtat ille terminus, quo valedicendum eſt Patriæ, Academiæ, Familiæ.

Nemo ergo mihi vitio vertet, ſi B. Rudrauffium hâc in parte ſecutus eô, quô muneri Rectorali valedico tempore, ſimul Nutricio Academiæ Sereniſſimo Totique Domui Principali, Conſiliariis Status, Anteceſſoribus Academiæ Civiumque Literatorum Concioni valedicam publicè.

Valeat igitur & Vivat Princeps Sereniſſimus, DN. ERNESTUS LUDOVICUS Haſſiæ Landgravius &c. Patriæ Pater & Dominus meus longe Clementiſſimus.

Valeat & vivat Celſiſſimus Princeps hæreditarius cum Sereniſſima Conjuge & Principibus Juventutis!

Valeant, vigeant & vivant reliqui è Celſiſſima hac domo Principali nati ſurculi. Miniſtri Status & Conſiliarii Principales.

Valeant & vivant Proceres Academiæ Magnifici & Excellentiſſimi! Collegæ O. O. Honoratiſſimi.

Valeant tandem & vivant Cives Academiæ Nobiliſſimi.

Audiat Immenſus ſic mea vota DEUS!

Denato ſic Rectore Novum Academiæ Caput eſt formandum, ne Corpus tam Illuſtre ſit ἀκέφαλον. Eſt autem, & per Annum feliciter inchoatum erit id Vir Nob. Ampliſſimus atque Excellentiſſimus DN. JOHANNES HENRICUS MAJUS, Linguarum & Antiquitatum Orientalium Prof. P. Ord. Famigeratiſſimus, & Pædagogiarcha Vigilantiſſimus, qui ut paulo ante per unanimia Patrum Conſcriptorum ſuffragia ad ſplendidum hoc munus eſt electus, ita ab Univerſo Senatu Academico, me interprete, Vobis

(X) 2 CIVES

CIVES ACADEMICI Nobiliſſimi, ceu Caput Academiæ Commendatur publice. Quemadmodum igitur omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſt, ita hunc Veſtrum Rectorem ea qua par obſervantia & reverentia impoſterum agnoſcatis, ipſiusque Magnificentiæ debitis modis obtemperetis, hujusque ſalutaribus monitis & conſiliis obſecundetis oportet.

Tibi verò, RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICE, Supremus Rector Olympi Spiritum Sapientiæ, vires animi & corporis, felix & tranquillum regimen largiatur largiter, Tuamque Magnificentiam ab omni malo protegat clementiſſimè.

Accipe jam Infulas ad inveſtituram Rectoralem requiſitas:

En duo SCEPTRA Tibi do auro argentoque coruſca,
Unum ſplendebit, Fulgur at alterum erit.
Hoc delinquentes tangit, dum fulmina ſpargit
Fulgur: At ingenuis fax erit ampla prius.

Addo MATRICLAM, ſi mâvis, dixeris ALBUM,
Quod Studioſorum nomina quæque capit.
Omine ſit majus transactis hactenus annis
Civibus hinc auctis, nomen & omen habes.
Si numeroſa cohors odioſa negotia trudat,
Utere SANCITIS Principis: illa Tibi
Præſcribent normam & formam, qua cogere cunctos
Mox poteris { cives, / ſenſus, } flectere ſi nequeas.
Quodſi ſcripta fide communi digna videntur
{ Hiſce / Bina } SIGILLA { duo / Tibi, } quæ modò trado, favent.
Majus erit magnis ſemper pro robore chartis,
Aſt minus hoc literis aptius imprimitur.
CLAVIS nunc triplex ſuccedit, & agmina claudit,
Decretum reſerans hactenus Imperium.

Hæc

Hæc ad conventus ducitque vocatque Senatum,
Illa tenet nervum: Carceris iſta {via / nota} eſt.
Quod ſupereſt, vivat RECTOR per Neſtoris annos!
Tota Profeſſorum vivat vigeatque Corona!
Hinc Studioſorum Cœtus, Lectiſſimus uſque
Vivat! quod Dominus faxit! cui gloria ſemper,
Cui ſit laus & honos in ſecula cuncta! VALETE!

ANTE ELECTIONEM RECTORIS.

P. P.

DUm quartâ jam vice quam arduum munus Rectorale depono, & in manus Veſtras reſigno, idem cum illis fatum mihi experiri videor, qui per integrum annum febri quartana vexati tandem beneficio Naturæ aut Artis adminiculis ab illa liberantur, & quaſi in integrum reſtituuntur. Quò enim moleſtior erat morbus chronicus, eò lætior & exoptatior ejus ſolutio & exitus.

Non poſſum ergò non cum magno quondam Theologo in vicina Academia Marburgenſi magiſtratum Academicum, abdicante exclamare:

Felix illa dies alboque notanda lapillo,
Quæ mihi RECTORIS pergrave demet onus.

Gravitatem autem oneris & muneris hujus eò graviorem & acerbiorem reddebant tot jacturæ, quas tulimus, & quotquot extulimus funera. Mox enim à principio Rectoratus hujus perdidimus eheu! Primicerium Academiæ, magnum quondam Mollenbecium. Circa finem vitam finiebat & cum morte permutabat Senior Academiæ, Beatiſſimus Dillenius. Circa medietatem è medio noſtro emigrabat D. Meyerus, Vir ad altiora natus. Ita ferè deſolata ſtabat Academia, vixdum ſanato prioris anni vul-

nere, Venerandæ Facultati Theologicæ inflicto. Quid amabo gravius accidere poterat Academiæ Patriæ? ecquid acerbius ad ejus clavum ſedentem affligeret?

DEO verò T.O.M. ſint gratiæ, qui me à curis hîc impendendis liberavit. Gratiæ ſint Principi, qui vocatis undique Viris Celeberrimis hiatus ante relictos ſupplendo Academiam priſtino vigori atque decori reſtituit.

Vos, Patres Academiæ Conſcripti veſtigiis Serenitatis Ejus inſiſtentes à novo capite initium ſumite, illudque ſuffragiis veſtris conſtituite; modum præſcribunt ſtatuta Academica Tit. XIII. De Elect. Rect.

POST ELECTIONEM.

JActa eſt alea, ſucceſſu feliciſſimo. Votis enim Unanimibus nemine penitus contradicente in RECTOREM MAGNIFICUM electus eſt Vir Nobiliſſimus, Ampliſſimus atque Excellentiſſimus DN. JOH. HENR. MAJUS, Linguarum, quas Oriens colit, Profeſſor Publicus Ord. Famigeratiſſimus, inter ἄρχοντας Scholaſticos jamdum primas tenens.

Quemadmodum igitur de tanto Succeſſore gaudeo, ſummoperè ita Magnificentiæ Tuæ de novâ eaque ſumma Dignitate verbis, pro tempore pauciſſimis, ſed animo prolixo gratulor enixè, apprecans ſimul DEI T. O. M. συνέργειν animum conſtantem & proſperrimos rerum eventus!

PRO-

PROGRAMMATUM ACADEMICORUM
DECURIA PRIMA.

Num. I.

INVITATIO
Ad audiendum Panegyricum FRIDERICO IV. Reg. Daniæ dicendum.

RECTOR
ACADEMIÆ HASSO-GISSENÆ,
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
D. Medicus & PP. Ordinar.

GENEROSIS ATQUE NOBILISSIMIS DNN. STUDIOSIS.

S. P. D.

QUi luctuoſâ nuper & præ ſuſpiriis ferè balbutiente linguâ cathedram Ludovicianæ adimplebant Juvenes, ex ultimô Septentrione adventantes, illi reviviſcente nunc redeunteq; ſpiritu fronte magis explicatâ eandem reoccupare, Suadaque præ gaudiô promptiori comparere ſatagunt. Nondum quippe annus eſt, cùm triſtiſſimum Patriæ ſuæ fatum, ex obitu *Sereniſſimi ac*

Poten-

Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI V. *Daniæ & Norvvagiæ Regis &c. &c.* glorioſiſſimæ memoriæ perceptum, heîc in panegyri publicâ deplorat Nobilis Danus: quem cum universô Septentrione ſolaturus Conterraneus

DN. CHRISTIANUS WIENCKE,
HAFFNIENSIS,

Novi Regis coronationem, quâ *Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus* FRIDERICUS IV. *Daniæ, Norvvagiæ, Vandalorum Gothorumque Rex, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comes Oldenburgi ac Delmenhorſti &c. &c. &c.* ſub principio hujus anni in Thronum Patris Regium eſt evectus, ſolenni & frequenti jubilô proſecuturus eſt. Sic evigilatæ tandem per mœrorem noctes cum ſubſequentibus dierum tripudiis permutantur; & ſicut obitus Regis CHRISTIANI V. Septentrioni noctem induxerat, ita diem illi reddidit perennans Regis FRIDERICI vita & ſucceſſio. Illîc lachrymis indulgebant Dani violenter quaſi ablactati: Hîc animos reſumunt & ad mortem ferè obſtinata pectora vindicârunt à languore. Illîc itum eſt in laudes Regis demortui: Hîc viventis Succeſſoris nomen frequentabitur, eò quidem pronius, quò glorioſius. In mortuorum ſiquidem dilaudatione facilè ſuo ingenio materiam invenit Sycophanta, utpote qui è viventium mediô ſublati de ſe teſtari ipſi nequeunt. Aſt illorum, qui in vitâ ſuperſtant, celebrare facinora, quid aliud eſt, quàm vivô validoque documentô etiam invidos in ſuffragii conſenſum compellere? Hinc celebres inter Antiquos Panegyriſtæ libentius in augeſcente indies Magnatum gloriâ, quàm in finiente ſuam in dicendo facultatem exercebant. Utriuſque autem Præconem acturus Orator noſter in noviſſimè Coronatô Rege veneratur omnia, quæ in Demortuo ſe amiſiſſe querebatur Dania. Adeò enim Regiæ Parentis Gratiæ & Virtutes in Filio Succeſſore concentratæ ſunt, ut CHRISTIANUM V. in FRIDERICO IV. revixiſſe crederes,

deres, meritoque quod de Theodoſio Pacatus perorabat, dixeris! *Nonne is omnium ſuffragiis hominum tributim centuriatimque legeretur, cui felix Patria, cui domus clara, cui forma divina, cui ætas integra, cui militarium civiliumque rerum uſus contigiſſet?* Aſt id jam hæreditatis favor Septentrioni conceſſit beneficium, quod ab ancipiti eligentium arbitriô quondam dependebat. Diſputent Politici, & contentionis ſerram inter ſe reciprocent, utrum electitia magis, quàm hæreditariô jure perennantia Imperia præferenda ſint? In Daniâ certè felicem utriuſque permutationem docuit experientia, quùm ab eô, quô à FRIDERICO III. hæreditarium declarabatur regnum, temporum intervallô cum Horatio gloriari potuerit Septentrio:

Fortes creantur fortibus;
Eſt in Juvencis, eſt in equis Patrum
Virtus: Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Nec omine carebat, quod CHRISTIANUS V. glorioſæ recordationis, primus omnium Friderichsburgi ſe coronari juſſerit, quò Succeſſorem FRIDERICUM IV. in ipsô tacitè loco nominaret, qui poſt fata ejus nomen & omen feliciſſimè complevit, poſtquam in eodem caſtrô aliquot abhinc menſibus in Auguſtiſſimum Daniæ & Norvvegiæ Regem unctus, & adſtantibus Magnatibus lætumque *vivat* accinentibus Popularibus Regiô Diademate cinctus fuit; cujus Feſtivitatis Solemnia in Publicâ, quæ futuro die Mercurii hora X matutina heîc celebrabitur, Panegyri fuſius decantanda erunt, ad quam omnes & ſinguli CIVES ACADEMIÆ humaniter & amicè invitantur. PP. *Domin. X Trinit. Anno MDCC ſub Sigillo Acad. Majori.*

(o)

II. INVITATIO
AD AUDIENDUM PANEGYRICUM FRIDERICO MAGNO, REGI BORUSSIÆ, dicendum.

RECTOR
ACADEMIÆ GISSENÆ
MICHAEL BERNHARD VALENTINI,
ARCHIATER HASSIACUS, PHILOS. & MED. PP. ORD. utriuſque Fac. p. t. DECANUS, Præſid. in S. R. I. Academ. Nat. Cur. Adjunctus, Regiæ Soc. Scientiarum Berolinenſis, ac Recuperatorum in Italia Collega,

CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO
GENEROSIS ACADEMIÆ CIVIBUS
S. D. P.

SAcratiſſima Capitum Unctorum fata non aliunde, quàm ab arbitrio DEI T. O. M. (qui Rex Regum & Dominus Dominantium unicus eſt) dependere, non ſacræ tantùm paginæ, ſed & quotidiana experientia luculentiſſimis exemplis ob oculos ponit. DEUS enim eſt, qui Principes, Regeſque evehit & de thronô dejicit. DEUS eſt, qui Majeſtatem tribuit, cuicunque

cunque voluerit. Nihil hic conſenſus populi in famosô ſtatu naturali decantatus: Nihil Magnatum favor: Nihil Acheronta moventes auſus; & ſicut ob peccata terræ multi ſunt principes ejus, Prov. 8. §. 2. ita miſericordia & veritas (adde & pietas) cuſtodit Regem & roboratur clementiâ thronus Ejus, Prov. 20. §. 28. Teſtatur hoc Joſua Septentrionalis, Magnus Suecorum CAROLUS, qui tantum, imò plus, ad cœlum elevatis, quàm conſertis cum Hoſte manibus obtinuit, pietate ſe terribilem, virtute autem venerabilem efficiens. Teſtatur idem Salomo Boruſſiæ, FRIDERICUS MAGNUS, Regum Feliciſſimus; qui corporis animique tranquillitate mediâ in togâ cinctus plus hactenus lucratus eſt, quàm tot faſtidiis in ſagô parta ſpolia promittunt. Stupenda ſunt, quæ de Magno Orientis Domitore, Alexandro, referunt Hiſtorici, attamen turbarum plena ſunt omnia, ut vix ac ne vix quidem de aureâ hac animi tranquillitate gloriari potuerit: Inſatiabilis imperandi cupiditas alios ſibi exoptabat Orbes: bellicos apparatus alios poſt alios ſuppeditabat. Claudi non poterat Emathiis terris Gloria. Rapiebantur trans Hellen caſtra & Duces. Jam debellabat Syros: Jam Phryges & Troes. Tyrus urbium Regina & quæ mari compedes injecerat continenti jungebatur. Imperii ſitis Euphratem trajiciebat. Neque ambitioſa Ipſi ſatis videbatur urbs Semiramidis. Nunc furebat in Carras, nunc in Petram. Aliâ vice ad Medos & Scythas ibatur. Darius ter præliô victus cum opulentiſſimâ Perſepoli ſpolium Ejus erant, neque Porus reſiſtere valebat fortunæ Ejus. Elatior tandem in Amicos quoque ſtringebat inſidioſæ mentis truculentiam. Concitatus ſuperbi animi rabie Parentis infeſtus virtutibus, & qui mallet Eum inglorium, Clytum interficiebat. Mox ſuſpicione raptus Philotam damnabat & belli fortiſſimum Ducem inter Medos, quo vivô omnia egerat feliciter, exſtinctô cætera minus, Parmenionem inquam, ſubdolo Cleandri hauriebat gladiô. Parum denique Ipſi erat Philippi eſſe Filium. Malebat audire tonantis ſoboles Jovis, aut Hammonis Arietini filius.

Sola mors ſatiabat ingenium, aut nulli, aut diſcordibus belli Ducibus, Ipſe legitimô Succeſſore deſtitutus, imperium relinquens. Quis hæc inter veras felicitatis ſpecies numerabit, quæ mera fortunæ ſunt ludibria fluctuſque fugaciſſimi? Majori hîc prærogativâ gaudet pacatiſſimum, non minus tamen Auguſtiſſimum, Borusſiæ Regnum, non tam ſanguine lachrymiſque oppreſſorum, quàm amore, pace & quiete Subditorum ſtatuminatum: non fatis Bellonæ truculentis, ſed tot Exulum (quorum id aſylum erat) ad cœlum clamantium indies votis adauctum. O felicisſimum Regni ſplendorem! ô fortunata Borusſiæ Alcyonia! ô beatos regni Incolas! quos novâ felicitatis aurâ jam afflatos cernimus, poſtquam *Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps ac Dominus*, DN. FRIDERICUS, REX BORUSSIÆ, MARCHIO BRANDENBURGICUS, S. R. I. ARCHI-CAMERARIUS AC ELECTOR, PRINCEPS SUPREMUS ARAUSIONENSIS, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VENEDORUM, & quæ ſunt reliqua, è Celſisſima Domo PRINCIPALI MECKLENBURGENSI Auguſtisſimam Sibi THORI SOCIAM elegit. Revireſcat heîc Emblema curioſum, quô Conjugum Regiorum, Caroli Emanuelis & Franciſcæ à Francia, Sabaudiæ Ducum, receptionem venerabantur ſubditi, dum Ceycis, Thraciæ Regis, cum Alcyone matrimonium hâc inſcriptione exornabant:

NIL HÆC CONNUBIA TURBAT!

Quemadmodum enim utrobique mutata poſt fata in aviculas connubialem fidem tantô (ut fabula tulit) cœli favore conſervabant, ut ipſo brumali tempore in earum nidulatione venti ponant, mareque detumeſcat, diebus Alcyoniis orientibus: ita felicisſima Borusſiæ Alcyonia ſævientem brumæ rigorem quoque cicurare dixero. Quò verò & Hasſia noſtra quodam Affinitatis

jure

jure de plauſibus inde natis participet, non potuit non eá, quâ Regem ſuum Clementiſſimum humilimè proſequitur veneratione, *VIR JUVENIS NOBILISSIMUS* & *POLITISSIMUS*,

DN. ERNESTUS GODOFREDUS SPENERUS, Dreſdenſis.

Magni quondam veræque pietatis Aſſertoris Theologi Filius haud degener, Feſtivitatem hanc Nuptialem regiam ſermone comptiſſimo Epithalamiô in frequenti Eruditorum Panegyri celebrare, & pro utriuſque Domus Auguſtiſſimæ ſalute vota nuncupare devotiſſima. Ad quem Actum Panegyricum ſolenniſſimum hodie die 13. Decembris hora locoque conſuetis CIVES ACADEMIÆ GENEROSOS & PRÆNOBILES agmine facto convolaturos, votaque votis juncturos eſſe non ſperamus modò, ſed & adhortamur ſedulo. PP. Die XIII Decembr. Anno MDCCVIII. ſub Sigillo Academiæ Majori.

III. INVITATIO
AD AUDIENDUM PANEGYRICUM, QUO AUGUSTISSIMI HASSORUM PRINCIPIS, DN. ERNESTI LUDOVICI, HASSIÆ LANDGRAVII &c. &c. &c. NATALIS

DIE XV. DECEMBR. ANNI MDC XCIX.

FELICITER CELEBRATUR.

L. S.

QUod Sol in choro Poli, hoc Reges & Principes in foro ſoli. Miſerrima autem & triſtiſſima utrobique facies eſt, ſi omnia vivificans Solis ſplendor, vel ad ſemihorulam, ſive ſideribus, ſive globo terr-aqueo ſubtrahitur, ut in maximâ nuper Eclipſi Solari quivis haud obſcurè obſervare potuit. Interceptis enim ab interpoſitâ Lunâ radiis Solaribus, non tantùm inſolitô crepuſculô obvelabatur cœli hemiſphærium, ſed & ſublato ſuperiorum cum inferioribus æquilibrio omnia ſusque deque ruere videbantur. Quemadmodum ergò turgeſcentia in terræ viſceribus miaſmata ab urgentibus deſuper radiis Solaribus coërceri, & veluti capiſtro quodam refrænari ſolent, ne unô fortè impetu prorumpendo hominibus æquè ac aliis viventibus exitium portendant: ita his, Eclipſeos interſtitio, à terrâ averſis non poſſunt non tetra illa effluvia, quâ data porta, ruere, & fœtore ſuô, nuper manifeſtiſſimè ſe prodente, hominum ſanitati inſidias ſtruere, quas utinam

utinam poſthâc non ſentiant mortales! Scilicet ut aëris elater ſpiritus & humores in corpore viventium quaſi ferocientes reprimit, ne (ut in animantibus vacuo incluſis obvenit,) corpora eorum immane quantum intumeſcant, aut ut ilia Codro, prorſus diſrumpantur: Econtra verò ſpiritus in viventibus, atmoſphæræ ponderi reſiſtentes, obſtant, quò minus (ut in moribundis accidit,) eorum corpora & præcordia nimium premantur ipſaque reſpiratio difficilis reddatur; ita Solis radii effluvia ſubterranea pariter compeſcunt, hæcque viciſſim nimium radiorum impetum quodammodò retundunt, ut idem in Macrocoſmo, quod in Microcoſmo æquilibrium ſervetur. Adeò verum eſt illud Hermetis Triſmegiſti: quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius: adeò verum eſt ſupremum illum cœli terræque Creatorem ſingula numero, pondere & menſura ſapientiſſimè libraſſe. Neque è Naturalibus tantùm admirandum hoc Superiorum & Inferiorum commercium eluceſcit, ſed & in Civilibus idem inter Reges & Subditos inter Principes & Clientes obtinet. Quemadmodum igitur Sôle de novô oriente omnes tenebrarum nebulæ diſcutiuntur: ita Regibus & Principibus florentibus florent viciſſim regna, gaudent Subditi, recreantur Clientes. Inde enim eſt, quod redeunte Principum Natali in tripudia ſolvantur Aulæ & Choreas agant Gallicas (ſi *Gallas* Gallicas, ut ſcapham ſcapham nominare licet) de quibus, ſi quis judicium ſuum vellet interponere, næ! is ſolœciſmum aut pedantiſmum commiſiſſe videretur iis, ad quorum palatum non eſt parœmia vulgaris:

Exeat ille Aula, qui volet eſſe pius.

Interim hoc palam aſſerere non vereor, majoris longè ponderis eſſe devotum piorum ſubditorum concentum, quô redeunte Nutritii natali junctis votis & ſuſpiriis DEO T. O. M. pro Gratiâ illâ gratias perſolvunt infinitas & pro incolumitate Dominorum ſuorum vota nuncupant devotiſſima; ad quæ eò magis ſunt obſtricti, quò plura à Principibus ſuis obtinent beneficia, quæ ſummus ille

rerum

rerum humanarum Arbiter Deus T. O. M. per Unctos ſuos diſpenſari juſſit. Et hoc omnino eſt, quod omnibus vere Chriſtianis inculcat Apoſtolus, dum 1. Tim. 2. §. 1. pro Regibus & omnibus in ſublimitate conſtitutis obſecrationes fieri jubet. Hoc, inquam, eſt, quod nunquam non Sancti Patriarchæ & Prophetæ in V. T. preſſius obſervarunt, dum Abraham pro Abimeleche Gen. 20. §. 7. Samuel pro Saulo 1. Sam. 15. ℣. 35. Eſaias pro Hiskia Eſa. 38. alii pro aliis orarunt. Hoc demum eſt, quod Fideles in primitiva Eccleſia Litaniis, ut *Tertullianus* refert, fuſis ſæpe lachrymis curarunt, quarum veſtigia in precibus noſtris publicis, pro Regibus & Principibus fundendis, reperire licet. Aſt quorſum hæc? Illuceſcet ſcil. propediem dies XV. Decembris, Dies inquam Natalis Auguſtiſſimi Haſſorum Principis, DOMINI ERNESTI LUDOVICI, Haſſiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga &c. &c. Principis ac Domini noſtri Clementiſſimi: illuceſcet dies fauſtiſſimus, totique Haſſiæ gratus, amplus & deſiderabilis. Lætare ergò Patria Dulciſſima! Lætare Academia! Fundite preces CIVES ACADEMICI. Facem Vobis præferet *VIR JUVENIS GENEROSUS AC PRÆ-NOBILIS,*

DN. LUDOVICUS FRIDERICUS DE FREUDENBERG, Ruſſelsh. Darmſt.

qui devotiſſimam, quâ *AUGUSTISSIMÆ DOMUI HASSO-DARMSTATINÆ* eſt obſtrictus, pietatem teſtaturus, Sereniſſimi NUTRITII NOSTRI Natalem, *futuro die Veneris* redeuntem, erudita Suadâ celebrabit. Veſtrum E. erit, *CIVES GENEROSI & NOBILISSIMI*, Panegyrin hanc ſimul frequenti concione illuſtrare, ad quam omnes & ſinguli invitantur humaniſſimè. PP. Gissæ A. O. R. MDCXCIIX.

Die X. Decembris.

IV. In-

IV. INVITATIO
Ad audiendum Panegyricum,
AUGUSTISSIMO HASSORUM PRINCIPI,
DOMINO CAROLO,
ipſo Auguſti Die dicendum.

L. S.

CUr antiquiſſima Romanorum Idololatria, in unâ eademque ejusdem Fani ara Herculi ſimul & Muſis olim ſacrificaverit? in eô dubii & diſcordes ſunt Scriptorum animi. Sunt, qui cum Plutarchô cauſam hujus rei dicunt, quod Hercules Evandrum olim literas docuerit, cùm pro more ſeculi tunc amicos tantùm & proximâ affinitate junctos ſine præmio inſtituerint. Aſt, ut nuſpiam invenitur, Herculem unquam ſtudium literarum profeſſum fuiſſe, ita vel exinde fidem haud meretur hæc opinio, quòd idem Præceptorem ſuum Linum, ob aſpera quædam verba, enecaſſe legatur. Plus ergò probabilitatis habet, Romanos ſacrâ hâc Herculis & Muſarum copulâ maximam quandam ſympathiam & convenientiam, quæ Virtuti Heroicæ cum Artibus Liberalibus, cumprimis Oratoria & Poeſi intercedit, indicare voluiſſe, quæ mutuô communique valore ſe admirabiles & excelſas reddunt. Quemadmodum enim Virtus Heroica uberrimam dicendi materiam Rhetorum Poetarumque Suadæ ſubminiſtrat: ita hæc ſuum à Virtute Heroicâ ſplendorem mutuatur; & ſicut ad tranquillitatem otiumque (quæ Muſis utrobique ſunt amica) conſervanda Heroum & Magnatum patrocinium requiritur: ita horum gloria & triumphi Scriptorum ope æterno oblivionis peplo ſurripiuntur, hique ſe mutuò æternitati conſecrant: adeoque dum Muſæ tubæ ſunt Virtutis Heroicæ, Magnates, ceu ſpiritus, eandem inflant

ſonumque alunt & conſervant. Idem nempe accidit Rhetoribus Mecœnatum ſuorum gratiam experientibus, quod de ſtatua Memnonis, ex ſaxo Æthiopicô in Ægyptô ſabricatâ, perhibent Philoſtratus, Lucianus, Pauſanias, Plinius & alii, quæ vivaciſſimis Solis, manè orientis, radiis percuſſa vocem ſenſibilem formaſſe, notas articulatas diſtinxiſſe & concentum harmonicum expresſiſſe legitur; quod artificium machinis ſuis imitantur Curioſi noſtri temporis Philoſophi, Kircherus, Schottus & alii. Pari ratione ſteriles & frigidæ Muſarum venæ aridaque Oratorum pectora ſplendidiſſimis Heroum radiis illuſtrata & quaſi vivificata, ſtatim à fronte Sermonum in laudes & elogia Tutorum reſolvuntur, intonando cum Horatio:

Mecœnas, Atavis edite Regibus,
O & præſidium & dulce decus meum!

Hæc ergò genuina cauſa eſt, cur Hercules, Virtutem Heroicam repræſentans, & ipſæ Muſæ, quæ Rhetoricam & Poëſin referunt, junctim à Romanis adoratæ fuerint; quod ipſum Eumenius olim, cùm pro Scholis reſtituendis ageret, ſequentibus eleganter & appoſitè expreſſit: Ædem, inquit, Herculis Muſarum in Circô Flaminiô Fulvius ille Nobilior ex pecuniâ Cenſoriâ fecit, non id modò ſecutus, quod ipſe literis & ſummâ Poetæ amicitiâ duceretur, ſed quòd in Græciâ, cum eſſet Imperator, acceperat Herculem, Muſagetem eſſe Comitem Ducemque Muſarum: Idemque primus novem ſigna, hoc eſt, novem Camœnarum ex Ambracienſi oppidô translata ſuâ tutelâ fortiſſimi Numinis conſecravit, ut res eſt, quia mutuis operibus & præmiis juvari ornarique deberent: Muſarum quies defenſione Herculis: Et virtus Herculis voce Muſarum &c. Nunquam ſanè Herculis veſtigia inter ſyderum catervas legerentur, niſi virtutes ejus ad cœlum evexiſſent Muſæ: Et quemadmodum Muſarum ſigna ab Heroe Romanorum Fano Herculis illata & inſerta fuerunt, ita ſigna Regum atque Principum priſtinis æquè ac noſtris temporibus Muſarum ope æternitati conſecrata Aſtrisque annumerata ſunt, ut de Sceptro Brandenburgico

Enſe-

Enſeque Saxonico, in Inſignibus Electoralibus conſpicuis, teſtantur Acta Lipſienſium. Scilicet & Heroes ſua habent ſigna, ſua habent Inſignia. Ab Artis Heraldicæ Cultoribus noſtris temporibus curioſe eviſcerata, quæ ut plerumque ad antiquiſſima Majorum ſtemmata factaque Heroica alludunt, ita ſuos ſubinde in Muſarum Collibus Debuccinatores & Admiratores inveniunt, qui ruptô, quo tot triumphis comparatum ſplendorem piè devenerabantur, ſilentio, ſuggeſta tandem atque roſtra conſcendunt, eorumque veſtigia publicè conſpicienda tradunt. Luculentiſſimum hujus rei ſpecimen propediem exhibebunt Muſæ Ludovicianæ, dum Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis ac Domini, DOMINI CAROLI, Haſſiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis in Cattimeliboco, Deciâ, Ziegenhainâ, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Büdinga &c. &c. Herois Haſſorum Magni *Natalem Auguſtiſſimum*, ipſo Auguſti die (qui tertius menſis Auguſti eſt) feliciſſimè recurrentem, eâ, quâ decet, pietate celebraturus ac utriusque Domus Haſſiacæ Gloriam devotiſſimè veneraturus Baro Generoſiſſimus,

DN. OTTO WILCKE
DE BODENHAUSEN,

Inſignia Sereniſſimæ Domus Haſſiacæ myſticè conſiderabit, indeque Antiquiſſimam & â Tacitô tantoperè dilaudatam Haſſorum Fortitudinem aliasque Virtutes Heroicas compta & eruditâ Oratione derivabit, ac pro utriusque Domus Sereniſſimæ Salute & Proſperitate Principali vota nuncupabit devotisſima. Cui Panegyri ſolenniſſimæ TE, Lector Erudite, etiam non rogatum, adfuturum nullus dubito. Hoc enim ſubmiſſa Tua in tantum Principem venaratio requirit: requirit & favor in eum Academiæ hujus Civem, cuj' prima cura erat, Patriæ ſuæ Patrem revereri, celebrare, admirari.

P. P. GISSÆ A. O. R. MDCLXXXXIX.
XXX. Julii.

V. INVITATIO
Ad Orat. Inauguralem Prof. Log. ac Metaphyſ.
DE
SOBRIETATE METAPHYSICA.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,
MICHAEL BERNHARD VALENTINI,
CIVIBUS ACADEMICIS
S. D. P.

QUantoperè Dialectica, ſeu, ut vulgò audit, Logica priſtinis temporibus Romæ fuerit exoſa, non tantùm e plurimis *Galeni* (Romæ olim Praxin Medicam exercentis) locis apparet, qui otioſas & ferè nugatorias quæſtiones Logicas vocare ſolebat: ſed & idem *Cato* apud *Plinium* teſtatur, qui in illa nobili trium ſapientiæ Procerum ab Athenis Legatione audito Carneade, quamprimum Legatos eos cenſuit dimittendos, quoniam illô Virô argumentante, quid veri eſſet, haud facilè diſcerni poſſet. Hinc & ipſi Romani Dialecticæ parum aut omninò nihil operæ dedêrunt, quam pro juventutis æquè ac omnis ſinceritatis corruptione habuerunt, ut ex hiſtoriâ illorum *Alexander Taſſo in Cogit. diverſis* obſervat. Aſt ut verum fatear, nimio hîc rigore ſuoque ſenſu uſi ſunt Romani, dum ob turpem Dialecticæ abuſum eandem omninò inſuper habere, & embryonem cum balneo effundere conati ſunt. Tollatur abuſus, & ſuus Logicæ, ritè tractatæ, honos conſtabit, juxta vulgare illud:

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

Non

Non Logici, ſed Sophiſtæ ſunt, qui diſciplinâ hâcce res magis confundere, quam dilucidare amant. Non perdat, ſed illuſtret rationem, quùm hujus intuitu ab Anonymo Gallô *l'Art de penſer*, h. e. *Ars cogitandi* audiat. Et idem quoque de ſorore ejus Metaphyſicâ dicendum, quæ ut terminos diſciplinis reliquis generaliores (quos ignorare turpe eſt) ſuppeditat, ita ſi falcem ſuam in alienam meſſem immittat, rebusque ſublimioribus & divinis ſe immiſceat, plura ſanè, quam ab ullô Philoſophiæ genere, incommoda exinde pullulare poſſunt, ut Fidelis ille & Pientiſſimus DEI ſervus, Dn. *Spenerus* obſervat, qui in Tr. *Freyheit der Glaubigen, von dem Anſehen der Menſchen in Glaubens-Sachen*, eleganter ita loquitur: *Aufs vvenigſte hat biſs daher die* Carteſianiſche Philoſophie *noch keinen ſolchen Schaden gethan, als die* Ariſtoteliſche, *ſofern aus dero mit der Schrifft-Vermiſchung faſt das gantze Gebæude der* Scholaſtiſchen Theologie *und Pabſtthums aufgerichtet vvorden iſt* &c. quæ omnia ex Thomiſtarum, Scotiſtarum, Nominalium, Realium aliorumque Scholaſticorum ſcriptis (quorum â tempore Alberti 12000. enumerat *Franciſcus Patritius*) ὀφθαλμοφανερῶς conſtare poſſunt. Quis verò hanc ob cauſam eandem cum *Ameſio* & aliis omninò è Republicâ Literariâ impunè ejiceret? Reddamus heic DEO, quæ DEI ſunt, Theologis, quæ Theologorum, Philoſophis, quæ Philoſophorum, & eleganti utrobique harmoniâ colludent diſciplinæ. Non vanam (â qua Spiritus S. nos cavere jubet) ſed planam atque ſanam exoptamus & profitemur Philoſophiam, quam tantum abeſt, ut rejiciant Athenæi noſtri Sacerdotes, ut potius eandem ſummoperè commendent. Luculentiſſimum hujus rei teſtimonium eſſe poterit ſumma, quâ Sereniſſimus Academiæ hujus Nutritius, DN. ERNESTUS LUDOVICUS, Haſſiæ Landgravius, Princeps Hersfeldiæ, Comes in Cattimelibocô, Decia, Zigenhaina, Niddâ, Schaumburgô, Iſenburgo & Budinga &c. &c. Princeps ac Dominus noſter Clementiſſimus, de ſtudioſa juventute eſt ſolicitus, cura & clementia; cui, ob inſignia ſtudii hujus emolumenta, novum haud ita

quidem Logices & Metaphyſices Profeſſorem gratioſè deſignare complacuit: Virum nempe Perquam Reverendum, Ampliſſimum & Excellentiſſimum

DN. JOHANNEM BARTHOLOMÆUM RUDIGERUM.

Eccleſiaſtem hactenus Wezflarienſem, nunc verò Giſſenſem meritiſſimum. Quùm autem vi Statutorum Academicorum munus hocce Profeſſorium ab Oratione quadam Inaugurali auſpicari teneatur; hinc mori illi laudabiliter recepto morem geſturus, futurô die Jovis, in publicâ & ſolenni Panegyri σωφροσύνη ſeu SOBRIETATEM (quam ſuprà laudavimus) METAPHYSICAM fuſius oſtenſurus, primam Philoſophiam verè ſobriam ſanamque ſapientiam requiri docebit, ex verô ſi nomen ſapientiæ præ reliquis Philoſophiæ partibus tueri velit. Veſtrum autem erit, *Cives Academiæ Nobiliſſimi*, ſolennem hunc actum frequenti concione veſtrâ exornare, deque materiâ ſelectiſſimâ graviter docteque commentaturum attentè ſeduloque percipere; ad quod utrobique VOS omnes & ſingulos etiam atque etiam invito. Valete. P. P.

Giſſæ ſub Sigillo Academiæ majori, die Maji
Anno 1697.

VI.

VI. INVITATIO
Ad Orat. Inauguralem Prof. Hiſtoriarum
De
CORRUPTO HISTORIARUM STUDIO.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
NOBILISSIMIS ACAD. CIVIBUS
S. D.

OPtimi ſæpè peſſimam corruptionem eſſe, ſi quid aliud, ſanè rerum Hiſtoricarum perverſio ad oculum oſtendit, quæ ut luce ſua radiantes Juris Publici fundamenta firmaque Regnorum & Imperiorum ſtabilimenta ſunt, ita ſive dolô ſive negligentiâ corruptæ, integris ſæpe Regionibus & Regnis exitium portendunt. Triſtiſſimum hujus rei exemplum præbet bellum, quo Germania hactenus affligitur, decennale, cui infauſtæ Exterorum prætenſiones, quibus eradicatis primùm aut ſuppreſſis Antiquæ Germaniæ hiſtoriis Regionum ſuarum terminos ampliare geſtiunt, aut ſpeciem aliquam, aut occaſionem primitus dederunt. Habebat equidem quamplurima, eaque ponderoſiſſima rerum momenta, quibus à Cluveriô jamdudum eleganter circumſcriptos Germaniæ fines ſtatuminare poterat *Conringius*, Polyhiſtor, ſed aureum, quod Extera illi Natio injecit,

cit, capiſtrum obſtitit, quò minus in vulgus erumpendo fictitiis ejus prætenſionibus obicem figere potuerunt. Nec parilia *Dn. NN.* fundamenta, quorum in *Tr. N.* nobis ſpem olim fecit, hactenus detecta ſunt, poſtquam ſimili ſtratagemate per ſummos honorum apices aliorſum ſive raptus ſive captus fuit. Hinc obliteratas ſeculorum priſtinorum fœderibus & hiſtoriis, mirabilibus ſuis poſtulatis colores addere, noviſque reunionibus, vix unitos unquam terminos ſuis adjicere potuerunt. Quid quod & in prioribus ſeculis corruptelarum ejuſmodi veſtigia proſtant, cùm non tantùm Græci, (quorum fides hinc ſubleſta eſt.) hiſtoriis ſuis fabulas ſæpè immiſcuerint, ſed & de Odoardo quodam Angliæ Rege narret *Boëtius*, quod debellatâ Scotiâ omnes Scotorum hiſtorias Vulcano obtulerit, ne per eaſdem unquam potentiam Anteceſſorum aut in memoriam ſibi revocare, aut in exemplum proponere, ſicque turbas aliquando & motus inteſtinos movere poſſent. Quantæ verò corruptelæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam infecerint, queîs aut Antiquiſſimos Chriſtianorum ritus ſuppreſsêrunt, aut fanaticis Ethnicorum ſuperſtitionibus deturparunt Heterodoxi, vel unicum Illuſtris *Spanhemii* votum teſtatur, dum in *Præf. ad Introduct. in Hiſtor. S.* Utinam „ exſtaret, inquit, S. Hiſtoriæ hic fructus, quo hæc noſtra tem„ pora ex prioribus emendarentur, & præterita illa ac ſuperiora „ Eccleſiæ Veteris Orbi Chriſtiano poſtliminiò redderentur! Poſſent & aliorum hac in parte deſideria fuſius exponi, niſi fundum hunc jamdudum & excoluiſſet & occupaſſet Vir Nobiliſſimus atque Excellentiſſimus, DN. GODOFREDUS ARNOLDI, qui à Celſisſimo Haſſorum Principe, DN. ERNESTO LUDOVICO, Hasſiæ Landgravio, Principe Hersfeldiæ &c. &c. &c. Dominô noſtrô Clementisſimô gratioſisſimè ſibi deſignatam Hiſtoriarum Profeſſionem comptâ eruditaque Oratione Inaugurali *de Corruptô Hiſtoriarum ſtudiô* pro more auſpicabitur, & quicquid ad ſelectiſſimi hujus argumenti elucidationem

nem facere videbitur, datâ operâ publicè exponet: Hiſtoriam, inquam, exponet univerſam, & ſpeciatim Eccleſiaſticam, apparatu quidem & ſubſidiis ſufficientibus eſſe inſtructam, ſed nec tantâ fide, nec pari prudentiâ huc uſque tractatam, ut maxima haud indigeat emendatione. Quemadmodum itaque reliquæ diſciplinæ ſeculô hôc prorſus aliâ ab Eruditis ratione proponuntur: ſic in eô poſthac erit totus, ut errores ab Hiſtoricis commiſſos ad oculum oſtendat, mendacia fabulaſque convellat, ſtudia partium pravóſque affectus in Scriptoribus obſervet, cæteraſque corruptarum hiſtoriarum cauſas in apricum proferat; non alium in finem, quàm ut veritas in profundo Democriti puteo hactenus abſcondita, eruatur, innocentia vindicetur, reliquæ Facultates adjuventur, & corruptus hactenus Eccleſiæ ſtatus ſeriò emendetur. Veſtrum autem erit, CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI, Viri ſolertisſimi propoſitum applauſu veſtrô urgere, zelo veſtro diſcendique ardore animum ipſi addere, & de rebus arduis & ſelectisſimis dicturo ſequenti Jovis die, hora X. antemeridianâ vacivas & curioſas aures præbere. Hoc univerſo Senatui Academico Novoque tum Oratori, tum Profeſſori gratum, Vobis autem fructuoſum & decorum erit. Valete! *PP. die 29. Auguſti Anno MDCXCVII. ſub Sigillo Acad. Majori.*

(L.S.)

VII. INVITATIO
Ad Orat. Inauguralem Prof. Civil. & Mor.
De
SECTIS POLITICIS
ET
SAPIENTIA MORALI.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
Med. D. ejusque & Phil. Natur. P. P. Ordin.
CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO
vitæ elegantioris & politioris
CULTORIBUS
S. D. P.

DOctrinam de Moribus negligentius, quam par eſt, hactenus excultam eſſe, non ſine cauſa Inclytus MORHOFIUS alicubi conqueritur. Diſputatur ſcilicet Scholarum more de Summo Bono, qui verò anxiè illud & in timore DEI, quod ſacræ literæ nos jubent, curent & obtineant, pauci vel omnino nulli ſunt. Definiuntur virtutes, ſed non exercentur. Hinc ſterilem & jejunam ETHICES in quam plurimis Academiis doctrinam eſſe, non ſine cauſa dolet celeberrimus BOECLERUS in

in curioſa non minus, quam eruditiſſima de *fatis literariis noſtri temporis* diſſertatione. Prout enim hactenus in quamplurimis locis mos obtinuit, nil niſi præcepta è *Tabulis* CELLARII, aut *Syſtematibus* WENDELINI, KIPPINGII, WEISII, aliorumque addiſcuntur; aſt dum in actum minus deducuntur, omnino fruſtranea. Adeò â priſtina & primæva *Moralis Philoſophiæ* indole degeneravit Ethica modernorum. Si enim LAERTIO fides eſt habenda, non aliam ob cauſam à SOCRATE olim ſi non inventa, reſtaurata tamen fuit Practica (ut jure meritoque audit) Philoſophia, niſi quod à Contemplativa tantos in vitam civilem & communem fructus minus redundare obſervaret, quàm è Practica: unde per univerſam quidem Græciam tot hanc encomiis extulit, ut obtenta ſtatim magna ſequacium caterva Sectam ſui nominis conſtituerit; licet quamplurimi Græcorum (Spartanos ſi excipias) verbis magis quàm re ipſa ejus de virtutibus doctrinis adhæſerint. Hinc merito hac in parte Romani illis anteferendi ſunt, qui non verboſa, ſed reali virtutis gloria contenti, è factis verba, non facta è verbis repetebant. Hoc ſaltem imperfectionis alebat Paganorum virtuoſitas, quod ambitione tantum gloriæque cupidine virtutem ſectarentur, quùm vera virtus per ſui abnegationem non vano gloriolæ aucupio, ſed honore Creatoris proximique commodo ducatur. An verò horum intuitu *vera Chriſtianorum Ethica* in ſolis Monachorum, *Capucinorum* ſcil. *Jeſuitarum*, *Nullatinorum*, aliorumque *Religioſorum* cellis habitet, ut TASSONIUS Italus in *Cogitat. diverſis* adſtruit, de eo quidem valde dubito, cùm in tantâ ſimulatione ſui nil minus ſæpe ſint, quàm virtuoſi. Rectius in *vero vivoque Chriſtianiſmo* eandem quæreres, quem nil niſi veram & ab ipſo DEO traditam *Philoſophiam Moralem* eſſe, DANÆUS ex profeſſo docet in *Ethica*, quam ſcripſit, *Chriſtiana*. Unde quoque ſunt, qui in votis habent, ut præcepta Ethices ad veræ & orthodoxæ Theologiæ dogmata tum reformentur, tum & applicentur, ut conjunctis utrobique viribus vitam moresque

ad DEI omniumque bonorum beneplacitum componere nos docerent, non tamen omiſſis Curialibus in Aulis Magnatum obſervari & in *Collegiis Ceremoniarum* alicubi doceri ſolitis. Et hanc ſine dubio ob cauſam Sereniſſimus & Celſiſſimus Haſſorum Princeps, DN. ERNESTUS LUDOVICUS, Haſſiæ Landgravius, Princeps Hersfeldiæ, Comes in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga, &c. Princeps & Nutritius Noſter Clementisſimus, conjunctas hactenus *CIVILIUM ET MORALIUM PROFESSIONES* ſeparari, prioremque *Viro Conſultiſſimo*, *Ampliſſimo* atque *Excellentiſſimo*,

DN. JOHANNI HENRICO MOLLENBECIO,
Giſſenſi,
J. U. Lic. & Profeſſ. Extraordinario,

alteram autem *Viro Nobiliſſimo* pariter ac *Excellentiſſimo*,

DN. M. JOHANNI CHRISTIANO LANGEN,
Lipſienſi,

Clementiſſime deferri juſſit. Quandoquidem autem vi *Statutorum Academicorum* moreque hactenus recepto munus Profeſſorium ab Oratione quadam inaugurali inchoandum ſit; hinc modò laudati noviterque conſtituti DNN. Profeſſores conſuetudini huic morem geſturi Spartas ſuas Panegyricis inauguralibus auſpicaturi ſunt: ita quidem, ut POLITICES PROFESSOR ORD. DN. LIC. MOLLENBECIUS proximo die Mercurii exaſciatiſſimam *de Sectis Politicis* orationem: alter verò MORALIUM PROFESSOR DN. M. LANGE, Lectionibus ſuis (quas ſtatim ordietur) & publicis & privatis eruditam & à munere ſuo haud alienam *de Sapientiâ humana, & in ſpecie Morali*, recitationem futuro die Veneris præmittet. Agite ergo, CIVES

ACA-

ACADEMIÆ LECTISSIMI, agite, & loco horisque ſolitis ad audiendas Declamationes Inaugurales, frequentes concurrite, ſtudiisque veſtris mores vitamque inculpatam maritando res veſtras ex voto agite! P. P. Die 2. Januar. MDCLXXXXVIII. ſub Sigillo Academ. Majore.

(L.S.)

VIII. INVITATIO
Ad
ORATIONEM NOVI ORATORIÆ PROFESSORIS.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ

MICH. BERNH. VALENTINI,

D. MEDICUS & PP. ORDIN.

GENEROSIS ATQUE POLITISSIMIS DNN. STUDIOSIS

S. P. D.

SCientiarum Artiumque Studia noſtris temporibus ad ſummum perfectionis apicem perveniſſe, communiſſimum non Vulgi tantùm, ſed & Eruditorum, eſt judicium, cùm, teſte *Seneca, in omni negotio longè ſemper à perfectô fuerint principia.* Unde fortè eſt, quòd plures è Modernis neſcio quam perfectionem, aut prærogativam ſibi tribuendo, de Antiquorum ſtudiis ſi non ſiniſtrè, minus tamen honorificè ſentire videantur. Aſt quàm iniquè & quantô cum diſpendiô illud fiat, præ aliis eleganter

ganter exprimit *Wedelius*, Illuſtre Jenenſium Decus, dum, *Profundiſſima*, inquit, *eſt Veterum Sapientia, quam dum non attendimus, & noſtris annis utimur, neſcio an promoveamur magis, quàm negligamur &c.* Equidem non eadem ſemper ingeniorum felicitate promoventur ſtudia, ſed quandoque ad homines tardi ſtupidique judicii devolvuntur, unde non poſſunt non aut ordine retrogrado procedere, aut omninò diſparere; & ſicut Artes ſuam habent infantiam, juventutem & ætatem conſiſtentem: ita neque ſenio, imò ipsâ morte deſtitutæ ſunt, quâ tum lætisſimè ſuccreſcere videntur, nictu oculi collabaſcunt. *Quid quod æmulatio,* juxta *Vellejum Paterculum, ingenia alat, & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendat, naturâque quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendat in ſumum, ita ut difficilis in perfectô morâ ſit, naturaliterque quòd procedere poteſt, recedat:* Et ut primò ad conſequendos Majorum gradus accendimur: ita ubi aut præteriri aut æquari eos poſſe deſperavimus, ſtudium conſeneſcit, & quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit. Exemplo ſit nobilisſima perſuadendi & dicendi Ars; quam RHETORICAM vocamus, quæ, nemine fortè contradicente, eô, quo in roſtris & tribunalibus Romanorum Antiquisſimorum, imò & Græcorum, frequentabatur, tempore, ad tantam perfectionem eſt deducta, quantam à Modernis nemo affectare, multò minus æquare, nedum ſuperare valeat: Quæ ipſa tamen ſucceſſive adeò defecit, ut (ſi Venetias exceperis) in judiciis nunc prorſus obmuteſcat: in Scholis autem vultu triſti habituque ſevero videatur incedere, ubi de Suadâ in Curiis & Aulis Magnatum, in vernaculâ cumprimis exercendâ, ſilentium eſt altisſimum. Adeò verum eſt illud *Plinii ſecundi* dictum: *Difficile eſt tenere, quæ acceperis, niſi exerceas.* Hinc neque tantos hodie à diſciplinâ hac effectus expectare licet, quantos priſtini Antiquorum Oratores olim exſerebant, parum à miraculis diſtantes, dum & hoſtium infenſisſimorum animos quaſi incantamento quodam ſibi devincire, imò vitæ mortisque arbitros ſe conſtituere valuerunt. De Philippo Macedo-

ne

ne certè *Plutarchus* refert, quòd cum Orationes Demoſthenis, quibus Athenienſes ad bellum ipſi inferendum animabat, perlegeret, palàm edixerit, ſe & ſuum, ſi Præſens tunc fuiſſet, votum, contra proprium intereſſe, illi denegare non potuiſſe. De Egeſia verò Cyrenaico *Tullius* æquè ac *Valerius* affirmant, quod tantâ facultate tantaque dicendi arte inclaruerit, ut cum publicè vitæ generisque humani miſerias deploraret, haud paucos ad vim ſibi inferendam commoverit; & quæ non ab Oratorum Sacrorum & Eccleſiaſticorum Suadâ olim ſunt profecta? ſive bonitati cauſæ, quam tractant, ſive geſtibus & modo proponendi tribuenda. Motus ſanè Ludovici, Regis Hungariæ, contra potentiam Solimanni, à Tomorreo, Oratore Sacro, proficiſcebatur. Johannes Leidenſis, ſimilis Eccleſiæ Miniſter, Suadâ ſuâ Monaſterium, munitiſſimam Weſtphaliæ urbem, occupavit, illîcque in Regem coronatus, obſidionem Imperii per triennium, non ſine ſtupore, ſuſtinuit. Nec ignotum eſt, eum, qui primus Sophi nomine veniebat, eloquio ſuo Regnum Perſiæ filiis Uſuncaſſani eripuiſſe. Quæ omnia Veteris Eloquentiæ præcellentiam cuilibet ſatis ſuperque ob oculos ponunt. Non dicam jam de ſtyli puritate & elegantiâ, quæ omnium conſenſu major eſt in ætate aureâ, ad Antiquos recidente, quàm argenteâ; à quibus ſenſim in ferreâ aliisque, Recentiorum eloquentiæ propioribus, ætatibus, immane quantùm! declinavit. Adeoque non video, quid in mentem venerit Erudito aliâs & famigeratiſſimo Viro, *Carolo Peralto*, quod promeritam hanc Eloquentiæ palmam, in *Comparatione Antiquorum & Recentiorum*, Veteribus dubiam facere, & Modernis præter meritum adjicere ſuſtineat; qui inſolitus Galli conatus veritati & experientiæ adeò non reſpondere videtur, ut plurimis potius illationibus contrarium quàm facillimè demonſtrare poſſem, niſi fundum hunc optimo ſuo jure jamdum occupaſſet Vir & avitâ Majorum gloriâ & propriâ virtute Nobiliſſimus atque Excellentiſſimus,

DN.

DN. M. MATTHIAS NICOLAUS KORTHOLT, Chilonienſis.

Qui *Profeſſionem Eloquentiæ & Poëſeos Ordinariam*, à Sereniſſimo Celſiſſimoque Principe ac Domino, Domino ERNESTO LUDOVICO, *Haſſiæ Landgrafio, Principe Hersfeldiæ, Comite in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga &c. &c.* Principe ac Nutritio Noſtro Clementisſimo, prævia unanimi Senatûs Academici commendatione & vocatione ordinariâ, ſibi Gratioſisſimè demandatam, Oratione Inaugurali, pro more, auſpicaturus, *Eloquentiam Antiquorum contra Dn. Peraltum*, priſtino decori reſtituet, & ab ejuſdem incuſationibus maſculè *vindicabit*. Huic autem Panegyri cum proximus *dies Martis* deſtinatus ſit, hinc ut Illuſtres, Generoſi atque Nobilisſimi Domini CIVES ACADEMICI, *horâ*, quâ ſignum dabitur, *X. matutinâ*, in Auditorio Solenni, frequentes concurrant, ſuaque præſentiâ peregrè modò adventantis DN. Profeſſoris & Oratoris Facundisſimi Suadam magis excitare velint, humaniter & amicè invitantur. *P. P. Dom. II. poſt Trin. Anno MDCC. Sub Sigillô Academiæ Majore.*

IX. IN-

IX. INVITATIO

Ad audiendam ORATIONEM DE USU MATHESEOS IN VITA COMMUNI.

L. S.

NOn ſine causâ πολυμαθέστατος MORHOFIUS alicubi ſummum in Republicâ arcanum eſſe dicit, ſi Cives, quantum fieri poteſt, rerum naturalium periti ſint, & affinem hiſce Matheſin non perfunctoriè tractarint, cum ex his, tanquam fontibus, omnes reditus omnesque opes congerendi Artes profluant. Neque enim Liberales, ut vocantur, Artes, & Diſciplinæ tantùm Philoſophicæ communi quodam vinculô cohærent, ſed & res Agreſtes Artesque Mechanicæ iisdem affinitate quaſi jungi, Veterum Sapientiſſimi exemplô ſuô comprobant, quos adeò non puduit ruſticos labores (in ſenſu quidem ſaniori) artesque mechanicas tum ſcriptis comprehendere, tum manuum operâ excolere, ut potius id gloriæ ſibi duxerint, indeque cognomina ſua mutuati fuerint FABII, CICERONES, LENTULI, PISONES, AGRICOLÆ. Nihil enim agriculturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius, ut CICERO I. de officiis apertè profitetur: quod idem de Artibus Mechanicis dicendum, quæ Graviſſimis Scriptoribus, VERULAMIO atque VOSSIO nihil aliud, quàm Phyſica aut Matheſis in Praxin reductæ videntur, & à celeb. WEIGELIO (nuper beatiſſimè denatô) hinc omnes quoque derivantur. Quemadmodum ergò PLATO tum demum beatas

tas civitates fore ſtatuit, cùm aut regnarent Philoſophi, aut Reges philoſopharentur, ita non minus felicem dixeris Rempublicam, cujus cives rerum philoſophicarum non ignari ſunt, Artesque Mechanicas illis ſuperinſtruunt. Non dicam jam de illa Philoſophiæ parte, quæ mores emollit, nec feros eſſe ſinit, quamvis & hæc non minimum contribuat ad Reipublicæ tranquillitatem totiusque Regiminis facilitatem: de reliquis ſaltem ingenium magis acuentibus verasque rerum cauſas eruentibus diſciplinis jam adſtruere liceat, quod indicibilem vitæ communi uſum præſtare valeant, quùm nihil aliud, quàm ratione (quâ à brutis ferisque diſtinguimur) rectè uti, juxta hujus normam & dictamen omnia formare, ſcopulosque obſtantes declinare, & nil niſi ea, quæ ſanæ rationi convenire operæque pretium mereri videntur, ſuſcipere, omnia denique certô tempore, numerô & menſurâ inſtituere doceant. Hinc videas Exteros nonnullos publicô quoque ſtipendiô alere Doctores, qui Civibus ipſique Plebi magnam Philoſophiæ partem in Vernaculâ inculcent, ut de *Gallis* (qui novis indies artibus fabricisque mechanicis inveniendis usque dum excelluêre) res quam notisſima eſt. Nec *ANGLIS BATAVISQUE* id inſolitum eſſe, vel exinde conſtat, quod illi Nautis in peculiari, Globis, Mappis Naviumque ſchematibus inſtructiſſimo & Celeberrimo Londinenſium Orphanotrophio proximè junctô Collegio doctrinam Ventorum, Aſtronomiam, Geographiam: Hi verò reliquas quoque Matheſeos partes Mechanicis ſuis & Operariis inſtillari juſſerint; quô adminiculô non in præliis tantum maritimis ſe hactenus invictos præſtiterunt, ſed & Mercaturâ Nauticâ penes Indos & extremos Garamantas exercitâ ſummos immenſosque divitiarum acervos cumularunt. Quapropter illi, qui Germaniæ Noſtræ benè cupiunt, hujusque fortunam & incrementa ſibi curæ cordique eſſe ſinunt, nunquam non ſuaſerunt, ut repetitis & excultis hujuſcemodi experimentis Phyſico-Mechanicis occaſio quæratur, Artes quaſcunque Mechanicas ulterius evehendi, & inventis quotidie novis acceſſionibus Commerciorum publicorum incre-

menta

menta & progreſſus urgendi, in quorum flore & vigore haud contemnendum Boni Publici momentum conſiſtere, non tantum GLAUBERUS in Tr. *Teutſchlands Wohlfahrt* inſcripto, ſed & JOH. JOACHIMUS BECCHERUS in Diſcurſu Politicô: *Von den eigentlichen Urſachen des Auf- und Zunehmens der Stædten, Lænder, und Republiquen*, aliique fuſius ob oculos poſuêre; & hôc fere animô ſelectiſſimum hocce argumentum pro concione Academicâ explicandum ſibi ſumſit Meritiſſimus Philoſophiæ Candidatus,

DN. JOH. NICOLAUS *Münch*,
Beienhemio-Wetteravus,

qui pro more hactenus receptô, futurô Martis die, qui erit XXIII. Maji eleganti ſermone *Matheſeos in vitâ Communi Uſum* publicè oſtendet, ſecutus in eô Doctiſſimum BARLÆUM, haud abſimili ſcopo *Mercatorem Sapientem* olim publicâ Oratione, Typis nunc exſcriptâ, depingentem. Veſtrum ergò erit, LECTORES ÆSTUMATISSIMI, frequentia & concurſu veſtrô ſublevare Dicturum, illique ad ſemihorulam vacivas præbere aures, qui pro modulo ſuo de unoquovis id datâ operâ demereri ſtudebit; quemadmodum & ipſi paratiſſima noſtra officia viciſſim interponimus & offerimus, Voſque optimè valere jubemus. *PP.*

die XXI. Maji Anno 1699.

X. INVITATIO
AD
AUDIENDAM ORATIONEM MEDICI.

RECTOR
ACADEMIÆ LUDOVICIANÆ,
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
GENEROSIS ET NOBILISSIMIS ACAD. CIVIBUS
S. D. P.

QUantas in Peripato æquè ac Galeni ſcholis turbas olim dederint, qui recepto tunc elementorum quaternario tria Chymicorum principia, ſal, ſulphur & Mercurium ſubſtituerunt, neminem, qui extimis tantum labellis acerbiſſima *Paracelſi* ſcripta deguſtaverit, latere poteſt. Quàm vili enim tenuive loco, tum Anteceſſores ſuos, tum Aſſeclas habuerit Novator, vel exinde conſtat, quod in *Præf. Paragrani* ſui *Avicennam, Galenum, Rhaſen, Montagnanam, Meſuen, Pariſienſes, Monſpelienſes, Suevos, Miſnicos, Colonienſes, Viennenſes* & quotquot Danubium & Rhenum accolunt, Inſulas maris, Italiam, Dalmatiam, Athenas, Græcos, Arabes, Iſraelitas ad ſe, tanquam Monarcham ſapientiæ, citaverit. Nec multo civiliores erant Ejus Sectatores, qui Ariſtotelicos & Galenicos, per contemtum, Materiales, Elementarios & Vulgares de ſchola homines vocabant. Galenici è contra, ſe defenſuri, priores

priores Ciniflones, Carbonarios, Fumivendulos, Thraſones & neſcio queîs titulis ignominioſis compellabant & pro elementorum ſuorum numerô, tanquam pro aris & focis dimicantes Chymiam, cum *Riolanô*, Artem Diabolicam, in generis humani perniciem & ruinam inventam, & quâ elementorum harmonia deſtrueretur, Dæmonum culinam aſſerebant, eorumque medicamenta cane pejus & angue fugienda ſeq. carmine ſuſtinebant:

Crede ratem ventis, corpus ne crede Chymiſtis,
Eſt quævis Chymicâ tutior aura fide.

Ita dubio & ancipite Marte diu pugnabatur, eoque magis, quod πολυμαθέστατος *Conringius* Deaſtrum & Imperatorem Chymicorum, *Hermetem Triſmegiſtum*, pro non ente habuerit: *Borrichius* è contra ejus & exiſtentiam & doctrinam maſculè ſuſtinuerit. Tandem bello huic carbonario (quod batrachomachiam verè dixeris) tanquam Mediator quidam ſe interpoſuit *D. Sennertus*, qui amicabilem utriuſque Partis conciliationem, aut ad minimum inducias quaſdam meditatus decantatum illud inſtrumentum pacis, *de Chymicorum cum Ariſtotelicis & Galenicis conſenſu & diſſenſu*, erigebat, ſicque unionem, ab utrâque parte diu obſervatam, ſanciebat, cum, ut in civili, ita & Republicâ Literariâ, concordiâ res parvæ creſcant, diſcordiâ verò magnæ dilabantur. Aſt vah! quàm inſida eſt fides carbonaria! quàm fugitivi Chymicorum ſervi! Ingruentibus enim ex unâ parte *Carteſii* particulis, ex alterâ verò *Gaſſendi* moleculis, obſtetricante *Boyleo*, his utrobique ſalia ſua ſociabant Chymici & in novam Medicorum ſectam, quam Chymico-Mechanicam *Waldſchmidius* & alii vocabant, eundo, machinis ſuis & ſpiculis ſalinis, contra miſeros & derelictos jam Galenicos & Elementarios adeò fortiter pugnabant, ut famoſus nuper *Bontekoe* de antiquatô 4. elementorum dogmate jam actum eſſe palàm in *Præfat. Tr. de herb. Thee* clamaverit, his verbis: Maar

de Philoſophie van de vier elementen heeft uytgedient. Non potuit igitur non derelictæ huic Galenicorum claſſi anxiè expectatas ſuppetias ferre, eorumque innocentiam ab inſultibus Modernorum, per novam cum principiis Chymico-Mechanicis confœderationem, *Vir Nobiliſſimus & Clariſſimus*

DN. GEORGIVS CHRISTOPHORVS MOELLERUS,

Phil. & Med. **DOCTOR**, *ac Medicus Comitatus Niddenſis Ordin.*

qui ſpartam *Profeſſionis Medicæ Extraordinariæ, à SERENISSIMO ACADEMIÆ HUJUS NUTRITIO* ſibi clementiſſime demandatam, pro more auſpicaturus, craſtino die Lunæ hora X. matutina, Orationem Inaug. de PRINCIPIIS CHYMICIS EORUMVE CUM GALENICIS ET MECHANICIS CONSENSU, publicè in Auditorio ſolenni habebit: Cui Panegyri ut omnes & ſinguli DNN. Studioſi intereſſe, ſuique præſentiâ linguam Oratoris excitare velint, invitantur humaniſſimè. *PP. Die* 23 *Maji Anno MDCC.* ſub Sigillo Acad. Maj.

PRO-

PROGRAMMATUM ACADEMICORUM
DECURIA II.
Num. I.
INVITATIO
Ad audiendam Parentationem Panegyricam, Manibus

AUGUSTISSIMI SUECORUM REGIS

CAROLI XI.
dicendam.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,

MICH. BERNH. VALENTINI,

CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO

GENEROSIS ACADEMIÆ CIVIBUS

S. D. P.

LAmentabilis eſt & deploranda rerum facies, ſi quando Regna vel Imperia Capite Summoque Imperante deſtituta, velut oves ſine duce corpusque ſine ſpiritu deſolata jacent. Hinc enim illæ lachrymæ! hinc illi gemitus & ſuſpiria, quibus ob mortem Alexandri Macedones olim diffluebant, & tantum non exanimes prorſus ſuccumbebant. Equidem verba non ſuppetunt fœcundo alioquin facundoque Oratori *Curtio*, queis luctum eorum ſatis exprimat, dum *ploratu*, inquit, *primô lamentisque & planctibus tota Regio perſonabat: Mox velut in vaſtâ ſolitudine omnia triſti*

triſti ſilentio muta torpeſcebant: tandem non mœſtorum ſolùm, ſed & indignantium voces exaudiebantur, tam viridem & in flore ætatis fortunæque invidiâ Deum ereptum eſſe rebus humanis; quem nunc ſuorum curam habiturum? quem alium futurum Alexandrum? Maximè verò exinde doloris vehementiam deſcribit, quod Macedonibus ac Barbaris concurrentibus victi à victoribus in communi luctu diſcerni non potuerint. Græci enim fortiſſimum optimumque Regem, Perſæ autem juſtiſſimum ac mitiſſimum Dominum invocantes certamen quoddam mœroris edidiſſe teſtatur. Eandem autem, nî vehementer ego fallor, Tragœdiam in Atlantica Septentrionali obſervare mihi videor, poſtquam Invictiſſimus Suecorum Monarcha, CAROLUS XI. *Suecorum, Gothorum ac Vandalorum Rex ac Princeps Hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Ehſtoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugenſium, Dominus Ingriæ & Wiſmariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Dux &c. &c.* eo ipſo, quo Divino vereque Regio MEDIATORIS officio defuncturus pacem Orbi reſtituere conatur, anno, mortalibus obitu beatiſſimo ereptus fuit. O nuncium quod audiunt acerbiſſimum! ô triſtes novellas! ô jacturam irreparabilem, quam non Suecia ſola tulit, ſed Europa ſimul, imò totus Chriſtianorum Orbis ſentit. Ecquis enim adeo ferreus & ab omni humanitate remotus, qui tam atroci vulnere, tam inſperato optimi Regis obitu non contremiſcat? Cujus non præcordia præ dolore crepent, qui videat ſpem tantam Chriſtiani nominis, in quantam à multis ſeculis Europa non fuerat excitata, quaſi turbine difflatam eſſe? Hæreas omnino, utrum majus Sueciæ, quæ Regem, an Germaniæ, Angliæ & Belgii, quæ Mediatorem deſiderant, ſit infortunium! hinc junctis ſuſpiriis, Macedonum inſtar, quem nunc ſuorum curam habiturum? quem alium futurum CAROLUM? quem Mediatorem pacisque Reſtauratorem, acerbiſſimè conqueruntur. Fidem rei faciunt clauſæ Suecorum domus, triſtia paſſim ſilentia omnium

um & gemitus, veſtes incolarum tetræ & in talos demiſſæ, lugubria campanarum ſigna, innovatæ undique querelæ fletuumque incrementa, ſtrepitus populi & admurmuratio, cunctorumque huc illûc diſcurſitantium fragor, ſingultienti lamento, quid Patriæ acciderit, ſciſcitantium: Aſt ah! ô! utinam non infauſto illud omine contigerit! Jungite vota, jungite preces Chriſticolæ, ut ille Mediatoris vicem obeat, qui Dux pacis & Autor eſt, qui Regem Mediatoremque Beatiſſimum è turbidis hujus ſeculi turbis cœleſtibus halcyoniis reſtituit, quo pace fruatur infucatâ, conſtanti æternumque perennante. Vos autem, CIVES ACADEMIÆ GENEROSI, juſta nobiſcum perſolvite Regi de Europâ bene meritiſſimo, idque juſſu Nutritii Lycei hujus Sereniſſimi, DN. ERNESTI LUDOVICI, *Haſſiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Yſenburgo & Budinga &c. &c.* Principis ac Domini Noſtri Clementiſſimi, cujus Serenitas pro eâ, quâ Regium Suecorum ſanguinem attingit, neceſſitudine, Beatiſſimo Suecorum Monarchæ in Illuſtri hac LUDOVICIANA exequias parari, Ejusque Memoriam Publicâ Solennique Panegyri æternitati conſecrari voluit. Oratorio autem munere è Collegio noſtro fungetur *Vir Maximè Reverendus, Ampliſſimus atque Excellentiſſimus* DN. JOH. REINHARDUS HEDINGER, *SS. Theol. & Phil. D. Jur. Nat. Orat. & Poëſ. PP. Ordin.* qui futuro Jovis die hora X. matutina Merita Regis & Herois Beatiſſimi comptô & politô dicendi genere fuſius excolet, eaque, quâ decet, ſubmiſſione venerabitur. Hæc enim eſt genuina illa, veraque apotheoſis, quâ vel Ethnicorum exemplo æternitati conſecrantur magni Reges, quando non Cives ſoli, ſed & alterius quoque Regionis incolæ communi applauſu illorum venerantur laudes, & eruditô calamô mortalitati eripiunt. Inimica ſiquidem ſæpeque ſuſpecta veritati eſt domeſtica laudatio, manantibus ab amore magis debitoque verbis, quàm à rebus; hinc jamdum in vetere Roma male audiêre

ſolennes demortuorum dilaudationes, quaſi falſis imaginibus, triumphis, conſulatibus vitiaſſent hiſtoriam & confudiſſent: neque inter nos ejusmodi querelis indignæ ſunt Amicorum enarrationes biographicæ, quæ PERSONALIUM nomine funebribus vulgò concionibus anneᴠctuntur. Veriori autem famâ meritoque certiori inter aſtra locantur, quos alius extollit Sol diſſitæque Regiones Divorum numero adſcribunt. Agite E. GENEROSA PECTORA, date hoc Manibus tanti Regis, date hoc Sereniſſimo Principi Noſtro, Muſarum & Pietatis Conſervatori Summo, date hoc Patriæ noſtræ, Receptrici Veſtræ, date, quam juſſui noſtro debetis obedientiæ, date Viri, quem audietis, Suadæ mellitiſſimæ, denique Ordinis veſtri dignitati. Quod verò reliquum eſt, rogate nobiſcum, quantum fieri poteſt, devotiſſime DOMINUM, ut illatum Orbi Chriſtiano vulnus efficaciſſimis conſolationis muneribus obducere, & quæ ſub cineribus fere gliſcunt pacis ſcintillulas per unicum illum, qui nobis reſtat, MEDIATOREM Jeſum Chriſtum in apricum deducere velit: omnes autem & ſingulos pace (quæ palmaria eſt) internâ animæque quiete impleat, donec æternæ quoque paci redditi DEUM videamus à facie ad faciem! Ita *valete*. PP. Giſſæ d. 2. Maji Anno Redemptionis M. DC. XCVII. ſub Sigillo Acad. Majori.

(L.S.)

II. IN-

II. INVITATIO
Ad
DEDUCTIONEM FUNERIS
ILLUSTRIS.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ

MICHAEL BERNH. VALENTINI,

MED. D. EJUSQUE & PHIL. NAT. PROF. P. ORDIN.

CUM UINIVERSO SENATU ACADEMICO

Generoſis & Nobiliſſ. Studioſis

ΕΥΘΑΝΑΣΙΑΝ

P.

SEmiſeculum jam agitur, quod ſub feliciſſimis Academiæ hujus Reſtauratæ auſpiciis, Anno ſcilicet MDC LIV. *Menſe* quidem *Novembri ILLUSTRISSIMO & GENEROSISSIMO DOMINO*, DN. SIGISMUNDO SIGFRIDO, S.R.I. COMITI à PROMNITZ, LIB. BARONI in PLESSIS, SORA, TRIBEL & NAUMBURG &c. *SERENISSIMI & POTENTISS.* ELECTORIS SAXONIÆ *per inferiorem Luſatiam PROMARCHIONI*, abſolutiſſimæ Virtutis Heroi, tum beatiſſimè denato, exequias heîc pararet Filius pariter *ILLUSTRISSIMUS & GENEROSISSIMUS* DN. HULDERICUS, *COMES à PROMNITZ, BARO IN PLESSIS &c. &c.* eô quidem tempore RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMUS, νῦν ἐν ἁγίοις. Nunc verò triſtiſſimô, at-

 tamen

tamen mirabili ferè fato *eôdem* prorſus *menſe* juſta perſolvimus, illius quidem Nepoti, hujus verò Nato beatiſſimo, *ILLUSTRISSIMO ac GENEROSISSIMO* DOMINO, DN. AUGUSTO, COMITI A PROMNITZ, L. BARONI IN SORA, TRIBELL & NAUMBURG &c. Comiti verè Magnanimo, qui in medio ætatis flore & vigore, ampliſſimaque; qua ad Majorum Illuſtriſſimorum gloriam ferebatur, ſpe Giſſam Noſtram tranſiens inter vivos ſupereſſe deſiit. Adeò nempe verum eſt, quod Poeta conqueritur:

Pallida mors æquô pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres!

Adeo nulla ætas, nulla vitæ eſt conditio, è quâ non indies Summus ille DEUS mortis quædam rudera & exempla nobis ob oculos ponat, ut miſerrimæ conditionis noſtræ obliti ſurſum corda eoque dirigamus, ubi vivitur perpetuò. Enimverò magnam Illuſtriſſimo ſuo ſtemmati gloriam pollicebatur COMES BEATISSIMUS, poſtquam vernantibus lacertis communi Germaniæ Hoſti quoque obviam iturus è Patria in *Belgium* contendit, in quô talem ſe geſſit, ut omnium vaticinio DN. ABAVI Sui, Magni illius Herois DN. SIGFRIDI, L. BARONIS è PROMNITZ &c. &c. DUCATUS SAGANENSIS HYPOTHECARII UNIVERSÆQUE SILESIÆ CÆSAREO ET REGIO NOMINE PRÆSIDIS quondam Magnanimi, ut & DN. PROAVI, DN. HENRICI ANSHELMI, L. BARONIS à PROMNITZ &c. LUSATIÆ INFERIORIS PROMARCHIONIS famam ſi non ſuperare, æquare tamen valuiſſet, ni præmaturâ, ſed beatâ morte obrutus fuiſſet? Hinc meritò Academia noſtra luget, quod Domus Illuſtrisſima, quæ nunquam non ſingulari Gratiâ & Favore Muſas noſtras eſt amplexa, ob tantam jacturam in graviſſimam animi ægritudinem ſit conjecta, cui ſympathiam noſtram ſimul ut conteſtemur, meretur

retur glorioſa Illuſtriſſimi & Beatiſſimi DN. Parentis memoria: meretur Pietas Mœſtiſſimæ & Illuſtriſſimæ Dominæ Matris Viduæ: meretur Virtus beatè defuncti DN. COMITIS: meretur *GENEROSISSIMUS* DN. Frater, è cujus amplexu eheu! eſt ereptus, *ILLUSTRISSIMUS* DN. ANSHELMUS, COMES de PROMNITZ, &c. Academiæ noſtræ Decus Inſigne. Cæterum cùm hodiernus dies ſolemni Funeris Illuſtris deductioni deſtinatus ſit, ideò CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI invitantur hiſce, & monentur, ut funebrem huncce actum numeroſo confluxu & ſupremi officii exhibitione cohoneſtare ſtudeant. Requirit id æquitatis regula, ut quod ab aliis expectamus, idem nos illis præſtemus. At omnes morti ſumus obnoxii & in votis habemus, ut nobis defunctis ſupremus exhibeatur honor, corpusque exſangue magna lugentium catervâ terræ committatur. Ita enim mortis ſuæ memores ad εὐθανασίαν ſe præparabunt omnes. Ita ILLUSTRISSIMÆ FAMILIÆ mœrorem mitigabunt & vulneri eorum lenimen quoddam adferent. Ita adducentur, ut ad cœleſtem Patriam Academiamque eò magis ſuſpirent. Hiſce *valete*, & ultima ſemper cogitando res veſtras benè agite! P. P. *die 6. Nov. A. 1697.*

ſub Sigillo Acad. Majori.

III. INVITATIO
AD
FUNUS PROFESSORIUM.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,
MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,
GENEROSIS & POLITISSIMIS DNN. STUDIOSIS
Ἐυθαναςίαν!

QUemadmodum Gentium Hodegus S. Paulus, in Epiſtolâ ad Titum, Epiſcopum, imò & unumquemvis verbi divini Miniſtrum ſine crimine, ſicut DEI Diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non turpis lucelli cupidum, ſed benignum, juſtum, ſanctum & continentem eſſe jubet: ita parallelis ferè verbis Sereniſſimus Academiæ Ludovicianæ Legislator omnes SS. Theologiam profitentes in converſatione, ſermone, congreſſibus & geſtibus modeſtos, à jurgiis, ambitione, faſtu aſtuque alienos eſſe voluit. Dici enim nequit, quantum inde ſcandalum in proximum,& quantum detrimentum in eorum exiſtimationem redundet, ſi his talibus ſunt dediti, juxta vulgare illud:

Turpe eſt Doctori, quùm culpa redarguit ipſum!

Sicut è contra *Ægidius Strauchius* nihil glorioſius Oratoribus Eccleſiaſticis ſtatuit, quàm ſi de illis dici poſſit:

Fecit quod dixit, ſicut docuit, quoque vixit.

Aurea ſanè verba ſunt, quæ §. *I. Tit. XXII. Statutorum Academicorum de Theol. Offic. in genere* leguntur, dum VÆ dicitur homini, nedum verbi divini Præconi, per quem offenſio accidit,

quip-

quippe qui bene docendo & malè vivendo nihil aliud agit, quàm quod ſuâ ſe voce damnet, ſimilis puteo, qui omnibus ad ſe venientibus ſitim reſtinguit, & ſordes abluit, ſeipſum verò non purgat, ſed omnem ſpurcitiem in fundum projectam ſibi reſervat, & aſylum à ſordium inundatione tutum erigit, nec tamen imminente periculo eò fugit. Tales ſanè ſunt, qui pro concione ſurſum corda, & juxta dictum Servatoris:

Quærite regna DEI, cœleſtia quærite regna,
Matthæi ſexto, quærite regna DEI

nonniſi τ' ἀνώθεν cogitanda rectè docent, intus interea & in cute terrenis adhærent, vulgatum illud Harpyiarum obſervantes:

-- -- -- *quærenda pecunia primum*
Virtus poſt nummos!

Tales ſunt, qui dum pro roſtris nonniſi ſale conditos, honeſtos graveſque ſermones gerendos, ab omni futilitate in ſermone, jocis, ſarcaſmis & inani verbo abſtinendum eſſe jubent, in privatâ tamen converſatione nil niſi ſcopticiſmos, aculeos jocoſque improbiſſimos, de ſacris etiam & iis turpiter effutiunt, quæ jocum ferre nequeunt, juxta vulgare illud:

Non patitur jocum fama, fides, oculus.

Tales ſunt, qui pacem, concordiam & manſuetudinem populo inculcantes, & ipſimet vindicta privata æſtuantes fratres ſuos clam, palàm, publicè privatimque acerbiſſimè cavillantur. Alia longè mens erat Salvatori, qui Apoſtolos nunquam acrius redarguit, quam ubi vindictæ cupiditate aut ambitionis affectu tangebantur, ut *Eraſmus Roterodamus in Præf. ad Enchirid. Militis Chriſtiani* obſervat. Rogantibus enim an juſſuri eſſent ignem è cœlo deſcendere, qui exureret civitatem? neſcitis, inquit, cujus Spiritûs ſitis? Petrum à cruce ad mundum revocare conantem Satanam appellat. Alia quoque mens eſt *Theiologis veris*, piis, infucatis, qui verbis exempla jungendo vita geſtibuſque exprimunt, quæ voce è ſuggeſtu docuerunt. Ab his enim paſcuntur animæ, non depaſcuntur: ducuntur *oves* non ſeducuntur,

nec

nec inficiuntur, ſed reficiuntur. Talis quondam erat (ah! ô! utinam adhuc eſſet!) Vir Genere, Pietate, Eruditione, Prudentia Meritisque Summè Reverendus & Excellentiſſ. DN. JOHANNES ERNESTUS GERHARDUS, S.S. Theol. D. & PP. Ordin. Famigeratiſſimus, Theologus de Eccleſia Chriſti & Academia noſtra longè Meritiſſimus, Collēga Deſideratiſſimus. Is enim ab omnibus Mundi vanitatibus alieniſſimus à teneris unguiculis ad ultimum vitæ halitum Deo Proximoque ſe totum mancipavit, honeſtè & modeſtè vivens, neminem lædens, ſuum cuique tribuens, candorem non mento tantùm, ſed & mente referebat, non dicax, nec mordax, ſed verax in omnibus, juſtus in omnibus. Quùm verò juſti memoria ſit in benedictione eaque de cauſa *Leges Academiæ Noſtræ TIT. XX.* §.21. caveant, ut ſi quis è Profeſſorum numerô, Divina ſic jubente Gratia & Providentia, piè obdormiverit, unus è Collegis, Facultatis Decano providente & demandante, Orationem funebrem, in obitum ejusdem, indelebilis memoriæ & debiti honoris ergò, conſcriberet inque Panegyri Academica publicè recitaret, hæcque provincia *Beati Noſtri Succeſſori* in officiô,

DN. D. JOHANNI BARTHOLOMÆO RUDIGERO,

Profeſſori Theologo & Eccleſiaſtæ Giſſeno Maximè Reverendo, demandata, huicque Panegyri futura dies Veneris (quæ IV Julii erit) deſtinata ſit; hinc Generoſos atque Florentiſſimos DNN. CIVES ACADEMICOS ad Funeralia hæcce ſpiſſâ frequentia concurrendo ultima *Beatiſſimo Viro* juſta perſoluturos, votaque ſua pro incolumitate LUDOVICIANÆ ſimul collaturos eſſe confido non minus, quàm contendo. *PP. Giſſæ-Haſſorum, die II Julii A.* 1708. *Sub Sigillo Acad. Majori.*

IV. IN-

IV. INVITATIO AD DEDUCTIONEM FUNERIS CIVIS ACADEMICI.

RECTOR ACADEMIÆ LUDOVICIANÆ

MICH. BERNH. VALENTINI,

ARCHIATER HASSIACUS, PHILOS. & MED. PROF. ORD. utriuſque Facult. p. t. DECANUS, Præſidis in S. R. I. Acad. Nat. Cur. Adjunctus, Regiæ Pruſſ. Societatis Scientiarum, ac Recuperatorum in Italiâ Collega,

GENEROSIS & NOBILISSIMIS CIVIBUS ACADEMIÆ bene vivere pieque mori

P.

OCtennium jam abiit, ex quô Florentiſſimos Dominos Studioſos ad funus Matronæ Nobiliſſ. MARIÆ MECHTILDIS EBERWEINIÆ, natæ DORNIÆ, comitandum invitabam. Nunc autem, neſcio quô fatô, relicto Ejus & ſuperſtiti nuper Filio Unico

DN. JOHANNI HENRICO EBERWEINIO, Philoſophiæ Studioſo.

idem à me officium præſtandum eſt, qui ferè ab eô, quô Matris beatiſſimæ jacturam tulit, tempore aſthmate pectorali contumaciſſimo, in Cachexiam tandem & Palpitationem cordis à polypo deſinente conflictatus præcedente proximè Die Dominicâ

 diem

diem ſuum placida & beatâ morte obiit. Morbus erat hæreditarius & Matri beatiſſimæ & Avunculo, ex Phthiſi denato, quondam familiaris, ut veriſſimum ſit illud Hippocratis, dum lib. de aëre loc. & aq. § 76. è ſanis ſanum, è morboſis morboſum provenire dicit, Phthiſicum è Phthiſicis, arthriticum ex arthriticis. Quemadmodum verò teneram & omnino fragilem corpuſculi texturam è ſanguine maternô quaſi hauſit, ita ſingulares & laudabiles omninò dotes animi, pietatem, modeſtiam & humanitatem indicibilem, adde & inſatiabilem in literaturam elegantiorem propenſionem, Venerando Domino Patri, Viro admodum Reverendo & Præcellentiſſimo, Domino M. JOHANNI CHRISTOPHORO EBERWEINIO, Eccleſiaſtæ Municipali & Præceptori Claſſico Primario, jure pariter hæreditariô, in acceptis tulit, queîs Majores in admirationem, Pares in amorem, Minores in æmulationem ſui pertrahebat. Infelicem ergò me, cum totâ familiâ Eberweiniâ mœſtiſſima, exiſtimo, quod eôdem, quô optimæ ſpei Juvenem Matriculæ Acad. inſerui, annô, univerſali mortalium cataſtro inſcriptum viderim, qui albo viventium & Chriſtianorum Anno 1693 die 19 Junii, libro autem vitæ poſt vitam concreditus eſt die 14 Octobr. hujus anni, ætatis ſcil. anno XV. cum 4 menſibus & 1 die. Exuviæ corporis horâ hodiernâ pomeridianâ XII tumulo mandandæ erunt, quibus ſi CIVES ACADEMICI Nobiliſſ. decenti frequentiâ ultimum officium exhibuerint, ut rogamus, rem facient ordine ſuo digniſſimam! P. P. die XVII Octob. 1708. ſub Sigillo Acad. Majori.

V. INVITATIO AD FUNUS ACADEMICUM.

RECTOR LUDOVICIANÆ &c. &c.

OMinoſa quandoque reddi Chriſtianorum nomina, triſti flebilique pro dolor! exemplô diebus hiſce comprobavit elegantisſimus magnæque ſpei puerulus,

CAROLUS LUDOVICUS MAJUS,

ultimô fere Maji die beatisſimè denatus: ultimô, inquam, vel qui parum diſtat, penultimo ultimum vitæ halitum efflans, finemque menſis Maji vitæ, quam traxerat calamitoſisſimè, fine coronans. Ita ſcil. fugacisſima ſe habet vitæ conditio, quæ dum maximè vigere debebat, emarceſcit & vernantium plantarum inſtar, viridiuſculum, quem vix induxerat, habitum deponit ocyus. Quemadmodum enim eosdem, quos modò flores truſerat, mox uſui hominumque viſui prorſus eripit vernale tempus, ita ſub primô annorum vere, quô vix pullulare cœperat, emoritur homo, tanquam unius noctis fungus. O miſerrimam hominum ſortem! ô fugacisſimam mortalium inconſtantiam! Celebrent nunc Maji amœnitatem Delicatuli, extollant menſis emenſi illecebras, rhedas conducant & rotantibus quadrigis ad nemora deproperent! nemo tamen, ridente licet annô, ſuorum unquam annorum adeò certus eſſe poterit, quin vel in primô medioque ætatis flore ſæpè contabeſcat. Hujus omnino veſtigia leget, quicunque breviſſima, queîs præmaturè eſt defunctus, fata Clariſſimi quondam noſtri CAROLI LUDOVICI piè trutinaverit. Naſcebatur ille medio vere Anni 1695. octavo Martii, die à Venere Aniquis

tiquis nuncupato, horâ quidem ſecundâ matutinâ, Patre *Viro Maximè Reverendo, Ampliſſimo atque Excellentiſſimô,* DN. JOH. HENRICO MAJO, SS. Theol. D. ejusdemque ac LL. OO. Prof. Publ. Ord. Diſtrictûs Alsfeld. & Marpurg. Superintendente, Collegii & Judicii Sacri Aſſeſſore, Stipendiatorum Ephorô & Pædagogiarchâ, Theologo de Eccleſiâ Chriſti Meritiſſimo: Matre verò Pientiſſimâ ac Nobiliſſimâ Matronâ, ANNA CLARA nata *HOFMANNIA:* qui uterque Parens ſummo quidem è formoſiſſimi filioli nativitate gaudio perfuſi, eoque majori, quod, cum inſequente die Dominicâ per lavacrum Regenerationis eundem Salvatoris æquè ac Eccleſiæ gremio inſererent, à *Sereniſſimâ & Celſiſſima Principe ac Domina,* CHARLOTTA DOROTHEA, *Landgraviâ Haſſiæ, Principiſſa Hersfeldiæ, natâ Ducisſâ Brandenburgicâ &c. &c.* ut & Per-Illuſtri & Generoſiſſimô DN WEIPRECHTO à *GEMMINGEN,* Dn. in Hornberg, *Sereniſſimi Principis Haſſo-Darmſtatini Miniſtro Primario,* è Sacro Baptiſmatis fonte ſuſceptus, nomineque CAROLI LUDOVICI donatus fuerit. Nec minora gaudii argumenta ſuppeditabat optima, quam à teneris jam ſpirabat indoles & quam inter ſuorum preces elevata ad DEUM mente & in ſublime datis manibus ex inſtinctû, quo ducebatur, Spiritus Sancti teſtabatur pietas, in corde tanquam ſub cineribus gliſcens. Aſt eheu! quam lubrica mortalium ſpes, quam infida lætitia! vix enim lucem hanc adſpexerat, è morbo noſtris temporibus tenellulis infenſisſimo, Rhachitide ſcil. ſubinde conflictatus non diuturnam vitæ inter mortales ſpem fecit, quæ creſcente indies morbi ferociâ adeo decollavit, ut eodem, quo ante biennium per lavacrum Regenerationis & Renovationis in album filiorum Dei cooptatus erat, die nuperrimè vivere deſierit, ipſo quidem SS. Trinitatis feſto, quo beneficia regenerationis non ſine omine à Mœſtisſimo Dn. Parente in templo deprædicabantur. Quum autem more hactenus laudabiliter recepto tumulo hodie inferendo corpuſculo

exe-

exequiæ parentur ſolennes, Veſtrum erit, CIVES ACADEMIÆ NOBILISSIMI, ut præſentia veſtra & frequentia lugubrem hunc actum exornetis doloremque Familiæ Nobilisſimæ ſympathiâ veſtrâ demulceatis. Adeſte ergo funeri, adeſte eo officio, quod Vos cumprimis veſtramque pietatem decere videtur. *PP. Giſſæ ſub Sigilio Academiæ Majori, die 2. Jun. 1697.*

(L.S)

VI. INVITATIO
AD
DEDUCTIONEM FUNERIS.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,

CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO

GENEROSIS ACADEMIÆ CIVIBUS

S. D. P.

NUlla calamitas ſola, verùm ſeminio quaſi ſe multiplicans infortunium infortunium trudit, ut cuneus cuneum. Teſtantur hoc infiniti iique honeſtiſſimi homines à Fœdifragô Hoſte domiciliis ſoloque patrio expulſi, qui conſcientiæ libertatem ſervaturi Servatoremque ſecuturi cuncta relinquentes adeò à cruce,

quàm ſpontè elegerunt, non deſeruntur, ut variis tandem animi corporisque morbis diſtracti prorſus ſuccumbant! Aſt qui ſuccumberent, cùm unica hæc Regiaque via ſit, quâ DEO ſuo redditi cunctos animi, corporis & fortunæ hoſtes in Triumphum ducant. Trivit hanc probeque ſubductô calculô calcavit eandem Chriſtianorum ſemitam Vir quondam *Conſultiſſimus*, *Ampliſſimus atque Nobiliſſimus*,

DN. JOH. MICHAEL MELCHIOR,

J. U. Lic. Conſiliarius Haſſo-Darmſtatinûs Fiſcique Giſſeni Advocatus, νῦν ἐν ἁγίοις, qui mox ridentis, mox ringentis Novercantisque Fortunæ fatis hactenus exercitus, ſicque

Per varios caſus per tot diſcrimina rerum

usque penetrando ſub media ſortis humanæ inconſtantia conſtantiſſimum Patientiæ Chriſtianæ ſchema & exemplum præbuit. Equidem felicem primò ſe prædicare valebat, quòd ab Honeſtiſſimis & tum fama, tum virtute Nobiliſſimis Parentibus Univerſo huic redditus fuerit: Patre quidem *Viro Magnifico atque Conſultiſſimo* DN. JOH. PETRO MELCHIORE, JCtô famigeratiſſimo, Conſiliario primum Intimo Haſſo-Darmſtatino, mox & Regiminis Principalis, quod heîc Giſſæ erat, Vice-Cancellario: Matre verò Matrona Honeſtiſſima ANNA LUCRETIA, natâ *VIGELIA*: Felicem ſe prædicare poterat, quòd ductu eorum pietate, ſtudiis bonisque moribus imbutus poſt obtentum Gradum Academicum & exantlata per Auſtriam, Ungariam, Galliam, Helvetiam & Germaniam itinera Wormatiæ Splendidiſſimo Syndicatûs muneri fuerit admotus: Felicem tandem Beatiſſimum reddebat exoptatiſſimum, quô Matronæ Nobiliſſimæ, ANNÆ CHRISTINÆ WALTHERIÆ, natæ *KEPPNERIÆ*, jungebatur, conjugii vinculum, unde VI. Liberorum & inter eos trium adhuc ſuperſtitum Parens audiebat. Aſt eheu! quàm fugacia, quàm inconſtantia erant hæc Felicitatis argumenta! quæ concatenata plenoque gurgite irruentia infortunia prorſus obfuſcabant. Primum quidem

dem impetum in Florentiſſimam Beati Noſtri Familiam perditiſſima faciebat rabies Gallorum, quæ ſubverſis ſoloque æquatis auguſtiſſimis Wormatiæ ſubſtructionibus, dirutis vineis, raptis incenſisque opibus & effuſis vindemiarum cellarumque theſauris omnem ferè Civium ſubſtantiam conſumebat. Vix animam vitamque huc deproperans ſalvabat inclyta Melchiorum familia, & ecce novo malorum fulmine tangitur, dum eôdem quidem menſe & Matris & Conjugis utrobique dilectiſſimæ Beatus noſter jacturam tulit, proh qualem! Quid faceret? JOBUM æmulans, Dominus dedit, inquit, Dominus abſtulit, ſit nomen ejus benedictum! Sed neque hic malorum finis erat, quandoquidem tot animum, ſi non proſternentia, turbantia tamen incommoda, tandem & corporis vires in conſenſum rapiendo variis morborum generibus anſam largiebantur, quibus demum ita fatiſcebant membra, ut ferendis tot & animi & corporis inſultibus omninò imparia adeo non amplius officium ſuum fecerint, ut omni potius vitâ deſtituta ſub beatiſſima, quâ anno ætatis LI. placidè exſpiravit, morte prorſus obriguerint. Quum autem more Chriſtianis ſolito debito illa tumulo inferenda ſint, Veſtrum erit, CIVES GENEROSI, juſta perſolvere Viro beatiſſimo, adeoque dato ſigno frequenti concione funus comitari, ad quod officii genus omnes & ſinguli officioſè invitamini. PP. ſub Sigillo Acad. Majore. *Die* 23. *Junii Anno* 1697.

VIII. IN.

VII. INVITATIO
AD
FUNUS ACADEMICUM.

P. P.

FRutices herbasque ſpinis armatas reliquis ſi non durabiliores, à violentiâ tamen externâ mage tutas eſſe, rubus apud Æſopum gloriatur, dum

Ne me abies ſpernas, inquit rubus, ecce ſecuris!
Quam velles ſpinas, nunc habuiſſe meas.

Hinc & armat ſpina roſas, ne rapacibus protervorum rapinis impunè ſint obnoxiæ. In regno verò animali bruta ſpinis ſpiculisque obſita vim externam validè avertere poſſe hiſtricum genus atteſtatur, quod evibratis ſpiculis, tanquam totidem sariſſis & inſequentibus reſiſtere & onerum curruumque ſupervenientium pondera ſuſtinere valent. Utinam & in genere id humanô quoque obtineret! utinam & hîc ſpinæ darentur mortis inſultui validè reſiſtentes! aſt neque judicii ingeniique acumen, neque roſeum ætatis florem quicquam hîc valere, obitu ſuô præmaturô Vir juvenis,

DN. LUDOVICUS THEOBALDUS DORN, J.U.C.

Juvenis, inquam, in Patriæ noſtræ ſpem, familiæ verò decus & ſplendorem quondam natus, paucis verò abhinc diebus beatiſſimè denatus. Fallor, aut & hic locum habet, quod Spiritus Sanctus *Pſalm.* 58. *verſ.* 10. inter alia ſive pœnarum, ſive infortuniorum genera minabatur, ſpinas ſc. antequam adoleverint in

rha-

rhamnum, virentes adhuc ab irâ devorandas eſſe. Quantam enim Giſſa noſtra è ſpinæ hujus marcore jacturam tulerit, ex ipsô, quô non in rhamnum, ſed ingens Reipublicæ Literariæ columen adoleſcere debebat, vitæ ſtudiorumque curſu hauriri poterit. Primam ſc. lucis uſuram vegetationi ejus in urbe hâc Giſſenâ dedit X. Aprilis anni 1678. Patrem habuit Spectatæ prudentiæ fideique verè Germanæ Virum, DN. WILHELMUM DORNIUM, Poligraphum, Senatorem & Scabinum per 40. annos de hâc civitate merentiſſimum: Matrem verò ANNAM MARGARETHAM, ex honeſtâ Heinzenbergiorum familiá prognatam, quorum Parentes fuêrunt ADAMUS DORN, Nemographus Romrodienſis, & ANNA NICOLAI dicta WEBERIA, Beati noſtri Avus & Avia lineæ Paternæ: JOHANNES HENRICUS HEINZENBERGER, Senator Butisbacenſis & ANNA MARGARETHA BECKERIA, Avus Aviaque Materni. In horum ſinu puer adhuc diligenti curâ educatus Scholis primùm trivialibus & Præceptoribus Privatis commiſſus, tantos & in fide Chriſtianâ & in literis humanioribus progreſſus fecit, ut anno 1692. ad Pædagogium Illuſtre promotus, indeque annô 1694. Primæ Claſſis Primus exemtus ad Lectiones publicas admiſſus & à Rectore t.t. Magnifico DN. JOH. NICOLAO HERTIO in ſtudioſorum numerum receptus fuerit. Ne verò libertate, quâ donatus erat, Academicâ in deſidioſam ac peccaminoſam vivendi libidinem converteret, vitamque Studioſo dignam degeret, jactis jam fundamentis nocte dieque maturiora ingenii monumenta ſuperinduxit, magnoque cum fervore Collegia, tam Publica, quàm Privata viſitavit. Teſtantur illud Manes Beatiſſimi Dn. Phaſiani, in cujus Lectionibus Styli & Hiſtoriarum ſtudium excoluit. Teſtantur Collegia Dn. Schloſſeri & Affinis ſui Dn. Eberweinii habita. Teſtantur celebria Nitſchiorum nomina, â quibus non tantum Philoſophiæ Practicæ, ſed & Juris, tam Naturalis, quam Civilis fundamenta hauſit, inibique ſub umbone dilectiſſimi Dn. Fratris ſimûl tantum profecit, ut quamplura &

excerptorum & locorum communium volumina reliquerit. Interim vix in ſpinam, h. e. Virum nodoſas quasvis & ſpinoſas difficultates reſolventem adoleverat, & ecce variis Morbonæ tribulis & ſpinis exercetur, quæ præviis catarrhis variis, circa Feſtum Natalitiorum Chriſti proximè elapſum, illum inundantibus, tandem pulmones (ut credidit) perfodiendo, phthiſin & hecticam induxêre, quæ ægrum XX. & quod excurrit, hebdomadibus divexando, membra viresque ita devorârunt, ut haud ita pridem, die ſc. XV. Septembr. 1698. obtentô prius SS. Cœnæ viaticô, inter devotas adſtantium preces in Dominô placidè obdormierit, & tanquam SPINA CHRISTI in cœlum transplantatus fuerit, poſtquam in hoc mundi arboreto XX. annos, 4. menſes & 5. dies floruerat. Reliquum E. eſt, ut reliquiæ ejus & exuviæ ſolenni ritu terræ, unde pullularant primùm, committantur. Hoc dum hodiernâ die, hora XII. peragetur, veſtrum erit, CIVES ACAD. LECTISSIMI, ut Commilitoni Veſtro Exequias paretis, easque Nobiſcum frequentiores reddatis. Valete PP. *Giſſæ Haſſorum, die XX. Sept.* 1698. *ſub Sigillo Acad. Maj.*

(L.S.)

VIII. IN-

VIII. INVITATIO
AD
DEDUCTIONEM FUNERIS
PROFESSORIS.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR

MICH. BERNH. VALENTINI,

D. Medicus & Prof. Publ. Ordinar.

GENEROSIS ET NOBILISS. ACAD. CIVIBUS

Εὐθανασίαν!

ANaxagoram, Philoſophum Antiquiſſimum, cœlum aſtrorumque curſum olim admirantem, nonnemini ſciſcitanti, cur tanta cum voluptate ſubdivalia pervigilia perferret? reſpondiſſe ferunt: ut ASPECTU COELI fruar: Siderum in orbem redeuntes motus ſubindicans. Interim meritò quis Ethnico regereret:

Quid juvat aſpectus, ſi non conceditur uſus?

Quid, inquam, cœlorum ſtellarumque aſpectus & Aſtrologorum prognoſtica fallentes obſervationes juvant? niſi regni cœlorum uſus & habitatio perpetua acceſſerit. Cœlum intus gerimus, inquit Helmontius, quod, tanquam primum mobile, indies in corde circumvolvi debet, nî cum Thalete cœlum ſuperficialiter contemplando in æternæ damnationis foſſam & barathrum præcipitari velimus. Scilicet non corporis, ſed mentis oculis in cœlô vagari decet, juxta rhythmum Antiquorum:

Suprema cogita , mens ſit in æthere,
Felix qui potuit mundum contemnere.

Hæc etenim Sanctorum Aſtrognoſia : Hæc jucundiſſima piorum eſt Matheſis , quæ Chriſticolarum animos , turbulentiſſimis hujus mundi fluctibus licet immerſos, incredibili voluptate perfundit, Soleque Juſtitiæ ſemel illuminatis donum illud cœleſte , cujus in Epiſtola ad Hebræos cap. VI. §. 4. veſtigia occurrunt , h. e. virtutes ſeculi futuri deguſtandas offert. Vivô hoc exemplo comprobabat Mathematicus Academiæ noſtræ Deſideratiſſimus,

DN. AUGUSTINUS VAGETIUS,
Prof. Publ. Ordin.

diebus hiſce non ſine palpabili Academiæ jactura & acerbiſſimo familiæ ſuæ luctu placida & beata morte è viventium numerô ſublatus ; qui univerſum Diſciplinarum Mathematicarum curſum peragrando , nullibi , quàm in myſtica ſacraque cœli contemplatione uſuraque felicitatis ſuæ centrum figere ac invenire potuit, quùm in verſatili terræ globo nil niſi falſi (ut vocant) regulam & plus quam Opticas mundi fallacias obſervârit. Equidem tot miſeriarum & vanitatum cumulos in fallaciſſimi Orbis abaco reperiit, ut & Verſatiſſimus Arithmeticus illarum numerum inire nequeat. Vix enim fugaciſſimam vitæ ſuæ auram , & quidem anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſeptuageſimo haurire cœperat , & ſubitò Matris Beatisſimæ jacturam tulit , quæ eodem ferè , quô filiolo recens nato vitam dederat , menſe exſpirando , Puerpera adhuc & filium & orphanum reliquit infelicem ; & licet in eo magnam ſolatii partem ſibi relictam eſſe ſperaverit , quod ſub Parentis Venerandi , DN. JOHANNIS VAGETII , Rectoris quondam Verdenſis , poſtmodum verò Profeſſoris Hamburgenſis , educatione fidelique informatione eò tandem elevatus fuerit , ut in Gymnaſiô primùm Hamburgenſi , mox verò in Academia Wittenbergenſi (quæ Gradum Magiſterii Illi tribuit) diuerſa Indolis

&

& Eruditionis haud vulgaris ſpecimina, Præſidendo quoque dederit; attamen & hoc quoque ſubſidio diutius gaudere non potuit, poſtquam novô eoque maximo infortunio non tantum ædes & facultates paternas incendio truculentiſſimo deflagraſſe, ſed & Patrem Dilectiſſimum, à flamınæ furore ſimul correptum, vitam cum morte commutaſſe vidit. Ecquid ergò aliud reſtaret infelici, quàm Pſalmiſtæ ejulatus: Genitor & Genitrix me deſerunt, ſed Dominus in filium me ſuſcipit & adoptat? Nec irritum fuit Orphani ſuſpirium, cum providentiſſima Cœleſtis ſui Patris curâ plures, quàm ſperaret, Evergetas & Patronos reperierit, quos inter Virum Celeberrimum, *DN. Georgium Francum à Franckenau*, Profeſſorem tunc temporis Wittebergenſem, nunc verò Potentiſſimi Regis Daniæ Conſiliarium & Archiatrum, venerabatur, cujus hoſpitiô & conſuetudine per complures annos uſus eſt, donec anno 1695. Gœttingam ad Profeſſionem Matheſeos & Linguæ Græcæ evocaretur: qua ſtatione vix ultra unius anni decurſum fungi potuit, cùm paulò poſt à Sereniſſimo Principe ac Domino, DN. ERNESTO LUDOVICO, Landgraviæ Haſſiæ, Principe Hersfeldiæ, Comite in Catimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga &c. &c. Principe ac Domino noſtrô Clementiſſimo, in Alma hac LUDOVICIANA Profeſſor Mathematum Ordinarius conſtitutus fuerit. Sereniori itaque facie Beatum noſtrum tunc aſpicere videbatur ſors hactenus Noverca, eòque magis, quòd vix bienniô elapſô, diſponente ita DEO Trinunô, dulciſſimô matrimonii vinculô ſibi junxerit Honeſtiſſimam, & ſi corporis, animi ac vitæ elegantiam conſideres; in ſexûs ſui ornamentum natam Virginem, LUCIAM CATHARINAM, è Celebri RAUMBURGERORUM familia oriundam, Viduam nunc Mœſtiſſimam, Pientiſſimam. Ah! ah! quàm brevia ſunt rerum humanarum halcyonia! quàm inania fortunæ ridentis blandimenta! vix enim biennium in novô hoc matrimonii ſtatu vixerat, & ecce! morte præmatura, in mediô licet ætatis flore, è Conjugis amplexibus eripitur, poſtquam à pluribus

jam annis Pththiſi pulmonali emaciatus & tantùm non conſumtus fuerat. Reſtat igitur, ut relictis à Collega Deſideratiſſimo Exuviis ſolennes debitasque Exequias paremus, quas ſi datô hodie ſignô, CIVES ACADEMIÆ GENEROSI & PRÆNOBILES frequentia & concurſu ſuô exornare, funusque Profeſſoris Sui ad tumulum usque comitari non detrectaverint, rem facient Senatui Academico æquè ac Nobiliſſimæ Defuncti Familiæ gratiſſimam, ſuo autem ordine digniſſimam. Valete & extremorum memores res veſtras bene agite! P. P. *Giſſæ die II. Junii Anno Redemtionis MDCC.*

Sub Sigillô Acad. Majori.

IX. INVITATIO AD DEDUCTIONEM FUNERIS MULIEBRIS.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,

MICHAEL BERNH. VALENTINI,

Med. D. ejusque & Phil. Nat. PP. Ordin. Præſidis in S. R. I. Acad. Nat. Cur. Adjunctus & Recuperatorum in Italiâ Collega,

GENEROSIS & NOBILISSIMIS ACADEMIÆ CIVIBUS,

Bene vivere & beatè mori!

QUemadmodum Solone teſte nemo ante obitum beatus eſt dicendus; ita tria ferè ſunt, quibus generis humani felicitatem vulgò dimetiri ſolent: Bene naſci, bene nubere & beatè mori. Bene quidem naſcitur, quisquis ab integris vitæ ſcele-

ſcelerisque puris Anteceſſoribus, h. e. piis & honeſtis Parentibus ortus ſui natales ducit, qui non jure tantùm hæreditario, ſed & educatione ſolicitâ ſimiles virtutum igniculos in liberis accendunt, adeoque

- - - - - - bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis Patrum
Virtus: Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam, Horat.

Nubere bene eſt unanimi, concordi & pacatô jungi matrimonio, quo mutuo ſe amore tolerantia Conjugum pectora nexu adamantino junguntur, cùm eôdem *Horatio* teſte:

Felices ter & amplius
Quos incorrupta tenet copula, nec mali
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

Bene tandem moritur, quicunque in Domino moritur, in cujus brachia Paterna animam, cum Salvatore JESU CHRISTO, devotè commendat & recondit. Felicem ergò, imò terque quaterque felicem verè dixeris Matronam, cui juſta hodie perſolvimus, *Nobiliſſimam*

MARIAM MECHTILDIN EBERWEINIAM,

quæ ut bene nata, ita bene locata, & beatiſſimè nuper denata fuit. Nata autem eſt ex Honeſtiſſima & hîc locorum æſtimatiſſima Dorniorum familiâ, Patre quidem Viro quondam Prudentiſſimo, Dn. JOHANNE WILHELMO DORNIO, Scabino & Poligrapho hujus Civitatis meritiſſimo: Matre verò ANNA MARGARETHA, nata *HEINZENBERGIA*; quorum curâ & amore in omni pietatis, virtutum & elegantiarum, ſexum hunc ornantium, genere ita educata fuit, ut non potuerit non ſecundus humanæ felicitatis gradus eandem certò quoque manere, poſtquam dulciſſimo conjugii vinculô juncta eſt Virô *Præcellentiſſimo* atque *Nobiliſſimo*, DN. CHRISTOPHORO EBERWEINIO Phil. M. &

Illu-

Illuſtris Pædagogii Giſſeni Præceptori Primario, quî cum conjugium adeò pacatum, adeò tranquillum & exoptatum duxit, ut nunquam cum illô in gratiam redierit, eoque dulciorem ſui memoriam reliquerit. Reſtabat igitur, ut tertius beatorum gradus ultimô accederet, obitus ſcilicet beatiſſimus, quô mortem morti Servatoris ſui jungens, præteritâ ſeptimanâ, paſſione Chriſti memorabili, febri maligna prius exuſta, animam, anno quidem ætatis XXVII. piè exhalavit. Quum verò corporis exuviis promeritæ hodiè exequiæ parentur: Veſtrum erit, CIVES ACADEMIÆ NOBILISSIMI, ut ſolenni funeris deductioni nobiſcum frequentes adeſſe, veſtrâ præſentiâ DN. Vidui dolorem demulcere totiusque familiæ mœſtitiam quodammodo levare non gravemini. Valete in Domino! PP. Giſſæ *Fer. II. Paſchatos MDCC. ſub Sigillô Academiæ Majore.*

X. INVITATIO
AD
DEDUCTIONEM FUNERIS
INFANTILIS.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,

MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,

CIVIBUS ACADEMIÆ GENEROSIS ET NOBILISSIMIS SALUTEM ET TEMPORALEM & ÆTERNAM

P.

UT fructus præmaturi rarò vel nunquam ſunt durabiles, ita vel communi plebejorum judicio ingenia hominum præcocia minus diuturna ſunt: Et prout ex arboribus (verba ſunt

ſunt ERASMI) quæ vehementer fœcundæ ſunt, eò celerius ſeneſcunt: ita rarò ſunt vivaces egregiô præditi ingeniô & optima quæque mortalium fugaciſſima ſunt. Quum enim ſpiritus animales, quorum adminiculô mentis operationes exercentur, citius & frequentius moventur, quàm ad debitum volatilitatis ſuæque activitatis gradum ſint evecti, non poſſunt non ſimul præmaturè debilitari, fatiſcere & tandem prorſus evaneſcere. Scilicet ut ignis, qui clarior fulſit, citius exſtinguitur, vivacior autem eſt, qui cum lentâ difficilique materiâ commiſſus fumoque demerſus ex ſordidô lucet, ut eadem detineat cauſa, quæ malignè alit: Sic ſpiritus animales (quos igni cum WILLISIO aſſimilant Moderni) indeque pendentia ingenia, quò illuſtriora ſunt, eò breviora ſunt; ſiquidem teſte SENECA, ubi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt. Triſti hoc exemplo quondam comprobabat unicus ac proinde chariſſimus JANI DRUSII filius, qui præter alia in Linguis Orientalibus puer adhuc eos progreſſus fecerat, ut non dico ſuperiorem, ſed ne parem quidem in Europâ ullum habuerit. Anno enim (ut Vir Celeberrimus in Præfatione Annotat. in totum JESU Chriſti Teſtamentum refert) ætatis quinto cœpit cum Latinis diſcere literas Ebraicas, quibus poſteà Græcas aliaſque adjecit. Anno ſeptimo interpretabatur optimè Davidem in ſua lingua. Biennio poſt legebat Ebræa ſine punctis vocalibus. In Linguâ Latinâ tam promptus & expeditus, quàm in Vernaculâ, aſt nondum abſolutis minorennitatis annis, non ſine lachrymis Parentis acerbiſſimis denatus, ut triſti pariter & luctuoſiſſimô hoc exemplô docet huic neutiquam ſecundus, ſed ut ovum ovo ſimilis puerulus,

JOHANNES MICHAEL MAJUS, Giſſenſis,

qui dignô, quod in annales referatur exemplô, puer adhuc & vix ſexennium habens ſacra Biblia non tantùm in Vernaculâ abſolvit, ſed & eadem paulò poſt in fontibus Hebraicis & Græcis adeò promptè & expeditè legere & interpretari potuit, ut admirationi fuerit omnibus, qui ipſum datâ occaſione viderunt & au-

diverunt, ipſique Judæi ſtupore correpti fuerint, ſi quando legendi explicandique velocitatem in eô deprehenderunt, ita quidem, ut ingenuè faſſi ſint, in ſuæ gentis pueris vix ac ne vix quidem ejusmodi exemplum reperiri. Alterum hunc ORIGENEM dixeris, qui Parentem ſuum Leonidem, Epiſcopum quidem, de abditis ſcripturæ ſenſibus ſæpiſſimè interrogando non ſtimulô, ſed frænô indigebat, ita quidem, ut Pater ab ejuſmodi præcoci ſapientiâ retrahere illum cogeretur, ſedulò monens, ne ſupra ætatem ſaperet: Licet noctu accedens & pectus intuens, quaſi Sancti Spiritus templum deoſcularetur ſeque tali filio beatum judicaret, EUSEB. referente. Fallor an & noſtri pectus intuitus Parens Venerabilis, DN. JOHANNES HENRICUS MAJUS, D. & Profeſſor Theologus, Superintendens & Stipend. Ephorus &c. quaſi Sancti Spiritus templum deoſculatus fuit, ſeque tali filiolô beatum deprædicaverit. Aſt ut nemo ante obitum beatus eſt dicendus, ita neque heîc, niſi in beatiſſimô Filioli obitu beatum ſe judicare potuit Collega Optimus, poſtquam, elapſô proximè Mercurii die, morbo inopinatô correptus & manè ſurgens de ingenti capitis dolore conqueſtus in tantam virium, ab improbis qſ. & continuis ſtudiis jamdum attritorum, debilitatem incidit, ut accedente mox intra triduum catarrho ſuffocativô, ſubitâ quidem, ſed placidâ & beatâ morte, anno quidem ætatis decimô, animam Servatori Suo reddidit, Matriſque Beatiſſimæ Dominæ SABINÆ HELENÆ, Illuſtris DN. D. MICHAELIS PRAUNII, JCti quondam Celeberrimi, Comitis Palatini Cæſ. Nobilis, Diverſorumque S.R. Imperii Statuum Conſiliarii Filiæ, veſtigia preſſit. Ita luctu continuô ſi non oppreſſus, ſummè tamen preſſus Genitor lachrymis hic ſerit, ut illîc in æternum falce pinguiore metat. Vos, CIVES ACAD. LECTISSIMI Doctoris & Paſtoris veſtri dolorem quodammodò ſopire valebitis, ſi funus hodiernô die efferendum Comitatu & frequentiâ veſtrâ condecorare non detrectaveritis; id quod certò me ſperare jubet pietas & civilitas veſtra probatiſſima. Valete memoreſque lethi vivite! *PP. Gieſſæ die XIX Julii MDCC. Sub Sigillo Acad. Major.*

PRO-

PROGRAMMATUM ACADEMICORUM
DECURIA III.
INVITATIO I.
AD PANEGYRIN SERENISS. DUCI SAXONIÆ Celebrandam.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,

MICH. BERNH. VALENTINI,

Med. D. Ejusque & Phil. Nat. Profeſſ. P. Facultat. Philoſ. p. t. Decanus, Præſidis in Acad. Germ. Cur. Adj. & Recup. in Italia Collega.

CIVIBUS ACADEMICIS

S. D. P.

NOn honore tantùm, ſed & Regum Principumque liberalitate ſcientias ali & artes, vel exinde conſtat, quod ſubſidiis neceſſariis deſtituti rariſſimè emergant, vel ſi ægerrimè emerſerint, iiſdem honos omnis onus ſit. Quemadmodum igitur in Expeditionibus Militaribus pecunia belli nervus eſt, ita in Militia Literaria parum aut nihil effici poteſt, niſi Magnatum Gratia & Clementia ingenioſis Artium Cultoribus ſuppetias ferant, illosque debitis ſubſidiis gratioſè inſtruant, quibus adjuti demum & ſublevati egregii quid præſtare, ſuumque non minus quàm Patronorum nomen æternitati conſecrare valent. Summam hac in parte gloriam ſibi peperit Ægyptiorum Rex PTO-

LOMÆUS PHILADELPHUS, quòd, cum Judæorum Legem ex Ebraica Linguâ in Græcam per Eleazarum transferri curaſſet, non tantùm permagnam auri ſummam Hieroſolymorum templo ſacraverit, ſed & omnes ab Anteceſſoribus ſuis captos Judæos pecuniâ ſua redemerit & libertate donaverit. Non minus ex Hiſtoria Græcorum ALEXANDER Macedonum Rex ſummis evehendus laudibus, quod Præceptori ſuo Ariſtoteli ad Hiſtoriam animalium conſcribendam octoginta talenta, h. e. coronatorum aureorum 480000. ſolviſſet, unde ſcriptum illud πραγματεία πολυτάλαντος olim dictum fuit. Neque ſilentio involvenda erat MAXIMILIANI I. Imp. Romani plus quam Regia liberalitas, quòd præmiis datis ampliſſimis cùm omnium Liberalium Artium, tum imprimis Hiſtoriarum ſtudia in Germaniâ excitaverit. Aſt quid Exotica hæc & è longis retroſeculis petita Liberalitatis Literariæ exempla huc acerſo, cum & noſtris temporibus domi foriſque ſimilia in Auguſtiſſimis Magnatum Aulis occurrant luculentiſſima. Ipſa ſane Domus Sereniſſima HASSO-DARMSTATINA nunquam non Clementiæ ſuæ ac Benignitatis ſpecimina edidit, poſtquam annuatim haud contemnendum Alumnorum numerum in Acad. hac LUDOVICIANA æquè ac aliis Patriæ noſtræ Scholis alit, ſed & de Communi Convictoriô Celſiſſimi atque Sereniſſimi noſtri Principis ac Domini, DN. ERNESTI LUDOVICI, *Haſſiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis in Cattimeliboco, Deciâ, Ziegenhainâ, Niddâ, Schaumburgo, Yſenburgo & Budinga, &c.* Domini noſtri Clementiſſimi auſpiciis tandem erigendô eſt ſolicita. Quin & aliæ Principi huic Pientiſſimo ſive ſanguine ſive proxima affinitate junctæ Familiæ Illuſtriſſimæ haud abſimili Eruditos Gratiâ proſequuntur, è quibus Sereniſſimam DOMUM WÜRTENBERGICAM æque ac DUCALEM SAXONICAM heic eâ, quâ decet, ſubmiſſione licet extollere, quarum illam præter *Collegium Illuſtre* à Celſiſſimo *LUDOVICO* inſtitutum, Auguſtiſſimum pariter & numeroſiſſimum *Theologorum Stipendium*, à glorio-

ſiſſimæ Recordationis Principe EBERHARDO III. Regiis fere ſumptibus fundatum, fovet: Hæc verò in Gymnaſio Eiſenbergenſi æque ac aliis Saxoniæ Academiis Alumnos alit quamplurimos, qui ut devotiſſima indies pro Sereniſſimis ſuis Benefactoribus Patriæque Patribus vota nuncupant, ita nuſpiam non illorum Gratiam & Clementiam deprædicare & ſubmisſiſſimè exoſculari ſolent. Hos inter ſe numerat *Vir Præcellens atque Nobiliſſimus*,

DN. M. JOHANN. MICHAEL HEINECCIUS,
Oſterlando-Eiſenbergenſis,
SS. Theol. & Linguar. Orient. Studioſ.

qui poſitis ſolidis in Gymnaſio Eiſenbergenſi (cura Theologi de Eccleſiâ Chriſti Meritiſſimi DN. FRANCKII exſtructo) fundamentis, recitata prius in Natalem Serenisſimæ ſuæ Principis ac Dominæ, Dominæ SOPHIÆ MARIÆ, *Ducis Sax. Jul. Cliv. Mont. Angr. & Weſtph. Landgraviæ Haſſiæ, Principis Hersfeldiæ &c. &c.* Panegyrico, è PALMA SAXONICO-HASSIACA conſtante, Jenam ſe contulit, ibique ſumtibus verè Principalibus adjutus, per integrum fere quadriennium, ſub fidelisſima Virorum Celeberr. Philoſophiæ non minùs quàm Theologiæ ſedulam navavit operam, habitis illic quamplurimis Diſputationibus Philoſophicis, indeque Laurea prius Magiſteriali inſignitus Francofurtum ad Mœnum concesſit, ut pretioſisſimis Inclyti LUDOLPHI diſcurſibus aliquamdiu frueretur. Ne autèm ſolius Germaniæ glebæ adhæſiſſe videretur, ad peregrinationes nunc animum intendit, iter propediem in Daniam maturaturus, quamprimùm Serenisſimi Nutritii ſui juſſum & conſenſum Clementisſimum obtinuerit, ut quos abſens modò colit, coram tandem venerari liceat Viros undique Celeberrimos, *Bornemannos*, *Maſios*, *Lipsdorpios*, in tranſitu ſimul viſurus Incl. *Edzardum*, *Placcium* Hamburgenſes: *Franckium*, *Muhlium*, *Reiherum*, Kilonienſes: *Fechtium*, *Quiſtorpium*, *Na-*

(Ff) 3 *bicht-*

bichthorſtium, Roſtochienſes: *Colbergum*, *Saalbachium*, *Henningium*, Gryphiswaldenſes: è quorum diſcurſibus æquè ac Bibliothecis tam publicis, quam privatis tantum ſine dubio theſaurum ſibi collecturus erit, ut certa Nos ſpes teneat, adeò non ſterilia maleque collocata fore beneficia, queis fruitur, Principalia, ut potius omni, quam ſubmiſsè ſperat, ope digniſſimus judicari poſſit. Dum vero noſtrum ſimul Athenæum ſalutavit, non potuit non tantorum ſibi hactenus Clementiſſimè exhibitorum beneficiorum memoriam refricare ſumma, quâ Sereniſſ. Domus Haſſo-Darmſtatina Patriæ ſuæ Patri jungitur, neceſſitudo, quæ animum ipſi addidit, ut Panegyri ſolenni maximeque frequenti Nutritii ſui Chriſtianiſſimi, Sereniſſimi ſc. & Celſiſſimi Principis, DN. CHRISTIANI, *Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, ut & Angriæ & Weſtphaliæ, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Comitis Principali Dignitate Hennebergæ, Comitis in Marca & Ravensberg, Dynaſtæ in Ravenſtein, &c. &c.* Merita Principalia comtô & politô dicendi genere veneraturus ſuamque animi devotionem voto ad DEUM fuſo conteſtaturus ſit. Agite E. CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI, agite, proximeque futuro die Martis Horâ X. matutina frequentes ad Auditorium Solenne concurrite, vacivaſque aures præbere Oratori Nobis Vobiſque ultimum dicturo Vale. Valete. *PP. Giſſæ ſub Sig. Acad. Maj. d. Mart.* 1697.

II. IN-

II. INVITATIO AD DEDUCTIONEM FUNERIS MATRONÆ CUJUSDAM.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,

GENEROSIS ATQUE NOBILISSIMIS DOMINIS CIVIBUS ACADEMICIS

S. D. P.

MAtronas & Mulieres omnem bis pati morbum, vulgare Medicorum eſt diverbium. Quam maxime vero Graviditatis id & Puerperii obſervamus tempore, quo multis variisque infortuniis, caſibus & adverſitatibus ita ſunt obnoxiæ, ut nulla calamitas ſola, ſed altera facilè trudat alteram. Graviſſimo enim graviditatis tempore terrore ſubitaneo, aut aliis vehementioribus animi pathematibus perculſæ facilimè nævos maternos, ſtigmata & ſimilia fœtui tenello imprimunt mala, aut caſu quodam violento conſuetum pariendi tempus anticipando periculoſum abortum patiuntur, auſtrali, pluvioſæ clementique Hyemi (qualis noſtra modò eſt) *Hippocrate aphor.* 12. *Sect.* 3. notante, familiarem. Quemadmodum verò quivis abortus, experientia teſte, partu ſolenni & conſueto quocunque laborioſior & ærumno-

ærumnoſior exiſtit: ita puerperium difficilius atrociſſima plerumque & funeſtiſſima parit incommoda, quæ & ipſa mulieres omnem bis pati morbum ad oculum teſtantur. Etenim ſi vel minima, quæ è primo viventium domicilio repurgari debebat, particula remanſerit, aut matricem vellicando tormina ſeu dolores poſt partum crudeliſſimos, aut putredinem intus concipiendo maſſamque ſanguineam ſimul inficiendo puerperarum febres, teſte *Williſio*, omnium periculoſiſſimas, inferre ſolet, ſicque priorem, quo laborabant, morbum, binâ quoque vice perpeti coguntur. O miſerrimam miſerarum ſortem! ô duriſſimam Matronarum conditionem! cujus reſpectu non immeritò quædam Heroina bis in fronte aciei ſe Hoſti objicere, quàm ſemel parere, maluiſſe fertur. Quod ſi jam tantus partûs ordinarii Mulierculas invadit horror, ecquid non de præmaturo, inſolito & inconſueto fieret? quem ſupra memorata mala, ut comites indivulſi, conſequuntur. Suo id, pro dolor! exemplo comprobat Matrona Nobiliſſima, *Domina* CATHARINA MARIA, *Viri Conſultiſſimi*, *Ampliſſimi atque Excellentiſſimi*, *Domini* MELCHIORIS DETHMARI GROLMANNI, J. U. D. Anteceſſoris Academiæ hujus longè Celeberrimi, & Facultatis Juridicæ p.t. Decani Graviſſimi, conjux, dum viveret, Lectisſima, nunc Deſideratisſima: utpote quæ ob lapſum infelicem integrum inſtantis puerperii menſem anticipando non tantùm in abortûs periculum, ſed & immanes poſt partum dolores febremque puerperarum truculentisſimam incidebat, qua in medio ætatis flore adhuc conſtituta, paucos ante dies, è vivis eheu! ſublata fuit. Quantam inde jacturam tulerit integra eaque Nobiliſſima Familia GROLMANNIANA, facilè judicare licebit, ſi paucis laudabilem vitæ curſum inſpexerimus. Huic autem primam lucis uſuram dedit annus ſuperioris ſeculi ſexageſimus octavus. Patrem habuit ſpectatæ prudentiæ Virum, DN. HELFRICUM BREIDENBACHIUM, Quæſtorem Guntersblumenſem; Matrem

AN-

ANNAM CATHARINAM VALENTINAM, nunc Viro Integerrimo, DN. CHRISTIANO DETHMANNIO, Prætori & Saltuario Primario Wirthemienſi, ſecundo voto junctam. Avus Paternus erat Vir *Conſultiſſimus, Ampliſſimus & Excellentiſſimus*, D. JOHANNES BREIDENBACH, Profeſſor Juris Ordin. primùm Giſſenſis, abhinc Anteceſſor Primarius Marburgenſis: Avia Materna verò, Matrona honeſtiſſima, *Domina* ANNA CATHARINA, nata *HEISTERMANNIA*. Avum Maternum venerabatur quondam Virum *Conſultiſſimum* DN. ADAMUM VALENTINUM, Conſiliarium primùm & Præfectum Leiningenſem, mox Prætorem Urbicum & Provincialem Wildungenſem, cum Aviâ Maternâ ANNA, nata *LONICERIA*. Non minori autem obſervantiâ & amore filiali proſecuta eſt ſacram ſuam Parentem, *Dominam* ANNAM MARIAM, JCti Celeberrimi Marburgenſis, B. D. KLEINII quondam Conjugem Lectisſimam, utpote quæ eandem non tantùm è ſacro Baptiſmatis fonte ſuſcipiendo nomine CATHARINÆ MARIÆ donavit, ſed & perquam ſolicite curando honeſtiſſimè educavit. Enimverò præmaturè nimis obitu Domini Parentis in deplorandam Orphanorum ſortem parvula adhuc conjiciebatur; hinc ſupra laudatus DN. KLEINIUS, cum Beatisſima conjuge, curam ejus ſuſcipiendo non tantùm Præceptorum lectiſſimorum opera à teneris ſtatim annis veri Chriſtianiſmi fundamenta ipſi inſtillari, ſed & aliis, ſexum hunc decentibus, elegantiis exornari curavit, imo quoad reliqua vitæ caducæ ſubſidia, ceu filiam ſibi natam, aluit. Motus his Mœſtisſimus nunc Viduus, DN. D. GROLMANNUS, prævio Dominorum Parentum & Agnatorum utriuſque partis conſenſu, eandem ſibi deſponſavit & interveniente copulâ Sacerdotali die 3 Junii 1690 junxit, quâ per 17 annos ſeptemque menſes durante X liberorum, quatuor ſcil. filiorum & ſex filiarum utrobique participes ſunt facti, è quibus bini adhuc filioli totidemque filiæ ſuperſunt, ac præmaturam

(Gg) bea-

beatisſimæ Dominæ Matris jacturam, ſuſpiriis è profundo ductis lachrymiſque calidiſſimis deplorare coguntur. Multa hîc de pietate, candore, liberalitate erga pauperes aliiſque virtutibus Beatiſſimæ Noſtræ in medium adferri poſſent & deberent: Verum cum generoſo prorſus animô, contra morem ſeculi, ultimâ voluntate caverit, ne ſimilis illi panegyris caneretur, ſicque veram cœlitus provenire laudem teſtata fuerit, hinc meritò ſubſiſto. Sufficiat eandem florem fuiſſe matronalis honeſtatis: Virorem caſtiſtatis: Lilium vernans uxoralis conſtantiæ: Modeſtiæ Chriſtianæ exemplum: Prudentiæ domeſticæ ſplendorem: Famæ opinioniſque odoramentum. Horum non tantùm in ipsâ vitâ, ſed & agone luculenta dedit teſtimonia, dum à primis ſtatim puerperii diebus febre puerperarum ſymptomaticâ, nullis, etiam pretioſisſimis Medicorum auxiliis, cedente correpta, die 27. Jan. nocte fere mediâ, ſumpto prius viatico cœleſti, animam efflavit, & in ſinum Salvatoris effudit, poſtquam in turbulenta hac miſeriarum valle paucos ultra 40 annos dies tranſegerat. Quandoquidem vero corporis reliquiæ in ſpem reſurrectionis ſolenni ritu terræ, unde ortum traxerunt, ſint mandandæ, adeoque juſtis his hora IX antemeridiana deſtinata ſit, hinc Cives Academicos, tum ortûs claritudine, tum eruditionis præſtantia conſpicuos, rogamus invitamuſque, ut, cùm ſignum campanæ Academicæ dabitur, ad ædes Conſultisſimi & nunc Mœſtisſimi Domini Vidui deſideratâ frequentiâ conveniant funeriſque pompam præſentia ſua colluſtrent. Valete in Domino! PP. *Giſſæ ſub Majori Academiæ Sigillo, die* 31 *Januarii*, (qui ſt. v. Fabiani & Sebaſtiani eſt) toti Beatisſimæ Familiæ à multis retro annis fatali: *Anno MDCCVIII.*

(o)

III. IN-

III. INVITATIO AD FUNUS ADVOCATI.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,

MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,

Archiat. & PP. Ordinar.

GENEROSIS ET NOBILISSIMIS DNN. STUDIOSIS

Ἐυθανασίαν!

P.

QUamvis Sanitas corporis humani auro pretioſior æſtimanda ſit, Horatioque teſte:

Si ventri bene ſit, lateri pedibusque Tuis, nil
Divitiæ poſſint regales addere majus:

attamen Sanitatem animi illi præferendam eſſe, nemo non ambabus mihi manibus concedet. Quemadmodum enim mente nihil homini dedit ipſe DEUS divinius, ut Cicero alicubi affirmat, ita mente quacunque de cauſâ debilitatâ nihil ferè miſerabilius; ut vera dixerit, quicunque dixit: Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Videmus hoc in ſimplicitate Decrepitorum, qui corporis ſtructura æquè ac proportione optimè conſtituta utrobique tamen puerorum ſunt ludibrium, indeque Senes non ſine ratione bis pueri dicuntur. Quod vero corpus & anima ſimul ſuos patiantur manes, non poteſt non aut præ-

ſentaneum vitæ periculum, aut viva mortis imago oboriri, quorum prius in deliriis febrium acutarum, phrenitide & ſimilibus: poſterius autem in Apoplexia & Epilepſiâ vehementiori, in ſimplicitatem omnimodam tandem, judicii aut memoriæ debilitatem deſinente, licet obſervari, quâ prudentiſſimi olim & in rebus agendis dexterrimi ad actiones civiles ſic inexpediti redduntur, ut neque ſuarum rerum ſatagere valeant. Triſtiſſimum ejuſmodi & infauſtum omnino fatum ab aliquot jam annis expertus eſt Vir Conſultiſſimus & Ampliſſimus, DN. JOHANNES HENRICUS FEUERBACH, J. U. D. Advocatus Fiſci Haſſo-Darmſtatinus & Conſiliarius Saxonicus, qui ob iteratos, quibus hactenus correptus fuit, paroxyſmos Apoplecticos ad ardua, quibus antea fungebatur, negotia ita inhabilis fuit redditus, ut ad primum eius adſpectum meritò quis ſive exclamare ſive ejulare potuerit:

- - - - *quantum mutatus ab illo!*

Quàm ſollicita enim dexteritate & prudentia non tantùm ſtudia ſua, ſed & cauſas, quarum Patronus erat, curaverit, è ſequenti vitæ curſu videre licebit. Primam is in lucem editus eſt heîc Giſſæ, anno 1648. die 17. Julii, à Parentibus quidem honeſtis & Chriſtianis. Pater erat Vir integræ vitæ ſceleriſque purus, DN. PHILIPPUS CONRADUS FEUERBACH, Scabinus, Senator & Senior Eccleſiæ Giſſenæ quondam ſpectabilis. Avus DN. NICOLAUS FEUERBACHIUS, itidem è Senatorio & Scabinorum Ordine. Abavus Vir Per-Reverendus & Doctiſſimus DN. M. JUSTUS FEUERBACH, verbi divini Miniſter Dudenhofienſium quondam & Allendorfenſium Meritiſſimus. Matrem vero agnoſcebat ANNAM DOROTHEAM, KROECKERIAM. Hi filioli, natu quidem maximi, curam, quà corpus, quà animam, habentes non ſaltem Eundem ad ſacrum baptiſmatis fontem tempeſtivè detulerunt, alboque Chriſtianorum inſeri curârunt (Sponſorum tunc officio fungentibus, *DN. Henrico Stumpfio* Locum-

tenen-

tenente & Hoſpite Giſſeno, *Dn. Johann Melchiore Mohrio*, Senatore, & Domini *Fiſcheri conjuge*) ſed annis jam maturis Scholis publicis & ob ingenium capax & agile ſtudiis manciparunt, in quibus tantos etiam profectus fecit, ut anno 1666. è Pædagogio Giſſeno exemtus, & non ſine laude, ad Lectiones Publicas admiſſus fuerit. Ne autem ſtudium, quod elegerat, Juris, illotis, quod ajunt, manibus aggrederetur, annos Vitæ Academicæ priores rebus dedit Philoſophicis, præeuntes habens Philoſophos tunc temporis Celeberrimos, in Humanioribus & Hiſtoricis *B. Dieterichium*, in Logicis *Rudrauffium*, in Ethicis & Politicis *Weiſſium*, in Mathematicis *Müllerum*. Ab his ad altiora præparatus vaſtiſſimo Juris Oceano ſe eò tutius committere poterat, Naucleros ibi nactus Verſatiſſimos & toto Orbe Celeberrimos, *Eybenios* puto, *Lynckeros*, *Strauchios*, noſtrum tum Lycéum illuſtrantes: quorum ſub manuductione tantum profecit, ut non tantùm privatim ſæpius, ſed & publicè, tam opponendo, quàm reſpondendo, manus cum aliis feliciter & ſtrenuè conſerere, ſed & anno ſuperioris ſeculi LXXVI. exantlatis prius Examinibus ſolennibus, tam publicis, quàm privatis, Diſputationem Inauguralem de Jure circa Sagas eruditè ſcriptam maſculè defendere valuerit, ſicque in Juris Utriuſque Licentiatum mox renunciatus fuerit. Obtento hoc Gradu Academico ad praxin animum intendebat, adeoque in Dicaſterio Principali, quod heîc locorum eſt, cauſarum Patronum agens paulò poſt in numerum Advocatorum Ordinariorum receptus fuit. Firmiorem igitur pedem domi fixurus Anno 1678. ſacro conjugii vinculo ſibi junxit Nobiliſſimam & Virtuoſiſſimam Matronam, ANNAM CATHARINAM, B. DN. WISCHII, J. U. Lic. & Advoc. Wezflarienſis Viduam, quacum per XXVIII. annos vitam omnino pacificam, utut ἄτεκνος duxit, donec binis abhinc annis ejus conſortio privatus & in triſtem Viduitatis ſtatum, ægrô quidem corpore & animô, præcipitatus fuerit, eò quidem infelicior, quod

infortunium ſuum & dolorem neque ſentire neque deplorare potuerit. Ut vero ad Noſtrum redeamus, Anno 1690 in Doctorem Juris ſolenniter & More Majorum proclamatus fuit, paulò antè jam Conſiliarii Saxonici titulo inſignitus. Hoc aliiſque publicis, quibus abhinc admotus fuit, officiis nunquam non ſedulò & indefeſsô ſtudiô fungebatur, lites componens magis, quàm exacerbans, cùm iniquiſſimas Rabularum fallacias & vociferationes cane pejus & angue fugerit, eaque de cauſa circa ultimos vitæ annos nonniſi per ſcripta & libellos egerit & peculiarem ſibi Procuratorem (præſagâ ferè mente) ſubſtituerit, cùm ultimis vitæ annis neceſſariô linguæ & loquelæ uſu deſtitutus fuerit. Accidit enim, ut ante Sexennium gravi Apoplexiæ inſultu correptus per 4. ſeptimanarum ſpatium ἄφωνος decumberet; & licet adhibita Medicorum ope ad ſe quodammodò redierit, ut & domô exire valuerit, ob iteratas tamen recidivas ita debilitatus fuit, ut nullis amplius negotiis & actionibus vacare potuerit, donec lecto prorſus affixus hæſerit, tandemque die Mercurii prælapſô intra 6 & 7 veſpertinam, inter Adſtantium preces diem ſuum obierit, annos emenſus LX. 3 ſaltem demptis ſeptimanis. Hujus autem funus dum hodie ſolennibus exequiis deducendum eſt, Vos CIVES ACADEMICI GENEROSI & PRÆNOBILES, præſenti noſtræ admonitioni atque invitationi locum quæſo indulgete, & dato horâ XII. Signo ad ædes Feuerbachianas frequentes confluendo Supremum Viro Nobiliſſimo Officium perſolvite. *PP. die XXII. April. A. MDCCVIII.*

Sub Sigillo Academiæ Majori.

IV. IN-

IV.

INHIBITIO TUMULTUUM ACADEMICORUM.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,

MICH. BERNH. VALENTINI,

TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS,

NOBILISSIMIS DN. STUDIOSIS

Salutem & Tranquillitatem

P.

UT morbida facta pecus totum ſæpe ovile inficit: ſic unius aut alterius inquieti aut incompoſiti hominis culpam integra ſubinde corpora & Univerſitates luere coguntur. Ingratiis hæcce ſuis experitur Athenæum noſtrum, dum verſâ in licentiam libertate, Superiorum bonitate abutentes novum animorum diſſidium indeque propullulans incommodum peperêrunt. Vix enim ſopitæ erant ſimultates illæ, quæ paucis retro annis Civibus Academicis cum militibus præſidiariis hujus loci intercedebant,& ecce! novi pacis utrobique ſancitæ turbatores ſe truſerunt, qui tumultibus ſuis omnem, qua toga ſagaque nectebatur, amicitiæ vinculum ruperunt, ut parum abſit, quin priſtina animorum exacerbatio recrudeſcat. Fuerunt enim ſub initio hujus anni, qui mutatis (proh ſcelus!) nominibus Vigiles nocturnos, abſque ulla cauſa, omnibus modis exagitarunt, pedis

dis & ſudibus ſuis orbarunt, miſſis prius exploratoribus circumvenêrunt & Sicariorum inſtar fiſtula complices advocando crudeliſſimè vulnerarunt, mutilarunt, ad munia obeunda prorſus inhabiles reddidêrunt, & tantùm non prorſus jugularunt. Vah cruentum & barbarum hominum genus! adeo verum eſt, quod dicitur: ſurgunt de nocte Latrones. Non exiſtimo ullum eſſe è Generoſis & honeſtis Civibus Academicis, qui turpiſſimum hoc & deteſtandum facinus approbaverit, cui in acceptis eſt ferendum, quod novo nunc rigore illi, qui Vigilibus nocturnis ſe oppoſituri ſunt, poſthac ſint tractandi. Delatæ enim ad Aulam Principalem Præſidiariorum querelæ id tandem effecêrunt, ut Sereniſſimus Princeps ac Dominus, DN. ERNESTUS LUDOVICUS, *Haſſiæ Landgravius, Princeps Hersfeldiæ, Comes in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo, & Budinga, &c.* Nutritius Academiæ hujus Clementiſſimus, per Reſcriptum ſpeciale, die 6 Maji ad Nos dato, ſanciverit, ut poſthâc Graſſatores ejusmodi nocturni in perpetuum relegandi, imò graviori adhuc pœna afficiendi ſint. Verba Reſcripti Principalis ita ſonant: *Würdige, Veſt-und Hochgelahrte Liebe Getreue: Nachdem verſchiedene Klagten eingekommen, daſs die* Studioſi *des Nachts ſo auf der Gaſſen herum ſchvvärmten, allerhand Unfug anſtelleten, auch die* Patrouille, *vvenn ſie von derſelben ſtill zu ſeyn vervvarnet vvürden, denſelben ſchimpfflich zu begegnen, oder dieſelbe vvohl gar zu* attaqui*ren ſich unterſtünden: Wir aber dergleichen Unvveſen in keine vvege ferner dulten oder nachſehen vvollen; Als befehlen Wir Euch hiermit gnädigſt, daſs Ihr* per publicum programma *dergleichen Schvvermern und* Tumultui*rern des Nachts mit aller Schärffe und bey unausbleiblicher ernſter Beſtraffung, mit der evvigen* Relegation, *oder nach Befindung, ſchärfferen Einſehens, unterſaget, darbey mit anzeiget, vvas geſtalt Wir die gemeſſene* Ordre *an Unſere* Gar-

niſon

niſon *ergeben laſſen, daſs alle diejenige, ſo ſich an der* Patrouille, *auf einigerley Weiſs und Wege, mit Worten oder Wercken, ferneres vergreiffen vverden, von derſelben alſofort handveſt gemacht, und auf die Hauptvvacht geführet, auch, da ſich ihnen mit Gevvalt vviederſetzet vverden vvolte, ſie dergleichen unrechte Gevvalt mit Gegengevvalt, auf alle zulängliche Art und Weiſs, abhalten, und ſich in keinerley vvege beſchimpffen, vveniger eindrängen laſſen ſollen; Solte nun gleich ein- oder der ander dadurch beſchädiget vverden, ſo ſoll Er ſich ſolches ſelbſt zu* imputiren *haben, und nicht die geringſte* Satisfaction *desvvegen erfolgen: Dahero ſich ein jedvveder vvarnen laſſen, und für Schaden hüten vvird &c. &c.* De veſtrô jam coriô luditur, CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI, cui ſi parcere velitis, etiam atque etiam conſulerem, ut noctem noctuis, tenebraſque tenebrionibus relinquendo domi maneatis, artuſque veſtros aut lecto, aut lectioni mancipetis, ſicque non cuticulam modò, ſed & conſcientiam integram & ſine ſtigmate inuſto conſervetis. Sapienti ſatis! PP. *die* 19 *Aug. Anno MDCCVIII ſub Sigillô Academiæ Majori.*

V. INVITATIO ALIA
AD
DEDUCTIONEM FUNERIS.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,
MICHAEL BERNH. VALENTINI,
GENEROSIS ET LECTISSIMIS DNN. STUDIOSIS
S. D. P.

QUemadmodum ſua cuivis officia in ſacris ſunt præſcripta, ita & Viduæ, quæ agant, illic inveniunt. Verè autem Vidua & deſolata in Deum ſperare, noctes atque dies obſecrationibus & orationibus inſtare, & irreprehenſibilis eſſe jubetur ab Apoſtolo 1 Tim. 5. Quæ enim in delitiis eſt, vivens, h. e. civiliter mortua, dicitur ibidem. Unde quoque eſt, quod Viduæ ſuſpectam & conditioni ſuæ minus convenientem vitam agentes de jure Civili, imo & Statutario Academiæ noſtræ, omnium privilegiorum & beneficiorum, iis alioquin competentium, jacturam ferant: cùm piæ è contra & honeſtæ DEI non minus, quàm hominum auxilium & patrocinium ſibi promittere valeant. Experta hoc eſt, dum viveret, Matrona Honeſtiſſima atque Nobiliſſima, Viduarum pientiſſimarum exemplum, *Domina* MARGARETHA LUDOVICA THILENIA, pietate & obſequentia Saram: caſtitate Rebeccam: tolerantia Rachelem & prudentia Abigaelem per totum vitæ decurſum verè referens. Nata illa fuit Annó 1651. circa feſtum S. Galli in XVI. Septembris incidens, Patre quidem Viro *Illuſtri & Spectabili* DN. JOHANNE de BIRGHDEN, Civitatis Imperialis Francofurtenſis

Sca-

Scabino & Senatore quondam Meritiſſimo: Matre vero MARGARETHA JACOBINA, è nobili Rückeriorum familiâ oriunda, qua anno ætatis XI amiſſa, pro Noverca habuit *Dominam* MARIAM CATHARINAM LERSNERIAM, poſt obitum DN. Parentis, Famigeratiſſimo Polyglotto DN. JOBO LUDOLPHO matrimonio junctam. Avus Paternus erat Vir *Generoſus & Ampliſſimus* DN. JOHANNES de BIRGHDEN, Sac. Cæſ. Maj. Miniſter Aulicus Hæreditarius, Curſorum Publicorum Magiſter Francofurtenſis & Conſiliarius Ducalis Würtenbergicus: Avia paterna, *Domina* KUNIGUNDA, nata *HOFMANNIA.* Avum Maternum venerabatur Virum Nobiliſſimum, DN. CHRISTOPHORUM RüCKERUM, Patritium Wormatienſem, Aviæ Maternæ nomine uſquedum incognitô. Quemadmodùm autem Parentes nobiliſſimi filiolæ recens natæ curam, quà corpus, quà animam, adhibuere maximam, ita ut non tantùm per lavacrum regenerationis eandem vitæ libro inſcribi, ſed & variis ſexum hunc decentibus virtutibus & elegantiis inſtrui curarint, ita non potuit non fieri, ut & Parentibus Dilectiſſimis præmatura ſibi morte ereptis, eundem, quo ſemel imbuta erat, virtutum odorem nunquam non retinuerit & de ſe ſpiraverit. Motus his Vir quondam *Conſultiſſimus, Ampliſſimus atque Excellentiſſimus* DN. NICOLAUS THILEN, Anteceſſor Juris Ord. Acad. hujus, & Conſiliarius Saxonicus, νῦν ἐν ἁγίοις, eandem Anno 1678 ſacro Conjugii vinculo ſibi junxit, quo nonniſi per XII. annos durante VI. liberorum Mater reddita fuit, trium ſcilicet filiorum & totidem filiarum, præter duos omnium adhuc in vivis exiſtentium & in triſti licet viduitatis ſtatu laudabiliter educatorum, poſtquam beatiſſimi Domini Mariti, circa finem Anni 1689. Auguſtam Vindelicorum ad coronationem Sacratiſſimi Imperatoris *JOSEPHI* in Regem Romanorum profecti ibidemque beatè mortui jacturam tulerat. Ab eo jam tempore variis quidem morbis obnoxia fuit Beata no-

 ſtra,

ſtra, Calculo cumprimis huicque junctis ſymptomatibus, è quibus tamen ſæpius incolumis evaſit; donec diebus hiſce hora apud Deum determinata acceſſerit, quæ 1. pomeridiana diei 21 Maji fuit, qua inter Adſtantium ſuſpiria animam Servatori ſuo placida beataque morte reddidit. Ne autem eo, qui viduis honeſtis debetur, honore careat, Veſtrum erit, CIVES ACADEMIÆ, funus ejus frequenti comitatu proſequi, quo ipſo mœrentes relictorum animos non parum recreabitis. Valete. PP. *Die XXV Maji. A. MDCCVIII. ſub Sigillo Academiæ Majori.*

VI. INVITATIO
AD
DEDUCTIONEM FUNERIS.

RECTOR ACADEMIÆ &c. &c.

ILlachrymatione magis, quàm cachinnô dignum eſt illud *Democriti*, vanitatem hominis, apud Hippocratem in Epiſtolis, ridentis: Ὅλον τὸν ἄνθρωπον ἐκ γενετῆς νοῦσον εἶναι: Totum hominem à Naturâ morbum eſſe. Vix enim naſcimur, & furiis Morbonæ agitamur, nec malè Sapiens Græcorum Solon dixit: Homo putredo eſt in exortu, bulla in omni vita, eſca vermium in morte. Tantis enim machina hæc, quâ circundati ſumus, corporea ærumnis eſt expoſita, ut quamprimùm aurâ fruimur æthereâ, etiam in tenerrima adhuc ætate, tot imò pluribus afficiamur morbis, quàm in conſiſtente ſeneſcenteque (quæ ipſa morbus eſt) ætate. Scilicet automatorum inſtar ſe habet corporis textura, quæ eò fragiliora ſunt, quò teneriora, & quò ſæpius Automa-

tomatarii repetunt ſubſidium, eò propiora ſunt exitio. Experiuntur hoc ſummô ſuô damnô & dolore Parentes Chriſtiani in chariſſimis conjugii pignoribus, quæ ut ob tenellam & ſubtiliſſimam fibrarum texturam infinitis dolorum cruciatibus obnoxia ſunt, ita longè maximus eſſe ſolet Genitorum dolor, ſi dolorem ſuum nondum exprimere valeant liberi, omniaque conjecturis cedant Medicorum. Videas heîc Tragœdiam non in ſpeciem effictam, ſed è cordis meditulliô ſcaturientem & ipſum animum tantùm non depaſcentem. Jacent filioli lecto affixi oculiſque in Parentes defixis opem tacitè efflagitant! Parentes è contra triſtibus & præ dolore lachrymas captivantibus luminibus liberos intuentes, auxiliumque, quòd anhelant, præſtare neſcientes, in fruſta diſſilire mallent, quàm miſeriam hanc diutius conſpicere. Vocantur Medici. Urgentur Pharmacopœi, qui omnia, etiam ſummô ſtudiô excogitata remedia conferendo & ne hilum tamen proficiendo tandem in commune & Parentum & Artificum ſolatium deſinunt:

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Adeò verum eſt illud Ethici Chriſtiani effatum: miſerrimam eſſe mortalium conditionem, & quamvis Medicus quamplurimum laboris in reparando morbidô ejus corpore conſumat, tandem tamen eò omnia recidere: Hodie Rex, craſtinô fæx! cumque moritur homo, devoratur â vermibus, ſerpentibus & bufonibus. *Syr.* 10. § 13. Probata heîc & ſecundum imperſcrutabile Patris Cœleſtis beneplacitum omnino exercita eſt Viri Summè-Reverendi, DN. JOHANNIS CHRISTOPHORI BILEFELDII, Theologi de Eccleſiâ Chriſti Patriaque noſtra meritiſſimi, patientia, quæ ut nondum bienniô abhinc elapsô Filiola formoſiſſima, in tenerrimâ adhuc ætatulâ vix exprimenda pietatis & virtutum omina de ſe ſpargente, præmaturâ, ſed beatâ morte

privabatur: Ita diebus hiſce in Totius Nobiliſſimæ Familiæ gaudium prognati Filioli,

HENRICI CHRISTOPHORI BILEFELDII,

jacturam tulit proh dolor! acerbiſſimam, quâ ex priori obortum & vix cicatricem agens doloris vulnus eò magis recruduit, quòd eodem ferè in ætatis flore, iiſdemque cum ſororculâ doloribus correpta eodem ſimul (quem RHACHITIDEM vocamus) morbô ſuccubuerit. Lugete mecum, CIVES NOBILISSIMI, Parentum pientiſſimorum ſortem! Lugete pueruli mortem præmaturam, & ſympathiâ Chriſtianâ ſolatio eſtote Viro, qui Suadâ ſuâ, ferè divinâ, conſcientiam veſtram nunquam non devotè conſolari amat. Reapſe autem illud præſtabitis, ſi diei hodierni, funeri juſtiſque extremis pueruli dicati, hora I. pomeridianâ, dato campanæ Academicæ ſignô, ad ædes Parentum mœſtiſſimorum deſideratâ frequentiâ convoletis, funeriſque hujus pompam præſentiâ veſtrâ condecoretis. Valete in Domino. *PP. Giſſæ d. 2 Febr. Anno 1697. ſub Sigillô Academiæ Majori.*

L.S.

VII. IN-

VII. INVITATIO AD EXEQUIAS PERSOLVENDAS.

RECTOR ACADEMIÆ &c. &c.

GENEROSIS atque NOBILISSIMIS DNN. STUDIOSIS

εὐθανασίαν.

MIrabimini, CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI, quòd vix decendio abhinc elapſô, iteratò Vobis εὐθανασίαν comprecer, quum filii hujus ſeculi nil æquè magis quàm votum hoc devoveant. Aſt verum enim verò ſi conſideraveritis ſummum, quod in hâc miſeriarum valle mortalibus contingit, bonum in beatâ placidaque morte conſiſtere, beatos utique & felices prædicaturi eritis omnes, qui voti hujus tandem aliquandò participes ſunt futuri. Placeat glorioſum VIVAT Regibus & Principibus: Arrideat Amicorum VALEAT! nequicquam homini regenito & ad primam ſui ſcaturiginem, quam οὐρανόθεν veneratur, aſpiranti hoc εὐθανασίας votô exoptatius, cui reliqua, quæ Mundus alit, omnia præ morte piâ beataque ſordent. Quid quod & Ethnici Sapientiores neminem ante obitum beatum dixerint, quibus ne verba quidem ſufficientia ſuppetunt, queis vitæ noſtræ hominiſque fragilitatem ſatis exprimat. Fac enim perconteris, quid ſit mortalis homuncio? ſomnium umbræ, reſpondebit *Pindarus*, ſimulacrum quoddam *Sophocles*: ipſa calamitas *Herodotus*: occaſio miſeriarum Philemon: folium caducum *Homerus*: ψυχάριον βαστάζον νεκρὸν *Marcus Antoninus*: imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, luſus fortunæ, mutationis

ima-

imago, invidiæ & calamitatis trutina, *Magnus Stagirita.* Hinc meritiſſimè *Petronianus Trimalchio:*

> *Heu! heu! nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt!*
> *Naſcimur & morimur!*

Quin imò naſcentes morimur & ſi Euripidi credimus: ὁ βίος ἄλητος ὁ βίος, ἀλλὰ ξυμφορά. Quibus omnibus ſi ea, quæ in ſacro codice de calamitoſa vitæ humanæ conditione habentur, combinare vellem, dies & charta me deſererent. Sufficiat igitur hoc ſaltem addidiſſe, quod eorum intuitu non inconſultò Princeps Oratorum neminem, qui ſpiritum ducit, non miſerum, neminem verè felicem eſſe dixerit, parumque ſapere eos, qui hominem luendorum ſcelerum causâ natum, felicem aut beatum audent dicere. Noſtra enim quæ dicitur vita, mors eſt: nec unquam vivit animus, niſi compage ſolutus corporis liber æternitate fruatur. Felices ergò, imò terque beati ſunt illi, qui pœnitentiâ quotidianâ veraque ſui abnegatione ſibi peccatiſque moriuntur, & in tantâ corpuſculi fragilitate feliciſſimæ indies ἀθανασίæ ſtudent. Et quidni ſtuderent, cùm ſub tantâ vitæ incertitudine nil omnino morte nobis certius exiſtat. Ferri enim ad inſtar ſe habet vita hominum, quod ſi exerceas, atteritur: ſin non exerceas, rubigine conſumitur. Utrumque exemplô ſuô proh dolor! confirmat Vir quondam Maximè Reverendus, Ampliſſimus & Excellentiſſimus,

DN. HEINRICUS PHASIANUS,

D. Theologus, Orator & Philoſophus longè Celeberrimus, diebus hiſce beatiſſimè denatus, qui variis antehàc laboribus Academicis æquè ac Eccleſiaſticis exercitus, &

> *Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum*

tandem quieti redditus vitæ huic caducæ placidè valedixit, nec quicquam, licet alternâ gaudens requie, durabile heîc eſſe, obitu

quàm

quàm beatiſſimô comprobavit. Intereà durant & æternùm durabunt Ejus in Patriam merita. Durabunt in animis Diſcipulorum, Darmſtadii quondam ab ore ejus pendentium. Durabunt in animis Anteceſſorum Academicorum, Collegam quondam conjunctiſſimum lugentium. Durabunt denique in pectore Auditorum, ad Cathedram Ejus & Suggeſtum olim confluentium, qui fuſis præ dolore lachrymis memoriam Profeſſoris Sui, Confeſſionarii & in Chriſto Parentis, cordibus quam firmiſſimè inſculpent. Horum è numerô ſi fueritis, CIVES ACADEMIÆ POLITISSIMI, agedùm, juſta perſolvite Manibus tanti Viri, & in ſolatium æquè Viduæ Mœſtiſſimæ Familiæque Nobiliſſimæ, ac honorem piè Defuncti jungite Vos Comitatui funus hodiè XII. pomeridianâ efferenti; quô ut utramque partem Vobis quam obſtrictam habebitis, ita dolorem utrobique conceptum præſentiâ veſtrâ ſummoperè demulcebitis! Valete. *PP. Giſſæ d. 12 Febr. Anno* 1697 *ſub Sigillo Academiæ Majore.*

L.S.

VIII. INVITATIO AD PRÆLECTIONEM LEGUM.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,
MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,
CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO,
NOBILISSIMIS ACAD. CIVIBUS
S. D. P.

GRaviſſimè Divus AUGUSTINUS *lib. de Civ. Dei* nullam immaniorem feram eſſe dicit homine ſibi relicto. Enimverò cætera (ut PLINIUS obſervat) animalia in ſuo genere propriè degunt, congregari videmus & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non ferit ſerpentes, nec maris quidem beluæ ac piſces niſi in adverſa genera ſæviunt. At homini plurima ex homine ſunt mala, quum proh dolor! homo homini lupus ſit, imò diabolus. Teſtatur hoc beluinum illud & pluſquam Satanicum duellandi cacoëthes, quô fruſtra ſuſpirantibus ACADEMIÆ PROCERIBUS infra dignitatem Civium putatur coram Magiſtratu ordinariô lites componere, niſi in duella ſimul & digladiationes ruat belluinum hominum genus, & qui morem illum averſatur citra omnem rationem irrationalis habetur ab iis, qui omnem rationem & pietatem exuerunt. Triſti & horrendo negotium hoc emblemate depingit DN. MOSCHEROSCH (vulgò PHILANDER *von Sittenvvald*) dum binis ſtrictô enſe concurrentibus Duellantibus totidem à latere diabolos collocat, Secundantium (quod ajunt) munere fungentes, ſed proh! ita ſecundantium, ut pleno gurgite ſecundoque (ſcilicet!) vento demum ambo

ambo concidentes Orci faucibus illabantur. Gratiæ verò DEO ſint, quod non palàm, ſed angulos & antra quærendo, talia à tenebrarum filiis perpetrentur, ne Magiſtratûs ſimul conſcientia vulneretur. Et hæc ferè cauſa eſt, cur ſingulari DEI T. O. M. cura LEGES ſint ſancitæ, ut earum metu (verba ſunt ISIDORI in Etymol.) humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur nocendi facultas. Neque enim ſufficere videbatur, ut divinâ quaſi traditione Leges Paradiſiacæ Protoplaſtæ fuerint præſcriptæ, ipſaque Juris Naturalis principia cordibus quaſi hominum ſint inſculpta, ſed & inter homines varii acceſſerunt Legislatores, qui Gentibus ſancita varia, juri tamen communi ſuperſtructa, præſcripſerunt. Ita MOYSES Hebræis: PHORONÆUS Rex Græcis: MERCURIUS TRISMEGISTUS Ægyptiis: SOLON Athenienſibus: LYCURGUS Lacedæmoniis: NUMA Pompilius, DECEMVIRI, CÆSAR Romanis Leges primùm & judicia conſtituerunt. Acceſſerunt deinde varia Statuta, Plebiſcita, Senatusconſulta &c. cum nulla ſit Reſpublica, nulla Tribus & Societas, quæ non propriis ſibi legibus gaudeat. Hinc & Academiæ tanquam vera Rerumpublicarum, imò Regnorum, Seminaria certis ſemper Legibus innituntur, quibus & Docentes & Diſcentes obligati ſunt. Ne verò inſcitiæ involucro crimina ſua pallient legum tranſgreſſores, hinc ut alibi, ita & in noſtro Lyceo à Sereniſſimo Legislatore cautum eſt, ut de normâ vitæ Studioſi ſingulis annis publicè admoneantur & in conſeſſu Profeſſ. ſolenni CALENDIS Julii Academiæ Statuta per Notarium publicè repetantur. Inſtat autem terminus hic futurô Jovis die, quo ut omnes & ſinguli CIVES ACADEMIÆ concurrant, & quid Leges Principales ipſis injungant, attentè percipiant, illud eſt, quod præſentibus publicè jubemus & præcipimus. Valete. PP. *Dominica IV. poſt Trinit. Anno* 1697. *ſub Sigillo Acad. Major.*

IX.

PROGRAMMA
DE
FUGIENDIS DUELLIS.

RECTOR ALMÆ LUDOVICIANÆ,
MICH. BERNH. VALENTINI,
CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO
LECTURIS ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ!

REgum Ducumque (adde & Principum) Clementiam non in ipſorum modò, ſed etiam in illorum, qui parent, ingeniô ſitam eſſe, magnanimo ferè ore Magnus Alexander rebelli quondam Hermolao reſpondebat. Scilicet obſequio mitigantur imperia. Ubi vero reverentia exceſſit animis, & ſumma imis confundimus, vi opus eſt, ut vim repellamus. Sibi ergò imputent degeneres & protervi Subditi, ſi creſcentibus delictis creſcant & exaſperentur pœnæ: Sibi, inquam, tribuant CIVES Academiæ, ſi meliora licet moniti in vetita tamen non nitentes, ſed ruentes, ſeveriorem indies Legum Statutorumque rigorem extorqueant, quum duro nodo durus etiam ſit cuneus quærendus. Enimverò nullus ab integro ferè luſtro annus eſt elapſus, quo non Monitis & Mandatis pluſquàm Paternis Auguſtiſſimus Legislator auream Academiæ tranquillitatem priſtinumque Legibus vigorem reſtituere ſategit, quæ licet annuæ ſemper relectioni juncta omnibuſque de novo promulgata fuerint, adeo tamen à mo-

à moroſis quibuſdam & inſulſis hominibus obſervata non fuerunt, ut datâ potius operâ tenori illorum obſtrepere maluerint. Nil movit hos Sacratiſſima Principis præſentia: Nil tot illuſtrium Magnatum ſumma Principique ſecunda poteſtas: Nil horum ora vultuſque veneranda: Nil Magiſtratus Academici reverentia: Nil conſenſus bonorum omnium, quò minus leviſſima de causâ aut palam hircorum taurorumque petulcorum inſtar commiſſi ſpectaculum ferociæ exhibuerint, aut duellis clanculariis vitam animamque periclitari, & utinam non Diabolo conſecrare voluerint! Ecquis ergò mirabitur aut ægrè quoque feret, ſi diphthera hâc à Superis (quod dicitur) inſpecta novo tangatur fulmine nequitia, ad ſummum proh dolor! evecta. Quis non in meliorem, imò optimam interpretetur partem, quòd ex ſpeciali Mandato Nutritoris Academiæ hujus Sereniſſimi Principiſque Celſiſſimi, DN. ERNESTI LUDOVICI, HASSIÆ LANDGRAVII &c. &c. Principis & Domini noſtri Clementiſſimi, majori Legum rigore incorrigibilem ferè nonnullorum petulantiam coercere ſuſtineamus, quò ſi non virtutis amore, certæ tamen & quidem graviſſimæ pœnæ formidine tandem peccare dediſcant. Tenorem earum ex ipſiſſimis, quæ ſequuntur, verbis Principalibus percipere licebit:

Von GOttes Gnaden, ERNST LUDWIG, Landgraf zu Heſſen, Fürſt zu Hersfeld, Graf zu Catzenelnbogen, Diez, Ziegenhain, Nidda, Schaumburg, Yſenburg und Büdingen &c.

Würdige und Hochgelährte, liebe Getreue. Ob Wir zvvar Uns gnädigſt verſehen gehabt, es vvürden die geſambte Studioſi *bey Unſerer* Univerſitæt *allhier, ſo vvohl Frembde, als Einheimiſche, Unſern biſher* publicirten *ernſtlichen, und zu ihrem eigenen Beſten angeſehenen Verord-*

nungen ſich durchaus gemäſs bezeiget, und von dem gottloſen Rauffen, Balgen und Schlagen, auch allen andern Ihnen übel anſtändigen Weſen abgelaſſen haben; So müſſen Wir dennoch mit Unſerm gröſten Miſsfallen vernehmen, daſs nicht allein ſolches nicht geſchehen, ſondern, daſs vielmehr, mit Hindanſetzung alles ſchuldigen Gehorſams *und* Reſpects *gegen Unſere* Edicta, *ihrer viel, und vornehmlich einige aus hieſiger Stadt Bürtige, noch immerfort ein liederliches Leben,* Duelliren, *Schlagen und Balgen, mit Freſſen und Sauffen, nächtlichem Schwärmen und viehiſchem Schreyen und* Tumultuiren, *führen, und ſich dardurch gleichſam vor andern zu* ſignaliſiren *vermeynen. Wann Wir aber allbereits in dem Werck begriffen ſind, nach geſchehener* Communication *mit andern Chur- und Fürſten des Römiſchen Reichs wider dergleichen greuliche Sünden, und* in ſpecie *wider die faſt gemein werdende* Duellen *und* Rencontres *eine ſolche geſchärffte Verordnung zu* concertiren, *und mit* Statuirung *öffentlicher Exempel hiernechſt zu* publiciren, *auch darüber ohne einige* Diſpenſation *halten zu laſſen, daſs jederman vor dergleichen ein Abſcheu zu tragen gnugſame Urſach bekommen ſoll, inzwiſchen aber Wir in dieſen und andern Stücken über obbemeldte Unſere Verordnung* ſtrictè *und ohne einiges Neben-Abſehen gehalten haben wollen; Als befehlen Wir Euch gnädigſt, daſs Ihr durch ein* Programma, *mit Wiederholung Unſer vorigen* ſub Lit. A. & B. *hierbey liegenden Verordnungen, denen geſambten* Studioſis *andeutet, daſs Wir von nun an mit allem* Rigor *über die* Statuta Academica *und Unſere Verordnungen gehalten wiſſen, und gegen Niemanden einige Gnade mehr einwenden, ſondern alle diejenige, welche ſich anmaſſen werden zu begehren, daſs jemand, er ſeye Hoch oder Niedrig, vor Sie den Huht abziehen ſollen,* eô ipsô publicè, *dafern Sie aber mit Stock-Schlägen oder ſonſten ſolches erzwingen, oder* duelliren, baſtioniren, *in* Rencontren attaquiren, *oder ſonſt andere Leut mit* brutalen *Bezeigungen angehen werden,* in perpetuum cum infamia, *nicht nur von Unſerer*

Uni-

Univerſitæt, *ſondern auch aus Unſerm Fürſtenthum und Landen* relegir*et: Hingegen aber, vvann diejenige, vvelche von einem andern* Studioſo *mit Worten oder Wercken* offendir*et vverden möchten, klagen vvürden, die Thäter nicht nur mit der öffentlichen Abbitte vor geſeſſenem* Senatu Academico, *ſondern auch Beſchaffenheit der Umſtänden mit* Incarceration *(bey vvelcher nicht vvie bishero geſchehen, der Zulauff von andern Orten, und das Freſſen und Sauffen, Spielen und Raſſeln mehr zu geſtatten, ſondern ſolche zu einer rechten Art einer Straffe einzurichten) und* Relegatione vel publica, vel privata, *oder auch gar* cum infamiâ, *auch nachmahliger* Excluſion *aller Bedienſtungen und Ehren-Aembtern in Unſerm Land unnachläſſig geſtraffet, und vvann Ihr dem* Læſo *nicht gnugſame* Satisfaction *an ſeinen angegriffenen Ehren ſchaffen köntet, die Sach an Uns berichtet, und von Uns die gnugſam einſchærffende Verordnung ervvartet vverden ſolle; Wie Wir dann Euch hiermit nochmahln in gnædigſtem Ernſt anbefehlen, über der* Diſciplina Academica *ohne Anſehen der Perſonen, und* absque omni putativa æquitate *ſteiff und unnachlæſſig zu halten, damit keine Blut-Schulden mehr auf Unſer Land und einfolglich auch auf Euere Gevviſſen geladen vverden mögen: Verſehens Uns gænzlich alſo zu geſchehen, und ſeynd Euch mit Gnaden vvohl gevvogen. Gieſſen, den* 5 Octobr. Anno 1697.

Eccam Pientiſſimi de Noſtra Veſtraque ſalute quam maximè ſolliciti Legiſlatoris voluntatem, æquitati naturali æque ac omnibus, tam divinis, quàm humanis legibus omnino conformem, cui quoad omnia ſe morigerum præbebit, qui vel micam integræ ſanæque rationis adhuc poſſidet. Quodſi vero præter omnem expectationem fuerint, qui ne ſic quidem reſipiſcere & ad frugem ſe recipere, ſed datâ operâ adverſus ſtimulum recalcitrare voluerint, illi perditionem ſuam non aliis, quàm ſibi unicè adſcribent, & ſi intemperantia ægrorum Medicum crudelem effecerit, non tam Legum, quàm factorum iniquitatem poſthâc incuſabunt. *PP. die* 31. *Octobr. A. MDCXCVII. ſub Sig. Acad. Maj.*

X.

X.

PROGRAMMA
AD
DISPUTATIONES HIPPOCRATICO-HORSTIANAS
SINGULIS DIEBUS VENERIS
H. L. Q. C. habendas
invitans.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
D. & PP.
Lectori Candido & Amico
S. P. D.

QUantopere naturæ ſtudium Artis noſtræ Medicæ Cultoribus expediat, imò neceſſarium ſit, illud quam ſollicita parænesi Hippocrates inculcat, dum *lib. de priſcâ Medic.* § 51. *edit. Foës.* inquit: Quandoquidem naturæ cognitio mihi Medico perquam neceſſaria videtur, hinc omni ſtudiô contendere debet (ſi modò quid recti præſtare velit) ut intelligat, quomodò quis ad ea, quæ comeduntur & bibuntur, ſe habeat &c. Cum

Cum enim ipſe Medicus non circa lignum, corium aut lapides verſetur (verba ſunt Galeni *Comment. ad Aph.* 1. *Hipp.*) verùm nobiliſſimæ & ad Dei primitus imaginem productæ creaturæ vitam & ſalutem curet, eaque propter magna cum ſollicitudine Artem ſuam exercere debeat: hinc utique exactiſſimam & naturæ humanæ & remediorum illîc neceſſariorum cognitionem habere debet, quam utrobique absque Philoſophiæ Naturalis adminiculo vix ac ne vix quidem obtinere valet. Nec obſtat infimæ ſortis homines absque ulla naturæ ſcientia ſæpe manibus illotis in Artem Medicam involare, dum

Quilibet eſſe cupit Medicus: Judæus Apella,
Carnificum Soboles, Hiſtrio, Stentor, Anus.

Illos enim recti quid efficere tantum abeſt, ut æternam potius & famæ & ſalutis turpitudinem ſibi adferant. Turpe enim eſt, cum in omni arte, tum vel maximè in Medicina, poſt multum apparatum, multam de ſe excitare opinionem, tandemque nihil opis adferre, juxta Senem *lib. de artic.* §. 20. Interim Mundus, ut dicitur, regitur, imò & fallitur, opinionibus, ab illis puta, qui juxta Coi *Legem* opinione magis quam reverà Medicinam poſſident. O ergo caſſam hominum ſimplicitatem, ô ſummam hominum incuriam, qui vitam animamque, Chriſti ſanguine redemptam, Carnificibus, Judæis, Stentoribus aliisque ſervis fugitivis in holocauſtum concedunt. Quod ſi ad eventum & neſcio quam Medicaſtrorum fortunam provoces?

- - - - - - - *careat ſucceſſibus, opto,*
Quisquis ex eventu facta probare velit.

Licet enim hac vel illa vice cœca (quæ audaces ſæpe juvat) fortuna illis faveat, aut Natura morborum Medicatrix inſcitiam illorum ſecundet, eadem tamen chordâ oberrando, novis & periculoſioribus ſymptomatum concurſibus nequicquam ſatisfacere rectique aliquid præſtare valent, ab omni ſcilicet naturæ Artisque Medicæ ſcientia remoti.

Aſt quid Idiotas ab omni elegantiori doctrina alienos huc accerſo, cum & ii, qui Eruditorum numero ſe miſcere audent, ſacrum Philoſophiæ ſtudium ad Artis Medicæ curriculum, aut ad minimum in Praxi Medica inutile minusque neceſſarium eſſe cenſent; quàm egregiam verò laudem & quàm pinguia exinde ſpolia reportent, ſi quando ad rem ipſam ventum fuerit, ἀφιλόσοφος ille Philiater atteſtari poterit, qui ad Tyronis argumentum, è ſcriniis Philoſophicis petitum, reſpondere neſciens, ad hæc, inquit, non reſpondeo, cum iis tanquam Philoſophicis ægri non curentur. Sed heûs bone vir, curaſti probe! quid ſi cum Gallô tibi aut Turca pugnandum eſſet, quorum ille pugione, hic acinace pro more gentis ſit inſtructus, quid, inquam, fieret, ſi arma armis jungere & pro virili te defendere recuſares, quum tela ſint exotica? nonne Tibi aut ilia foderentur, aut jugulum peteretur? Sanè ſi Dnn. Theologi ad Metaphyſica, Dnn. JCti ad Moralia aut Civilia reſpondere nollent, quia Philoſophica, jamdudum adverſarii in ſinu ſibi plauderent. Ita meherclè res ſeſe habet cum Scientia Naturæ reſpectu Medicinæ. Quemadmodum ergo Plato tum demum Reſpublicas beatas fore dixit, cum eas aut Philoſophi cœpiſſent regere, aut qui regerent, philoſophentur: ita majori jure felices prædicârem Academias, qui ut Theologis, JCtis, ita & MEDICIS PHILOSOPHIS gauderent, quos tanti fecit Hippocrates, ut neſcio qua hyperbole *lib. de decent. habitu* τὸν ἰητρὸν φιλόσοφον ἰσόθεον appellaverit; in quem textum erudita, pro Locô in Illuſtri Salana habita, Diſſertatione nuper ex condicto commentatus eſt Conringii Gener Dn. Schelhamerus, Fautor & Collega noſter exoptatiſſimus. Quin & ipſe Galenus huc reſpexiſſe videtur, qui in peculiari hujus inſcriptionis librô oſtendit: *quod optimus Medicus, ſit etiam Philoſophus;* eoque ipſo nobis indicibile illud, quod Cicero alicubi miratur, diſciplinarum commercium ob oculos ponit, quo tanquam catena quadam ita ſibi coarticulantur, ut dempto unico circello tota literarum concidat ſtructura & compages.

Cæte-

Cæterum dum non omnia poſſumus omnes, cuilibet Facultati quam proximè cognatæ Philoſophiæ partes ſunt jungendæ, è quibus rerum Naturalium Scientiam Medico ſummopere neceſſariam eſſe inde conſtat, quod NATURALEM MEDICUM efficiat, qui Coo noſtro teſte nil quicquam temerè & inconſideratè agit, *vid. Tr. de his qui uterum non gerunt:* imprimis ſi (ut *ibidem* addit) ubique ad hominis habitum & vires reſpiciamus, illa ſeligendo, quæ, cum ad τὸ τεχνωθῆναι ventum fuerit, uſui aliquando & commodo eſſe poſſunt, miſſis otioſis Scholarum tricis. Quamobrem Vir Celebratiſſimus, DN. JOH. DANIEL HORSTIUS, Medicus Philoſophus & Archiater, νῦν ἐν ἁγίοις, univerſam Philoſophiam Naturalem non tam è vulgaribus Phyſicorum compendiis, quàm ſcriptis Hippocraticis elegit, & in *Phyſica* ſua *Hippocratea* per ipſam præceptorum Phyſicorum applicationem Orbi Litterario oſtendit, illic (quod vulgo dicitur) Medicum incipere, ubi Phyſicus deſierat.

Quod Viri Per-Illuſtris inſtitutum cùm & neceſſarium & jucundum mihi viſum fuerit, hinc motus partim utriusque Scriptoris autoritate, partim & argumenti raritate, in gratiam meorum Auditorum opuſculum illud Lectionibus Hybernis privato publicis explicandum ſuſcepi, & cum brevitati illic ſtuduerit Auctor Nobiliſſimus, cœpta hactenus methodo uberius nonnihil illuſtrandum aliosque huc facientes textus adjiciendos eſſe putavi, non omiſſis iis, quæ Commentatorum & Veterum & Modernorum induſtria huc contuliſſe viſa eſt. Quandoquidem autem in certas *Diſputationes*, è Cathedra Academica olim publicatas, diſtinctus ſit libellus, ut collatis utrobique dubiis de novo ſemper ventilari poſſit; hinc pro Autoris intentione vires ſuas in hoc Palæſtræ genere experiri amant Juvenes quidam & Artis Medicæ Cultores Nobiliſſimi:

DN. CHRISTOPHORUS FRIDERICUS KNEUSEL, *Mæno-Francofurtenſis,*

DN. OTTO PHILIPPUS PRAUNIUS, *Norimbergenſis*.
DN. JOHANNES GEORGIUS MALEY, *Wetteravus*.
DN. JACOBUS FABRITIUS, *Francothalio-Palatinus*, qui, ut hactenus cœperunt, omni die Veneris, hora 3. pomeridianâ, Lectionibus publicis dicatâ, ea, quæ præcedentibus hebdomatis diebus è Diſputationibus Hippocraticô-Horſtianis explicata fuerint, publicæ committent ventilationi. Agite ergò ô Noſtri, agite & in arenâ hac Academica, aut manus cum Dnn. Diſputaturis conſerite, aut exoptabili veſtra præſentia ſtudium illorum excitate. Interim & res veſtras bene agite! Valete omnes. *PP. Giſſæ d.* 27. *Novembr. Anno* 1692.

PROGRAMMATUM ACADEMICORUM
DECURIA IV.

I.
CITATIO PROFUGI.

RECTOR
ACADEMIÆ GISSENÆ,
TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS

L. S.

PRobatiſſimum & ab omnibus ferè Medicis eô, quô *Lues Peſtifera* epidemicè graſſatur tempore, laudatum prophylacticum eſt Electuarium de tribus adverbiis, CITO, LONGE, TAR-

TARDE, ſc. fugiendum, abeundum, redeundum. An verò omnibus heîc Corinthum adire præſenteque jam periculô fugâ ſibi conſulere liceat, iis diſcutiendum relinquo, qui caſibus conſcientiæ dirimendis operam dederunt. Id ſaltem hîc diſputare liceat, an conſilium illud præſervationis ergo præſcriptum, illis qui Peſte iam infecti ſunt æque conducat? an & illis fuga ſuadenda? & hoc eſt, quod rotundè negamus, tum quòd malo morboque peracuto ſic induciæ concedantur, tum quod infecti peregrè delati contagium & aliis affricare poſſent. Nunquam autem in curandis non minus calamitoſis *Academiarum Peſtibus, Digladiationibus ſc. Duellis, Invaſionibus* intempeſtiva illa fuga concedenda, quum malis his contaminati, nec prius inde purgati; plus abſentiâ ſuâ noceant, quàm ſibi aliisque proficiant. Hinc ſicut Peſte infecti quarantanam prius emetiri tenentur, quàm aliis Regionibus immittantur, ita & ulceribus Academicis ſcatentes tamdiù ARRESTO judiciali detinentur, donec à carbunculis Peſtilentialibus, datâ prius inſolentiæ pœnâ, fuerint curati. Aſt ut nulla calamitas ſola, ita videas homines obſtinatiſſimos, qui ne permittunt quidem ſibi medelam adhiberi, ſed omnem, quæ Paternô prorſus animô ipſis dictatur, pœnam excutiunt, & ſi eam ob cauſam arreſto vinciantur, ruptis obedientiæ repagulis aufugiunt. Horum TE exemplum nuper præbuiſti

N. N.

dum, licet ob enorme invaſionis publicæ delictum Paterna & omninò tolerabilis pœna TIBI fuerit indicta, eandem nontantùm prorſus recuſaſti, ſed & violato arreſtô clam & inſalutatô hoſpite TE hinc proripere non dubitaſti, eoque ipsô non Principis modò Sereniſſimi, ſed & Academiæ autoritatem novô quaſi crimine violaſti. Ne verò carcinomate hoc alios pariter inficias, en! magneticâ Tibi curâqve transplantatoria ſuccurrendum, Publicaque Citatione vulnus tantùm non immedicabile explorandum,

à quô ut tandem liberemur, Nos eâ, qua pollemus, autoritate Academica TE

N. N.

hiſce primâ, ſecundâ & tertiâ vice peremtoriè citamus jubemusque, nt futuris Calendis Septembris heîc compareas, Fugæque Tuæ intempeſtivæ rationem reddas, certò Tibi perſuadendo, quod ſive compareas, ſive emaneas, promeritas tamen & fugæ & proterviæ pœnas ſis daturus. *PP. Giſſæ, die* 11. *Julii A.* 1697. *ſub Sigillo Academiæ Majori.*

II.

ALIA CITATIO.

RECTOR
ACADEMIÆ GISSENÆ
TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS

L. S.

AN qui ad Aſylum confugerit, fugitivi nomine venire poſſit, apud Labeonem atque Cælium in quæſtionem trahitur. Sunt, qui fugitivum eſſe negant, qui id, quod publicè facere licere arbitrabatur, in actum deduxit, haud ſecus ac is, qui ad ſtatuam Cæſaris confugit, fugitivus dici nequit, cùm non fugiendi, ſed gratiam aucupandi animô hoc faciat. Quodſi tamen ante fugit & poſteà eò ſe contulit, non ideò magis fugitivus eſſe deſinit. Imprudentis autem eſſe prorſus intempeſtiva ſibi fuga conſulere, vel ex eô liceat perſpicere, quod eâ ipſa ſe magis

magis ſuſpectos reddant profugi, cùm fuga non minimum perpetrati criminis ſit indicium. Melius ergò rebus Tuis conſuluiſſes,

NICOLAE N. N.

ſi in omni aſylorum defectu domi Te continendo eorum, quorum fortè conſcius es, debitam rationem reddidiſſes, quàm ut abitu prorſus illicitô & conſcientiam & cauſam Tuam, jamdum vulneratam, magis gravaſſes, ſicque peccatum peccatò cumulando Superiorum Tuorum iram magis concitaſſes. Ne verò id impunè faciendo pœnam promeritam effugias, aliiſque ad ſimilia perpetranda ſcandalum ſuppedites, eâ, qua gaudemus autoritate, præſentibus TE

NICOLAUM N. N.

primâ, ſecundâ, atque tertiâ vice citamus publicè, ſerioque jubemus, ut intra decennium hîc compareas, & tum de fuga tua, tum de iis, quorum causâ Magiſtratui Tuo ordinario Te ſubtraxiſti, debitam rationem reddas. Quod ſi minus feceris, non tantùm contumaciâ tua Tibi magis nociturus, ſed & certo experturus eris, Te abſentem, tanquam præſentem, promeritas jamdum pœnas daturum eſſe. *PP. Sub Sigill. Acad. &c. &c.*

III.

EXCLUSIO ACADEMICA.

ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR, CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO.

QUemadmodum in Civitatibus bene conſtitutis nemini proprio auſu Civium numero ſe miſcere, aut immunitatibus illorum impunè uti licet, niſi qui albo civium ordinario fuerit inſertus: ita ſimiliter in Academiis nemo Studioſorum cœtui ſe ingerere, multò minus horum privilegiis ſive uti, ſive abuti debet, niſi fidem prius Academiæ, Matriculæ autem nomen ſuum dederit; quod adeò neceſſarium eſſe duxit Sereniſſimus Legislator, ut inter Leges â Studioſis obſervandas agmen ducat neceſſitas immatriculationis, Tit. LXXV. §. 1. 2. his verbis: „ Quicunque in hanc noſtram Academiam ſtudiorum cauſa „ miſſus fuerit, vel ſponte venerit, nomen ſuum intra hebdo- „ mada apud Rectorem edat, recipi ſe in Studioſorum nume- „ rum, & matriculæ nomen ſuum inſcribi, petat. Si quis hæc in- „ tra prædictum tempus non fecerit, Statuti per Pedellum ad- „ moneatur: cui ſi monitus non paruerit, in eum mulctæ, vel „ Excluſionis, velut in Studii & Magiſtratûs contemptorem, Re- „ ctori jus ſit. Quàm egregiè verò Legem hanc obſervaverit hactenus quidam

N. N.

hîc locorum hærens, vel exinde perſpicere licet, quod non ſeptima-

ptimanam, non menſem, ſed integrum anni quadrantem hîc conſumendo Statuto huic adeò non ſatisfecerit, ut diverſis etiam vicibus per Pedellum admonitus ſe prorſus immorigerum exhibuerit eorumque numero ſe jungere recuſaverit, quorum latera ut cingat, fortè minus dignus erat. Quò vero contumaci huic immatriculandi nauſeæ remedium paretur, vomitorium aliquod, in Statutis præſcriptum, applicandum erit, quod materiam peccantem ceu vectibus excludat. Adeoque ex unanimi Senatûs Academici decreto TE,

N. N.

publicô hoc Edictô ex Academiâ hâc Agroque Giſſenô excludimus, & ut ocyus hinc Te ſurripias, jubemus, optantes Tibi meliorem mentem & majorem erga Superiores obſervantiam, *PP. Giſſæ die* 28. *Martii A.* 1700. *ſub Sig. Acad. Maj.*

IV.

RELEGATIO PUBLICA.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ, TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS.

QUemadmodum è Septem Græcorum Sapientibus famoſiſſimus fereque Sapientiſſimus SOLON, quâ ratione ſalva poſſit eſſe Civitas? percontatus, ſi Cives obtemperent Magiſtratui, Magiſtratus autem Legibus, reſpondit; ita ſi quâ ratione Academiæ *Lycea* publica ſalva poſſint eſſe? quæras,

jure quis reſponderet: Si Cives Academici ſuo (ut primùm ſtipulati ſunt) Magiſtratui obtemperent, Magiſtratus autem Legibus & Statutis Academicis. Quodſi è contrariô Illi omnem obedientiæ fidem ejurârint: Hic verò nimiâ & intempeſtivâ indulgentiâ effaſcinatus Legum tenorem minus obſervârit, nil niſi præſentanea Scholarum Publicarum ruina pertimeſcenda, imò certò expectanda eſt. Minatur hanc proh dolor! Academiæ Noſtræ Civium quorundam protervia, quâ mutuis convitiis ſe excipiendo, ſcuticis, ſcipionibus ſudibuſque præuſtis alios tractando & in Satanicam duellandi libidinem ſe præcipitando conſcientiam & tranquillitatem publicam non modò vulnerant, ſed & ſi Paternis admonitionibus & caſtigationibus Eosdem ad frugem reducere velimus, Autoritatem Procerum Academicorum qſ. pedibus conculcando *arreſta violant*, ac clam palamvè, quà data porta, ruunt & diſciplinæ Academicæ ſe prorſus ſubducunt. Horum è numerô ſuperiori jam annô fuit

N. N.

qui, non obſtante judiciali Rectoris inhibitione, ab ipsâ ſtatim Legum Prælectione iiſque in locis, quæ Barbaris quoque & Scythis in veneratione ſunt, alium ſui generis Studioſum fuſtibus primùm, mox & enſe ſtricto adortus non tantum eſt, ſed & pœnæ omninò tolerabili ſe ſubmittere recuſans tandem rupto *arreſti* vinculo exceſſit, evaſit, erupit! Quid verò *Patres* Academiæ conſcripti? *Patres ſe*, non Judices (ut poterant) exhibuêre, adeoque novum reſipiſcendi locum illi indulgendo *Citatione Publica* die XI Julii pronuper affixâ Transfugam illum huc vocarunt, & ſi ad frugem ſe recipere velit, aures vacivas obtulerunt. Aſt ſurdo fabula! Tantum enim abeſt, quòd proterviam ſuam & malitiam agnoſcens huc redierit, ut ne datis quidem literis excuſationes excuſationum in peccatis dederit. Nemo E. nobis vitio vertet, ſi obſtinatum hunc & vix corrigibilem hominem,

minem, tanquam vulnus immedicabile enſe recidamus, & ne pars ſincera trahatur, in exemplum aliorum, è cœtu noſtrô expellamus. Adeoque TE

WILHELMUM N. N.

tanquam Legum Academicarum Tranſgreſſorem, Magiſtratûs Contemptorem & *Arreſti-Violatorem* ſecundum Legum tenorem ex Academiâ Noſtrâ & Agrô Giſſenô publicè relegamus, relegatumque proſcribimus, nec prius huc redire jubemus, quàm â *Sereniſſimo Academiæ Hujus Nutritore Gratioſiſſimè* receptus fueris; quod quidem fatum, tanquam promerita & in Statutis ſeriò inculcata pœna, omnes poſthâc & ſingulos manebit, qui ſacrum ARRESTORUM vinculum aut inſuper habituri, aut omninò violaturi ſunt. *PP. Giſſæ, die* 2 *Jan. A.* 1698. *ſub Sigillo Acad. Maj.*

V.

ALIA RELEGATIO.

RECTOR
ACADEMIÆ GISSENÆ,
TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS!

L. S.

COmmiſeranda viſuque triſtis jam hortorum facies eſt, dum tot arborum fertiliſſimarum myriades à vehementiſſimis & omninò inſolitis hyemis præteritæ injuriis corruptæ hor-

rendoque frigore prorſus exuſtæ obſervantur. Lugent arboreta, virore gratiſſimo quondam oculos paſcentia: Lugent pometa, olim feraciſſima, nunc exſucca prorſus & ſterilia: Lugent vineæ atque vites aridæ, omni ferè vitâ deſtitutæ! Sola ſpes in putamine computanda & non tam amputatione, quam totali exciſſione ad refocillandum focum revocanda eſt. Eadem autem, ſi non major, eſt calamitas, ſi in publicis ingeniorum fertiliſſimorum ſeminariis, Academiis vulgô dictis, ſpes concepta decollârit, plantæque vix adultæ novumque in florem ſe induentes afflatu quodam horrido infauſtoque ſive disjiciantur, ſive exareſcant. Facilimè id contingere ſolet, ſi quis aut ſponte, aut fortè fortuito conſortio malorum immiſceatur, auſibuſque illorum & famoſis actionibus quocunque modô implicetur. Noſcitur ex ſocio, qui ex ſe non dignoſcitur, nec inæqualia ſæpe præmia ferunt æquales, utut in factô (quod infectum fieri nequit) ſint inæquales. Utinam hoc in animum ſibi revocaſſent & maturè ponderaſſent bini hactenus Ludovicianæ Noſtræ Cives

N. N.

utinam, inquam, rerum ſuarum ſatagentes aliorum turpitudinis ſe minus participes reddidiſſent! & non opus haberemus, ut eam, quam Statuta jubent Principalia, ipſis pœnam, etiam invitis animis, infligeremus! Quoniam verò vel ipſimet inficiari non potuerunt, quòd Complicem ſuum ad evomendas injurias atrociſſimas, & à tot retro ſeculis inauditas, jam paratum comitati ſint, ſimulque graſſationibus & clamoribus nocturnis quietem publicam turbaverint, hinc meritò tales judicandi erant, quales ſunt inventi. Sententia autem juxta legum tenorem ab univerſo Senatu Academico in proterviam veſtram lata hæc eſt, ut VOS

N. N.

ex Academiâ hac publicè relegati hodiernô die ante Solis occaſum Urbe hâc agroque Giſſeno exeatis, nec unquam ſine ſpeciali

Sere-

Sereniſſimi Gratiâ & receptione Clementiſſimâ huc redeatis! Cæterum certa nos ſpes alit, fore, ut hoc exemplo deterriti alii diſcant obtemperare legibus, ne æterno ſuo dedecore ſerius aliquando, ut Phryges, ſapere teneantur! *PP. Sub Sigillo Academiæ Majori &c.*

VI.

ALIA RELEGATIO PUBLICA.

RECTOR ACADEMIÆ LUDOVICIANÆ, TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS.

QUæ de novo Furiæ vos agitant Tenebriones? & quæ vos dementia cepit? Itane omnem pietatem, humanitatem & honeſtatem prorſus exuiſtis, ut quoſcunque verecundiæ limites tranſiliendo in Maxumos, Medioxumos, minimos, Tros Rutuluſve fuat, debacchando non urbem, ſed Orbem proterviâ veſtrâ laceſſere & ſpurciſſimis injuriis afficere non dubitetis? ô tempora! ô mores! Paganorum alioquin mos & conſuetudo fert, ut diebus nundinarum publicarum, aut encæniorum, Cereri Bacchoque litando, ventreſque lucanicis implendo altum clament, in tripudia ſoluti Glyceria ſua in gyrum ducant, mugitibus clamoſis non forum tantùm, ſed & compita viarum repleant, & nonniſi in illorum, qui circulos eorum turbant, capillos involent, ut non immeritò dixerit, quicunque dixit:

Wer ſein Haut vvill behalten gantz,
Der laſs den Bauren ihren Tantz.

Vos autem Ruſticis quibuſcunque craſſiores & truculentiores, libertatem nundinis publicis conceſſam in licentiam vertendo, imò altum proclamando, Viros innocentiſſimos, & quos ne barbaræ quidem & ab omni humanitate remotæ gentes contemtui habent, iniquiſſimis injuriis rabieque hactenus inauditâ violare non erubeſcitis? Excutite conſcientiam veſtram Cives indomiti, ſi modò Cives nominandi ſunt, qui omnes civilitatis leges turpiter ejurârunt. Excute tuam

N. N.

Nonne TE pudet lixarum calonumque more famosâ obſcurorum, vel (ſi magis) obſcœnorum virorum invitatione univerſo terrarum Orbi lactucam labiis tuis digniſſimam obtrudere? Non pudet, mente mentoque ſpurciſſimis Viros in celebritate conſtitutos & ad clavum Reipublicæ literariæ ſedentes realibus non minus quam verbalibus injuriis afficere? Nonne pudet vel Capiti Academico, cui ſceptrum ad confringendas malorum cervices à DEO T. O. M. conceſſum eſt, tam frivolâ & perfrictâ fronte inſultare? & quis omnes contumelias Superioribus Tuis illatas enarrabit? Haberemus ſanè, quam habemus cauſam, ut ob famoſas Tuas inſanias omni TE famâ & honeſtorum Virorum conſortio privaremus & in exemplum ac terrorem aliorum in perpetuum cum infamiâ relegaremus: aſt miſeret Nos Parentum Tuorum, miſeret Familiæ, miſeret juventutis tuæ; hinc benigniſſimæ & verè Chriſtianæ illius, quem læſiſti, interceſſioni locum concedentes, & mitiorem in dictandâ pœnâ viam eligentes, vi Statutorum Academicorum conceſſæque Nobis autoritatis, TE

N. N.

ex agro Giſſeno relegamus, jubentes ſeriò, ut ànte Solis occaſum abhinc ocyus excedas. Interim ſi ſapis & reſipiſcere geſtis, paternam hanc caſtigationem æquâ mente ſuſtine, ne provocatâ

Divini

Divini Numinis vindictâ temporalis felicitatis æquè ac æternæ vitæ jacturam feras. VOS autem, CIVES GENUINI atque GENEROSI, alieno potius quam veſtrô cauti periculô, ſimilem adverſus Leges & Magiſtratum irreverentiam, comeſſationes, graſſationes nocturnas aliaque virtutum impedimenta, vel exemplô hôc moniti, averſari &, quod facitis, ejurare porrò diſcite. *Decretum in pleno Senatus Academici conſeſſu, die XIX Julii &c. Sub Sigillo Acad. Maj.*

VII. INVITATIO AD Actum Panegyricum Gallicum.

RECTOR ACADEMIÆ LUDOVICIANÆ,

MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,

Archiater Haſſo-Darmſtadinus, Med. & Philoſophiæ Prof. Publ. Ordin. & diverſarum Societatum Scientiarum in Germania, Italia, Anglia & Boruſſia Collega,

GENEROSIS & POLITISSIMIS CIVIBUS ACADEMICIS

S. D. P.

NOn antiquiſſimis tantum temporibus Orbis Domitorem Alexandrum Magnum Soli ſe æquiparaſſe, ſed & noſtris annis LUDOVICUM Magnum, Galliarum Monarcham, hoc ſibi ſymbolum ſumſiſſe non latere poteſt eos, qui iter per Regias Ejusdem Regiones ſuſceperunt, quum in potiſſimarum urbium portis aut curiis Sol undique radios diffundens conſpiciatur, cum inſcriptione:

NEC PLURIBUS IMPAR.

Quod

Quod enim Sol eſt inter ſidera, hoc Reges & Principes ſunt in Orbe terrarum: Et quemadmodum Sol motu ſuo movet & animat quaſi omnes omnium Planetarum vortices ac ſpendoris ſui radios omnibus ſublunaribus æqualiter diſpenſat, ita Reges & Principes reverà anima ſunt regnorum, atque gratiæ ſuæ radiis omnes fideles ſubditos æqualiter reficiunt humiliumque fortunam ſæpiſſime exaltant, haud aliter ac Sol in cœlo vapores è terra ſurgentes in altum evehit & in lucidas meteororum faculas convertit.

Quodſi jam Britanni (ut Tacitus in ſcriptis habet) ſe Solem occidentem conſpicere gloriantur, Catti ſanè noſtri Solem nunc orientem poſt feliciſſimam nativitatem Sereniſſimi Principis LUDOVICI ſe tueri & intueti gloriari valent.

Non me juſto latius jam diffundam in recenſendis omnibus parallelis & proportionibus hujus allegoriæ, ſed me tantum in potiſſimam Solis qualitatem, Lucem ſc. & radios Solares reſtringam, utpote quæ meo quidem judicio ſufficient ad ſimilitudinem hanc ſuſtinendam. Quemadmodum enim antiqui fabularum parentes coronæ Solis duodecim tribuebant radios: ita Virgilius in ultimo libro Æneidos totidem in glorioſo diademate Regis Latini ſeqq. enumerat:

- - - - *cui tempora circum*
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecimen:

Primus ſcilicet, ſecundum enumerationem Marini, Nobilis Itali, eſt radius Nobilitatis Stirpis Sereniſſimæ: Secundus Dignitas Gradus eminentiſſimi: Tertius Religio: Quartus Juſtitia: Quintus Prudentia: Sextus Fortitudo: Septimus Temperantia: Octavus Magnanimitas: Nonus Liberalitas: Decimus Charitas: Undecimus Affabilitas: Duodecimus Sapientia.

Omnes hæ flammæ lucidiſſimæ ſe concentrant in Excelſa & Sereniſſima Domo Haſſiaca Principali, indeque DEO largiſſimè benedicente ſe accendit nova ſtella in recens nato Principe Juventutis

tutis LUDOVICO, *Sereniſſimi Principis Hæreditarii Domini* LUDOVICI, *Haſſiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Yſenburgo & Budinga, & reliq.* Principis ac Domini noſtri Clementiſſimi Filio Principali Primogenito. Quodſi jam Stellæ in fixarum regione noviter comparentes plerumque ominis ſunt feliciſſimi; non poteſt non Sidus hoc Haſſiacum prognoſticon id implere maximè & ceu ſideritis ſive magnes Patriæ noſtræ fauſtiſſima quæque attrahere, ſicque

Magnes magnus erit Magno cum Principe Princeps

Hanc Haſſiæ noſtræ felicitatem, hæc omina & Fulgentiſſima *LUDOVICORUM* nomina compta & lingua Gallica concepta Oratione hodie hora X matutina fuſius proſequetur

DN. JOHANNES PETRUS HARAUT
DE LORETTE, Aurelianenſis.

ad quam Panegyrin non tantum Nobiliſſimis DNN. Cives Academici, ſed & quivis Literarum Literatorumque Fautores officiosè admodum invitantur. *PP. Anno Salutis reparatæ MDCCXX. die 8. Februarii, novo pariter omine Regis Salomonis nomine inſigni. Sub Sigillo Acad. Majori.*

VIII. INVITATIO AD *ORATIONEM INAUGURALEM.*

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,

Archiater Haſſo-Darmſtadinus & Med. Prof. P. Ordinarius,

CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO

POLITIORIS LITERATURÆ PATRONIS ET CULTORIBUS

εὐπράττειν!

MIgrare quondam inquilini dicebantur, cum exacto locationis & habitationis tempore, una cum omnibus illatis inductiſque, diſcedebant. Hinc non tantum rubrica Pandectarum de migrando, ſed & commune dicterium exortum:

- - - - *veteres migrate coloni.*

Solenne verò emigrandi tempus calendas Quintiles ſeu Julias fuiſſe apparet ex l. qui balneum. 9. ff. qui pot. in pign. hab. Unde Martialis:

O Juliarum dedecus Kalendarum
Vidi Vacerra ſarcinas tuas, vidi
Quas non retentas penſione pro bina
Portabat uxor.

Licet autem noſtris temporibus illi, qui jure colonario bona ſua poſſi-

poſſident, vulgò *die Landſiedeler*, ad hujuſcemodi emigrationis annos atque dies adeò ſe adſtringi non patiantur, ut potius idem aut ſimile ſucceſſionis jus, quod Emphyteutis competit, prætendere non erubeſcant, nihil tamen impedit, quo minus ſponte vadimonium ſuum deſerere valeant, cum unumquemvis beneficio ſuo renunciare poſſe in vulgarem regulam abierit. An verò ſemper è re Dominorum directorum ſit, crebrò mutare colonos? altioris indaginis quæſtio videtur. Omnis certè mutatio periculoſa eſt, & ſicuti novus cum vetere amico, Sacra Scriptura teſte, nunquam ſine damno permutatur, ita rarò expedit amittere eos, qui fidelem promptamque nobis operam præſtiterunt. Experiuntur illud Academiæ (quas non ſine cauſa coloniis æquiparare licet, cum ipſe Salvator Scholas & Eccleſias cum vineis & agris compararit) ſi quando veteres & fideles Coloni Literarii inde emigrando illis valedicunt. Tanta enim noſtris temporibus Eruditorum ſolideque doctorum eſt annona, ut difficilimum ſit hiatum vacantium Profeſſionum reſarcire. Infelicem hac in parte ſe exiſtimare poterat Academia noſtra patria, quæ poſt deplorandum duorum Anteceſſorum, è Primiceriis ſummorum, obitum haud ita pridem novam jacturam paſſa eſt, poſtquam Vir Conſultiſſimus, DN. JOHANNES GODOFREDUS MEIER, J.U.D. Moralium hactenus Profeſſor Ordinarius & Jurium Extraordinarius, poſt obtentam à Sereniſſimo Marchione Byruthino vocationem clementiſſimam ad ſplendidum Conſiliarii Aulici & Juſtitiæ munus Muſis noſtris valedixit: niſi ſumma & plus quam Paterna cura atque Providentia Serenisſimi Principis ac Domini, DN. ERNESTI LUDOVICI, Hasſiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga, rel. Principis & Nutricii noſtri Clementiſſimi, dolorem inde conceptum ſopiiſſet & Academiæ huic alio Collega Eruditiſſimo ac

rerum uſu Probatiſſimo proſpexiſſet, Viro ſc. Nobiliſſimo, Ampliſſimo atque Excellentiſſimo,

DN. SEBASTIANO MASSONIO,

cui ob ſingularem in Moralibus & Civilibus notitiam & prudentiam non tantum univerſæ Philoſophiæ Practicæ, ſed & inde fluentis Juris Naturæ & Gentium Profeſſionem Publicam Ordinariam, in Celeberrimô Argentoratenſium Lyceo pluribus abhinc annis ipſi jamdum oblatam, Gratioſisſimè demandavit: ad quam maſculè exornandam haud ita pridem huc acceſsit. Quandoquidem verò in *Statutis Academicis* Tit. XX. *de Officio Profeſſorum omnium in genere* § 1. ſaluberrimè cautum ſit, ut quiſquis recens admiſſus eſt ad profitendi munus, ſolennem orationem in præſentia omnium Profeſſorum convocatiſque per programma publicum Studioſis haberet, eaque de cauſa Vir Excellentisſimus futuro Jovis die Declamatione Panegyrica *de Impedimentis Externis Philoſophiæ morali ſæpe obicem figentibus* collatum ſibi munus exorſurus ſit; hinc non tantum Generoſi atque Nobilisſimi DNN. Cives Academici, ſed & quivis Literarum Literatorumque Patroni ad eandem obnixè & perquam amicè invitantur, roganturque, ut præſentia ſua ſimilia impedimenta removendo Oratoris noſtri Suadam ſtudiumque magis atque magis excitare ſuumque illi applauſum & favorem eo ipſo conteſtari non dedignentur. *PP. ſub Sigillo Academiæ majore die XIII Octobr. Anno Salutis MDCCXX.*

IX. IN-

IX. INVITATIO AD Prælectionem Statutorum.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,

MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,

CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO,

GENEROSIS atque NOBILISSIMIS DNN. STUDIOSIS

S. D. P.

HAud ignobilis in Prudentia Civili disquiſitio occurrit: an ex legum multitudine felicitas alicujus Reipublicæ æſtimari debeat? & in ſpecie, an ad Germaniæ noſtræ præſtantiam quid faciat, quod præ aliis quamplurimis civitatibus magnâ legum atque conſtitutionum copia abundet? Non deſunt, qui in affirmativam inclinant, quorum rationes prolixè heic adducere nunc quidem non vacat. Sed à vero longiſſime aberrant, dum non multitudo legum, ſed earum bonitas & exacta executio ſalutem civitatum promovent. Ecquid enim leges ſunt? ſane nihil aliud, quam vincula moralia, quibus ſubjectorum vel libertas vel licentia conſtringitur; quod uti ſuo modo & ſalutare & neceſſarium eſt, dum ut exlex vivat, hominis indoli prorſus non convenit: ita tamen in legibus ferendis modus tenendus eſt, ne vinculorum multitudine Cives præter cauſam obruantur. Ubi ergo plures leges ſunt, quam ut facilè memoria comprehendi poſſint,

vix aliter fieri poteſt, quam ut Cives in eas, tanquam in laqueos, incidant; quemadmodum de Dionyſio Syracuſano, Tyranno, referunt, plurimas ſemper ſuis eum tuliſſe leges, atque his promulgatis data operâ conniviſſe, donec omnibus ſecurè, quod erat conſtitutum, negligentibus haberet multos obnoxios. Ita leges illi caſſium vice erant, quibus captabat prædam, ut Eraſmus cenſet ad Chriſtophorum, Epiſcopum Baſilienſem VI. 3. Quemadmodum igitur, ut res ſimili quodam illuſtretur, ubi multis fulcris ædificium aliquod ſuſtinetur, id non perfectæ, ſed ruinoſæ & ad lapſum pronæ ſtructuræ eſt indicium, ita & legum multitudo non felicem, ſed corruptum potius Reipublicæ ſtatum arguit. Unde jam facilè de Germaniæ noſtræ conditione cenſura ferri poteſt, ad miſeriam ejus mage, quam ad felicitatem referri deberi, quod non patriis, iisque planis, paucis atque æquiſſimis legibus & conſuetudinibus contenti Majores noſtri tot tantasque peregrinas, perplexas ferè & nodoſiſſimas cooptarunt vel obtrudi ſibi paſſi fuerunt. O quam eſſemus felices, ſi Veterum Germanorum inſtitutis adhuc uti liceret, apud quos, Tacito teſte, plus valuere boni mores, quam alibi bonæ vel multæ leges, de moribus German. C. XIX. Aſt perdidimus eheu! bona noſtra, & fuimus Troes, adeo, ut nonniſi præteritorum jucunda recordatio ſola nobis ſuperſit. Quodſi tamen ullibi plana ac ſimplex aliqua nomotheſia obtinet, obtinet certè ea apud Cives Academiarum, & quidem cum aliarum, tum quoque noſtræ hujus LUDOVICIANÆ, quam Deus diu florentiſſimam velit! Quæ jubentur hic, quæ prohibentur, omnia ferè talia ſunt, de quibus ex ipſius rectæ rationis dictamine & civilis vitæ tenore abundè conſtat: pauciſſima erunt, quæ SERENISSIMI LEGISLATORES ex ſpecialibus, æquiſſimis tamen & honeſtiſſimis rationibus, ad cætera addiderunt. Et ſanè ſi omnes eſſent bonæ frugis noſtri Cives, ne quidem opus foret, ut de officiis ſuis admonerentur, ſiquidem

Ode-

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Sed quia plures in iis reperiuntur, qui fractis honeſti repagulis ſolo pudore non reguntur; ſicque freno opus habent atque calcaribus &

Oderunt peccare mali formidine pœnæ:

Idcirco ſalutariter ordinatum eſt à Sapientiſſimis Statutorum noſtrorum Conditoribus, ut quotannis publicâ prælectione & pœnarum comminatione facienda omittendaque Civibus Academicis ſignificentur atque probè inculcentur. Quò verò Legum & Statutorum rigor delinimento quodam demulceatur, in noviſſimo Receſſu generali à SERENISSIMO NUTRICIO Gratioſisſimè indulgetur, ut Privilegiorum Civibus Academiæ hujus olim clementiſſimè conceſſorum prælectio ſimul legum repetitioni conjungatur. Fiet illud, Deo volente, prima vice à nobis proximè inſtantibus Calendis Julii, & poſt habitam, more conſueto, Orationem de uſu & abuſu privilegiorum Academicorum, Leges Academicæ in Auditorio Solenni publicè prælegentur. Veſtrum erit, CIVES GENEROSI & LECTISSIMI, frequentes confluere, & quæ veſtri gratiâ proponentur, attentis auribus atque animis excipere. *P P. Giſſæ Haſſorum, pridie Calend. Julii MDCCXX. Sub Sigillo Academiæ majori.*

X. Ab-

X.
Abuſus Muſicæ Interdictus.

RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,
MICH. BERNH. VALENTINI,
CUM UNIVERSO SENATU CIVIBUS ACADEMICIS
Salutem & Concordiam
P.

Optimi ſæpe peſſimam corruptionem & abuſum eſſe haud ingrata Muſarum choro Muſica ad amuſſim comprobat. Equidem primis hæc temporibus nonniſi pſalmis, hymnis ſacris & antiphoniis Veterum dicata in Supremi Numinis laudes ſe diffundebat totam. Quamprimum verò hoſtis infernalis invidiâ ad tripudia, choreas impudicas, comeſſationes & debachationes trahebatur, non potuerunt non varia inde mala, incommoda & infortunia ſcaturire. Quæſitum ergo fuit, an juvenibus (literis cumprimis operam navantibus) expediat addiſcere aut exercere Muſicam? Affirmabant Græci, adeo quidem, ut Ariſtoteles alicubi Muſicam inter ea, quæ pueris à teneris unguiculis inſtillanda ſunt, retulerit, cùm affectus immoderatos mirè temperet, iracundiam refrænet, mores moderetur & artus. Romani èxcontra Muſicam pro arte ſervili & ignobili, Ægyptii tandem (ſi Diodoro fides eſt habenda) pro corruptela juventutis habebant: quod ultimum magis de inſtrumentali, quàm vocali Muſica valere dixeris, quamvis & in hâc:

Non vox, ſed votum cantet in aure Dei.

Rarum

Rarum illic eſt profundè ſolidèque doctum obſervare Muſicum, cum veriſſimum ſit Germanorum diverbium:

So bald die Fidel an der Wand,
Iſt auch das Buch ſchon aus der Hand.

Nec ſibi tantùm, ſed & aliis nocent abuſivi Muſici, cumprimis ſi tempore nocturno per compita viarum graſſando, boatibus cornuum & grunnitibus buccinorum quietem aliorum interturbent, litibus & rixis occurſantium anſam ſubminiſtrent, tandemque à buccinis in buccas involando colaphis, (ſi non vulneribus & cruore) triſtem illis colophonem imponunt. Hoc vivendi cacoëthes non Chriſtianum & Academicum, ſed Diabolicum Heroico fervore appellabat Fons & Fundus Academiarum Haſſiacarum PHILIPPUS MAGNANIMUS, Glorioſiſſimæ memoriæ, quando Reſcripto Principali Marburgi die 14 Maji Anno 1566. ſignato ita cavit: *Sie ſolten auch das einmahl wiſſen, daſs unſer Gemüth und Meynung nie geweſen, die* Univerſitæt *allhier darumb auffzurichten, daſs die* Studioſi *mit Pfeiffen, Lauten, Geigen und anderm Saiten-Spiel des Nachts auff die Gaſſen gehen: noch ſich mit Bürgern und andern ſchlagen: Dann ſonſten wäre es nicht eine Chriſtliche, ſondern Teufeliſche* Univerſitæt. Nec alia mens hæret NUTRICIO ACADEMIÆ hujus CLEMENTISSIMO, qui Domini ABAVI quondam POTENTISSIMI ſancita ſequenti Reſcripto Principali, die 21 Octobris anni jam decrepiti Darmſtadio ad nos dato repetere acquievit:

Von GOttes Gnaden, ERNST LUDWIG, Landgraf zu Heſſen, Fürſt zu Hersfeld, Graf zu Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain, Nidda, Schaumburg, Yſenburg und Büdingen, &c.

W*Uerdig- und Hochgelährte*, Reſpectivè *Räthe und liebe Getreue. Nachdeme Wir bis dahero wahrgenommen,*

die Erfahrung ſelbſten auch bezeuget, vvasgeſtalten die in Unſer Stadt und Veſtung Gieſſen in ziemlichen Schvvang gehende Nacht-und Gaſſen- Muſiques *mit Waldhörnern,* Hautbois*, Geigen und Pfeiffen zu vielmahligem Gezänck, Balgen und Schlägen, zumahlen vvann ſich verſchiedene Partheyen von* Studioſis*, Soldaten und Bürgers-Söhnen begegnen, nicht allein groſſen Anlaſs gegeben, ſondern auch öffters zu ehrlicher Leuten Beſchimpffung miſsbraucht, nicht minder durch dergleichen Nachtſchvvärmereyen die hier und da etvva befindliche Krancken und Kind-Betterinnen in ihrer Ruhe geſtöhret, und damit Zeit und Geld unnütz zu-und durchgebracht vvird; Und Wir dahero zu deſſen Verhüt-und Erhaltung beſtändig guter Ruh-und Wohlſtands, gleichvvie in Unſerer letzeren* General-Univerſitäts-Viſitations-*Verordnung dergleichen Nacht*-Muſiques *denen* Civibus Academicis *allſchon* inhibiret *vvorden, alſo auch ſolche allen und jeden ſo vvohl Soldaten als Bürgern und anderen in Unſer Stadt und Veſtung Gieſſen durchgehends bey ohnausbleiblich hoher Straff in Krafft dieſes hiermit verbotten, und anbey verordnet haben vvollen, daſs, ſo balden ſich einer oder mehr, ohne erhaltene Erlaubniſs eines jeden vorgeſetzten* Magiſtrats *(als vvelcher hierunter, vvann um Führung einer* ſolenn*en* Serenada *bey ihme von jemand gebührend angeſucht vvird, zu* diſpenſi*ren haben ſoll) damit zu Nachtzeit auf der Gaſſe betretten laſſen vverden, ſelbige ſo gleich, vvann es Bürger oder Soldaten vvären, ſambt denen bey ſich habenden* Muſicanten*, in die Wache geführet, und des andern Tages dem* competi*renden* Judici *zur Beſtraffung überliefert, vvann es aber* Studioſi *vvären, ohne ſelbige zu* arrêti*ren, deren Nahmen bloſs von der Wacht dem jedesmahligen* Rectori *angezeigt, oder aber, falls ſie ihre Nahmen nicht anzeigen, und dabey Zvveifel obvvalten ſolte, dem* Rectori *ſo gleich vor das Haus geführet vverden ſollen; So iſt Unſer gnädigſter Befehl hiermit, daſs*

ihr

ihr Euch hiernach achtet, dieſe Unſere Verordnung zu Jedermans Wiſſenſchafft behörig publiciret, *und deren Übertrettere, ſo offt Euch derer angezeigt vverden, gebührend abſtraffet. Verſehens Uns, und ſeynd Euch mit Gnaden vvohl gevvogen. Darmſtadt den* 21*ten* Octobris, 1720.

(L. S.) Ernſt Ludwig, Landgraf zu Heſſen.

Quotquot ergò ſtudia magis amant quam tripudia, nec in inutilia terræ pondera, ſed decora patriæ & familiæ tandem aliquando evadere geſtiunt, nocturnos evolatus noctuis, ululatus ululis, & boatus bovibus relinquendo lucubrationibus potius, quam lucifugis tumultibus indulgeant & notiſſimæ paræneſeos DIC CUR HIC perpetuò memores vitam Academicam ſic tranſigant, ne tandem in ſeniô ejus pudore correpti ingemiſcere & exclamare teneantur:

O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos,
Nunquam dormirem, ſed nocte dieque STUDEREM!

Valete & Mandato huic Principali humilimè morigeri res veſtras bene curate. *PP. Giſſæ die* 17 *Novembr. MDCCXX.*
Sub Sigillo Acad. Majore.

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI INSCRIPTIONES ACADEMICÆ.

I. INVITATIO *AD* SERMONEM PANEGYRICUM.

Salve
Lector Erudite!
& dum novum Anni principium feliciſſimum Tibi comprecor,
novitatis ultra hominum memoriam locatæ
meminiſſe liceat,
qua
SECULUM PERMUTATUR SECULO,
ejusque finis, cujus eſt principium.
Janum bifrontem Tibi finge
iisdem Januarii Calendis non Annorum, ſed Seculorum
metamorphoſes intuentem,
qui dum elapſi felicitatem ruminat,
futuri ſeculi præcipitia horreſcit,
alterâ fronte explicatâ,
alterâ in Sulcos corrugatâ.
Dumque
novam heíc centuriam Annorum incipit,
illic priſtina ACADEMIÆ NOSTRÆ fata tollit
quæ ſemiſeculum, integro Matris ſeculo felicius
in ſeculo finito finiens.
DIMIDIUM PLUS TOTO,
non ſine gratiſſima mentis gratitudine

de-

devotè admiratur,
eaque propter
Cœleſtem Ludovicianæ Reſtauratæ Reſtauratorem
DEUM TER OPTUMUM MAXUMUM
ſub mediâ celebritate celebrat!
Vin' loquar, ut me videas?
PANEGYRIN ACCEDE PUBLICAM,
Inſtante SS. Epiphanias feſto
congregandam,
in qua
ELECTO PRIUS NOVO ACADEMIÆ CAPITE
Giſſæ Literatae proſpera à capite ad calcem explicando
Matris infelicis, Athenæi ſcil. Marburgenſis
infortunia præmittam;
quo contraria contrariis conjuncta
junctim, ut ſpero, eluceſcant.
Vos autem,
CIVES GENEROSI & LECTISSIMI,
non tam
cum Filiis hujus ſeculi
Secularia æternis anteponite,
quam
operam operosè navate,
ut finito Seculorum Circulo Deum collaudetis
in Seculorum Secula.
ita valete
à
RECTORE valedicturo,
MICHAELE BERNHARDO VALENTINI,
PP.
Ipſis Calendis Jan. A. MDCCI
Sub Sig. Acad. Maj.

II.
Paræneſis Publica ad Duellantes.

Huc adeſte,
Crabrones, nonniſi atro notati carbone!
adeſtote
petulca petulantia celebres Duellantes!
adeſte
Heroes ab Eride nati, Erinny deſtinati!
Audite clamorem ad cœlum euntem,
non vivorum, quos ſpernitis
ſed defunctorum, quos occiditis!
Audite vocem, non è roſtris vel ſuggeſtis tonantem
ſed cruoris ad ſidera clamantis.
O Tempora! O Mores!
Itane prorſus indurata ſunt pectora plusquam adamantina,
ut neque Morte, neque ſanguine Fratrum
emolliantur,
quum & hircorum cruor adamantem ſolvere dicatur!
O tragica tragorum facinora!
Nonne miſerabilis Vos ad commiſerationem agit
CASUS
INFELICISSIMI JUVENIS,
qui
Medius e tribus cadit, duorum Mediator,
Vulnere quidem in medium inflicto,
inſido medius fidius! ſucceſſu!

Scili-

Scilicet
hæc præmia ſunt præliorum Academicorum,
hæc hoſtilium animorum redhoſtimenta,
phy qualia!
Vos autem triſtis hujus ſpeciei Spectatores
alieno periculo cauti
cavere diſcite!
Reſipiſcite! nî ſerò cum Phrygibus ſapere
aut morionum more emori velitis,
fata fatuorum inſtar accelerando
VALETE.

III.

EPICEDIUM

Ne
propera, Viator,
ſed
properantibus de corde ſuſpiriis
heic juſta perſolve,
ſi fata præmatura ſpectes, injuſta,
ſin vitam atque merita, juſto minora,
VIRO PRAECELLENTI
DN. LAURENTIO ODHELIO,
SS. THEOLOGIAE CANDIDATO
quondam Digniſſimo,
Suecorum Decori,

Pio-

Piorum Amori,
Doctorum Ocello,
Cui
quum LAUREAM hîc GISSA DOCTORALEM necteret
Invida proh dolor! fila præcidit Lacheſis
in fine laborum ingratiſſima.
ὦ θέλημα, ὦ τέλος!
O Tela Mortis impudica!
Qui animo Divinarum Scripturarum Pelagus emenſus,
Qui linguis Orientem undique erat pervagatus,
Qui Belgii, Angliæ, Germaniæ fluctibus ereptus,
in portu perit naufragus,

O ΘΕΙΟΣ ODHELIUS:

aſt quî periret?
quem fides in Chriſtum atque Pietas,
quem mores elegantes & Facundia,
quem laude Laureaque Digniſſimum
Muſa vetat mori.
Vivit & in æternum vivet,
Vivit in brachiis Servatoris,
Vivit in Regis Patriæque gloria,
Vivit in ore & Memoria
Virorum Immortalium
Ludolfi, Pokokii, Edzardi, Maji,
Vivit in votis omnium Bonorum,
quibus
& Tuum & Meum jungit

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
D. Medicus & Prof. Ord. Giſſenus.
Giſſæ Haſſorum
Eid. Maji A. O. R. MDCXCI.

IV. Con-

IV.
Contra Tenebrionum Nequitias.

Subſiſtite Sicarii,
&
dum cruenta violentaque manu leges Acad. violaſtis,
ſententiam unanimi Procerum conſenſu latam
haud elata fronte legite;
Percipite, quæ haud præcipite voto ſtatuunt
STATUTA ACADEMICA;
Audite, quæ inaudita promeruit audacia,
quam nec fortuna, nec fortitudo
juvat, ſed juvenilis protervia.
Non ſatis erat eos, qui Vobis ſudes in oculis,
ſudibus privare non præuſtis;
Non ſatis erat inhumano amore humi proſternere
Vigiles pro ſalute veſtra vigilantes,
Non ſatis erat verbis & verberibus divexare
qui mandatas ſibi excubias egêre,
ſed &
dato complicibus ſigno
vulnera infligenda erant, ſi non lethalia,
læto tamen proh! animo illata.
Hoc
an inficias ibitis
NN. NN. NN.
iviſtis ſanè,
ſed in vanum & inſanè.

In apricum enim ſunt deducta, quæ denſa malorum agmina
in denſiſſimis perpetrârunt tenebris
nec
lucem amplius fugiunt lucifugæ.
Hinc ut Solis radii confertas tenebrarum nebulas diſcutiunt,
ſic Legum fulgor nubes juventutis noxias eliſurus
Vos
NN. NN. NN.
ex agro æreque Giſſeno exterminamus,
ne peſtis inſtar epidemicè graſſando & per contagium eundo
totum corrumpatis ovile.
PP.
Giſſæ Haſſorum MDCCVIII.

V. INVITATIO
Ad audiendas Leges.

Huc adeſto,
LECTOR GENEROSE & DILECTE,
&
dum calentibus Calendis Julii,
ceu
STATUTO PER STATUTA DIE,
Leges alioquin prælegendæ
ob intercedentem Dominoque ſacratam diem Dominicam
& viſitandum S. Viſitationis feſtum
pridie Calendas Julii
anticipandæ ſunt,
haud turpem, nec torpidum Legum contemptorem,

ſed

ſed conſtantem illarum Auditorem te præſta.
Turpe enim Civi ignorare leges;
Turpius ignorare velle;
Turpiſſimum contemnere.
Enimverò
Leges vigilantibus ſunt ſcriptæ,
non ut Blateronum Rabularumque rabie illegitimè flectantur,
ſed
ut vigili viridique obſervantia
non immemori memoria reſerventur.
Hac lege
indies leguntur milites,
civitate donantur cives,
albo inſeruntur ACADEMICI.
Quapropter
agite, Cives Academici Lectiſſimi,
& dum ſonante propediem campanæ ſono
præmiſſis à RECTORE præmittendis
in frequenti celebrium celebritate
Publico haud ignotus Notarius publicus
LEGES ACADEMIÆ GISSENÆ
praeleget,
Morigerorum moratorumque veſtigia legite,
ad audiendum concurrite,
audita ſervate,
nec audacia inaudita lectas unquam Leges negligite.
Ita valere valideque ſalvere
Vos jubet
RECTOR ACADEMIÆ
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
PP. die XXIV Jun. A. MDCCVIII
ſub ſigillo Acad. Majori.

VI.
CONTRA
Alchymiſtarum Fallacias.

Ad furnos Adepti,
Carbones inflate Candidati,
minus candida Ciniflonum ſpe lactati,
qua dum nunquam ſatiati eſtis,
æternum Vos tenet
AURI SACRA FAMES.
Equidem
quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius;
ſupra Vos nihil eſt,
nihil inferius
præter aviculam Hermetis aëream,
quam
bonis (ſi Diis placet) avibus captaruri
vix plumam prehenditis
aviculæ,
quæ corvos deludit hiantes
Interim Chamæleontis inſtar aëre victitatis
occulto vitæ cibo,
occultis Adeptorum labiis aptiſſimo:
dumque Lapidi inhiando bona veſtra dilapidatis,
tandem in aëre venamini,
& pro gallo plumam, pro corvo cornua captando
Vos ADEPTOS jactatis.

euge

euge prædam!
euge Dianam!
Ita pro Junone nubem violando
nil niſi aurum in montibus aureis
promittendo gignitis.
Scilicet:
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus!
mus forte montanus,
cujus
Cujus axungia
ab Affinibus Adeptorum Agyrtis dilaudata
Rhagades & fiſſuras Adeptorum
demulcere decet;
ut
à vanis ALCHYMIÆ fraudibus abſtinendo
manibus ſuis boni quid operentur, ut habeant,
quô ſuccurrant egenis!
I LICET!

VII. INVITATIO
Ad Funus Academicum.

Lugete Cives,
ipſa Civilitas obiit!
cernuo ergo triſtique vultu cernite,
quam dira duraque ſentiat
FAMIGERATA MOLLENBECIORUM FAMILIA,
ad quæ
non molli, nec effœminato, ſed generoſo pectore animum quidem indurarat

Vir Illuſtris & Magnificus

DN. BERNHARDUS LUDOVICUS

MOLLENBEC,

JCtus, Sereniſſimi Landgravii Haſſo-Darmſtadini Conſiliarius intimus,

Academiæ Giſſenæ Cancellarius & Anteceſſor Primarius,

Comes Palatinus Cæſareus, &c.

poſtquam

triplicem trium Generorum haud degenerum,

Theiologi, Jureconſulti, Medici,

in Eccleſia, Academia, Curia, in ſuo quovis genere inſignium,

inſignem jacturam tulerat.

Nunc tamen ipſe funus redditus.

Heu quot infortunia!

Quæ fulminis inſtar non mollia, ſed dura & tot jacturis indurata pectora feriunt;

Adeo nulla calamitas ſola!

O impenetrabile fatorum penetrale! o ſecretiſſimum cœli decretum!

O conclamatum Parcarum concluſum!

Quo

terræ viſceribus includuntur Viſcera & Nervi Patriæ,

Lumina & Columina Eccleſiæ, Decora & Ornamenta Academiæ.

Interea

ruptis fractisque tumbæ cancellis effractaria jam avolavit fama,

MAGNIQUE CANCELLARII

Nomen Illuſtre ad aſtra tulit,

cujus vita, invita invidia etiam fatente, nil niſi vitis erat

pampinis omnis generis virtutum ebria,

quas a Parentibus honeſtiſſimis implantatas excoluit Ingenium feliciſſimum,

& in-

& induſtria indefeſſa ſic maturavit,
ut præmaturis adhuc ætatis annis in cathedra mores
formarit ipſe moratiſſimus,
mox intimos Themidis receſſus Suada indicibili perſuaderet,
perſuaſos exerceret,
exercitos exercitiis cathedralibus & reſponſis legalibus
(quorum ingens, ſi Deus voluiſſet, volumen propediem evulgaſſet,)
ſic illuſtrarit,
ut illuſtribus tandem & ſummis infulis
Conſiliarii Principalis intimi & Cancellarii Academici,
aliisque titulis ornatus
fulgentiſſimum Urbis & Orbis Sidus & Ornamentum fuerit,
nunc vero
damna tam facile non reſarciendo nobis ereptus,
dum annum climactericum magnum immediate præcedente
anno, die XVII. Januarii
animo conſtante pioque animam auro contra pretioſiorem efflavit.
Requieſcant maneantque in pace Manes!
Molliter cubent Oſſa Tua,
MOLLENBECI DESIDERATISSIME!
Vos autem,
CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI,
exuviis tanti Viri nobiſcum exequias parate,
funerisque deductioni hodiernæ
pro ſueta vobis comitate vos comites præbete,
ad quam
& alios Muſis noſtris bene cupientes Literatos
officioſe invitat
RECTOR ACADEMIÆ GISSENÆ,
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
PP. die XXIII. Jan. A. MDCCXX. ſub ſigillo Acad. Maj.

VIII. In-

VIII. INVITATIO
AD
Panegyrin Genethliacam.

ADeſto Haſſia,
magni Germaniæ Principatus germen
diu rogaſti, ut obtineas, diu, ut retineas, rogato!
Adeſto Viator,
omineque omnium rariſſimo rem mirabere miram,
NATALIS AVI NATALIS EST NEPOTIS,
Serenus utrobique Sereniſſimi,
dum eodem
quo
Nutritius Academiæ Clementiſſimus,
SERENISSIMUS PRINCEPS ac DOMINUS,
DN. ERNESTUS LUDOVICUS,
HASSIÆ LANDGRAVIUS, PRINCEPS HERSFELDIÆ,
Comes in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda,
Schaumburgo, Yſenburgo & Budinga,
Anno MDCLXVII. naſcebatur die menſeque
Immenſo Haſſiæ gaudio
labente nuper Anno MDCCXIX
prognatus eſt

SERE-

SERENISSIMI PRINCIPIS HÆREDITARII
ac DOMINI,
DN. LUDOVICI,
ut &
SERENISSIMÆ PRINCIPIS ac DOMINÆ,
DN. CHARLOTTÆ CHRISTINÆ
MAGDALENÆ JOHANNÆ,
HASSIÆ LANDGRAVIÆ, PRINCIPIS HERSFELDIÆ,
Comitis Cattimeliboci, Deciæ, Zigenhainæ, Niddæ, Schaumburgi, Iſenburgi & Budingæ, natæ Com. Hanoviæ, Rheineckii, Bipontium, Dominæ in Müntzenberg, Lichtenberg & Ochſenſtein.
FILIUS PRINCEPS PRIMOGENITUS,
DN. LUDOVICUS,
Avis decorus, Parentum decus,
tam omnibus clarus quam charus.
Dies autem erat emenſi nuper menſis Decembris decimus quintus,
non omine ſolum, ſed & ſolatio plenus.
Naſcere igitur Heroum Hæres feliciſſime,
ipſa Tibi blandos fundant cunabula flores.
Fundite & Vos ſuſpiriorum piorum flores,
CIVES LUDOVICIANÆ GENEROSI,
&
dum Orator Academiæ hujus facundiſſimus
DN. MATTHIAS NICOLAUS KORTHOLT,
proximo Jovis die
ſua quoque & totius Senatus Academici vota
profunda cum devotione fundet,
Panegyrin ſolenniſſimam,
natalibus tanti Principis conſecrandam,
Celebritate & frequentia Veſtra celebriorem reddite:

Ad quam
Omnes omnium Ordinum Literatos Literarumque Patronos
Officioſe admodum invitat
RECTOR ACADEMIÆ,
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
Archiater Princip. & Prof. Med. Ord.
PP.
Die XXVIII. Ianuarii A. MDCCXX. ſub Sigill. Acad. Maiori.

IX. INVITATIO
AD
Orationem Valedictoriam Rectoris.

GAudete Critici!
Magna Academiæ Gieſſenæ Criſis imminet,
quæ
vix ſuperato a Rectore Anno Climacterico Magno
per gratioſi numinis Clementiam,
ac Clementiſſimi Principis Gratiam,
Fundato in Fundatione prima computo,
ſub felici novi Anni ingreſſu
Novum & proprium Annum Climactericum ingreditur,
Magno eo Majorem
quod
lumen MAJUS extinguit MINUS.
RESTAURATA SIC AN. MDCL. LUDOVICIANA
Novam hoc Anno Reſtaurationem ſubit,
quando

vocatis

vocatis undique Profeſſoribus novis;
Theiologo e Suevia,
Jureconſulto e Weſtphalia,
Medico ex Haſſia,
Philoſophis e Gallia & Saxonia,
NOVUS ACADEMIÆ RECTOR
quoque eligendus eſt.
Sic nova facta ſunt omnia,
Manente tamen nec dum antiquata
antiqua LUDOVICIANÆ Fama,
quæ
fide erga Deum & Fidelitate erga Principem
antiquum ſemper obtinens
Deum adorat
dum
Regem honorat.
Vos:
CIVES ACADEMIÆ POLITISSIMI,
Perpolitam ſemper Civilitatem
nobis integram ſervate,
&
dum horis feſti hodierni haud infeſtis
ſigna faſcesque Magiſtratus Reſignaturus,
totique ſimul Academiæ valedicturus ſum,
Dato Campanæ ſigno ad Panegyrin ſolennem convolate,
ad quam
Haud invitus vos invitat
RECTOR ACADEMIÆ
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
Archiater Principalis, Profeſſor P. Ordin. & Adminiſtrationis
Oeconomicæ Inſpector.
PP. Giſſæ die 1. Jan. MDCCXXI. ſub Sigill. Acad. Majori.

X.

Tabula in Atrio Choragii Giſſeni ſuſpenſa.

A. Ω.
Sub
Auſpiciis
nutuque Sereno
Nutricii Sereniſſimi,
DN. ERNESTI LUDOVICI,
Haſſiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga &c. &c.
Ædificio huic
THEATRO ANATOMICO
Annuæque Annonæ
dicato
Anno MDCC
Ad clavum Academiæ ſedendo
primum clavum impellebat,
abhinc
Anno MDCCXX
CHORAGIO HOC PUBLICO
artificioſo artuum flexuræ
Civiumque Civilitati
ſacrato
appropinquante vitæ colophone
ultimum illi colophonem imponebat
RECTOR ACADEMIÆ
MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI
Archiater, Prof. & Inſpector rei Oeconomicæ,
Anno æt. 64.

AD-

ADIVNCTA, ad pag. { 147 148 150

Lit. A.

WIr FERDINANDT der Ander, von GOttes Gnaden, Ervvöhlter Römiſcher Kaiſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, zu Hungarn, Böheim, Dalmatien, Croatien vnd Sclavonien, &c. König, Ertz-Hertzog zu Oeſterreich, Hertzog zue Burgunt, zu Brabant, zu Steyr, zu Cärnden, zu Crain, zue Lützemburg, zu Würtemberg, Ober-und Nieder-Schleſien, Fürſt zu Schvvaben, Marggrave des Heiligen Römiſchen Reichs, zue Burgavv, zue Mähren, Ober-und Nieder-Lausnitz, Gefürſter Grave zue Habſpurg, zu Tyrol, zu Pfierd, zue Küburg und zue Görtz, &c. Landtgrave in Elſäſs, Herr auf der Windiſchen Marck, zu Porttenavv und zu Salins, &c. Bekhennen offentlich mit diſſem Brieff, vnd thuen kundt allermenigelich, vviewvohl Wir aus Röm. Kaiſerlicher Höhe vnd Würdigkeit, darein vns der Allmechtige, nach ſeinem Gœttlichen Willen geſetzet hat, auch angeborner Güette vnd Miltigkeit alletzeit genaigt ſeindt, nicht allein eines jeden Vnnſers vnd des Heiligen Rœmiſchen Reichs Vnderthonen vnd Getrevven, ſondern auch gantzer Communen vnd Corporum, Ehr, Nutz, Auffnemmen vnd Beſſtes zubetrachten vnd zubefürdern, So vvürd doch Vnſer Kaiſerlich Gemüeth mehrers bevvægt, denen Communen vnd Vniverſitæten Vnſer Gnadt vnd Sanfftmütigkeit mittzutheilen, auch jhren Nahmen in hœhere Ehr vnd Würde zu ſetzen, darin ſich von gerhaumer Zeit vnd noch verſchiedene vvohl qualificierte,

tierte, vnd ſonderlich Vnſerer Kaiſerlichen beſchriebenen Rechte Treffentlich erfahrne ſubjecta, Doctores vnd Profeſſores befunden, vvelche zu Vnnſer vnd deſs Heiligen Rœmiſchen Reichs Zierde, Nutzen vnd Frommen, mit erſprieſslicher Information der Jugent, rhüemlichen Scriptis vnd in offenen Truck gegebenen Operibus, Reſponſis vnd Conſiliis, in-und auſſerhalb deſs Reichs guete nutzliche Officia præſtiret, vnd ſich darmit als Tugenthaffte Leuthe vmb den gemeinen Nutzen vnd Beſſtes vvohl verdienet gemachet, auch durch ſolche ihre getrevve vnd nutzliche Dienſte, Vnſer vnd deſs Heil. Rœm. Reichs Wohlfart vnd Aufnemmen gemehret, gezieret, befürdert und erhalten vvürdt. Wann Wir nun genediglich angeſehen, vvahr genommen vnd betrachtet die Erbarkeit, Redlichkeit, Geſchicklichkeit, auch die rhüemliche feine Opera, Commentaria vnd Reſponſa, damit die Erſame, Gelerthe, Vnnſere vnd des Reichs liebe getrevve Decani vnd Profeſſores der Juriſten Facultæt, in der Univerſitæt zu Marpurgk, Vnnſere Kayſ. beſchriebene Rechte vnd Satzungen, mit ſonderbarem Fleiſs vnd Dexteritet zue des gemeinen Juſtici-vveeſens vnd Information der ſtudierenden Jugent, vnd zu Ihrem ſelbſt eigenem vnſterblichen Rhuem illuſtriret vnd getzieret, vnd Vnns mehrmahls zu genædigiſtem Gefallen recommendiret, deren auch eines Thails in Vnnſerm Kayſerlichen Reichshofrath, Kayſerlichen Cammergericht, vnd andern tribunalibus, auch hohen Schulen, in votando, decidendo, reſpondendo vnd docendo, allegiret, uſurpiret, vnd nutzlich gebrauchet vverden, auch noch tæglichs in ſolchem Fleiſs und Geſchicklichkeit fortſetzen, vnd dann hinfüro nichts vveniger zu thuen vnd zu ertzaigen gehorſamiſt vrbiettig ſeind, auch vvohl thuen mögen vnd ſöllen, Wann auch über diſs alles Wir genediglich ervvogen, die gemainnutzliche ſehr angenehme, redliche vnd trevve Dienſte, vvelche Vnns vnd dem Heil. Reiche, der Hochgeborne GEORG, Lanndtgrave zu Heſſen,

Grafe

Grafe zu Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain vnd Nidda, &c. Vnnſer lieber Ohaim und Fürſt, erzeigt hat, und noch ervveiſen thuet, Darumben auch Sr. Lden Wir mit ſonderbaren Kayſerlichen Gnaden vnd allem Guetem beharrlich gevvogen, genaigt vnd beygethan ſeindt vnd bleiben, vnd Sr. Lden. als eines rechten Liebhabers vnd Befòrderers aller Ehrlichen Studien, Deutſches, Löbliches vnd Fürſtliches Gemüeth ſo vveit erkant haben, daſs S. Lden alle Ihrer Vniverſitæt zu Marpurgk vviederfahrende Guetthaten ſehr vverth achten, und Ihro ſelbſt dardurch gratificiren laſſen, So haben demnach in Anſehung deſſen allen, Wir mit vvohlbedachtem Mueth, guetem Rath vnd rechtem Wiſſen, auch auſs ſonderbaren Ihnen vvohl affectionirten Kayſerlichen Gnaden vnd ſelbſt eigener Bevvögnüſs gedachter Juriſten Facultæt zu Marpurgk zu Ergötzlichkeit jetztangeregter Ihrer Geſchicklichkeit den gemeinen Studiis *vnd* Juſtici-*vveeſen geleiſteten Dienſten, auch Ehrlich und Rhüemblichen Wohlverhaltens, den jedesmahl darinn vveeſenden vnd vvürcklichen* Decanum, *in die Ehr vnd Würde, Vnnſerer Kayſerlichen Pfaltz-vnd Hofgraven, zu Latein* Comites Palatini *genannt, erhœbet, gevvürdiget vnd geſetzet, auch zu der Geſellſchafft, Schar vnd Gemeinſchafft anderer Vnnſerer* Comitum Palatinorum *zugeeignet, gegleichet, geſellet und zuegefüeget, Erheben, vvürdigen vnd ſetzen denſelben, der, vvie gemeldet, jedesmahls vvürcklicher* Decanus Facultatis Juridicæ *ſeyn vvürdt, in die Ehr und Würde, zueignen, gleichen, geſellen, vnd füegen denſelben zu der Schar, Geſell-und Gemeinſchafft anderer* Comitum Palatinorum, *von Rœmiſcher Kayſerlicher Macht Vollkommenheit vviſſentlich vnd vvohlbedæchtlich, in Krafft diſs Brieffs, Vnd mainen, ſetzen vnd vvollen, daſs nun hinführo der jederzeit vveſender* Decanus Facultatis Juridicæ *bey der Vniverſitæt Marpurgk, vvie andere* Comites Palatini, *alle vnd jegliche* Privilegia, *Gnadt, Freyhait,*

Ehr,

Ehr, Würde, Vorthail, Recht vnd Gerechtigkeit haben, ſich derſelben frevven, gebrauchen vnd genüeſſen, von Recht oder Gevvonheit, von Allermenigelich vngehindert.

Wir geben auch hiermit ermeltem Decano *Vnnſer vollkommen Macht vnd Gvvalt, daſs Er an Vnnſer Stadt vnd in Vnnſerem Nahmen die Perſohnen, ſo er dartzu tauglich vnd geſchickt achten vvürdt (vvelches vvir ſeinem Gevviſſen vnd Beſchaidenheit haimbgeſtellet haben vvollen) zu Notarien, offentlichen Schreibern vnd Richtern creiren vnd machen ſolle, alſo, daſs dieſelben offene gemaine Schreiber, Notarien vnd Richter, durch das ganntze Heilige Römiſche Reich, auch Vnnſere Erb-Königreich, Fürſtenthumb vnd Lannde für ſolche gehalten, vnd aller vnd jeglicher Privilegien, Freyheiten, Genaden, Ehren, Würden vnd Vortheilen, auch ihres Ambts allenthalben, vnd in allen Gerichtlichen vnd andern Handlungen, Contracten vnd Teſtamenten, letzten Willen vnd allen andern Sachen vnnd Geſchäfften, Ihr Ambt berürent, gebrauchen, treiben, üben vnd nüeſſen ſollen vnd mögen, als andere gemeine offentliche Schreiber,* publici Notarii *genant, vnnd Richter, von Vnſeren Vorfahren am Heiligen Römiſchen Reich, oder Vnnſeren Kayſerlichen Gevvalt, gemacht und creiret, ſolches alles haben, gebrauchen, genüeſſen vnd üben, von Recht oder Gevvonheit, vnverhindert Allermeniglich, Doch ſolle gedachter jederzeit vveſender* Decanus Facultatis Juridicæ *zu Marpurgk ſolche Notarien, ſo Er jederzeit vvegen der Facultät begnadigung creirn vnd machen vvürde, an Vnnſere, auch Vnnſerer Nachkommen am Heil. Römiſchen Reich ſtadt, vnd in derſelben vnd Vnſerem, auch des Heil. Reichs Nahmen, in gebührlich Gelübt vnd Ayd nehmen, Inmaſſen Ihnen ſolch Gelübt und Ayd von ſolcher Aembter vvegen zu thuen gebüret, getrevvlich vnd ohn alle Geführde.*

Der vorgenannt jederzeit vvürcklich vveſender Decanus

Juri-

Juridicæ Facultatis *bey der Vniverſität Marpurgk, ſoll vnd mag auch Manns- vnd Weibsperſonen, Edel vnd Vnedel, (allein Fürſten, Graven vnd Freyherrn Geſchlecht auſsgenommen) jung vnd alt, die auſſerhalb der heiligen Ehe geboren ſeindt, vvie die Nahmen haben, legitimiren vnd Ehrlich machen, vnd mit denſelben ihrer Macul vnd Vermailigunge, der unehelichen Geburth halben, diſpenſiren, ſolche unſchuldige Macul vnd Vermailigunge von ihnen gäntzlich auffheben, abthuen vnd vernichten, vnd Sie in die Ehr vnd Wurde des Ehelichen Standtes ſetzen vnd erheben, Alſo, daſs denen, ſo, vvie obſtehet, von Ihme* Decano Facultatis Juridicæ *geehelichet vnd legitimiret, ſolch jhr uneheliche Geburth vveeder inner- noch auſſerhalb Gerichts- noch ſonſten in keine andere Weiſe zu keiner Schmach, Schandt, Veracht- und Verkleinerung fürgehalten, noch Sie, als vvie obgehært, unſchuldige, deren in einigen Hændeln oder Sachen, Geiſtlichen und Weltlichen, entgelten; ſondern für Ehelich gehalten, und zu allen Ehren, Würden, Bürgerlich- und andern Aemptern, Zünfften, Handvvercken und Geſellſchafften, vvie andere, ſo von Vatter und Mutter recht Ehelich geboren ſeind, angenommen und zuegelaſſen vverden, und derſelben auch aller und jeglicher Gnaden, Freyheiten, Vortheilen, Rechten, Gerechtigkeiten und gueten Gevvonheiten, mit Geiſt- und Weltlichen, Bürgerlichen und andern Lehen und Aemptern zu haben, zu empfahen, anzunemmen und zu tragen, Lehen und alle andere Gericht und Recht zu beſitzen, Vrtheil zu ſchœpffen und Recht zu ſprechen, in allen und jeglichen ehrlichen redlichen Handlungen, Stænden und Sachen, und des alles empfænglich darzu tauglich, paſſirlich und guet, auch aller Erbſchafften, es ſey durch Teſtament, letzten Willen,* donation *oder* ab inteſtato, *und in alle andere Weg theilhafftig und vehig ſeyn, auch ſich deſſen alles und jedes ſampt und ſonderlich frevven, gebrauchen und genieſſen ſollen und mögen, doch denen andern Ehelichen natürlichen Erben, in ab- und auffſteigender Linien, derſelben Geſchlechte, an ihren gebürenden Erbſchafften und* legitima *vnvergriffen vnd vnſchædlich.*

Gleichergeſtalt geben vvir auch obbenanntem, jedesmahls vveſendem Decano Facultatis Juridicæ *bey der Univerſitæt Marpurgk noch ferner Unſere vollkommene Macht und Gvvalt, Vormündere*, Curatores, *Vögte und Pflegere, ſo von andern gegeben und geſetzt vvorden, zu confirmiren, auch ſelbſt zu ſetzen und zu verordnen, und vviederumb aus redlichen, rechtmeſſigen Urſachen zu entſetzen, auch Söhne und Töchter zu adoptiren und zu arrogieren, und ſolche adoptirte, auch andere ehelich und unehelich geborne und legitimirte Perſohnen zu emancipiren, und Sie vætterlichen Gevvalts; deſsgleichen leibaigene Leuthe und Knechte ihrer Leibaigenſchafft und Dienſtbarkeit zu erlaſſen und zu erledigen, mit den Münderjæhrigen und Vnvogtbaren ihres unvollkommenen Alters und Mængl halber zu diſpenſiren, Decret und Authoritæt zu interponieren.*

Weiter die verleumbdte und infamirte Perſohnen tam juris, quàm facti *zu reſtituiren, Sie auch vviederumb nach auffgehebter Schmach, die ihnen zugefuegt vverden möchte, zu übung aller Handlunge, inner-und auſſer Gerichts vehig, tauglich und geſchickt machen, alles nach Ordnung Vnnſerer Kayſerl. geſchriebenen Rechten, und des Heil. Rœm. Reichs Satzungen und Herkommen.*

Ferner geben Wir auch gedachtem Decano Facultatis Juridicæ *in der Vniverſitæt Marpurgk, der es jederzeit ſeyn vvürdt, noch ferner Vnnſer vollkommene Macht und Gvvalt, daſs er* Poëtas Laureatos, *nach befundener* Qualification *und darzu gehœriger Geſchicklichkeit, creiren, machen und denſelben* Lauream *concediren kœnne, ſolle und mœge.*

Deſsgleichen thuen und geben Wir auch offternanntem Decano Facultatis *diſſe beſonndere Gnadt und Freyheit, daſs er Ehrlichen redlichen Leuthen, die Er deſſen vvürdig erachten vvürde (vvelches Wir dann ſeinem Gefallen und Beſchaidenheit haimgeſtellet haben vvollen) einem jeden nach ſeinem Standt und Weeſen, Zaichen, Wappen und Clainoth, mit Schilt und Helm geben*

und

und verleihen, dieſelbe Wappen und Lebensgenoſs machen, ſchæpffen und erheben ſolle, kan und mag, alſo, daſs alle dieſelben Perſohnen, ſo abgedachter Decanus Facultatis Juridicæ *zu Marpurgk mit Wappen und Clainothen, Schilt und Helm, vvie obſtehet, begaben und fürſehen vvürde, auch ihre eheliche Leibs-Erben und derſelben Erbens-Erben, Mann-und Weibs-Perſohnen ſolche Zaichen, Wappen und Clainoth mit Schilt und Helm für und für in evvige Zeit haben, führen, und ſich deren in allen und jeden ehrlichen, redlichen Sachen, Handlungen und Geſchæfften, zue Schimpff und Ernſt, in Stürmen, Streitten, Kæmpffen, Geſtechen, Gefechten, Gemæhlten, Panirn, Innſiegeln, Petſchafften, Clainothen, Begræbnuſſen, und ſonſt an allen Ortten und Endten, nach ihren Ehren, Notturfften, Willen und Wollgefallen gebrauchen, auch darzue alle und jede Gnaden, Freyheiten, Ehren, Würden, Vortheil, Recht-und Gerechtigkeiten, mit Aembtern und Lehen, Geiſt-und Weltlichen antzunemmen, zu haben, zu empfahen und zu tragen, mit andern Vnnſern und des Heil. Ræm. Reichs Wappen und Lebensgenoſſen Leuthen, Lehen und all andere Gericht und Recht zu beſitzen, Vrtheil zu ſchöpffen und Recht zu ſprechen, auch des alles theilhafftig, vvürdig, empfænglich und darzue tauglich, geſchickt und guet ſeyn, in Geiſtlichen und Weltlichen Stænnden und Sachen, ſich deſſen alles frevven, gebrauchen und genüeſſen ſollen und mögen, als andere Vnnſere und des Heil. Ræm. Reichs, auch ander Vnnſerer Erb-Kænigreiche, Fürſtenthumb und Lannde, Lebens-und Wappensgenoſs-Leuthe, ſolches alles haben, von Recht oder Gevvonheit, vngehindert allermenigelichs. Doch ſolle gedachter* Decanus Facultatis *ſein fleiſſig Aufmerckhen haben, daſs er in Krafft dieſer Vnnſerer Kayſerlicher Freyheit und Gnade, Vnnſern Ræmiſchen Kayſer-oder Kæniglichen Adler, auch ander Vnnſerer Erb-Kænigreich, Fürſtenthumb und Lannde, vvie nicht vveniger anderer Fürſten, Grafen oder Freyherrn Alt Erblich Wappen und Clainoth, auch inſonderheit jemandten, vvehr der oder die vvehren, nicht allein keinen offe-*

nen Helm, vveder auch eine noch mehrer Königliche Cronen auf dem Helm, im Schilt oder ſonſten in andere Weege (vvelches Wir Vns dann hiemit austrückhenlich vnd ernſtlich vorbehalten haben vvollen) nicht verleihe oder gebe.

Dartzue geben Wir Ihme jederzeit vveſendem Decano Facultatis Juridicæ *bey der Vniverſitæt Marpurge noch ferner Vnnſere ſonderbare Vollmacht und Gevvalt, alſo und dergeſtalt, daſs er von allerhand Privilegien, Inſtrumenten, Vrkunden, Brieffen und Schrifften, vvie die Nahmen haben mögten, da Er von jemanden derhalben erſucht vvürde, ein oder mehr Tranſumpt machen, dieſelbe vidimirn, und unter ſeinem aufgetruckten und anhangendem Innſiegel authentiſiren ſoll und mag, vvelchen Tranſumpten Vidimuſſen dann allenthalben, inner- und auſſerhalb Gerichts vollkommener Glauben zuegeſtellt vverden ſolle, in aller maſs, als ob Sie von einem Fürſten, Prælaten, Grafen, Freyen, Herrn, Statt, Gemeinde, Lanndt oder andern Gerichte, vidimirt und authentiſirt vveren. Die* Prærogativam *und Würde eines* Comitis Palatini, *ſoll jedesmahls der jenige* Profeſſor Juris, *vvelcher* Decanus in Facultate Juridica Marpurgenſi *iſt, tragen, haben und exercieren, ſo lang und ſo offt Er* Decanus *iſt, nach abgelegtem* Decanatu *aber, ſoll ſolche Dignitæt von Ihm ab- und auf den folgenden* Decanum *kommen, und alſo jederzeit die* Comitiva *dem* Decanatui *anhangen.*

Wir und Vnſere Nachkommen am Heil. Ræm. Reich ſollen und vvollen mehr gedachten, jetzo oder in zukünfftigen Zeiten, ſo lang die Vniverſitæt Marpurgk in Weſen und Verfaſſung verbleibt, jedesmahls verordneten vvürcklichen Decanum, *gemelter Juriſten Facultæt daſelbſten, bey dieſen Vnſern hievor beſchriebenen Kayſ. Gnaden, Gaben, Freyheiten und Privilegien, ſteth und veſſtiglich handthaben, ſchützen und ſchirmen, auch darvvider vveder vvenig noch vihl, über kurtz oder lang ausgehen laſſen, und ob das hiebevor von Vnnſern Vorfahrn oder Vnns ſelbſt beſchehen vvere, oder noch ins künfftig aus Vergeſs. und Vnvviſſenheit beſchehe, ſo*

ſoll

ſoll doch ſolches alles kain Krafft, Macht, noch Würckung haben, vvelches Wir auch jetzt als dan, und dan als jetzt aus Rœm. Kayſ. Macht, Vollkommenheit, in Krafft diſs Brieffs, hiemit vvohlbedächtlich aufgehebt, caſſirt, vernichtet, abgethan, und demſelben gantz und gar derogirt haben vvollen.

Und gebieten darauf allen und jeden Churfürſten, Fürſten, Geiſtlich- und Weltlichen Prælaten, Graven, Freyen, Herrn, Rittern, Knechten, Lands-Haubtleuthen, Land-Marſchalchen, Landvögten, Haubtleuthen, Vitzdomben, Vögten, Pflegern, Vervveſern, Ambtleuthen, Landrichtern, Schulthaiſen, Bürgermaiſtern, Richtern, Räthen, Kündigern der Wappen, Ehrnholden, Perſevanten, Bürgern, Gemainden, und ſonſt allen andern, Vnnſern und des Heil. Rœm. Reichs, auch Vnſerer Erb-Königreich, Fürſtenthumb und Lande Vnterthonen und Getrevven, in vvas VVürden, Stand oder VVeeſen die ſeindt, ernſtlich und veſſtiglich mit diſſem Brieff, und vvollen, daſs ſie den offternannten jederzeit vveeſenden Decanum Facultatis Juridicæ *bey der Vniverſitæt Marpurgk, bey allen obbeſchriebenen Vnnſern unterſchiedlichen Kayſerl. Gnaden, Gaben, Privilegien und Freyheiten gäntzlich und in allvveg handthaben, ſchützen, ſchirmen, und in ſolchem allen nicht hintern noch irren, ſondern zu deren aller und jeder inſonderheit obberürter maſſen ohne einigen Eintrag, Irrung oder Verhinternüſs gerhuvvig und vvürcklich frevven, gebrauchen, genüeſſen, und gäntzlich dabey bleiben laſſen, auch hiervvider nicht anfechten, betrüeben, belaidigen oder beſchvvern, noch daſs jemandts andern zu thun geſtatten, in kein VVeiſs noch VVeg, als lieb ainem jeden ſey, Vnnſer und des Reichs ſchvväre Vngnadt und Straff, und dartzue ain Poen, nemblichen ſechtzig Marckh löttiges Goldts zuvermeiden, die ein jeder, ſo offt Er fräventlich hiervvider thette, Vnns halb in Vnnſer und des Reichs Cammer, und den andern halben Thail vielgedachtem* Decano Facultatis Juridicæ *bey der Vniverſitæt Marpurgk vnnachlæſslich zu bezahlen, verfallen ſeyn ſolle.*

Mit Vhrkundt diſſes Brieffs, beſigelt mit Vnnſerm Kayſerl. Anhangenden Innſiegel, Geben in Vnnſer Stadt Wienn, den Vierten Monatstag Decembris *nach Chriſti Vnſers lieben HErrn und Seeligmachers Geburt, im Sechtzehenhundert und Dreiſſigſten, Vnnſer Reiche, des Rœmiſchen, im Zvvelfften, des Hungariſchen, im Dreyzehenden, und deſs Bohaimiſchen, im Viertzehenden Iahren.*

Ferdinand

Vt.

P.H.V. Stralendorff.

Ad Mandatum Sacæ. Cæſæ. Majeſtatis proprium

M. *Arnoldin V. Clarſtein.*

L. B.

VOn GOttes Gnaden VVir Ludvvig Landgraf zu Heſſen, Graf zu Katzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain und Nidda, &c. Thun kund hiermit offentlich bekennende: Demnach Wir Uns aus Chriſtlichem Eyfer und Sorgfæltigkeit bedæchtlichen zu Gemüth gezogen, vvelchergeſtalt der Allmæchtige gütige GOTT Uns in den Fürſtlichen Stand und Ambt der Obrigkeit geſetzt, auch mit Land und Leuthen, zuvor derſt nun mit der reinen, vvahren und allein ſeeligmachenden Lehr und dem heiligen Wort GOttes, in allermaſſen ſolches in den Propbetiſchen und Apoſtoliſchen Schrifften, den bevvehrten Symbolis *und der ohnverænderten Augſpurgiſchen* Confeſſion, *ſo in* Anno 30. *Kæyſer* Carolo Quinto *von den* proteſtirenden *Stænden zu Augſpurg übergeben vvorden, zuſambt deroſelbigen* Apologie *und Catechiſmo Lutheri gnædiglichen begabet, darfür Wir ſeiner Göttlichen Allmacht billig danckbahr ſeyn; vvelche Lehr von Unſern Löbl. Vor-Eltern, Fürſten zu Heſſen, &c.*

nicht

nicht allein mit Gefahr und Zuſetzung Land und Leuthe mit ſonderem Chriſtlichen Eyfer bis an Uns Lobpreiſslich und mit mercklichen Sorgen GOttes und gedeylichen Aufkommen, Ruhe und Wohlfarth Dero Land und Leute beſtändiglichen geführet, defendiret *und erhalten, ſondern auch darinnen Wir, von Unſern Kindlichen Tagen, bis anhero aufferzogen und unterrichtet worden; Dabey Wir dann auch vermittelſt Göttlicher Verleyhung, die Zeit Unſers Lebens beſtændiglichen zuverharren entſchloſſen, und Uns darneben nichts hohers angelegen, dann daſs Wir ſolche Chriſtliche Lehr, ſo wohl bey Unſern Landen und Leuten erhalten und fortpflantzen, als auch auf Unſere* Poſteritæt *und Nachkommene* tranſmittiren *und bringen mogen: Und aber zu Erhaltung und Fortpflantzung reiner und geſunder Gœttlicher Ehr, der heilſamen* Juſtitien *und gottſeeligen Weſen und Wandels, næchſt Gœttlicher Begnadigung nichts nützlichers und nothwendigers, als wohlbeſtellte Schulen anzuordnen und zu* fundiren, *in welchen, als des Heil. Geiſtes* Officinen, *ſo wohl zu Kirchen und Schulen, als auch dem weltlichen Regiment und guter Policey tæglich Perſonen auferzogen und unterrichtet werden. Daſs Wir derohalben GOtt dem Allmæchtigen zu Ehren, Lob und Preiſs, auch aus treuhertziger Lands-Vætterlicher und Chriſtlicher* Affection *und Lieb gegen Unſere Landen und Leute, auch der lieben* Poſteritæt *und Nachkommen zeitlichem und ewigem Gedeyen und Wohlfahrt eine* Univerſitæt *und hohe Schule, mit nicht geringem Koſten und nothdürfftigen Unterhalt der* Profeſſoren *und* Præceptoren, *und anderen darzu gehœrigen Perſonen, nicht allein zu Gieſſen angeordnet, ſondern auch dieſelbige mit ſonderbahren* Privilegien *und Freyheiten, auch nützlichen und heilſamen* Legibus, *Satzungen und Ordnungen, in allermaſſen dieſelbige in dieſem Brieff von Puncten zu Puncten geſetzet, und hierunter beſchrieben ſind, wiſſentlich und wohlbedæchtlich begnadiget, bewiddumbt und verſehen haben; Und haben Uns hierzu Anlaſs gegeben bedenckliche und wichtige Urſachen,* deren

deren in denen dabevor Unſerm Gymnaſio ertheilten Privilegien mit mehreren Meldung geſchiehet. Neben dem Unſere getreue und gehorſame Ritter und Landſchafft ſich ſolches Unſers Chriſtlichen Vorhabens nicht allein höchlichen und hertzlichen erfreuet, ſondern Uns auch Rath und That, und alle getreue Hülffe und Vnterthænige Handbiethung zugeſagt.

Damit nun bey dieſem Chriſtlichen und hoch-nöthigen Werck um ſo viel mehr ein glücklicher beharrlicher Fortgang von GOtt dem Allmæchtigen, vvelcher der Anfang, Mittel und End alles Guten iſt, zu hoffen, und zugevvarten ſeyn möge; So vvollen, befehlen und verordnen Wir, daſs über dieſer Vnſerer Verordnung und Fundation ſteiff und feſt, allermeiſt aber über der reinen ohnverfælſchten Religion und dem vvahren ſeeligmachenden Wort GOttes, ſo in den Prophetiſchen und Apoſtoliſchen Schrifften gegründet, und in den Haupt-Symbolis, desgleichen ohngeænderter Augſpurgiſcher Confeſſion, ſo Anno 30. Vnſer in Gott ruhender Groſs-Herr-Vatter Landgraf Philips Chriſt-milder Gedæchtnüſs, neben andern Reichs-Stænden, Kæyſer Carlen den Fünfften zu Augſpurg übergeben, Deroſelben Apologi und Catechiſmo Lutheri erklæret iſt, von Vnſern Erben und Nachkommenen Fürſten zu Heſſen, &c. mit rechtem gottſeeligem Eyfer unverrückt gehalten, auch von den Theologis oder Profeſſoribus, ſo Wir oder Vnſere Erben und Nachkommene, jederzeit zur ſelbigen hohen Schuhl gnædig gebrauchen vverden, vveder offentlich noch heimlich, bey zeitlicher und evviger Vngnade GOttes darvvider nichts in lectionibus, diſputationibus und dergleichen gelehret, geſchrieben oder eingeſchoben vverden ſoll.

Wir vvollen auch, daſs alles dasjenige, ſo Wir an Gebævven, jæhrlichen Einkommen, Renthen und Gefællen, oder vvie das Nahmen haben mag, zu ſolcher fundation übergeben, verordnet und vervvittumbt, oder inskünfftig von Vns oder andern noch mehr hinzu geſtifftet vverden vvird, bey ſolcher hohen Schule gelaſſen, und von Vnſern Erben oder Nachkommenen Fürſten zu Heſſen, &c.

oder ſonſten Niemanden darvon genommen, noch zu evvigen Tagen, allermaſſen Wir Uns in Unſerm dabevor dem Gymnaſio *ertheilten* Privilegio *erklæret, in andere* Uſus *oder zu andern Sachen vervvendet vverde.*

Wir privilegiren *und befreyen auch hieneben ſolche Unſere hohe Schule und* Univerſitæt*, und thun ſolches mit vvohlbedachtem Muth, rechten Wiſſen, und zeitlich gehabten Rath für Uns, alle Unſere Erben und Nachkommen gegenvværtig und Krafft dieſer* Fundation *und Bevviddumung in der allerbeſten Form, Maaſs und Geſtalt, vvie daſſelbige nach geiſtlichen und vveltlichen-Rechten, Herkommen und Gevvohnheiten am beſtændigſten und kræfftigſten beſchehen ſoll, kan oder mag, mit nachgeſetzten Freyheiten und* Privilegien*: und vvollen, daſs über ſolchen Freyheiten ſteiff und feſt gehalten, und darvvider von Unſern Erben und Nachkommen keinesvvegs gethan vverde, in keinerley Weiſe, noch Wege, vvie ſolches Menſchen-Sinne immer erdencken mægen. Alles getreulich und ſonder Gefæhrde; Und ſeynd diſs die* Privilegia *mehr beſagter* Univerſitæt*:*

Erſtlich vvollen Wir dieſe Univerſitæt *mit allen denen* Privilegien *und* Immunitæten *begnadiget, und in allem gleichmæſſige Freyheiten gegeben haben, mit vvelchen vveiland der Hochgebohrne Fürſt, Unſer geliebter Herr Groſsvater, Landgraff Philips der Aeltere, Lob-ſeeliger Gedæchtniſs, die* Univerſitæt *zu Marpurg begnadiget und begabet hat: In allermaſſen gemeldte* Univerſitæt *Marpurgk dieſelbige biſs dahero im Brauch und Ubung gehabt.*

Unter denſelbigen ſoll nun dieſs das Fürnehmſte ſeyn, daſs das gantze Corpus Academicum, *das iſt, alle ſo darinn lehren und* ſtudiren, tam Docentes, quam Diſcentes, *deren Weiber, Wittiben, Kinder und Geſinde, und alle der* Univerſitæt *angehærigen Glieder, den* Rectorem *für ihre Obrigkeit erkennen, ehren und halten, und Ihm allen Gehorſam leiſten: Darinnen dann Ihm von Unſern Ræthen und Beambten, vver die auch*

ſeyen (ausgeſcheiden der bekandtlichen Criminal-*Sachen) kein Eintrag geſchehen ſoll.*

Alſo ſoll der Rector *Macht haben diejenigen, ſo unter Ihm und der* Univerſitæt *angehœrig ſind, vvenn Sie den* Statutis *und* Legibus *zuvvider handeln oder leben, nach eines jeden Vervvürckung zu ſtraffen; Zu vvelchem Behuef Wir dann Unſer* Univerſitæt *ein* Carcerem *verſtattet haben, und thun Uns nichts, als vvas bekandtlich* criminal *iſt, vorbehalten.*

Damit auch die Studenten und andere der Univerſitæt *zugehœrige Perſonen ja biſsvveilen ihre* Recreationem *und Erluſtigung haben mœgen, ſo vvollen Wir ihnen hiernebens die Begnadigung gethan und vervvilliget haben, thun auch in Krafft dieſes Brieffs, daſs Sie in der gantzen Gieſſer Gemarckung, es ſeye im Wald oder Feld, nacher hohem und niedrigem Wildpret, vvilden Aent- und andern Wald-Vœgeln, vvas deſſen ſeyn mag, nichts auſsgenommen, pirſchen und hetzen, und vvas ſie ſchieſſen oder fangen, zu ſich nehmen und behalten mœgen.*

Wir vvollen auch, daſs die Profeſſores *und alle der* Univerſitæt *Angehœrige von allen Bürgerlichen Beſchvverungen frey ſeyn ſollen, und Ihnen Ihr Wein und Getrænck, vvas deſſen zu Ihrer Hauſshaltung vonnœthen, ohne alles Ungeld und* Accis *frey* paſſiret *vverde.*

Alſo auch, da deren einer oder mehr Studenten am Tiſch hielte, ſoll das jenige, vvas an Bier über der Mahlzeit aufgehet, denſelbigen frey paſſiren, *und Sie des Ungelds und* Accis *von ſolchem Bier befreyet ſeyn, doch daſs keine Parthierung hierunter gebraucht vverde.*

Ingleichem ſollen ſovvohl den Studenten, als andern der Univerſitæt *Angehœrigen Ihre Bücher, Mehl und Getrænck, das ſie zu ihrer Nothdurfft haben müſſen, in Unſerm Land Zoll-frey* paſſiren, *doch daſs hierunter keine Gefahr geſucht oder gebrauchet vverde.*

Es

Es ſoll auch die Verordnung geſchehen, daſs je zu Zeiten durch Rectorem, Decanum, *und vven Wir mehr darzu verordnen vverden, die* habitationes, *ſo die Studenten bey den Bürgern dingen, beſehen und geſchætzet: damit ſie nicht übernommen, vvie ingleichen die Tiſche nicht überſetzet vverden.*

Und dievveil zu einer Univerſitæt *ein* Notarius, *Apothecker, Buchdrucker und Buchbinder vonnöthen; ſo vvollen Wir dieſelbige der Bürgerlichen Beſchvverden auch befreyet haben.*

Es iſt auch Unſer gnædiger Will und Meynung, vvenn in Sachen etvvan à ſententiâ Rectoris & Profeſſorum *appelliret vvürde, daſs keine* Appellation *anderſt vvohin geben oder verſtattet vverden ſoll, dann an Uns ſelbſten.*

Damit auch ſovvohl der Rector, *als eine jede Facultæt in* commendationibus, teſtimoniis *und andern fürfallenden Sachen ſich eines eigenen* Sigilli *zu gebrauchen, ſo haben Wir gemeldte* Facultæten *und eine jede inſonderheit mit einem beſonderen* Sigillo *verſehen.*

Was dann ſonſten andere Sachen betrifft, ſo bey dieſer Unſerer angerichteten hohen Schul vorfallen mögten, darüber hierinnen, oder auch obangezogenen der Univerſitæt *Marpurg gegebenen* Privilegien *und* Statuten *(ſo Wir hiehero zugleich erhohlen) keine* Deciſion *oder Ordnung befindlich, dieſelbige vvollen Wir Uns jederzeit, nach Beſchaffenheit zu erörtern, und aller Billigkeit in einem oder andern Uns darauf zu erklæren hiemit in Genaden erboten und vorbehalten haben.*

Solcher Unſer künfftiger verurkundeten Verordnung ſollen Unſer Rector, Profeſſores, Studioſi *und insgemein alle Unſerer* Univerſitæt *angehörige Mitglieder und Vervvandte ſich nichts vvenigers als dieſer gegenvværtiger und viel-beſagter* Univerſitæt *Marpurg* Privilegien *und Satzungen, vvie oblautet, haben zu erfreuen, zu genieſſen, und gemæſs zu leben.*

Wir vvollen auch über das alles gegen ihren ſchuldigen Gehorſam, Treu und Fleiſs, ſo Wir ohngezvveiffelt von ihnen hoffen und im Werck ſpüren vverden, darauf gantz gnædiglichen bedacht ſeyn, ſolche Unſere aufgerichtete hohe Schul je længer je mehr mit beſſeren Begnadigungen zu erhœhen.

(SEQUUNTUR LEGES ET STATUTA.)

Daſs nun alles, vvie obgeſetzet, Unſer endlicher Will und Meynung, auch ernſter Befehl und Verordnung ſeye: Deſſen zu Urkund haben Wir dieſen Brieff mit eigenen Hænden unterſchrieben, und Unſer Fürſtlich Secret-*Inſiegel hieran hængen, und dieſer Befreyungs-Briefe zvven gleich-lautend* originaliter *aufrichten, und einen dem* Rectori *und* Profeſſoribus *berührter Unſerer* Univerſit*æt vervvahrlichen zuſtellen, und den andern in Unſer* Repoſitur *behalten laſſen. Geſchehen zu Darmſtadt den zvvælfften Monaths-Tag* Octobris, Anno Domini *Sechzehen hundert und Sieben.*

Ludwig L. G. zu Heſſen.

(L. S.)

Lit. C.

Durchlauchtigſter Fürſt,

Gnædigſter Fürſt und Herr!

E*Uer Hoch-Fürſtl. Durchl. haben* per Reſcriptum *vom 16.* currentis, *daſs Wir diejenige* Fundamenta, *vvarumb* contra Jus commune *die* Reconventio coram Magiſtratu Oppidano in cauſis Studioſorum *nicht Platz finde? abfaſſen, und unterthænigſt einſchicken ſolten, uns gnædig befohlen. Dieſem zu gehorſamſter Folge, iſt uns zvvar diejenige Rechts-Regel,* non debet quis eum dedignari Judicem, cujus in agendo arbitrium ſecutus eſt, *gar vvohl, anbey bekandt,* quod ne quidem Legati,

Per-

Perſonæ aliàs privilegiatiſſimæ, in puncto reconventionis Judicem ſemel electum effugere queant.

L. 2. §. 5. de Judic.

Wiſſen auch, daſs dieſes verſchiedene JCti ad Clericos aliosque forum quantumvis privilegiatum habentes extendi*ren. Alldievveil jedoch die berühmte*

Auth. habita C. ne Fil. pro Patr.

mit allen darinnen enthaltenen Privilegiis

Stat. Acad. Tit. 12. §. 1.

nahmentlich confirmirt *und beſtætiget vverden, ſelbige aber nicht allein in allen und jeden Fællen denen* Studioſis *gevviſſe Richter* conſtituir*et, und denenſelben darunter die* Election *gibt, ſondern auch dieſe nicht einmahl aus einer, ob gleich gerechteſten, Urſache an ein frembtes Gericht zu belangen geſtattet*, ib.

Si litem ei quispiam ſuper aliquo negotio movere velit; & rurſus: Qui verò ad alium Judicem eos trahere tentaverit, etiamſi cauſa juſtiſſima fuerit, à tali conamine cadat.

Mithin ſothane General Diſpoſition *die mehrbeglaubteſte Rechts-Gelahrte beydes* ad cauſam Con- & Reconventionis *nicht ohne Grund ziehen*, qui enim aliquem reconvenit, is ei utique litem movet

L. 11. §. 1. *de jurisdict.*

L. 15. *de except. rei jud.*

L. 34. *de procur.*

L. 1. *C. rer. amot. &c.*

Und da Fridericus *die in der* Auth. *benambte Perſonen in* cauſis Studioſorum pro Judicibus unicè competentibus agnoſcirt, *keinen andern Richter bey Straff über deren* negotia, ne quidem ex juſtiſſima cauſa, *die* Cognition *geſtattet, ſolche zu dieſem* Negotio, *als gantz und gar* incapable *ausſchlieſſet; Wie vvolten dann dieſelbe in* reconventione admittirt *vverden kœnnen?* Nam ita utique Judex Oppidanus de aliquo negotio Studioſorum, contra

mentem Imperatoris, cognoſceret. *Dieſes (2) darob deſto klærer erhellet, vveilen kein* Studioſus *vveder* tacitè *noch* expreſſè Jurisdictionem alterius Judicis in præjudicium Ordinis & Academiæ prorogiren *kan, ſondern einem zeitigen* Rectori *das* Jus avocandi competirt,

Vultej. ad L. 1. C. de Jurisd. n. 168.
Matth. Stephan. de Jurisd. L. 1. C. 22. n. 37. & C. 25. n. 50. ſeq.
Laut. Exercit. 5. Concl. 6.
Paurm. de Jurisd. L. 1. C. 25.

Ferner (3) eine bekandte Wahrheit iſt, quod cauſæ Academicæ & Studioſorum inter Eccleſiaſticas *gerechnet vverden*,

Carpzov. Ip. Conſ. L. 3. d. 3. & 12. & L. 4. d. 8.
Limn. de Ip. L. 8. C. 6. n. 4. ſeqq.
Lindeman de Acad. earumque immunit.

Zu dem Ende auch in offtberührter Auth. habita *der* Epiſcopus loci *als Geiſtl. Richter Ihnen zum* Judice *gegeben vvorden. Wobey ausſündigen Rechtens bleibet*, quod ejusmodi cauſæ coram Judice ſeculari ne quidem in puncto reconventionis tractari queant, verum ad Judicem privilegiatum ſemper & indiſtinctè ſint remittendæ,

C. 3. X. de ord. cogn.
C. 5. & 7. X. qui fil. ſint leg.
Mynſ. C. 1. C. 100.
Struv. Ex. 9. Th. 57.
Lynck. in Annal. ſub Tit. de Jurisd. th. 83.

Und vvenn gleich (4) einiger Rechts-Gelahrten Meynung nach reconventio privilegium Perſonæ *verhindert, vvohin auch obangezogener* Textus (*vvelchen* Richterus infra citandus *vveitlæufftig* explicirt) *gezogen vverden möchte,* non tamen derogat privilegio cauſæ, puta Eccleſiaſticæ ſeu Academicæ, ſed hæc coram ſuo Judice nihilominus peragenda,

Fin-

Finckelth. de Jur. Patron. c. 8. *n.* 12. & 13.
Linck. ad. Decret. ſub Tit. de mut. petit.
Zoes. ad Decret. d. t. n. 4.
Carpzov. J.P.C. L. 2. *d.* 223.
Vinn. de Jurisd. Cap. 11.
Paurm. L. 1. *C.* 23. *n.* 14. *ſeqq.*

quia Judex Oppidanus in ejusmodi cauſis non ſolum eſt incompetens, ſed & incapax, eleganter

Gonſalez Tellez ad C. 3. *X. de Ordin. Cogn.*

Wozu (5) *kommt, daſs in*

Libr. Stat. C. 12. §. 12.

Inſuper ſtatuimus: inter Privilegia Studioſis conceſſa, quod à Cive coram Rectore conventi iſtum ibidem reconvenire queant, *ausdrücklich* referirt *vvorden*, *vvelches ja keinesvvegs* ad Privilegia *gezogen vverden könte*, *vvann nicht der* ſenſus *vvære*: Licet Stud. civem coram Magiſtratu oppidano conveniens reconveniri nequeat, tamen ſtatuimus, ut ſi civis Studioſum vel quemcunque ex corpore Acad. apud Rector. convenerit, is ibidem reconveniri poſſit: *geſtalten*, *vvann ein beklagter* Student *den* Actorem reconvenir*en kan*, *nicht* ad privilegium, ſed J. Commune *gehöret*, *einfolglich das* Privilegium *darinnen*, quod Civis conventus à Studioſo coram Magiſtratu oppidano eundem reconvenire non valeat, *nothvvendig beſtehen muſs*, eſt enim omne privilegium ita accipiendum, ut aliquid operetur,

per vulg.

& privilegia Studioſis conceſſa quam latiſſime ſunt interpretanda,

Cothm. Reſp. Acad. 14. *n.* 63.

Wie denn dieſer Meynung Reconventioni in memorato caſu non eſſe locum in terminis cum reſolutione dubiorum *beypflichten*

Libenthal. de Privil. Stud. §. 9.
Matth. Steph. de Jurisdict. L. P. 2. *c.* 12. *n.* 48. *ſeqq.* *cum alleg.*

Hunn.

Hunn. ad Auth. habita. Cap. 2. *q.* 5.
Richt. in expoſ. ad d. Auth. diſput. 6. *verſ. ſed quæritur, an civis,*

namque ſententiam in praxi receptam eſſe teſtatur
Froman. ad d. Auth. quæſt. 19.

Stellen jedoch alles Eur. Hoch-Fürſtl. Durchl. *Höchſt-erleuchteter* Di-Judicatur *und Gutbefinden lediglich anheim, und ſeyn in tiefſter* Submiſſion

Evv. Hoch-Fürſtl. Durchlaucht

Den 31. *Aug.* 1709.

Pflicht-ſchuldigſt-unterthänigſte Dienere,

Rector, Cancellarius, Decani, Doctores und Prof. Ordinarii der Univerſitæt *zu Gieſſen.*

INDEX

INDEX MORBORUM ALPHABETICUS.

A.

Abdominis inflatio (vulgo das Anwachſen) Pag. 20.
Abortus 306.
 an movendus ut ſervetur mater ? 317.
Abſceſſus oculi 408.
Acephali 6.
Achores 31.
Affectus hypochondriacus 255.
 ſoporoſi 402.
Anaſarca 98.
Ancylogloſſi 6.
Angina 190.
 ab ubuſu ☿. ibid.
Ani procidentia 6.
Anus imperforatus 6.
Anorexia 72.
Apepſia Pag. 72.
Aphonia 333.
Aphthæ 14.
 à veſicatorio 15.
Apoplexia 333.
 Senum 739.
Ardor ſtomachi 347.
Arthritis 384.
 vaga ibid.
Artuum defectus 6.
Aſcarides 52.
Aſcites 98.
Asphyxia 197.
Aſthma convulſivum 354.
 puerorum 23.
 humidum 354.
 ſiccum ibid.

Aſthma ſtomachale Pag. 254.
Atrophia 27.
Auditus gravitas 413.
Aurium dolor ibid.
ſonitus 413.
tinnitus ibid.

B.

Bradypepſia 69.
Bubones peſtilentiales 174.
Venerei 147.
Bubonocele vid. Hern.
Bulimus 69.

C.

Cachexia 98.
Calculus renum 367.
Calculus veſicæ ibid.
bilariæ vid. Icter. 346.
Capitis dolor 231.
Caput pyramidale infantium 6.
Cardialgia 247.
Cardiogmus ibid.
Carus 402.
Catalepſis 236.
an convulſio? 448.
Cataracta 406.
Catarrhus 354.
ſuffocativus ibid.
Cauſus 170.
Ceraunius 477.
Chiragra 384.
Chloroſis 129.
Cholera humida Pag. 86.
ſicca ibid.
Cœliaca paſſio 36.
Colica 255.
Coma ſomnolentum 402.
vigil. ibid.
Comedones 27.
Contractura. 385.
Convulſio interna 236. 421.
externa ibid. 423. 450.
Cordis palpitatio 197.
polypus 114.
Corpulentia nimia 125.
Crinones 27.
Cunnus imperforatus 6.
Curæ ſuperſtitioſæ variæ 36. 37. 38.
Cynanche 189.

D.

Deliquium animi 197.
Deliria triſtia 217.
furioſa ibid.
Dentium dolor 742.
Diabete notha 393.
ſpuria ibid.
Diarrhœa 36.
ab abuſu ☿. Philoſophici 42.
Dolores nimii 743.
Dyſenteria 36.
Dyſorexia 72.
Dyſpepſia ibid.

Dyſpnoea

Dyſpnoea Pag. 354.
Dyſuria 370.

E.

Elephantiaſis 723.
Emproſtotonus 450.
Empyema 189.
Enterocele vid. Hernia.
Epilepſia 50. 236.
curſoria 448.
rotatoria ibid.
Epiphora 406.
Epiplocele 59.

F.

Faciei verrucæ 3.
puſtulæ Venereæ Vid. Lues ♀.
Fames canina 69.
Faſcinum 27.
Favus 31.
Faucium inflammatio 738.
Febris alba 129.
ardens benigna 170.
maligna 174.
cum phthiſi 529.
peſtilentiatis ib.
petechialis 174.
puerperarum vid. Purpura.
catarrhalis 164.
cauſus dicta 170.
continua acuta 171.
lenta 164.
Febris continua periodica Pag. 159. 568.
diaria 170.
plurium dierum ibid.
epiala 170.
hæmoptoica 515.
hectica 164. 568.
cardiaca ibid.
intermittens cõpoſ. 159.
ſimplex ib.
tertiana cõtin. 159.
tertiana duplex ibid.
ſimplex 159.
quartana 159.
quotidiana 159.
interna 568.
lypiria 170.
ſynochus putrida ibid.
verminantium 549.
Virginum alba vid. Chloroſis.
Fluor albus Mulierum 397.
Fluxus alvi vid. Diarrh.
ab abuſu ~ ⊕. Philoſ. 42.
cœliacus 36.
Fœtor menſium 661.
oris à lumbricis 560.

Fulmi-

Fulmine tacti Pag. 477.
Furor uterinus 129. 738.

G.

Gangræna 744.
der Gicht-Flug 689.
Huſten 23.
Glaucoma 408.
Gonorrhœa maligna 142.
vera ibid.
virulenta 142.
Gutta ſerena 406.

H.

Hæmoptyſis 193.
Hæmorrhagia nariū ibib.
uteri 193.
673.
Hæmorrhoides apertæ vid. hæmorrhag.
præſervant à morbis 656.
cœcæ 647.
narium 646.
uteri ibid.
das Heimwehe 247.
Hemicrania 739.
Hemiplexia 333.
Hernia inteſtinalis 59.
umbilicalis ibid.
Hydrocephalus 6. 98.
Hydrophobia 227.
Hydrops 98.
cordis ibid.
pectoris 98.
Hydrops ſaccatus Pag. 98
Hypercatharſis 743.
Hyperemeſis 743.

I.

Icterus albus vid. Chloroſis.
flavus 93.
niger ibid.
Ileos 255.
Impotentia 297.
Inflatio abdominis 20.
Inflammatio 189. 744.
ventriculi à ♂ Philoſ. 42.
Iſchiadicum malum 384.
Iſchuria renalis 375.
veſicalis ibid.

K.

the binnen Koorſen Belgarum 568.

L.

Leucophlegmatia 98.
Lethargus 402.
Libido nimia vid. Tentigo.
Lienteria 41.
Lippitudo oculorum 406.
Lipothymia 197.
Lochiorum fluxus nimius vid. hæmorrhag. uter.
Lochiorum ſuppreſſio vid. Menſium ſuppreſſ.
Lues venerea 145.
Lumbrici lati 52.
longi ibid.

Luxa-

Luxatio brachii / coſtarum / vertebrarum } in Infantibus { Pag. 6. 743.

M.

Maculæ volaticæ 689.
Malacia 69.
Malum hypochondriacũ 255. 743.
iſchiadicum 284.
Mania 227.
à ſolano furioſo 228. 583.
Marasmus 164.
Melancholia 217.
Menſium fluxus nimius 193.
fœtor 661
ſuppreſſio 129.
Mictus ſanguineus 193.
Mola 738.
Morbi adultorum 156.
creſcentium 68.
embryonum 7.
infantium 6.
juvenum 68.
puerorum 6.
ſenum 324.
Morbilli 174.
Morbus Ungaricus

N.

Nævi materni 7.
Nares compreſſi recens natorum 6.
Nauſea 76.
Nephritis 367.
Nigredo totius corporis 6. 7.
Noſtalgia vid. Cardialgia.
Noſtomania 633.

O.

Obauditio 413.
Obſtructio menſium 129.
Oculorum inflammatio 406.
lippitudo ibid.
Odontalgia 742.
Olfactus læſio 739.
Omphalocele vid. Hernia.
Opiſthotonus 326. 450.
Ophthalmia 406.
Orthopnœa 354.

P.

Palpitatio cordis 197.
Pannus oculorum 406.
Paralyſis 333.
Paraplexia ibid.
Paraphrenitis 231.
Pareſis ex colica 333.
Partus difficilis 310.
mortuus 738.
dolores 310.
Paſſio hyſterica 301.
iliaca 255.

Pedum

Pedum diſtorſio Pag. 6.
Peripneumonia 189.
Peſtis 174. 739.
Petechiæ ibid.
Phlogoſis 736.
Phrenitis 231.
Phthiſis pulmonalis 107.
renalis 617.
Pica 69.
Planci 6.
Pleuritis 189.
maligna 592.
ſpuria 189.
Podagra 384.
à ſcabie retropulſa 717.
Pollutio nocturna 142.
Polypus cordis 199.
Pothopatridalgia 631.
Priapiſmus 450.
Prolapſus ani 59.
Proſthonus 236.
Pruritus ſenum 284. 384.
Prunella infantium 14.
Pterygium 406.
Purpura vid. Feb. maligna 735.

Q.

Quinta (vulgo Ginckhuſten) 23.

R.

Rabies canina 22.
felina ibid.
Raucedo Pag. 740.
Renum calculus 367.
inflammatio ibid.
Rhachitis 27. 700.

S.

Satyriaſis 450.
Scabies 31.
retropulſa 719.
Scorbutus 739. 773.
Scotomia 209.
Scroti intumeſcentia 6.
Singultus 17. 712.
Sitis p. n. 740.
Spaſmus 236.
cynicus ibid.
Sputum cruentum 193.
Steatomata 11.
Sterilitas 297.
Stranguria 370. 375.
Strychnomania 583.
Sudor Anglicus vid. Feb. maligna.
nimius 743.
Suffocatio hyſterica 301.
Suffuſio 406.
Suggillatio infantium totalis 7.
Suppreſſio menſium 129.
urinæ 375.
Surditas 413.
Synanche 190.
Syncope 197.

T.

Tabes Pag. 107.
Tentigo 738.
Tetanus 236. 448.
Tinea 32.
Tinnitus aurium 413.
Tormina infantium 20.
Tremor 333.
Tumores cyſtici 11.
ſanguinei ibid.
Tuſſis convulſiva 23.
Stomachalis ibid.
Tympanites 98.

V

Variolæ communes 31. 74.
confluentes ibid.
Ventriculi ardor 247
debilitas vid. Apepſia.
Vermes 52.
umbilicales ibid.
Vertigo caduca 327.
tenebricoſa ibid.
Vigiliæ nimiæ 560.
Viſus hebetudo 460.
Ulcera antiqua 737. 743. 744.
Vitæ longævæ remedium 418.
Vitia cutanea 31.
Umbilici prominentia 6.
Unguis oculi 406.

Vomica

Vomica Pag. 189.
Vomitus 76.
Urina involuntaria 393.
 ſuppreſſa 375.
Urinæ ardor 370.
Uteri procidentia vid. Hernia.
 ſuffocatio 301.

SPHALMATA TYPOGRAPHICA
In Declamationibus Panegyricis, alibi impreſſis, relicta.

Pagina	*Linea*	*Error*	*Correctio*
142.	ult.	Taphiacotii	*Tagliacotii.*
144.	9.	Sycophantiis	*Sycophantis.*
146.	18.	*Deleantur verba*	aut privativis.
159.	29.	indicaſſet	*vindicaſſet.*
160.	16.	ipſo	*ipſum.*
ibid.	26.	deleantur verb.	*tunc autem.*
162.	25.	Vertichii	*Verdrieſii*
166.	18.	ἄρχοντας	ἀρχόντας.
ibid.	23.	συνέργειν	συνέργειαν.

u

e 7f